Rasa 4332

31434

50

– 13 gl ex auction: Leeuwar:
A 1710 den. Jun.

31434

50.
4 38

Ex auct. Bergeriana, n. 1486.
acc. Ppak

B8740

PLATONIS CVM ARISTOTELE IN VNIVERSA PHILOSOPHIA, COMPARATIO.

Quæ hoc Commentario, in Alcinoi Institutionem ad eiusdem Platonis doctrinam, explicatur.

AVTHORE IAC. CARPENTARIO, Claromontano Bellouaco.

AD ILLVSTRISSIMVM GALLIÆ CARdinalem & Principem, Carolum Lotharingum.

PARISIIS,

Ex officina Iacobi du Puys, è regione Collegij Cameracensis, sub signo Samaritanæ.

1573.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Extraict du Priuilege.

PAR lettres de Priuilege donnees à Amboyse le deuxieme iour de Ianuier 1572. est permis à Iaques du Puys, Marchant, Libraire Iuré de nostre Vniuersité de Paris, imprimer, ou faire imprimer en tel lieu que bon luy semblera, tous les liures de Maistre Iaques Charpẽtier nostre Professeur, & Docteur en Medecine en nostre susdicte ville, & defenses à tous Libraires & Imprimeurs de nostre Royaume, de n'imprimer, ny faire imprimer, vendre, ny distribuer autres que ceux que ledict du Puys aura imprimé, ou faict imprimer, durãt le temps & espace de six ans, à conter du date que lesdicts liures seront acheuez d'imprimer, sur peine de confiscation, & d'amende arbitraire, dommages & interestz de l'exposant, comme plus à plain apert & est declaré par lesdictes lettres. Signé.

DE VABRES.

27023444
Univ.-Bibl.
Giessen

Seminar für Philosophie
der
Justus Liebig-Universität
13908

ILLVSTRISS. GALLIAE CARDINALI ET PRINCIPI, CAROLO LOTARINGO, Mecœnati suo.

Iac. Carpentarius. S.

MEMINISTI, Cardinalis & Princeps illustriss. cùm ante annos sex tibi in vrbem redeunti, pauci collegæ (vix verò plures in vetere disciplina apertè permanserant) de Regiorum Professorum gymnasio, cuius clauum tenes, ad Sandionisium tuum gratulandi causa conueniissemus, & de vniuersæ rei literariæ calamitate, de aliorum collegarum quos nihil necesse est nominari, studio nouandi pauca tecum essemus loquuti, atque in illis penè iam in extremam desperationem adducti, tantum habere videremur quod lugeremus, tum te non tam fortasse spem vultui simulantem, quàm altum dolorem corde prementem, nos vt rerum meliorum aliqua expectatione confirmares, in hanc sententiam esse affatum? In tenella Regis nostri ætate omnem fortunam ferendo superandam esse: sperandúmque si hic, Dei gratia, adolesceret, futurum aliquando vt cœlum quod tum in vniuersa Gallia densissimis nubibus tegebatur, iisdem discussis, clarissimo suo Sole nos suauissimè recrearet. O fœlix faustúmque & vno verbo summa omnia complectar, te dignum augurium. Iam verò Regis nostri Christianissimi ætate solùm ineunte, atque in hac pietate incredibili iustitiam excitante, Lucetiana aurora nubes illæ discussæ sunt, Cardinalis & Princeps illustriss. clarissimus Sol, idémque suauissimus Galliæ illuxit, & quanquam superiore mense Augusto, talis tamen,

Qualis vbi hybernam Lyciam, Xanthíque fluenta
Deserit, ac Delum maternam inuisit Apollo.

In quo vt erit posthac Carolo nostro Regi apud omnes bonos, Christianæ sacræque maiestatis augustum perpetuúmque monumentum: sic tuorum summa gloria. Quos vt Regi in dē fissimis illis nubibus maxima fide semper adfuisse certum est, sic profectò æquissimum eosdem, renato clarissimo isto Sole, inter cæteros imprimis recreari. Imò verò Dei Opt. Regísque beneficio iam ita recreati sunt, vt vix quicquam sit quod ad ampliſſimæ tuæ familiæ fœlicitatem accedere posse videatur. Quid ergo restat quod tibi ex Italia ad nos redeunti, summis quidem laudibus ornato, sed in hac noua luce, de restituta religione multò magis gestienti, hodierno die præcemur? Olim, Diagoræ qui vno die tres filios victores Olympiæ viderat, quendam qui eiusdem fortunę spectator extiterat, dixisse ferunt, Morere Diagora: iam enim in cœlum ascendes. Ego verò in quantauis nominis tui celebritate, tuæque familiæ amplitudine, qua vix vlla maior humanitus contingere posse videtur, non dicam te satis regno nobísque vixisse, nisi prius in hac vniuersi schola, vniuersam rem literariam composueris. Quam si in suam integritatē restitueris, regni religionísque seminarium eadem opera valde excolueris. Quo vt neglecto, hactenus in nauigando maximè laborauimus: sic sedulò & gnauiter repurgato, posthac in omnibus regni partibus & ordinibus secūdiore nauigatione fruemur. Hāc curam, mihi crede, Mecœnas optime, bonorū omniū iudicio debes literis quæ te exornant, ipsíque Academiæ quæ te aluit & instituit. Cuius ruina iam in promptu est, nisi breui tua manu sustineatur. Ad eam verò iampridem expetitam, vt commodiore occasione te inuitare possemus, Philosophicum opus hoc pro vniuerso Philosophorum ordine, qui eādem imprimis expetit, tibi vouimus & consecrauimus. Quod si qua soles omnia, humanitate exceperis, huiúsque voti nos cōpotes reddideris, simul quoque vniuersam Academiam fœliciſſimo optatiſſimóque tuo reditu beaueris. Quæ hoc beneficio ad alia penè infinita accedente, de tuis tuorúmque laudibus nunquam conticesceret, Bene vale. Datum ex vrbe, Idib. Ianuar. Anno 1573.

FRANCISCI BRIGARDI ORBACENSIS, DOCTORIS ET REGII MEDICI, In operis commendationem, Carmen.

Si quodcúmque ferax tam vasto terra theatro
Protulit, atque caui cingitur arce poli:
Aeria si quod volitat regione, beatas
Si qua tenent sedes numina, nosse cupis:
Hæc Carpentari patulo tria suggerit ore
Pagina, ne quæras qua satiere magis.
Hinc rerum causas cælíque solíque recessus,
Hinc superum discés mystica sacra deûm:
Dum veneranda duo sophiæ quæ lumina monstrant
Aestiua hinc referes lucidiora die.
Peruiáque agnosces fuerant quæ deuia, noctem
Dum rutilo pellet lumine clara dies.
Purpureos igitur flores, hæc lilia lector
Collige & his nodos soluere disce, Vale.

AD CARPENTARIVM MEDICVM doctorem & Regium professorem, In Alcinoi Epitomen, & eiusdem explicationem.

Maximus ille Plato libris comprenderat amplis
Naturam, mores, oppida, sacra, Deum.
Hæc tamen angustis constrinxerat omnia chartis
Alcinous, magni parua figura viri.
Sed tu quódque Plato, simul interprésque Platonis,
O Carpentari perficis Alcinous.
Qui quod ab Alcinoo strictum est arctante Platonem,
Strictius & cohibes, fundis & explicitum.
Scilicet eiusdem est vel multis dicere multa
Vt Plato: vel paucis plurima, vt Alcinous.

Io. Auratus Poëta Regius.

LEODEGARIVS A QVERCV SVO COLLEGAE Iacobo Carpentario Lectori Regio. S.

Scipio rescindi vetuit Carthaginis arces,
Ne sine coticula Roma maneret hebes.
Sic ego nolueram vt nuper raperetur in vndas
Thessalus (etsi illo dignus erat tumulo)
Ne tibi dum sophiæ stadium percurris anhelus,
Deficeret calcar quo stimulere magis.
Huius at interitu terris, vndísque cupito
Plus solito ad sophiam mens tua acuta redit:
O igitur citius Neptuni regna subisset
Thessalus, vt citius nando tulisset opem.

Vale.

ΕΙΣ Ι. ΚΑΡΠΕΝΤΑΡΙΟΝ ΤΟΝ
Αλκινόϑ φιλοσόφϑ Πλατωνικῦ ἐξηγητὴν.

Ατϑίδος εὐγλάσσϑ θεῖον φόμα, κεῖνος ὁ κύκνος
Εκ κόλπου κατ' ὄναρ Σωκράτεος πτάμενος,
Ες νοερὰς φύσιας καὶ ες ϑρανὸν ὄμμα πταίνων,
Εισέβλεψε θεῦ φέγγος ἐπουράνιον.
Μωσαϊκὸν Σαμίῳ κεράσας κρητῆρι τὸ νᾶμα,
Σωκρατικὴν σοφίῃ τεύξατο θειοτέρῃ.
Ειδὲ μακρὸς δικέλευ ϑ' ὁρϑὸς ὶμος ἐσ' ἀυτιὼ,
Καὶ τρηχὺς κρημνὸς δυσκολίῃ παρέχει·
Ευϑὺς ὁδηγήσει σ' ἱερὸν μϑος Αλκινόοιο,
Κύεια τῦδ' ἀνδρὸς δόγματα συνϑέμενος.
Αυτὰρ ὁ Καρπενταέλος (ϑ' κλέος ϑρανὸν ἵκει)
Τ' ϑλιπὲς Αλκινόϑ εἰς ὅλον ἠράνισε.
Μῆτιν Αειστοτέλυς καὶ ϑεῖα νοήματα Πλάτωνος,
Δήνεαϑ' Ιπποκράτους συμπεφυρμένα.
Τρηχέα λειήνας, λαμπρύνας πάντα σκοτεινὰ,
Αρμονίῃ σοφίης ἐξετέλεσσεν ὅλης.

Ν. Γϑλ. Αυρ. Γαμβ.

IDEM EX GRÆCO LATINE expreſſum.

Atticus ille lepos, altißimus ille ſophorum
E gremio volitans Socratis albus olor
In cælum ſuperóſque deos ſua lumina figens,
Intuitus lumen quod ſuper aſtra micat.
Moſaicum ſamio miſcens cratere liquorem
Auguſtam ſophiam Socratis ipſe dedit.
Quod ſi longa via eſt atque ardua quæ petit illam,
Si præceps ſummo vertice terret iter.
Alcinous facilis, recto te tramite ducet,
Qui bene compegit dogmata lecta viri.
Carpentarius hinc, fama ſuper æthera notus,
Defectum Alcinoi ſupplet & auget opus
Lumen Ariſtotelis, diuináque ſenſa Platonis,
Et mentem Hippocratis comparat atque docet.
Aſpera complanans, obſcuris dans quoque lucem,
Expleuit ſophiæ totius harmoniam.

Index totius operis locupletiſsimus, in quo litera. p. sine vllo numero, indicat totius operis præfationem.

In reliquis, prior numerus, paginam, poſterior operis partem priorem vel poſteriorem indicat.

A

Abſtractionibus mathematicis continetur pædia philoſophi 7.1
Abſtractio quid 173.1
academiæ actio contra Ramum & huius in illa impudentia 93.1
academicorum veterum dialectica qualis 28.1
academia non vult Ramum admittere ad dicendam ſententiam de reformatione 113.1
actiones quædam Platoni mediæ ſunt inter voluntarias & inuoluntarias 138.2
actus & potentiæ diſtinctio eáque formæ & materiæ accommodata 243.1
actionem & perpeßione aliquando ſuperari, maximus error Logodædali 209.2
actus quo modo conueniat Deo & cæleſtibus intelligentiis 244.1
actus & poteſtatis diſtinctio 273.1
actus non omnis motus eſt 12.1
ἀκούσιον quid 276.2
Aegyptus quantum Plato tribuat in philoſophando .p.
Aegyptiis Plato credi vult ſine ratione. p.
ægyptij in philoſophando omnium excellentißimi .p.
aëri cur figura octahedra 303.1
aër in aqua nullus Ariſt. 432.1
aër quo modo in reſpiratione refrigeret cum ſit natura calidus 435.1
Aeternitas à tempore quo differat 320.1
affectuum animi diuiſio in efferatos & mites 144.2
affectus animi vel perturbatio, an morbus dici poßit 146.2
affectus ſiue perturbatio animi 143.2
affectus animi quibus nominibus exprimitur 146.2
affectus animi non ſunt voluntarij 143.2
affectus animi an toto genere vitioſi ſunt, an non ibidem.
agens primarium quid 275.1

Agrippæ testimonium de magorum impostura in inscriptionibus suorum librorum. 357.1
Alcinous videtur Didymus magister D. Hieronymi. p.
alcinous in artificio differendi magis sequitur Aristotelem quam Platonem. 166 1
alcinous quid agat hoc libro. p.
alcinous in arte differendi sequitur magis Arist. quam Platonem 44.1
alcinoi huius cum Timæo Platonis comparatio 379. 1
alcinous antea vix fuit de nomine cognitus 292. 2
alcinoi inscriptio quo modo latinè reddenda 200.2
alcinoi interpretatio cur recognita post Marsilium Ficinum 189.2
alcinous quis esse videatur & quib. temporibus vixisse p.
alcinous obscurissimus 199.2
Alimentum quo naturæ scopo ab vnaquaque parte coquatur 386.1
alimentum quam variè dicatur 386.1
ἀμοίωσις *quid, & quo modo latinè reddi possit* 229.2
ἀλυσιτὸν *quid* 207. 2
Amatorij affectus tres speciei differentes 152. 2
amatoriæ leges 153.2
amatores, dimidium sui quo modo dicantur in amato requirere 158.
amatorius affectus ad amicitiam quo modo se habeat 158. 2
ἀμυτάδελτος *male redditur latinè à Logodædalo, immortalis* 266.2
amicitia per morum similitudinem assequitur, vt sint amicorum communia omnia 154.2
amicitia quo modo triplex Arist. 155.2
amicitia quid 152.2
amicitiæ species adulterinæ 152. 2
amor incorporatus, dæmon potius quam Deus 153.2
amoris quanta vis sit in afficienda imaginatione vel cognitione 154.2
amor & philosophia animo parant reditum in cælum 368. 1
Analytica & Topica apud Arist. non sunt vnius artis 149. 1
analysis & genesis non possunt includi eadem specie methodi 125.1
analysis Thessalo à partibus ad totum 128. 1
analysi quo modo artes inueniantur & explicentur 69.1
analysis quæ apud Thessalum contineat 128. 1
analysis quam variè secundum Proclum dicatur 118.1
analyseως vocabulum Aristotelicum magis quam Platonicum 50.1
analysis an vocabulum Platonicũ 115. 1
analitica methodus nõ progreditur à prioribus natura, contra Thessalum 117. 1
analyticæ methodi ratio in tribus extremis scientiarum 117.1
analysis quot species habeat 39.1
analytica posteriora apud Aristotelem quid complectantur 140.a
analysis Aristo. quid complectatur 116. 1
analytica ars cur ea dicatur quæ est de demonstrando 51. 1
analysis à demonstratione quo differat 51. 1
analitica priora & posteriora apud Arist. faciunt vnum opus 150.1
analysis Thessalo à confusis, & ad confusa 146.1

analyticus descensus à generalibus, an à natura prioribus 159.1
analysis ad genesin quo modo se habeat 70.1
analysis an ad cõfusa progrediatur 145.1
analysis quo modo artes peperit 68.1. 142.1
analytica ars apud Aristotelem vnde nomen habet 160.1
analysis geometrarum qualis 51.1
analyseos multiplex significatio 50.1
Anaxagoræ peregrinatio p.
Anaxagoræ physica cur à Platone reprehensa 174.1
animus humanus in corpore est dupliciter 221.2
animus humanus quo modo suo corpori præesse & imperare dicatur 9.2
animi in corpus imperium Arist. quale 11.2
animus quo modo per se dicatur vitã dare 8.2
animus sentiens an Platonicis sit immortalis 65.2
animus vinculum mentis cum corpore 240.2
animi humani functiones quædam corpori addictæ, aliæ ab eodem separatæ 33.2
animus ratione corporis multis mutationibus obnoxius 63.2
animi & corporis sympathia 67.2
animi immortalitas in Arist. doctrina dubia 385.1
animi maximè principes facultates quæ faciunt distincta genera rerum animatarum 471.1
animus humanus quo modo dicatur quinta essentia constare 368.1
animi humani è diuina mente decerpti 368.1
animus quoúsque ab ipsis astris patiatur 369.1
animus Platoni suo corpore est antiquior 373.1
animi distinctio secundum sedes, confirmatur 450.1
animus dicitur à Platone suum corpus amare & odio habere 374.1
animum in nobis substantia esse vnicum
animus descendens in corpus duplici lumine exornatur 375.1
animi conditionem post vitam hanc, nusquam Arist. aperte explicat 385.1
animi humani stellis numero respondent 367.1
animus propinquus rei indissolubili 5.2
animus, numerus seipsum mouens 19.2
animi motus ex Platone quales 18.2
animorum triplex cõditio post vitam hanc 376.1
animi facultates in conformatione hominis comparantur inter se 25.2
animi immortalitas cur Aristoteli non satis definita 14.1
animi partes quo modo distinctæ 464.1
animi partes cum partibus rerump. cõparantur ex Plat. 160.2
animi in corpore & extra corpus, cognoscendi modus quo differat 35.1
animus quo modo posito fato retineat suã libertatem 71.2
animus vniuersi cum nostro eiusdem conditionis in immortalitate 3.2
animi partes quæ traducantur cum semine, & quæ extrinsecus aduenant 453.1
animi & corporis in nobis idem initium ex Gregorio Nysseno 460.1
animorum immortalitas à quibus philosophis posita 5.2
animus cur in corpus descenderit 368.1

animi duplicis, ad corpus duplex quoque habitudo 68.2
animus quibus gradibus sibi paret ascensum in cælum 36.1
animus quibus gradibus ad ideas ascendat 201.1
animi alæ 35.1
animi motio etiam Aristoteli, quænam sit 273.1
animi cognitio quo modo comparetur, agendone an patiendo 34.1
anima mundi à Platonicis posita, videtur esse pro diuino spiritu 235.1
animi impetus in homine, & in bellua quo differant 88.2
animus non potest dici corporis temperatio 5.2
animus mente inferior 35.1
animus Deum cognoscens efficitur quodã modo Deus 233.1
animos singulis hominibus proprios à prima mente distinctos, immortales esse 32.1
animi alæ duæ 375.1
animi à corpore separatio philosophica duplex 4.1
animi à corpore auersio qualis 4.1
animus humanus transit aliquando in vitam belluam 384.1
animi partes sedibus distinctæ 449.1
animus Aristoteli tabula nuda 35.1
animi cum corpore comparatio duplex 374.1
animus Platoni tabula rasa 35.1
animus substantia vnus & simplex an moueri possit contrariis motibus, in impotentibus & intemperantibus 466.1
animi nostri nulla pars fuit ante corpus Aristoteli 29.2
animi partes quo modo distinctis corporis partibus attributæ 454.1
animi ascendunt per Capricornum, descendunt per cancrum 368.1
animi operationes triplices 33.2
animi doctrina physica debet etiam habere rationem corporis 68.2
animi immortalitatem quibus rationibus Platonici confirment 1.2
annus magnus iubileus quis 322.1
animi nostri pars superior non est subiecta fato 76.2
animi conditio secundum tria tempora theologis nostris non est omnino definita 371.1
animi immortalitas quo modo contrariis argumentis veniat in dubitationem apud Arist. 26.2
animorum immortalitas octo rationibus Platonicis confirmatur 7.2
animos mortales qui asseruerint 6.2
animorum immortalitas difficile persuaderi potest 6.2
animi definitio qualis apud Aristotelem 25.2
animi purgatio philosophica, antecedit contemplationem 4.1
anima mundi quo ordine explicanda 310.1
animus ceræ similis 33.1
animus supra fatum, in fato & sub fato 76.2
animi partes sedibus distinctæ 579.1
animi soluti corporibus quibus rebus soleant delectari 109.2
animos immortales migrare in varia corpora, etiam belluarum 3.2
animi partes Plato non videtur re & substantia distinxisse 453.1

animi ratiocinantis origo qualis, veteribus philosophis & Theologis 458.1
animi facultates inferiores non sunt propriè in eius essentia 456.1
animus essentia vnus, an possit in se habere aliquid mortale, aliud immortale 456.1
animi partes variæ vnde habent suam originem 449.1
animi partes omnes cur non eodem tempore videantur inesse fœtui 469.1
animus an totus in toto corpore, & totus in qualibet eius parte 472.1
animus qualis post vitam hanc 375.1
anima mala quæ seruit corpori 269.1
anima plantarum nonnullis etiam immortalis 66.2
anima Platoni harmonia quadam constat, non tamen ea quæ corporis 314.1
anima mundi quomodo sit in toto mundo 263.1
anima Platoni orta, & ortus expers, sine vlla inconstantia 315.1
anima potius propter similitudinem quàm dissimilitudinem, res cognoscit 315.1
animæ partes & facultates accommodantur eiusdem compositioni 312.1
animæ quomodo præparandæ ad cœlestes influxus 364.1
animæ mundi situs & distinctio 308.1
anima in suis partibus vel facultatibus, quid habeat idem, quid alterum 319.1
animæ compositio ex numeris 313.1
animæ origo apud Platonem, rationis tantùm non rei 315.1
animæ quomodo insita vis cognoscendi omnia 311.1
animarum omnium an sit vnica idea 290.1
anima quid habeat in se dextrum, quid sinistrum 319.1
anima Platoni orta secundum relationem ad corpus 315.1
anima, vita ipsa aliquando dicitur 8.2
anima mundi quomodo in huius medio esse dicatur 317.1
animæ concentus qualis 320.1
animæ compositio Platonica ex eodem & altero 311.1
anima in mundo cur prius explicetur, quàm corpus 310.1
anima mundi à prima mente quo differat 316.1
animalia mortalia à diis minoribus procreata 328.1
animalia ratione vtentia quædam in omnibus 326.1
animal commune quomodo singularibus posterius 27.1
animalia quædam quomodo dicantur temperamento frigida 441.1
animal vniuersale quomodo sit post singularia 55.1
animal vniuersale quomodo post singula animalia 210.1
Annus magnus Platonis qualis 309.1
Angulus Pythagoreis qualis & quæ eius vis in rebus ipsis 306.1
angulus rectus consecratus diis puris 306.1
Ἀποβάλλειν, an significet repudiare 258.1
Αἰσθητὸν aptè dici latinè, sensile, contra Logo dædalum 193.a
Apollonij Tyanei peregrinatio p.
Apollonij Tyanei admiranda opera qualia 339.1
Ἀντακολουθεῖν quid 273.2
Aqua calorem fusum continet, sine aëre tamen 433.
aquarum in cœlo, & sub cœlo distinctio 295.1
aquæ figura cur icosaedra 303.1
Argumentationum fallacium diuisio ex Aristotele 21.1

argumenti & methodi potest esse commune nomen 124.1
argumentandi modi in hypotheticis 161.1
Aristotelis doctrina consentiens cum Christianorum libero arbitrio 94.2
Aristotelis loci quibus declarat quid de mẽte sentiat 22.2
Aristotelis propria ratio vnica ad immortalitatem expenditur 23.2
Aristoteles nonnullis videtur mortalitatis animorum assertor 20.2
Aristoteles in quæstione de immortalitate obscurus & varius 20.2
Aristotelicæ rationis ad immortalitatem difficultas est in assumptione, non in propositione 25.2
Aristotelis contra Platonem disputatio de peccatis & vitiis, an sint inuoluntaria 138.2
aristotelis sententia de ratione parandæ virtutis & fælicitatis 122.2
aristoteles videtur ipsam naturam appellare fatum 83.2
aristoteles libertatem voluntatis nostræ tueri voluit 82.2
arist. opera acroamatica & exoterica 67.1
aristotelis obiectiones cõtra octauam rationem Platonis ad immortalitatem 19.2
aristotelis opera vnde distincta in acroamatica & exoterica 106.2
aristotelis cum Platone cõparatio difficilis p.
aristotelis & Platonis in philosophando cõsuetudo p.
aristotelis cum Platone comparatio in Ethicis p.
aristoteles certat cũ Platone de philosophiæ principatu p.
aristotelis cum Platone comparatio philosophis necessaria p.
aristoteles in Logicis quomodo à Platone dissentiat, vel cum eodem consentiat p.
aristoteli animus tabula nuda 35.1
aristotelis disputatio contra summum bonũ Platonicum 106.2
aristotelis opinio de intellectu agente cur vsqueadeo obscura 57.2
aristoteles cognouit animi quandam functionem non communicantẽ cũ corpore 56.2
aristotelis sententia de immortalitate est dubia 25.2
aristotelis rationes contra eos qui animũ ponunt in harmonia corporis 10.2
aristoteles non est ausus dæmones aperte improbare 338.1
aristotelis locus de mente extrinsecus aduenie̅te, malè expositus à Simone Portio 52.2
aristotelis rationes cõtra Platonem de vnione ciuitatis 163.2
aristoteles videtur dæmones irrisisse 336.1
aristotelis sententia de respiratione 431.1
aristoteles repudiat ideas 181.1
aristoteles & Plato circa materiam in quo consentiant & differant 181.1
aristoteli Deus vnicus 240.1
aristoteles cur non egerit de syllogismis hypotheticis 164.1
aristoteles quo animo Platonem exagitet in philosophando p.
aristoteles cur nõ satis definitè de animi immortalitate loquatur 14.1
aristotelis sententia de mundi æternitate 283.1
aristoteles contra Galenum defenditur de modo videndi 403.1
aristot. ingenium in philosophando 337.1
aristotelis cum Platone conciliatio de modo videndi 405.1
aristoteles de somni causis contra Galenum defenditur 413.1
aristoteles contra Cardanum defenditur de modo videndi 407.1

aristotelis cum Platone comparatio de natura oculorum 398.1
aristotelis cum Plat. comparatio in distinctione principũ facultatũ animi 470.1
aristoteles vsus est fati nomine, sed fatum non declarauit 82.2
aristotelis cũ Platone comparatio in quæstione de numero principiorum 181.1
aristoteli pleraque à veteribus Theologis attributa, quæ ab eius doctrina aliena 84.2
aristotelis rationes contra Platonem de modo videndi 402.1
aristoteles non vult somnia immitti à dijs 364.1
aristoteles multa vsurpat ex Hippocrate, quem tamen nusquam nominat 477.1
aristoteles respirationem distinxit ab occulta perspiratione: in quo à Galeno falsò reprehenditur 430.1
aristotelis comparatio cum Pythagora & Platone in doctrina de principijs elemẽtorum 305.1
aristotelis cum Galeno comparatio in quæstione de medulla 384.1
aristoteles non videtur animum humanũ ponere priorem corpore 384.1
aristotelis sententia melior quàm Platonis de natura oculorum 401.1
aristotelis sententia de mentis humanæ origine 458.1
aristotelis & Galeni comparatio in branchiarum vsu 432.1
aristoteli videre nos partim recipiendo partim emittendo 405.1
aristoteles sensus sedem non ponit in cerebro, contra Seb. Foxium 392.1
aristot. sententia de metempsychosi 386.1
aristotelis sententia contra Pythagoreorũ figuras 302.1
aristotelis & Platonis sententia de Venere mascula 159.2
aristotelis rationes contra recordationẽ vitæ superioris à Platone positam 14.2
aristotelis cum Platone comparatio in physicis p.
aristotelis methodus in philosophia p.
aristoteles damnatur à Tertulliano, laudatus à D. Hieronymo p.
aristoteles singularis methodi artifex 66.1
Aristotelis Ethica quomodo sint distincta 3.1
aristoteles nullo loco videtur apertè exposuisse suã sententiã de demonibus 335.1
aristoteles animum ponit in corde 472.1
aristotelis materia prima ab Aristot. quo differat 182.1
aristotelis & Platonis rationes de mundo cur vnus, examinantur 287.1
aristoteli vtrum sedes primi sensus sit in corde 390.1
aristoteles à Plinio reprehensus de piscium respiratione 433.1
aristotelis rationes contra Platonem de natura oculorum 400.1
aristoteli qui motus simplices 297.1
aristotelis locus de animæ compositione Platonica 311.1
aristotelis, Platonis & Galeni comparatio in distinctione saporum 420.1
aristoteli cœlum animatum 325.1
aristoteles excusandus in quæstione de respiratione piscium 434.1
aristotelis sententia de Dei nominibus variis 266.1
aristotelis varia testimonia de Deo 240.1
aristoteli & Platoni quorum sit scientia 29.1
aristoteles Dei essentiam, & actionem ponit in contemplatione 241
aristoteles de opinione Platonem reprehendit 31.1

Aristoteles an ideas approbauerit 222.1
Aristoteles de Deo piè loquitur 239.1
Aristotelis vnica ratio ad immortalitatem in lumine naturæ omnium optima 65.2
Aristotelis in moralibus explicandis ingenium quale 104.2
Aristoteli Deus mouet quidem, non tamen mouetur 272.1
Aristoteles ideas separatas in Platone, quomodo exagitet 203.1
Aristoteli quid imaginatio, contra Platonem 32.1
Aristoteles Platone superior philosophandi methodo p.
Aristoteles in physicis Platone superior p.
Aristotelis acumen in distinguendis elemẽtorum primis qualitatibus 293.1
Aristoteli Deus vnus 175.1
Aristotelis & Platonis comparatio in quæstione de ideis & vniuersalibus 204.1
Aristoteles quomodo posßit in Scholis tractari commodius 214.1
Aristotelicæ rationis ad immortalitatem, fundamentum 24.2
Aristotelis sententia de diuina prouidentia 175.1
Aristoteles in ideis quid potißimum soleat reprehendere 203.1
Aristoteles Deum cognouit, sed in principiis physicis, non posuit, & quare 181.1
Aristoteles Platonem reprehendit, quòd virtutes omnes dixerit particulæ prudentiæ 125.2
Aristotelis sententia de Deo 237.1
Aristoteli quantum' tribuendum 196.1
Aristotelis qualis distributio artis differendi 45.1
Aristotelis sententia de fato 82.2
Aristotelis cum Platone comparatio, in rationibus quibus probatur distinctio partium animi 473.1
Aristotelis explicatio 1. cap. libr. 1. Physic. 146.1.
Aristoteles duplicem methodum explicat in Analyticis & Topicis 140.1
Aristoteles cur à Platone dissentiat in quæstione de mundi origine 282.1
Aristoteli & Galeno pisces quidam manifestè respirant 432.1
Aristotelis explicatio in conciliatione locorum de sede primi sensus 392.1
Aristoteli cœli natura qualis 322.1
Aristoteles quomodo naturam ἀκινησίαν dicat 336.1
Arbitrij libertas an posßit cum fato consistere 95.2
Arithmetica & Geometria cur magis propriè numerentur in Mathematicis, quàm Musica & Astrologia 176.1
arteriæ venarum nomine continentur apud veteres 387.1
artium compendia an debeant semper à definitione incipere 155.1
artium duo prima genera Platoni 116.2
artis differendi apud Aristotelem distributio 45.1
artes quomodo per analysin inuẽtæ 142.1
artium compendia qua methodo soleant explicari 73.1
ascensus ad Deum quomodo parandus 6.1
ascensus ad summum bonum quomodo sit parandus 105.2
aspectus radius quomodo reflecti dicatur cùm non sit corporeus 416.1
aspectus medium debeat ne esse plenum aliquo corpore, an inane 411.1
aspectus reliquis sensibus diuinior 401.1
aspectus natura igneáne sit an aquea 398.1
aspectus & tactus duo primi sensus, sed ratione diuersa 291.1
aspectus & tactus quales sunt inter ipsos sensus

ſenſus 291.1
aſpectus radius quàm variè corporibus obiectis excipiatur 416.1
aſpectus naturæ aqueæ potius quàm igneæ 399.1
Aſtra ſunt in Deorum numero 297.1
aſtra habent ſenſum quendam, & intelligentiam 297.1
aſtra Platoni animata 325.1
aſtris etiam ſenſum ineſſe 325.1
aſtronomiæ vſus 170.1
aſtronomiæ cum muſica comparatio 177.1
Athanaſius rationem Platonicam ad immortalitatem magna ex parte probauit 17.2
Athanaſii ratio, Deum eſſe vnicum, quia mundus vnicus 290.1
Attica terra quare videtur Platoni prima hominem procreaſſe 367.1
auditus in nobis qualis 395.1
Auerrois contra Galenum opinio de reſpiratione 436.1
auerroes Galeno obiicit ignorationem logicarum artium 436.1
auerrois opinio de Deo quo modo cognoſcat 258.1
auerrroes non tribuit cœlo materiã 195.1
auerrois opinio de intellectu agente 44.2
augures Romæ quales 366.1
Auguſtinus malè Platonem arguit incõſtantiæ 315.1
auguſtinus fatetur deceptum ſe Platonis lectione in quæſtione de mundo 283.1
auguſtinus Platonem reprehendit in quæſtione de animo 34.1
auguſtinus recordationem vitæ ſuperioris probauit aliquando cum Platone 12.2
auguſtini opinio de metempſycoſi 371.1
auguſtini quæſtiones de animi humani origine 459.1
auguſtinus de animaliũ procreatione Platonem reprehendit 360.1
auguſtino dæmones ſunt aërei 343.1
auguſtinus aſſertor liberi arbitrij 92.2
auguſtinus de aſtris dubitauit an eſſent animata 326.1
auguſtinus probat ideas 193.1
auguſtini teſtimonio homines quidam magicis artibus in iumenta conuerſi 377.1
auguſtini rationes contra recordationem vitæ ſuperioris à Platone poſitam 13.2
auguſtini ſententia de animi ſede 472.1
Auguſtus Cæſar aram extruxit primogenito Deo 340.1
Auicennæ opinio ad metempſychoſin pertinens 376.1
Auratus fœliciſſimus in reſtituendis libris veterum 189.2

B

BEatus-ne quis in vita hac 107.2
Belluarum & hominis iudicium quo differat 27.1
belluarum an ſermo quidam ſit 66.2
Bernardi ratio ad immortalitatem, cum Platonica conſentiens 7.2
Beſſarij Cardinalis opinio improbatur 14.2
Beſſarionis ſententia de idearum ſeparatione 104.1
Beſſario de comparatione Platonis cum Ariſtotele in materia 183.1
Bonum ſummum in quo à Platone poſitũ 100.2
bonum ipſum cur pulchro ſuperius 274.1
bonum ſummum non facilè poteſt inueniri, nec tutò cum omnibus communicari 100.2
bonum & pulchrum quomodo ſe habeant ad inuicem 274.1
bonum ſummum Platoni in idea eſt po-

sita 105.2
Bonorum gradus & genera quàm variè à Platonicis distinguantur 108.2
boni filius Sol quomodo dicatur 105.2
bonum absolutè quid 100.2
bonum quomodo omnia appetant 139.2
bonum quodammodo appetere etiam eos qui sua sponte laqueo vitam finiunt 139.2
bonum summum cur non est communicandum cum omnibus 106.2
boni summi explicatio quomodo tentanda 105.2
bonum summum non assequimur viribus nostri ingenij 105.2
boni ipsius cum lumine comparatio 264.1
Branchiarum vsus in piscibus 432.1

C

Καυσαλιμονία *quid, & vnde dicta* 103.2
Caloris & frigoris natura & causæ Platoni 396.1
Calor homini natiuus, igneúsne sit an cæleſtis 380.1
calor non est anima, sed tantum primum animi instrumentum 382.1
calor natiuus resistit putredini, externus eandem inducit 442.1
calor natiuus quomodo diuinus ab Aristotele dicatur 21.1
Causa efficiens duplex 280.1
causa exemplaris qualis 280.1
causa idealis non est ab ipsa forma separanda 280.1
causæ metaphysicæ quales 174.1
causa organica an nouam speciem faciat ab aliis distinctam 280.1
causæ quales in partibus animalium cõsiderandæ 380.1
Cardanus parum piè videtur explicare Christi geneſin 75.2
Cardano morbi demones quidam sunt 349.1
Cardani rationes contra Aristotelem de modo videndi 407.1
cardani opinio de intellectu agente, perniciosa 54.1
cardano animus noster secundum Platonẽ substantia vnicus 465.1
cardani maxima licentia in quæstione de demonibus 340.1
cardanus de metempsycho reprehenditur 386.1
cardani rationes contra Aristotelem de modo videndi 402.1
cardani parum pius animus in religionem Christianam 341.1
cardanus demoniacorum causam retulit ad humorem 349.1
Carnis nomen quomodo sit accipiendum in Timæo Platonis 246.2
Cari à veterno distinctio 240.2
Κάρος *quid* 239.2
Cælum Platoni sit ne natura simplex an mixtum 294.1
cælum Auerroi non componitur ex materia & forma 185.1
cælum quomodo dicatur quatuor elementa continere 295.1
cæli nomen pro mundo, Platoni & Arist. frequens 292.1
cælum præter animam informantem indiget intelligentia assistente 325.1
cælum Aristoteli animatum 325.1
cælum Origeni animal 326.1
cæli motus à qua animæ facultate 325.1
cæli in mundo & partium eius motus 308.1

cælum in ſuis partibus quid habeat idem, quid alterum 319.1
cælum an conſtet portione quadam terrena 294.1
cælo primo conſtantia, ſeptem inferioribus diuerſitas & mutatio quomodo tribuatur 319.1
cælum in ſuo motu non admittit raptum 322.1
cæli natura Ariſtoteli qualis 322.1
cæli concentus 319.1
cæli corpus quomodo particeps eiuſdem & alterius 312.1
cæli motus circularis à quo & quomodo excitetur 298.1
cælum Platoni Deus quidam 326.1
cæli pars dextra & ſiniſtra quæ 318.1
Cæleſtia corpora an materiam habeant, & qualem 184.1
cæleſtibus corporibus ineſt materia vt & ſubiectum 185.1
cæleſtium orbium formæ motrices duæ 283.1
cæleſtis regionis cum elementari comparatio 323.1
cæleſtis motus cur in orbem 297.1
cæleſtium orbium quis numerus 323.1
cæleſtes ſpheræ octo quomodo ſe habeant in toto corpore cæleſti 322.1
cæleſtium & horum inferiorum materia quomodo eadem & diuerſa 185.1
Cerebri vſus ex Ariſtotele ad temperandum cor 475.1
cerebrum Ariſtoteli expers ſenſus 393.1
cerebrum quem vſum in corpore habeat ſecundum Ariſtotelem 382.1
cerebrum an neruorum origo apud Platonem 389.1
cerebri præparatio ad excipiendam partem animi principem 382.1
Chriſtiani contra demones armandi crucis imagine 342.1
Chriſtianis nefas dubitare de dæmonibus an ſint 339.1
Chriſti & demonum admiranda opera quo differant 339.1
Chriſtus an Platonem legerit p.
Chriſto nato demones conſulti, non reſpondent 340.1
Chriſto ceſſerunt demones 340.1
Chryſippus à Galeno reprehenditur de natura perturbationum 146.2
Cibi ad coctionem præparatio qualis 387.1
Cicero malè Platonem reprehendit 13.1
Ciceronis locus prima Tuſculana de animi quinta eſſentia, explicatur 368.1
Cicero malè Peripateticos de ira reprehendit 124.2
cicero in Planetarũ ordine ſequitur Chaldæos, potius quàm Platonem 324.1
ciceronis ratio contra Peripateticos de perturbationibus 133.2
ciceronis locus alius defenſus contra Logodædalum 233.2
ciceronis locus contra Logodædali temeritatem defenſus 232.2
cicero reprehenditur in comparatione vitæ actiuæ cum contemplatiua 13.1
ciceronis ſententia de connexione virtutũ omnium 125.2
circulus interior & exterior in cælo, quomodo debent intelligi 318.1
ciuitas natura prior domo, quomodo dicatur ab Ariſtotele 228.2
ciuitas optima Platoni ea quæ maximè eſt vna 163.2
coctionis differentiæ & gradus 386.8

Cogitatio humana ala est animi, & recordatio vitæ superioris 25.1
cogitatio ad sermonem quomodo se habeat 32.1
cogitatio quid 24.1
Cognitionis nostræ obiecta quomodo à Platone dividantur 29.1
cognitionis nostræ distinctio in gradus tres ex Platone 177.1
cognitionis nostræ gradus & ordo 29.1
cognitionis nostræ duo obiecta 205.1
cognitionis modus in demone bono & malo quo differat 358.1
Colores natura sua lucidi 399.1
colores quomodo à lumine suum actum recipiant 410.1
coloris natura arguit radium aspectus esse igneum 399.1
colorum ratio & varietas ex Platone 406.1
Plato vult aliquid de corporibus coloratis efferri ad oculum 407.1
Comparatio Platonis cum Aristotele difficilis p.
comparatio Platonis cum Aristotele omnes philosophos exercuit p.
comparatio Platonis cum Aristotele philosophis necessaria p.
comparatio Platonis cum Aristot. à quibus authoribus tractata p.
comparationis in Platone & Aristotele necessitas p.
comparatio Platonis cum Aristotele in elementorum proportione 293.1
Compendia artium seruant aliquando cõiuncti m duplicem methodum 155.1
compendia artium qua methodo soleant explicari 73.1
Confatalia quæ dicantur 270.2
Concretio quibus ex causis efficiatur 385.1
Consistere philosophis quid sit 212.1
Contarenus Cardinalis malè Platonem reprehendit 292.1
Contemplatio philosophorum omnium beatissima 12.1
contemplationem antecedit animi purgatio 4.1
contemplationem in natura omnia quodammodo appetunt 10.1
contemplationis obiectum Deus 10.1
Continens causa Stoicis & peripateticis qualis 381.1
Contingentis & possibilis natura qualis sit 71.2
contingentia quomodo consentire possint cum diuina prouidentia 77.2
Contraria oriuntur ex se inuicem, tantum aduentitia quadam vi 2.2
contraria prima Aristoteli qualia 182.1
Cordis varia temperatio an pariat memoriæ differentias 33.1
cordis diastole & sistole, qualis sit actio 435.1
Cornelij Celsi medicina non satis cognita aut illustrata 300.2
Corpus animi sepulchrum 374.1
corporis & animi sympathia 67.2
corpus nullum est omnis mutationis expers 297.1
corpus animi carcer, & amicum domicilium à Platonicis appellatur 68.2
corpora multa solida, sunt etiam pellucida 250.2
Crucis imagine armandi contra demones 342.1
crucis aduentu repressæ sunt demonis præstigiæ 342.1
crucis signum quantam vim habeat contra demones 341.1
κριτήριον *quid* 27.1
Cubica figura, cur terræ 303.1

δαιμόνια natura quomodo ab Arist. esse dicatur 336.1
Dæmon inuadit aliquando corpora virorũ non omnino improborum 356.1
Demonis boni & mali cognitionis modus quo differat 358.1
demonibus subiecta quæ infra Lunam & terrena omnia 327.1
demones sunt Aerei. D. Augustino 343.1
demones qui Facio Cardano apparuerunt, quales 354.1
demones mali an aliquid possint in cælestia corpora 353.1
demon offenditur Diui Michaëlis imagine 347.1
demones puriores Deorum apud nos interpretes 331.1
demones authore Psello non sine corpore 346.1
demones Dij quidam sunt intelligentiæ participes 327.1
demonis allicientia verba qualia esse soleant 355.1
demones subterranei quidam, quorum historia explicatur ex Georgio Agricola 345.1
demon malus diuinitatis est æmulus 355.1
demones quo modo aspectabiles sint & inaspectabiles 344.1
demones mali multũ possunt in hominis imaginationem 354.1
demonibus non videtur opus Aristoteli ad explicationem naturæ 338.1
demones esse, omnes cõsentiunt 335.1
demonum cum hominibus communicatio 338.1
demones quam variè cum hominibus versentur 352.1
demon malus Dei naturæque est inimicus 35.1
demones quidam ex hominibus facti 331.1
demonum sex genera 330.1
demonum natura veteribus non satu cognita 333.1
demonum malorum potestas in hoc mundo inferiore 353.1
demones ministri Deorũ qui præsunt singulis prouinciis 361.
demones quo modo spiritus dicantur 343.1
demones post Christum natum, consulti nõ respondent 340.1
demon malus quodam modo est ipsa falsitas, & malitia 355.1
demon Plotini qualis 339.1
demonis nomen multiplex 330.1
demonum malorum diuisio 331.1
demonum vitæ periodus qualis sit Plutarcho 344.1
demon malus subit humana corpora dupliciter 356.1
demones aliquando semen emittere 346.1
demones quo modo aërem agitent 344.1
demones variarum artium professores 334.1
demonum diuisio ex Arippa 334.1
demones an mortales 344.1
demonum cum Platonicis familiaris communicatio 339.1
demones ementiũtur Dei naturæque opera 351.1
demonum & Christi admirãda opera quo differant 339.1
demon humore melancholico delectatur cum eodémque plerúnque expellitur 349.1
demones an incorporei 343.1
demonum præsentia nulla pars mundi destituta 334.1

Demonibus terrori sunt martyrum sepulchra 341.1
demon qualibus in rebus homines superstitione impleat 352.1
demones quantum potestatis habeant in hominem 352.1
demones mali Christo cesserunt 340. & 341.1
demon bonus in sua cognitione non errat malus autem plerúnque: idque quamobrem 358.1
demones Deorum & hominum sunt interpretes 334.1
demones Christo cessisse etiam Porphirius testatur 341.1
demon bonus semper est Dei minister 351.1
demones infinitorum morborum causæ 347.1
demon intelligit sine discursu 358.1
demones boni non possunt ledere 332.1
demonum duo prima genera 332.1
demones constent ne corpore assumpto tantum an informato 343.1
demonis inconstantia non est miranda 349.1
demones an possint cognoscere nostras cogitationes 359.1
demon quo modo incorporatus dicatur 279.2
demones an cognoscant futura 359.1
demon quid sit & qualis 342.1
demones qualem rerum cognitionem habeant 357.1
demon malus magna ex parte inuocatur per ea quæ de nostra religione desumpta 356.1
demonum cum cælestibus intelligentiis cõparatio 359.1
demones boni circa ea quæ ignorant nõ dicuntur propriè falli 358.
demone correpta loquitur harmenicè, quæ nunquam viderat harmenios 347.1
demonibus terrori crucis signum 341.1
demõ vitæ nostræ comes & director 114.2
demoniacæ mulieris in agro Laudunensi historia 348.1
demoniacorum causam qui philosophi & medici ad humores referre conati 349.1
demoniaci loquuntur plerúnque lingua immota 350.1
Deus an res singulas cognoscat, & quo modo 256.1
Deus quo modo in cælo esse dicatur 316.1
Dij minores quo modo intelligant secundũ Plotinum 256.1
Deus solus est omnino indissolubilis 5.2
Deus & natura quo modo nihil frustra facere dicantur 361.1
Dei actus intelligendi idem cum obiecto 220.2
Deus quo modo res singulas cognoscat 217.1
Dei cõmunicatio non est cum omnibus eodem modo facienda 230.1
Deus an irascatur 69.2
deificatio hominis quid 274.1
Deus immemorabilis an piè dici possit 221.2
Deus & homo in quibus cõmunicent, & differant 4.2
Deo primogenito ara extructa ab Augusto Cæsare 340.1
Dei & hominis quæ similitudo & dissimilitudo ex Gregorio Nysseno 7.2
Dei cum homine cognatio in summa lege 8.2
Deus & Dei filius quo modo à Mercurio explicetur 291.1
Deus quo modo intelligat & intelligatur 223.2

Deus quia ipsum bonum, malorum causa esse non potest 269.1
Deus quo impulsus ad procreationē mundi 283.1
Deus vnicus, quia mundus vnicus, Athanasij ratio 290.1
Deus mundum procreando an in se receperit perfectionem nouam 284.1
Deus est paucorum causa, quæ bona sunt 81.2
Deus an nihil potuerit procreare nisi ex subiecta materia 285.1
Deus obiectum contemplationis 10.1
Dei nomina quædam cōcreta, alia abstracta 267.1
Dei cum centro comparatio 267.1
Deus cognoscitur ex operibus 232.1
Deus cognoscitur à nobis partim per affirmationes, partim per negationes 266.1
Dei cognitionē qualem, & quo modo assequimur 107.2
Deum extra se nihil intelligere Aristoteli cōmune cum aliis philosophis 254.1
Deus primum intelligens, & primū intelligibile 261.1
Deus cur omnis cōpositionis expers 271.1
Deus quare moueri aut mutari nō possit 252.1
Dei nomen Platonicis quid significet, & quibus accommodetur 360.1
Deus quid intelligat & quo modo, difficile est explicare 254.1
Deus quo modo esse dicatur actus purus omnis potentiæ expers 243.1
deusne melius an priuatio dicatur materiam mouere ad formam 214.1
Deus quæcunque immediatè procreat his dat immortalitatem secundum Platonem 361.1
Deo verius negationes quam affirmationes conueniunt 270.1
Deus quare physico motu moueri nō possit 273.1
Deus quo modo probetur à Platonicis corporis omnino expers 226.1
Dei & solis dissimilitudo 265.1
Dei cognitio difficillima 230.1
Deus & materia duo quasi extrema in vniuerso 245.1
Deus melius explicatur negationibus quā affirmationibus 266.1
Deus quo modo pater cognominetur 268.1
Dij an quidam dici possint nō participes intelligentiæ 243.2
Deus nō est obiectum nostro intellectui accommodatum 262.1
Dens cognoscit omnia antequā fiant eaq; in se 257.1
Deus quare ineffabilis 225.1
Deo quicquid inest deus est 258.1
Deus quare dicatur ipsum bonum & pulchrum 224.1
Deus cur se ipsum tantum dicatur intelligere 251.1
Deus in cælo vel potius supra cælū secundum Arist. 241.1
Deus superior omni necessitate 78.2
Dei præscientia etiam singularium 85.2
Deus quo modo spiritus dicatur 276.1
Dei actus in sempiterna cōtemplatione 247.1
Deus quousque Aristoteli cognitus 237.1
Deus quo naturam superet in rerum procreatione 285.1
Deus à quibus positus corporeus 276.1
Deo nō fuit materia necessaria ad procreationem 286.1
Deum maximè latere & eundem maximè patere 231.1

Deus quomodo mala cognoscat 260.1
Dei actus agit sine organis 50.1
Deus Platoni neque mouet neque mouetur Aristoteli autem mouet quidem, sed non mouetur 272.1
Deus quam variè à nobis intelligatur 225.1
Deo quænam attribuantur 224.1
Deus quo argumento intelligatur simplicissimus, & maximè incorporeus 275.1
Deum neque intelligi, neque intelligere quo modo dictũ sit à Platonicis 107.2
Deus quo modo se cõtempletur semper nihil extra se 251.1
Deus vt intelligit, sic intelligitur 261.1
Deus nullo entium genere potest propriè contineri 271.1
Dei cum priuatione Aristotelica comparatio 213.1
Deus Platoni & Arist. mundum regit per intermedias causas secundas 361.1
Deus qualis Mercurio Trismegisto 246.1
Dei comparatio cum materia 244.1
Deo qui effectus tribuantur à naturalibus distincti 362.1
Deus non est malorum causa 215.1
Deus cur difficile cognoscatur 270.1
Deus Theologorum sententia qualis actus sit 247.1
Deus in intelligendo ipse sibi est pro obiecto 224.1
Dei cognitio quatenus cadere possit in humanum intellectum, vel non possit 233.1
Deus quo modo omnipotens, & tamen expers potentiæ omnis ad materiam pertinentis 248.1
Deus sic supra cælum vt etiam sit in cælo, & in omnibus quæ huius ambitu continentur 258.1
Deus summus in intelligendi modo quo differat à diis minoribus 262.1
Dei actus, rerum procreatio & formatio 247.1
Deus cognoscit omnia in se, quia ipse est in omnibus 260.1
Dei actio & essentia Aristoteli est in contemplatione 241.1
deorũ multitudinem quo modo Plato aliquando ponat 235.1
Deus quomodo res intelligat & procreet 268.1
Deo tribuere aliquid potentiæ ad materiã pertinentis, impium 245.1
Dei cum Sole similitudo 225.1
Deus summus Plotino, neque intelligit neque intelligitur 254.1
Deus Aristoteli animal idq; quo modo excusari possit 242.1
Dei nomina varia quo modo sint intelligenda 265.1
Dei à natura distinctio ex Arist. 242.1
Dei iustitia in rebus procreandis & disponendis 268.1
Deus pater Platoni non est propriè intelligentiæ particeps 243.2
Democritus sapores distinguit per figuras 421.1
definitio rei cur primo loco ponenda 46.1
definitio quo modo per proximum genus, & per remotius assignanda 47.1
definitio quando iuuitis artium ponenda, & quando non 74.1
definiendi rationem Socrates primus excitauit 166.1
demonstrandi ars cur Analytica 51.1
dextrum & sinistrũ quo modo in cælo dicantur 318.1
demonstratio ab Analysi quo differat 51.1

demõstratio à probabili ratiocinatione quo differat ex Plat. 21.1
definiendi ratio tẽporibus Platonis obscura 166.1
definitio an in cõpendiis artium initio sit ponenda 155.1
Dialecticæ seminarium naturale quo modo se habeat ad Deum, hominem & belluas 26.1
dialecticæ partes Platoni 38.1
dialectica Platonis quatuor potißima capita continet 46.1
dialectica Platoni est metaphysica, eáque qualis 177.1
dialecticæ explicatio quare repetita ex quæstione de naturali iudicio 28.1
dialectica Academicorum veterum qualis 28.1
dialecticæ subiecta ratio 45.1
dialecticum iudicium ex natura repetitũ & quid contineat 23.1
dialectici cuius nomina rebus ipsis imponere 168.1
dialectica methodus Platoni superior mathematicis 171.1
dialecticæ nomine quo modo Aristoteles vtatur 18.1
dialectica Platonica qualis 17.1
dialectica Platoni omnibus scientiis anteponenda 178.1
διάνοια quid 216.2
dialecticæ nomen quo modo ab authore vsurpatum in compendio artis disserendi 157.1
dialectica apud Arist. an semper probabilitati addicta 18.1
dialecticæ partes apud Platonicos 20.1
dialectica Ciceroni quid 205.2
dialectica Ciceroni quid 166.1
dialecticæ nomine an etiam ars Analytica comprehendatur 18.1
dialogorum apud Plato. tria genera 165.1
διαλέγεσθαι, quid significet 204.2
didymus nimium delectatus Platonicis p.
didymus quis, & quæ scripserit p.
dies magnus iudicij, quis 322.1
dies magnus, mille annorum 321.1
Dionysij sententia de Deo, quo modo cognoscat 256.1
difficultas redeundi à vitio ad virtutem in quo posita 131.2
discursus, vocabulum philosophicum: etsi non placeat Logodædalo 211.2
disciplina nostra vitæ superioris recordatio 34.1
disputatio de methodo contra Thessalum quæ capita contineat 158.1
diuinæ personæ tres videntur à Platonicis adumbratæ 235.1
diuinationi per sortem quando locus 363.1
diuinatio à demonibus 327.1
diuinationis modi arte constantes, quam varij 366.1
diuinandi duo genera 366.1
diuinationis diuisio 363.1
diuina non docentur, sed mentis intuitu comprehenduntur 211.2
diuinum quid appellari soleat 119.2
diuisione generis ad quid vtendum 39.1
diuisio ad partitionem quo modo se habeat 46.1
docendi via familiaris, alia à directa 216.2
diuisio quo modo ad definitionem vtilis 47.1
diuisionis modi 39.1
dodecaedri figura cur accommodata vniuerso 300.1
dubitationis occasio in Arist. doctrina de mentis immortalitate 28.2

dubitatio de cõciliatione prouidentiæ cum arbitrij libertate 96.2
dubitationes cõtra. D. Thomam de animi humani origine 463.1
dubitationes contra immortalitatem, in Aristotelis doctrina 62.1
dubitatio contra Arist. de differentiis situs in vniuerso 425.1
dubitationes cõtra secundam rationẽ Plat. ad immortalitatem 5.2
dubitatio contra primam rationem Platonis ad immortalitatem 8.1
dulce apud Arist. pro extremo est, non pro medio 420.1
dulcis saporis cum pingui comparatio 421.1
dulcis sapor quo modo reliquis sit contrarius 420.1
durum & molle quid, horúmque causæ 422.1

E

Elementorũ quatuor primæ qualitates sunt pro eorundem formis 301.1
ἐκπυρωσις quid 216.
elementorum secundum molem corpoream comparatio 294.1
elementorum quæ proportio 293.1
elementa vnde emanarint secũdum Mercurium 291.1
elementorum qualitates Aristoteles non est conatus ad priores causas reuocare 423.
elementorum distinctio penes primas qualitates, cõmodior apud Arist. quam apud Galenum 293.1
elementorum mediorum cum extremis cõparatio ex Platone 292.1
elementaris regionis cum cælesti comparatio 323.1
elementorum qualitates non substantiæ sunt in cælo 295.1
elementa ante mundi originem quo modo se haberent in materia confusa 277.1
elementorum explicatio Hippocratica, & Platonica quo differat 423.1
elementa nonnullis animata 325.1
elementorum proportio penes figuras regulares quæ illis insunt 303.1
elementorum in animatis corporibus proportio 440.1
Empedocles cur igni reliqua tria elementa opponat 381.1
enthymema quid 21.1
entium apud Plat. duo genera 4.1
ens quot modis dicitur, totidem non ens 283.2
ἔννοια quid 220.2
epilepsia cur morbus sacer 445.1
Epicherema quid 21.1
ἔπιννοια quid 220.2
Epicuri obiectio contra tertiam rationem ad immortalitatem 7.2
epilepsia & melancholia familiariter inter se permutantur 446.1
error vnde cadat in iudicium rationis 202.2
Erasmus assertor liberi arbitrij 91.2
Essei, antiquissimi assertores immortalitatis animorum 5.2
Ethica Arist. quo modo distincta 3.1
εὐδαιμονία quid & vnde dicta 103.1
Eusebij obiectio contra Platonicam animæ cõpositionem, & eiusdem solutio 313.1
Eusebius de Aegyptiorum & Hebræorum philosophia p.
exemplaris causa Platoni qualis 280.1

F

Faber Stapulensis Aristotelis illustrator, & defensor 87.1

fabula Platonica de voluptatis, & doloris connexione 11.1
facultatis distinctio 98.2
fati nomen quam variæ à veteribus vsurpatum 73.2
fato quæ subsint, & vtrum hæc vitari possint 75.2
fatum ponere quo modo Christianis liceat 73.2
fatum quid, Marsilio Ficino 80.2
fato, vt significant diuinam prouidentiã, quæ sint subiecta 76.2
fatum ad prouidentiam, & præscientiam quo modo se habeat 85.2
fatum ad naturæ ordinem quo modo se habeat 80.2
fatum quale à Platonicis positum 71.2
fatum positum à nonnullis in virtute ab astris influente 74.2
fatum & natura an omnino inter se consentiant 80.2
fati necessitas quàm facile possit oppugnari 75.2
fatum poëtarum quale 78.2
fatum quod in astrorum virtute positum, oppugnatur 75.2
Fauni & Satyri quales. D. Hyeronimo cogniti 345.1
fatales leges humanæ quæ 328.1
fatale idem ne Aristoteli quod naturale 83.2
febrium putridarum intermissiones vnde 447.1
febrium putridarum secundum quatuor elementa, distinctio Platonica 427.1
fœlicitas bonum diuinum non humanum 101.2
Fernelij medici nobilis historia de quodam demoniaco 347.1
fœlicitas humana opinione Auerroïs, in quo posita 46.2
Fernelij, & Flesselij iudicium de Thessalo 87.
Fœlicitas quo modo comparetur 122.2
fœlicitas humana in perfectione contemplationis 11.1
fœlicitas in sapientia à Platone est posita 112.2
finis maximi momenti in vita, & moribus 104.2
figurarum quinque regularium cum primis corporibus comparatio 302.1
finis cur prior medio, Thessali ratio ridicula 62.1
figura non potest esse causa qualitatum actiuarum in elementis 423.1
figura cubica, cur terræ 303.1
formæ naturales quare impuræ 174.1
formæ cum materia in ordine duplex cõparatio 310.1
forma duplex 280.1
formæ naturales quo ordine dicãtur emanare à diuinis 263.1
formæ naturales omnes ex se diuinæ, impatibiles & cælestes 21.2
formarum differentiæ 243.1
forma omnis præest suæ materiæ 9.2
formarum physicarum, & metaphysicarũ distinctio 24.2
formæ quæ possint intelligere, & intelligi 251.1
formarum distinctio 457.1
forma humana inter omnes media 457.1 & 463.
formæ naturales quales actus sint 64.2
formæ cum materia communicantes, sunt intelligibiles tantum, non etiam intelligentes 59.2
forma in natura rationem habet causæ finalis 382.
formæ naturales vt non possunt agere sine

materia, ita neque sine ea esse 65.2
formæ physicæ à metaphysicis quo differant 243.1
fortitudo quid 118.2
fortitudo quo modo posita in obseruatione præcepti legitimi 124.2
Francisci Catanei opinio de mundo cur Platoni vnicus 289.1
furor poëtarum qualis 365.1

G

GAleni error in reprehensione Arist. de modo videndi 403.1
Galenus censor eorum quæ à Platone scripta de venarum distributione 387.1
Galenus errasse videtur in Platonica animi distinctione 457.1
Galeni dubitatio de respiratione 437.1
Galenus Platonem reprehendit in quæstione de respiratione 429.1
Galenus de neruorum substantia nõ satis definitam sententiam habet 409.1
Galeno concedendum vt partes animæ distinguat substantia 464.1
Galenus nõ satis tribuit prouidẽtiæ 386.1
Galenus nihil potuit rectè dicere de animi humani origine 458.1
Galenus Platoni magis quam Aristoteli fauere solet 400.1
Galeno pisces manifestè in aquis nõ respirant 431.1
Galeni cum Arist. cõparatio in quæstione de medulla 384.1
Galenus arguit Arist. incõstantiæ in quæstione de modo videndi 402.1
Galeni leues rationes contra Arist. de testium principatu 474.1
Genesis quid 52.1
Genesis & analysis nõ possunt includi eadem specie methodi 125.1
Geometriæ vsus 170.1
Germanorum & Italorum sententia de Ramo 101
grauium & leuium natura inter Platonem & Aristotelem controuersa 424.1
Græcorum philosophorum peregrinandi studium p.
Græci ex Ægyptiis philosophiam didicerunt p.
Græciæ septem sapientes 6.1
Gregorij Nysseni sententia de distinctione partium animi 456.1
Gregorij Nysseni opinio de Pythagorica metempsychosi 373.1
Gregorij Nysseni sententia de animi humani origine 459.1
Gregorij Nysseni sententia de mente corpore soluta 65.2
Gruchius philosophus magni nominis 258.2
Gustatus in nobis qualis 395.1

H

HEbræi, antiquissimi assertores immortalitatis animorum 6.2
Hebraica lingua an prima in natura 167.1
Hecticarum febrium calor quomodo agat in nostra corpora 444.1
Homerus reprehenditur quòd Deum malorum causam fecerit 269.1
Homeri catena aurea qualis 368.1
Homo à mundo accipit animam & corpus 279.1
hominis deificatio quid 274.1
homo quomodo dicatur factus ad imaginẽ Dei 7.2
homo quomodo Deo debeat liberum arbitrium & gratiam 92.2

homo non intelligit sine cogitationis discursu 357.1
homo quomodo se habeat ad prima intelligibilia 27.1
homines conuersi in iumenta D. Augustini testimonio 377.1
hominis cum mundo comparatio 379.1
homo liber à fato, vel huic obnoxius quomodo dici possit 79.2
hominis alimenta ab animo mundi, & ab ipsa terra 245.2
homo qui liberos non procreat, est infœlix 268.1
homo quodammodo medius est inter Deũ & malum demonem 93.2
hominis fœlicitas in perfectione contemplationis 11.1
hominis procreatio ex Timeo 378.1
homo quomodo seruus peccati 90.2
homini duo data ad cognitionem rerum 26.1
hominis corpus, in nostra religione, cur prius ortum dicatur quàm anima 310.1
hominis fœlicitas in similitudine cum Deo 102.2
homini peccanti obest animi immortalitas 5.2
homo minor mundus 279.1
homo duplicis naturæ 5.2
hominis primi procreatio an à Deo solo 360.1
hominis & Dei quæ similitudo & dissimilitudo ex Gregorio Nysseno 7.2
hominis per mortem dissolutio qualis 381.1
hominis & belluarum iudicium quo differat 27.1
homo in suo animo & corpore quid ab vnoquoque extrinsecus accipiat 375.1
Hieremiæ an auditor Plato p.
Hieronimus assertor liberi arbitrij 93.2
Hieronymus in quæstione de perturbationibus assentitur potius Peripateticis quã Stoicis 133.2
Hieronymi variæ opiniones de animi humani origine 458.1
Hippocrates sedem mentis ponit in corde 391.1
Hippocrates motus animalis causam tribuit venis 392.1
Hippocrates & Plato in explicandis elementis quo differant 423.1
Hippocratis ne sit liber de morbo sacro 445.1
Hypostasis quid 64.2
hyppothesis in Rerumpu. formis quid 280.2
hyppotheticæ enunciationes quæ & quam variæ 163.1
honestum solum esse bonum 101.2
humani corporis temperamentum quàm variè spectari possit 380.1
humanæ leges fatales quæ 328.1
humani corporis cõpositio qualis 380.1
humana ratio quo modo se habeat ad actionem & contemplationem 38.1
humorum quatuor in massa sanguinis explicatio ex Galeno 442.1

I

IAcobi Schegkij sententia de Ramo 102.1
Iamblici opinio de deorum multitudine 267.1
idea sit ne in Deo actus intelligendi an obiectum 222.1
idea quo modo se habeat ad formas physicas, materiæ communicatas 222.1
ideæ & vniuersalia quo differant in modo cõsistendi vel existendi 212.1
ideæ mensura materiæ & modus 222.1

ideæ quare non sunt à Platonicis positæ rerum arte constantium 214.1
ideæ ne sint numerorum 221.1
ideas assequi in vita hac difficile 201.1
ideæ boni & pulchri quomodo se habeant ad inuicem 274.1
idearum quis vsus 194.1
idearum officinam ponere ridiculum 196.1
ideæ quare non sint relatorum 223.1
idearum cum vniuersalibus Arist. comparatio 210.1
ideæ an sint singularium 217.1
ideæ in secundo ordine entium cur à Platonicis positæ 263.1
idearum cognitio quibus concedatur in vita hac 201.1
idea nou est inuentum Platonis, sed eo antiquior 190.1
idea quomodo esse dicatur eorum tantum quæ secundum naturam 223.1
ideæ sintne rerum vilium 219.1
idea an à Deo separata 196.1
ideæ quomodo in Deo sint, & in eodem viantur 199.1
ideæ quarum rerum non sint à Platone positæ 186.1
ideæ vbi à Platone positæ 196.1
idea in Deo, Deus est 202.1
ideæ cur imago tantum, non perfectio, in rebus materiatis 184.1
idea quid 186.1
ideę quare non sint rerum quæ præter naturam 215.1
ideę quomodo se habeant ad Aristotelis vniuersalia 204.1
ideæ nomen aliquando à natura ad artem transfertur 200.1
ideæ probatæ à D. Augustino 193.1
ideai esse quomodo probent Platonici 186.1. & 192
Idea posita, rerum essentiæ videntur à rebus separari 203.1
idea qua potissimum ratione ab Aristotele impugnetur 203.1
ideæ probatæ à Christianis 193.1
ideæ corporeæne sint an incorporeæ 212.1
ideę quare non sint partium 221.1
ideæne sint relatorum 220.1
ideæ separatæ possunt dupliciter intelligi 204.1
ideę quomodo dici possint separatæ secundum Platonem 198.1
idea Mineruæ nomine à Poëtis est significata 198.1
Idem & alterum quomodo se habeant in anima 312.1
Iecoris vsus 449.1
iecori quorsum amaritudo & dulcedo à Platone tribuitur 476.1
iecur non est sedes animæ sentientis apud Platonem 417.1
Ignis ad videndum emmpens ex oculis 394.1
igni cur Empedocles reliqua tria elementa opponat 381.1
ignis lucens, non adurens Platoni qualis 292.1
ignis Platoni duplex 295.1
ignis Platoni quid 294.1
ignis Platoni ipsum cælum 290.1
ignis oculorum Platoni qualis 397.1
Ignorantia duplex quomodo se habeat ad excusationem peccati 141.2
Imaginatio non est sensus, neque opinio 32.1
Imaginatio quid Aristoteli contra Platonem 32.1
imaginationis magna vis in nostris corporibus afficiendis 350.1
imaginatio Aristoteli est aliquid corporis, sed interius 57.2

Imaginũin animo duę differentiæ 210.1
Immemorabile quid significet 221.2
Immortalitatis animorum assertores antiquissimi 5.2
immortalitatis spe sublata homo miserrimus 27.2
immortalitas animi non probatur ex eo quod hunc Aristoteles dicat diuinum & impatibilem 21.2
immortalitatis osores negant animum esse simplicem 5.2
Imperia philosophorum crudelia 8.1
Improbi actiones sunt inuoluntariæ 135 2
Incorporeum aliquid quàm variè dicatur 275.1
Inductio quid 40.1
Inductiones Socraticæ & Aristotelicæ quo differant 163.1
Infinitum actu sequatúrne apud Aristotelem posita animorum nostrorum immortalitate 62.2
Iniuria ferenda, potius quàm inferenda 136.2
iniuriam facere an grauius malum sit, quàm pati 141.2
Intellectio quid 24.1
Intellectus agens ad patientem se habet vt ars ad materiam 36.2
intellectus sitne propria quædam functio in qua ille nihil omnino cum corpore cõmunicet 26.2
Intelligibilia prima & secunda quomodo cognoscamus in vita hac & in altera 36.1
intellectus an ab intelligẽdo necessariò indigeat imaginatione 26.2
intellectus agentis cum lumine comparatio ex Themistio 36.2
intellectus non habet in se substantias vniuersas, sed harum imagines tantum 210.1
intellectus agens an vnicus 41.2
intellectum vnicũ agentẽ solum immortalem esse, quàm pernicioſa sit opinio 35.2
intellectui agenti indiuidua ea quæ intellectui potentiæ subeunt diuisionẽ 37.2
intellectum separatũ non recordari, quomodo accipiendum sit 61.2
intellectus primus illustrat nostrum intellectum in intelligendo 264.1
intellectus materialis quis Auerroi 46.2
intellectus agentis quis sit in intelligendo modus 37.2
intellectus potentię propriè dicitur esse in nobis 38.2
intellectum non communicare necessariò cum imaginatione variis rationibus declaratur 28.2
intellectus vnus agens communis, siue prima mens, à quibus philosophis ponatur 29.2
intellectus agentis ordo ad eum qui potentię 37.2
intellectu primo semper agente, cur nos nõ semper intelligamus 34.2
intellectus agens Auerroi est Spiritus sanctus 47.2
intellectus quomodo se habeat ad phantasiam, & quatenus ea indigeat 27.2
intellectus agentis essentia extra nos qualis 43.2
intellectus potentiæ non habet à se intelligendi actum 38.2
intellectus nisi separatus secundum Aristotelem maneret, frustra hic quæreret an post vitam amet, vel recordetur 58.2
intellectus agens quomodo se habeat ad eũ qui potentiæ dicitur 36.2
intellectu agẽte vno communi posito, quid in eo boni notari possit 29.2
intellectus agens semper intelligit 37.2

intelligentiæ vocabulum Logodædalus vsurpat nimium inconstanter 203.2
intelligentiæ cælestes cur assistentes formæ 296.1
intellectus triplex Auerroi 44.2
intellectus agens an vnus communis omnium hominum 29.2
intellectio animi separati & corpore conclusi quo differat 209.2
intelligentia & opinio apud Platonem, quorum sint, & quo differant 178.1
intelligentiam cælestium cum demonibus comparatio 359.1
intelligendi vis in rebus quas informat, tribus gradibus distincta 342.1
intellectio duplex, animi separati & in corpore habitantis 25.1
intelligibile primum, quale 261 1
intelligibile primum ad nostrum intellectū quomodo se habeat 36.1
intelligibile primum, mundus idealis 26.1
intelligibile primum à quo cognoscatur 29.1
intelligibilia Platoni vtrum sint in intellectu, an extra 212.1
intelligibilia prima & secunda 25.1
intelligimus quotiescunque volumus non item sentimus, & quare 205.1
intelligibilia prima & secunda quomodo cognoscantur 26.1
intelligendi vis quomodo in nobis marcescat extrema senectute 16.2
intelligentiæ cælestes sunt à materia separatæ 33.2
intelligendi modo quo differant Deus summus, & Dij minores 262.1
intelligentiæ cælestes Platonicis sunt dij minores, & dij Deorum 359.1
Iniusta actio deterior iniustitiæ habitu 139.2
iniustè agere cur magis inuoluntarium quàm iniustitiæ habitus 139.2
Inscriptio libri huius qualis p.
Inspiratio priórne sit expiratione 431.1
Inuoluntarij causa in quo posita 135.2
inuoluntariæ actionis causæ in quo sunt positæ 140.2
Io. Grammatici rationes contra materiæ æternitatem 285.1
Io. Grammatici error in quæstione de materia prima 182.1
Ira an cadat in Deum 69.2
ira Peripateticis qualis 68.2
ira quomodo definienda, & de eius definitione quæ inter veteres controuersia 148.2
Iracundia non rectè ponitur à Logodædalo in felle 264.2
Isoplenrus cur à Pythagoreis non vsurpetur in primis principiis 304.1
Italorum & Germanorum philosophorū sententia de Ramo 101.1
Iubileus annus magnus, quis 322.1
iudicium Dialecticum repetitum ex ipsa natura 23.1
iudicandi vis qualis in homine & belluis 27.1
Iulianus apostata sectatus est Pythagoricam metempsychosin 373.1
Iuly Scaligeri sententia de comparatione Platonis cum Aristotele p.
Iustinus martyr Platonem arguit inconstantiæ 279.1
Instini Martyris sententia de distinctione partium animi 470.1
Iustitia generalis in quo posita 370.1
iustitia duplex quomodo intelligenda 124.2
iustitia originalis in quo posita 90.2
iustitia specialis quę 370.1

L

Lactantio mundus factus est propter hominem 284.1
Lactantius quomodo Platonem excuset in octaua ratione ad immortalitatem 18.2
Legitimum præceptum quale sit 124.2
Leodegarij à Quercu sententia de Ramo 97.1
Letargus & Carus quo differant 240.2
Lene & asperum quid, horúmque causæ 422.1
Leuini Lemnij error in quæstione de demonibus 348.1
Lex naturalis quid, & in quo posita 124.2
Libero arbitrio posito nõ imminuitur Dei beneficium erga nos 89.2
Libertas in homine qualis ante ipsum peccatum 90.2
libertatis distinctio 89.2
libertatis modi varij 87.2
Liberos non procreare, infœlicitatis 268.1
Libri huius inscriptio qualis p.
libri huius distributio & ordo p.
libri Magici quibus authoribus falsò ascripti 357.1
Lienis vsus 449.1.477
Litigiosi qui propriè 165.1
Logicum organum Aristotelis non est vnũ opus continuatum 149.1
logici organi distinctio accommodata ad leges methodi 71.1
logica an versetur in consideratione sermonis & orationis 204.2
logicæ partes quæ 16.1
logicæ artes rationis sunt & orationis p.
logica apud Platonem quid significet 16.1
logici organi distinctio an facienda secundum inuentionem & iudicium 148
Logodædalus quis & qualis 293.2
Logodædalus errat in comparatione Platonis cum Aristotele de cõnexione virtutum 274.2
Logodædalus errat in medio definiendo 257.2
Logodædalus errat in eo quod ait contraria immediata non esse contraria, nisi aduentitia quadam vi 267.2
Logodædalus Alcinoi sententiam de fato, peruertit 269.2
Logodædalus monstruosam assignat bonorũ diuisionem 271.2
Logodædalus ineptè comparat Platonẽ cũ Epicuro in quæstione de eo quod sursum aut deorsum 256.2
Logodædali temeritas in statuendo de respiratione piscium 267.2
Logodædalus errorem suum reiicit in Typographum 233.2
logodædalus peccat in primam diuidendi legem 210.2
logodædalus deprauauit locum Ciceronis Academica prima 232.2
logodædalus peccat ignoratione artis diuidendi 208.2
logodædali inscitia in definiendo rigore 255.2
logodædali temeritas in addendo contextui 281.2
logodædali solœcismi 224.2 271.2
logodædalus ineptit in comparatione partium cum toto 227.2
logodædali singularis impudentia in fœdandis bonis authoribus 233.2
logodædalus omnino peruertit Alcinoi sententiam de vitiis inuoluntariis 275.2
logodædalus cur suo nomine in hoc opere, non est expressus 292.2
logodædalo optanda est maior rerum Philosophicarum cognitio 299.2

Logodædalus nescit in Philosophia quid sit agere & pati 208.2
Logodædalus errat in explicanda carnis origine 246.2
logodædalus notatur etiam in artificio orationis 270.2
logodædalus impudenter Platonem vult corrigere, in quæstione de somnio 265.2
logodædalus impudenter in quæstione de speculis Platonem reprehendit 249.2
logodædalus errat in differentiis diuinationis exponendis 265.2
logodædalus ineptit in definiendo Scaleno 236.2
logodædali error in ponenda triplici materia ex Platone 233.2
logodædalus non rectè ait facultatem ratiocinandi solis hominibus inesse 266.2
logodædalo plagium in Aemilio Probo obiicit Gifanius 233.2
logodædali error multiplex in Cari explicatione 240.2
logodædalus in plerisque sutor vltra crepidam 192.2
logodædalus errat in citando loco Platonis 272
logodædalus falsò ait, non hominem, nihil esse 282.2
logodædali peccatum in artificio orationis 274.2
logodædalus errat in comparatione affirmationis attributi infiniti cum negatione attributi finiti 284.2
logodædalus de verbis nugatur relicta sententia 269.2
logodædalus non potuit bene iudicare de Alcinoi obscuritate 199.2
logodædalus ignarus rationis diuidendi 280.2
logodædalus ignarus artis ratiocinandi 250.2
Logodædali error in distinctione febrium 260.2
logodædali error in distinguendis sedibus facultatum animi 261.2
logodædali inscitia in compositione quadranguli 237.2
logodædali inconstantia in distinguendis saporum differentiis 253.2
Lucretio multa in orationis genere familiaria, quæ Philosophus & oratoribus nõ concederentur 194.2
Lumen quid 226.2 410.1
lumen Platoni quid 292.1
lumen imago boni 264.1
luminis præstantia, eiúsque argumenta 412.1
luminis motus qualis 411.1
lumen quomodo se habeat in aspectu 410.1
luminis & caloris differentia in agendi modo 411.1
lumen quomodo dicatur dare coloribus suũ actum 410.1
luminum sitne permixtio, an concursus 412.1
Luna, terra altera huic nostræ opposita 367.1
Lunæ vis in hæc inferiora 323.1
Luna an medium mundi, in quo eiusdem anima 317.1
Lunæ motus qualis 309.1
Lux & lumen quo differant 410.1

M

Magicæ artes videntur adumbrare & imitari Pythagoricam metempsychosin 377.1
Magorum sententia de animi imperio in corpus 11.2
Magici libri quibus authoribus falsò ascri

pti 357
Mala quæ, & unde 216.1
malum passio sequens materiam 216.1
malus sua sponte nemo 370.1
malorum distinctio 215.1
malorum distinctio, & quæ horum sit causa 270.1
mala unde, si à Deo non sunt 269.1
malum quomodo cognoscatur 217.1
Malitia cum sapientia valde perniciosa 8.1
malorum an Deus causa sit 215.1
Manticæ, siue præsagiendi ratio quas species complectatur 363.1
Marsilij Ficini sententia de comparatione Platonis cum Aristotele p.
Marsilio Ficino animus noster apud Platonem substantia vnicus 465.1
Marsilij Ficini sententia ideæ sunt in Deo 197
Marsilij Ficini error in lenienda Platonis sententia de recordatione vitæ superioris 34.1
Martyrum sepulchra vim habuerunt contra demones 341.1
Materia prima an intelligenda sub ratione corporeitatis 182.1
materia quid Mercurio 247.1
materia à quo moueatur ad formam quã appetit 214.1
materia formam appetens, videtur ideam appetere 222.1
materia malorum causa 269.1
materia sitne in corporibus cælestibus, & qualis 184.1
materia neque corpus neque quid reipsa corporeum 180.1
materia prima cur adulterino modo à nobis cognoscatur 183.1
materia Platonis qualis, & quomodo cognoscatur 180.1
materia Aristoteli qualis 181.1
materia & Deus duo extrema in vniuersitate 245.1
materia prima quomodo affecta ad potestatem 183.1
materiæ potentia cur cum quadam imperfectione 248.1
materiæ à subiecto distinctio 184.1
materia qualem formam appetat 215.1
materia duplex 183.1
materia cur æterna à Platone & Aristotele posita 285.1
materia cælestium & horum inferiorum quomodo eadem & diuersa 185.1
materia prima Platonica quo differat ab Aristotelica 182.1
materiam ante mundum confusam, quomodo Plato posuerit 285.1
materia non fuit Deo necessaria ad rerum procreationem 286.1
materia prima cur neque sentiri possit neque intelligi 183.1
materia dici non potest Deo coëterna 286.1
materia in ortu rerum quomodo ad formã præparetur 382.1
materia prima cur difficilè à nobis cognoscatur 182.1
materiæ cum forma in ordine comparatio duplex 310.1
materia omnium formarum expers 180.1
materiæ cum Deo comparatio 244.1
Mathematica nullum habent externum finem 172.1
mathematici studij summa Platonica, & eiusdem subdiuisio 169.1
mathematica quo animo discenda 170.1
mathematica media inter scientiam & opinionem 171.1
mathematica quem ordinem habeant ad physica 173.1

Mathematicarum artium ex Pythagoreis distinctio 176.1
mathematicarum artium finis an sit, & qualis 171.1
mathematica omnium maximè accommodata ad discendum 173.1
mathematicæ abstractiones continent pædiam futuri Philosophi 7.1
mathemata non versantur circa entia, sed vno gradu inferiora sunt 202.2
mathematica viam parant ad summam contemplationem 172
mathematicarum artium numerus & ordo ex Platone 176.1
Medicorum quorundam error in tribuendo humoribus ea quæ sunt demonum 346.1
Medicus à Philosopho quo differat in morborum causis explicandis 439.1
Medicamentorum simplicium vires occultæ, vnde 362.1
Medium in aspectu debeátne esse corporeũ 411.1
Medulla Platoni qualis 382.1
medulla aliarum partium elementum 383.1
medulla est ante semen, contra Sebastianũ Foxium 385.1
medulla cur genitalis dicatur à Platone 385.1
medulla triplex 384.1
Melanchthon assertor liberi arbitrij 92.2
Melancholici an ad ridendum cæteris sint propensiores 264.2
Memoriæ cum cerea tabula comparatio 24.1
memoria qui valeant qui non 33.1
memoria quare non maneat in animo nostro post mortem 39.2
memoria videri potest à Platone posita in corde 390.1
memoriæ differentiæ ex cordis varia temperatione 33.1
memoriæ differentiæ à Platone repetitæ ex temperamento cordis 390.1
Mens prima ab anima mundi quo distinguatur 316.1
Mens cur non recordetur à corpore separata 22.2
mens Aristoteli animi instrumentum, vt manus corporis 27.2
mens sola quomodo dicatur ab Aristotele extrinsecus aduenire 21.2
mens soluta corpore redit ad Deum 65.2
mens humana ea quæ contraria sunt quodammodo in se vnit 467.1
mens animo superior 35.1
mens qualis sit, non satis apertè ab Aristotele definitum 28.2
mentis sedem videtur Hippocrates in corde posuisse 391.1
mentis raptus à corpore qualis 353.1
mentis primæ radij qui 30.2
mentis primæ à Deo distinctionem Aristoteles non agnouit 31.2
mentis raptus magnam habet significationem immortalitatis 64.2
mentis qui participes sint, & quomodo 30.2
mentem immortalem esse, Aristoteles voluit, sed qualem hanc mentem putauerit, controuersum 21.2
mentis non omnes homines participes sunt idque quamobrem 29.2
mentis nomen substantiam significare, cõtra Simonem Portium 53.2
mens quam Aristoteles dixit immortalẽ & separabilem, an reuera sit in nobis 28.2
mentis instrumentum scientia 27.2
mens prima sola seipsam comprehendit, eáque Deus est in ipsis hominibus 30.2

Mens prima quid Platoni 30.2
Mercurij Trismegisti sententia de origine animi humani 458.1
Mercurij Trismegisti opinio de metempsychosi 367.
Mercurij locus de mundi origine, & natura 291.1
Mercurij Trismegisti sententia de elementorum origine 291.1
Mercurius Trismegistus antè Platonem posuit ideas 190.1
Mercurius Trismegistus antè Pherecidem dixit animos immortales 5.2
Mercurio Trismegisto Deus qualis 246. 1
Mercurius Trismegistus cognouit ipsum Verbum Dei filium 236.1
Methodus quid 53.1
Methodus doctrinæ non est vnica 60.1
Methodus vnica esse non potest, etiam secundum definitionem Theſſali 54.1
Methodi duæ primæ differentiæ 120.1
Methodus inuestigandi non potest referri ad priorem partem artis disserendi 58.1
Methodus doctrinæ instituendæ quo modo intelligenda 120.1
Methodus in inuestigando debuit explicari in arte disserendi 56.1
Methodicus descensus à generalibus, authori non incognitus 158.1
Methodus poëtarum, & philosophorum in quo differat 138.1
Methodus quo modo varianda 67.1
Methodus Analytica qualis in tribus extremis scientiarum 117.1
Methodi explicatio partim facilis partim difficilis 139.1
Methodus duplex 66.1
Methodus exacta nõ est quærenda in poëtis, & oratoribus 65.1
Methodus non debet deducere ad confusa, sed ad enodata, contra Theſſalũ 65.1
Methodus in inueniendo, analyticæ contraria secundum Theſſalum 54. 1
Methodus Theſſalo iudicij pars 138.1
Methodus inuestigandi quo modo eadem videri possit cum altera 59.1
Methodus Theſſalo præstat omnia 80.1
Methodus quædam in inuestigando, sicut in explicandis inuentis 54.1
Methodus inuestigandi an, vt vult Theſſalus, ad inductionem possit referri 123. 1
Methodus analytica nõ progreditur à prioribus natura, vt putat Theſſalus 117. 1
Methodus accurata quærenda est in philosophis, non in poëtis aut oratoribus 139. 1
Methodo eadem cõtineri non possunt analysis, & genesis ibidem.
Methodus aliqua rerũ inuestigandarum ponenda, & hæc in arte disserendi explicanda 123.1
Methodus à iudicio an rectè separetur 66. 1
Methodus traditur ab Arist. in Analyticis, & Topicis eáque duplex 140.1
Methodus ascendendi ad generalia nõ potest referri ad inuentionem 124.1
Methodus ascendendi ad generalia ineptè à Theſſalo refertur ad distributionis locum 124.1
Methodus artium inueniendarũ an Theſſalo prætermittenda 121.1
Methodi & argumenti potest esse cõmune nomen 124.1
Methodus in inuestigando non debuit à Theſſalo prætermitti 55.1
Methodus quædã à principiis alia ad principia secundum Platonem 55.1

Metaphysica cum physicis coniuncta apud Platonicos 180.1
metaphysica Platoni est dialectica 177.1
metaphysica qualem principatū obtineat in omnes scientias 177.1
metaphysica quales causas contempletur 174.1
μετάστασις humorum in Platone quid significet 441.1
metempsychosis habet aliquid consentiens cum sententia de resurrectione 374.1
Metempsychosis videtur habere adiunctam diuinæ prouidentiæ iustitiam 368.1
Metempsychosis quid cōmoditatis habere posßit in nostra religione 373.1
metempsychosis allegoricè explicata variè à Platonicis 368.1
metempsychosis Pythagoreorum fabula ab Arist. appellatur 386.1
Minerua poëtis quid significet 194.1
mixtionem naturalem nulla ars potest assequi 381.1
Modi tres quibus idem vel diuersum dicitur, quo modo apud Aristotelem accipiendi 132.1
morborum diuisio ex Galeno, comparata cum Platonica 440.1
morborum causæ secundum Plato. 427.1
morbi similarium partium an quidam rectè dicantur pertinere ad formam 440.1
morborum tria genera Platoni 439.1
morborum animi origo, & distinctio 369.1
moralis philosophiæ subdiuisio 22.1
mortis meditatio qualis in philosophia 3.1
morales virtutes Dei maiestate sunt indignæ 13.1
Moralium ad Nichomachum distributio, & ordo 104.2
Mores animi qui & quo modo dicātur sequi corporis temperationem 370.1
Mosis cum Mercurio coniunctio de mundi origine 291.1
Moses Atticus Plato p.
Mosis scripta Platoni perspecta 29.1
Motus substantificus à Platone tribuitur animo 20.2
Motus animi qui toto genere, & omnino sint vitiosi 132.2
motuum animi distinctio 132.2
motus quidā non physici, quibus anima Platoni mouetur 273.1
motus simplices qui Aristoteli 297.1
motus animi an cadant in hunc à corpore separatum 69.2
motus simplicis duæ tantum species Platoni p.
motus animalis causam Hippocrates tribuit venis 392.1
moueri à se quid propriè dicatur 18.2
moueri à se quam variè apud Arist. dicatur 19.2
mundus duplex 37.1
mundi cur plures esse non posßint, rationes Platonis & Arist. examinantur 287.1
mundi originis ratio ab Arist. reprehenditur in Platone 280.1
mundus intelligibilis Platoni Dei filius 37.1
mundi exemplar æternum 222.1
mundi æternitas ex Arist. 283.1
mundi medium cur duplex 293.1
mundi principia cur per figuras à plat. exposita 301.1
mundi principia tum insita tum assistentia, quo modo Platonicis soleant distinguere 262.1

Mundus magnum animal constans animo & corpore 278.1
mundus hic quare senii expers 278.1
mundus an pati possit à causis internis 296.1
mundus intelligibilis Platoni quid 283.1
mundū generatum quomodo Plato dicere soleat 307.1
mundum alium ante hunc fuisse, & post hunc futurū, Origenis error 285.1
mundi æternitas naturæ lumine quo modo probabilis 250.1
mundus non potuit habere mentē nisi per intermediam animam 308.1
mundos duos dixisse se. D. Augustinus dolet 283.1
mundus corpore finitus, an possit suis viribus æternus esse 296.1
mundi, vt animalis, qualis motus, & sensus 279.1
mundi origo, & natura ex Mercurio Trismegisto 291.1
mundi anima an duplex? vna quæ boni causa, altera quæ mali 280.1
mundus quare vnicus 278.1
mundorum multitudo quibus rationibus probetur à Plutarcho 289.1
mundi figura qualis 278.1
mundus quare expers morbi, & senectutis 295.1
mundus propter hominem factus Lactātio 284.1
mundus præditus est sensu interno nō externo 297.1
mundi corpori cur nulla insint sensuum instrumenta 296.1
mundi anima spiritui diuino respondet 255.1
mundus animal intelligens 308.1
Mundi animum Deus non procreat etiā si quodammodo hunc procreare dicatur 307.1
mundus Platoni Deus est 279.1
mundus duplex 276.1
mundo hoc totam materiā absumptam an rectè Arist. ponat 288.1
mundus quanquā Aristoteli æternus agnoscit tamen suæ æternitatis causam superiorem 283.1
multitudo rerum sub eadem specie, vnde proficiscatur 289.1
mundi causæ tres 278.1
mundus Theologis an aliquando sit interiturus 282.
mundi consummatio post sex millia annorum 321.1
mundi mediū quale, & quo modo sit accipiendum 317.1
mundo cur Platonici non audeant attribuere veram originem, sed rationis tantum 316.1
mundus idealis, intelligibile primum 26.1
mundus Deus quidam, idémque animal 242.1
mundi æternitas Platoni non continetur legibus naturæ 282.1
mundi anima non est Deus summus sed eo longè inferior 280.1
mundi origo qualis Platoni 280.1
mundū esse vnicum quia eius vnica idea an rectè Arist. probet 288.1
mundi anima vbi sit, & quo modo distinguatur ibidem.
mundi corpus quibus figuris sit informatum 299.1
Musicæ cum Astronomia comparatio 177.1
Musica & Astrologia 176.1
Musicæ vsus 170.1

N

Naturalia mouentur à principio partim insito, partim iassistente 325. 1

Natura quo modo δαιμόνια ab Arist. esse dicatur 336.1

naturæ cuiúsque proprietas cædit semper commoditati naturæ vniuersæ 438.1

natura in quo posita, & quæ secundum naturam esse dicantur 223.1

natura quasi deliberans an dici possit, & quo modo 145.1

naturales formæ cur impuræ 184 1

naturæ duplicis in ordine distinctio Arist. familiaris 143.1

naturalium cõtemplationem Socrates, & Plato parum probauerunt p.

naturæ à Deo distinctio ex Arist. 242.1

naturæ quanta vis ad virtutem, & sapientiam consequendam 116.2

natura priora etiam si semper primo loco ponenda sint, nõ potest hoc ad vnicam methodum pertinere 159.1

natura nihil frustra facit, neque vnum ad duos vsus 296.1

naturæ ordo duplex 143.1

naturæ ordo duplex 68.1

necessitas veteribus physicis qualis 83.2

necessitas quo modo spectanda in naturæ 382.1

neruorum nomine à veteribus significari ligamenta 386.1

neruorum vsus 385.1

νόησις quid 207. & 220.2

νόησις quam variè latinè dici possit 221. 1

nomina significent ne natura 167. 1

nomina sacra non temere in quãuis linguam vertenda 167.1

nomina in veneficiis, & carminibus habent aliquid naturale 167.1

nominum pronunciandorum ratio habet aliquid singulis nationibus familiare 167. 1

nominis cum radio textoris comparatio ex Platone 168.1

non ens quo modo intelligatur ex ratione ad ens 284 2

notio & notitia quid significent 220.2

numerorum vtrum ideæ 221.1

numeri certi quibus animus cum suo corpore coniungitur 67.2

numerum explere quid sit 67.2

O

Obiecta cognitionis nostræ quo modo à Plat. diuidantur 29.1

Occasio disputationis de methodo 114.1

Oculorum ignis qualis 397.1

Oculum videndo aliquid recipere etiam Galeno 405.1

Oder quid 395.1

Odoratus cõparatio in homine, & in alijs animantibus 420.1

Odoratus imbecillitas quanta sit in nobis 419. 1

Odoratus in nobis qualis 395.1

Odores cur non percipimus nisi spiritum ducendo 435.1

Opinio Platoni videtur imaginatio 31. 1

Opinio Aristoteli quid 30.1

Opinio quid & quo modo se habeat ad sensum, & memoriam 24.1

Opinio & intelligentia apud Plat. quorũ sint & quo differant 178.1

Opticorum neruorum substantia qualis 409. 1

Ossatus pro Thessalo quis 81.1

Ossa quibus ex causis concreta 385.1

ἐνθουσιασμὸς de Deo quo modo dicitur 225.2
Ouidij metamorphosis ex Pythagorica metempsychosi 377.1
Oraculorum varietas 365.1
Oracula in diuinationis genere, quo differant à furore 365.1
Oracula Christo nato defecerunt 341.1
Orationis partes duæ 163.1
Orationis duæ species tantum Platoni 163.1
Oratio consentiens cum cogitatione, dissentiens à re, vtrum vera vel falsa 32.1
Oratores & poëtæ non obseruant exactam methodum 65.1
Oratori quæ ex philosophia petenda 163.1
Ordo naturæ duplex 143.1
ὀρεκτικὸν quid 224.2
Origenis opinio de duplici animi purgatione 372.1
Origenis error de cõditione animi post vitam hanc 371.1
Origenis error de metempsychosi 375.1
Origeni cælum animal 326.1
Origenis error in quæstione de mundo duplici 283.1
Originem rationis in mundo Aristot. exagitat 280.1
Origenis error de restitutione demonum 373.1
Origenes nimium multa tribuit Platonicis 322.1
Origenis error in quæstione de mundi origine 284.
Organica causa an prima causarum diuisione comprehendenda, contra Scaligerum 280.1
Origo quo modo attribuatur æternis, & caducis, ex Io. Grammatico 316.1

P

PAn magnus quando mortuus 344.1
partes natura priores toto, & totum partibus 310.1
partes & species quo modo ad inuicem se habeant 46.1
pars quo modo toto natura prior, & posterior 272.1
participationis modus alius in ideis, & vniuersalibus 211.
partitio ad diuisionem quo modo se habeat 46.1
partium quare non sint ideæ 221.1
paradoxa Stoicorum vnde profecta 111.2
Paulus Foxius nostræ philosophiæ fautor 241.2
Paulus Foxius literatissimus, & literatorum amantissimus 292.2
Paulus Foxius philosophiæ Platonicæ, & Peripateticæ amantissimus 190.2
Paulus Foxius philosophiæ cognitione clarissimus 265.2
Paulus Scalichius Io. Mirandulæ Simius præf.
Paulus Scalichius pollicetur se scripturum de cõparatione Plat. cum Arist. hosque in omnibus minimo negotio conciliari posse p.
patiendi ratio duplex 296.1
peccatis quanquam inuoluntariis, pœna tamen debetur 135.2
peccata cur Platoni cum inuolũtaria sint, legibus tamen punienda 140.2
peccatum nõ est in voluntate nisi defectus sit in ratione 137.2
peccata omnia ab insciti, vel imprudentia proficiscuntur 119.2

peccatum non potest ad Deum tanquam ad causam referri 77.2
peccata an aliqua ex parte cum diuina prouidentia consentiant 76.2
peccata non sunt paria 128.2
pellucidum quid significet 252.2
pœna prodest ei qui iniuriã intulit 136.2
περιαχωγὴ quid significet 201.2
Peripateticorum cum Stoicis comparatio in quæstione de perturbationibus 148.2
peripateticorum, & Stoicorum dissensio de virtutibus an sint ingenitæ, pertinet ad verba magis quam ad sententiam 129.2
Peripateticorum cum Platonicis comparatio in diuisione bonorum 112.2
peripateticorum, & Stoicorum cõparatio in quæstione de perturbationibus 133.2
perspiratio occulta à manifesta respiratione quo differat 430.1
perturbationum generalis diuisio & origo 146.2
perturbationes non sunt iudicia animi 143.2
perturbatio animi quid 143.2
perturbationum moderatio optima 129.2
perturbationes omnes quo modo oriãtur ex opinione boni vel mali 143.2
perturbationes animi non sunt voluntariæ 143.2
perturbatio an animi morbus 146.2
perturbationes an sint nostra opera 277.2
perturbatiões animi oriri à corpore 369.1
perturbationes quæ simplices sint, & quæ mixtæ 144.2
perturbationis nomine quo modo Stoici, & peripatetici vtantur 133.2
perturbatorum & violentorum peccata an eodem loco habenda 141.2
Petri Montaurei de Ramo sententia 96.1
Petrus de Apono demoniacorũ causam referre conatus est ad humorem melancholicum 349.1
P. Gallandij sententia de Ramo 97.1
philosophia quid 1.1
philosophiæ definitiones variæ, vnde ductæ 3.1
philosophiæ definitio quos in errorem impulerit 4.1
philosophia paucorum approbatione contenta 287.2
philosophiæ diuisio 15.1
philosophiæ diuisio ridicula ratiõe à Thessalo exagitatur 16.1
philosophia ad sophiam quo modo se habeat 6.1
philosophiæ contemplantis subdiuisio 169.1.& 16
philosophorum vita Platoni qualis 107.2
philosophi cum ad Remp. regendam cogũtur, an in eo patiantur iniuriã 12.1
philosophus orationis ornatum non debet affectare sicut neque puritatem respuere 288.2
philosophiæ moralis subdiuisio 22.1
philosophia quo modo sit mortis meditatio 3.1
philosophiæ contemplantis particulæ tres 22.1
philosophos quid perturbet in quæstione de demonibus 351.1
philosophica animi separatio à corpore duplex 4.1
Pherecides Syrus Cicereni videtur primus dixisse animos immortales 5.2
philosophi excellentia in quo 3.1
philosophus quo modo Deo similis efficiatur 114.2
philosophi viuunt extra corpus potius quã in corpore 107.2
philosophi potius metuũt ne nimiũ multos quã ne paucos habeãt auditores 288.2

philosophorum veterum cõsuetudo in suis mysteriis continendis 106.2
philosophus à medico quo differat in morborum causis explicandis 439.
philosophi pædia in mathematicis abstractionibus 7.1
philosophi debent esse Rerump. principes 160. 2
philosophus à sophista quo differat 170.2
philosophorum felicitas 101.2
philosophia & amor animo parant reditum in cælum 368.1
philosophus à contemplatione ad actionem quando descendat 10.1
philosophi perfectio in quo posita 2.1
philosophus quis 1.1
philosophus in rep. quid sibi retineat 14.1
philosophi in imperando crudeles 8.1
philosophi reprehenduntur qui nunquam volunt ad Remp. accedere 13.1
Philo Iudeus vult Platoni mundum reuera ortum 280.1
Φρόνησις pro sapientia ab Alcinoo vsurpata 203.2
philosophi res abstractas populariter explicant per concretas 206.2
philosophorum contemplatio omnium beatissima 12.1
philosophi nomen quo modo modestum, & arrogans 6.1
philosophi ad summam fælicitatem præparatio in quo posita 103.2
Philosophi quid naturæ lumine de Deo viderint 234.1
philosophica animi purgatio antecedit cõtemplationem 4.1
philosophi vita quo modo gradibus ætatis distinguenda ex Platone 179.1
philosophus à mendacio debet abhorrere: mendacium tamen in eodem aliquando vtile 7.1
philosophorum græcorum peregrinãdi studium p.
philosophi quo modo descendant ad actionem 12.1
philosophi omnes in comparatione Platonis cũ Arist. laborauerunt p.
philosophi non sustulerunt voluntatis, & arbitrij libertatem 87. 2
philosophari rectè, Platoni quid 376.1
physicorum contemplatio qualis à Platone laudetur 174.1
physica ad mathematica quem ordinem habeant 173.1
physica contemplatio quæ in se complectatur 169.1
physici an sit de omni animi parte disputare 56.2
Platonis rationes cõtra eos qui volunt animum esse harmoniam corporis 9.2
Plato in philosophando cum omnibus non eodem modo loquitur 206.2
Platonis cum Arist. comparatio in eo circa quod sophista versari dicitur 172.
Platonis rationes octo ad confirmandam immortalitatem 7.2
Plato an menti à corpore separatæ tribuat recordationem 23.2
Platoni etiam videre nos aliquid recipiẽdo 406.1
Platonis, Galeni & Arist. cõparatio in saporum distinctione 420.1
Plato in physicis quos sequatur 175.1
Platonis dialectica qualis 17.1
Platonis peregrinatio p.
Platonis cum Theophrasto comparatio in quæstione de saporibus 421.1
Platonis cum Arist. comparatio in rationibus quibus probatur distinctio partium animi 473.1
Platonis reprehensio in explicãda generatione phlegmatis 444.1

Plato in principiis animæ conciliat veterum sententias 314.1
Plato videtur sensus sedem ponere in cerebro 389.1
Plato cur mundi principia per figuras explicet 301.1
Plato à .D. Augustino reprehenditur de animalium procreatione 360.1
Plato à Galeno reprehensus in distinctione febrium putridarum 446.1
Plato quo impulsus ad ponendas ideas 191.1
Platoni astra animata 325.1
Platonis cum Arist. cõciliatio in quæstione de natura oculorum 400.1
Plato qualẽ physiologiam in suo philosopho probet 174.1
Platonis loci ad probãdum illum ideas in Deo posuisse 198.1
Platonis variæ formæ agendi in variis Dialogis 164.1
Plato non posuit ideas ab ipso Deo separatas 196.1
Platoni videri cognitum Dei filium, & spiritum sanctum 235.1
Plato & Arist. quo differant in philosophandi modo p.
Platonis cum Arist. comparatio in ethicis p.
Plato cum Socrate rerum naturalium cõtemplationem parum probauit p.
Plato reprehenditur à Galeno in explicatione humorum 443.1
Platonis sententia de Deo 234.1
Plato circa Deum somniat magis quam illum intelligat 236.1
Platonis temporibus definiendi ratio adhuc obscura 166.1
Platonis & Arist. comparatio in quæstione de ideis, & vniuersalibus 204.1
Platoni metaphysica, dialectica est 177.1
Plato vilium rerum generationem nõ bene explicat 219.1
Platonis cum Arist. comparatio difficilis p.
Platoni, quæ dialecticæ partes 38.1
Platoni Deus neque mouet propriè, neque mouetur 272.1
Plato quo modo ponat mundum æternum 282.1
Plato qualem originem mundo tribuat 280.1
Platonis inconstantia notata à Theodoreto in quæstione de mundo 282.1
Platoni perspecta Mosis scripta 290.1
Platonis & Arist. dissensio in viis per quas fertur potus 387.1
Plato & Hippocrates in explicandis elementis quo differant 423.1
Platonis inconstantia nota à Iustino martyre 279.1
Platonis diuinitas plerúnque abit in superstitionem p.
Platoni logica qualis 16.1
Platonis & Arist. in philosophando consuetudo p.
Plato quid diuinitus de Deo cognouerit & scripserit 233.1
Plato ab Augustino reprehẽsus in quæstione de animo 34.1
Platoni animus tabula rasa 35.1
Plato in iis quæ ad anatomen pertinent, non satis exercitatus 245.2
Plato in moralibus Arist. diuinior 104.2
Plato vnde hauserit quæ de Deo scripsit 236.1
Plato contra .D. Augustinum defensus 34.1
Plato in diuinis Aristotele superior p.
Platonis cum Arist. comparatio in quæstionibus physicis p.

Plato vult Aegyptiis credi sine ratione p.
Platonis & Aristotelis rationes de mundo, cur vnus, examinantur 287
Platonis mentem de natura oculorum, ab Aristotele non oppugnari 400.1
Platonis cum Aristotele comparatio in quæstione de numero principiorum 181.1
Plato & Aristoteles circa materiam quo differant & consentiant 181.1
Platonis Dialectica quatuor potissima capita continet 46.1
Plato quomodo ponat aliquando Deorum multitudinem 235.1
Platonis cum Aristotele comparatio Philosophis necessaria p.
Platonis cum Aristotele comparatio de natura oculorum 398.1
Platonis philosophia quomodo imperfecta videri possit p.
Platoni duæ tantum motus simplicis species p.
Plato an Hieremiæ fuerit auditor p.
Plato Atticus Moses p.
Platonem an Christus legerit p.
Platonis materia prima ab Aristotele quo differat 182.1
Plato quantum Aegyptiis tribuat in philosophando p.
Plato non videtur animi partes re & substantia distinxisse 453.1
Platoni prima sentiendi instrumenta non videntur esse in neruis 389.1
Plato ignorauit quæ ad corporum anatomen pertinent 388.1
Plato de opinione ab Aristotele reprehenditur 31.1
Platonis & Aristotelis sententia de Venere masculà 159.2
Plato contra Contarenum Cardinalem defenditur 292.1
Platonis cum Aristotele comparatio in quæstione de vitiis, volũtariáne sint an inuoluntaria 137.2
Platonis sententia de fato aliqua ex parte consentit cum nostra religione 78.2
Platoni opinio videtur imaginatio 31.1
Plato ab Aristotele reprehensus in quæstione de respiratione 431.1
Plato à Galeno reprehenditur, de tremrre & rigore 423.1
Platonis cum Aristotele comparatio in distinctione principum facultatum animi 470.1
Plato à D. Augustino malè arguitur incõstantiæ 315.1
Platonis cum Aristotele conciliatio de modo videndi 405.1
Platonis & Aristotelis dissensio de eo quod sursum & deorsum 424.1
Platonis de fato sententia 81.2
Platonis cum Aristotele comparatio in distinctione formarum Reip. 167.2
Plato ab Aristotele reprehenditur de reuocatione virtutum omnium ad prudentiam 125.2
Platoni τὰ ὄντα dupliciter dicuntur 206.2
Platonis inconstantia notata à Theodoreto 376
Platoni & Aristoteli quorum sit scientia 29.1
Plato non idem habuit pro scopo libris de Legibus, & de Rep. 163.2
Platonis doctrina consentit cum Christianorum libero arbitrio 94.2
Platonicorum dialogorum diuisio p.
Platonicorum sententia reprehenditur de mali origine ex materia 270.1
Platonicis physica cum metaphysicis sunt coniuncta 180.1

Platonica ratio scribendi per dialogos p.
Platonici Timæi summa, & eiusdem distinctio 175.1
Platonica Solis cum Deo comparatio 263.1
Platonica ratio octaua ad immortalitatem omnium præstantißima 17.2
Platonici an rectè Physici cognominentur 264.2
Platonicorum variæ opiniones de Pythagorica metempsychosi 367.1
Platonica ratio septima ad immortalitatem 15.2
Platonica vxorum communitas qualis p.
Platonici cur non audeant attribuere mũdo veram originem, sed rationis tantum 316.1
Platonicis familiaris communicatio cum demonibus 339.1
Platonicorum cum Peripateticis comparatio in diuisione bonorum 112.2
Platonica ratio tertia ad confirmandam immortalitatem 5.2
Planetarum ordo in cælo quis 323.1
Plinius ponit animos mortales 6.2
Plinius contra Aristotelem de respiratione 433.1
Plotini demon 339.1
Plotini sententia de ideis 193.1
Plotini argumentum contra Aristotelem de modo videndi 411.1
Plotini sententia de metempsychosi 367.1
Plotinus non vult animi partes à Platone substantia distinctas 453.1
Plutarchus conciliator Platonis in quæstione de animæ immortalitate 315.1
Plutarchus contra Aristotelem de mundo cur vnicus 287.1
Plutarchi opinio de vnione virtutum omnium 125.2
Plutarchi locus de animi compositione 312.1
Plutarchus quomodo probet mundorum multitudinem 289.1
Picardorum nobilia exempla inter literatos 85.1
Pisces non respirant Aristoteli 431.1
Pituita Platoni quid 427.1
pituita putrescens, in nobis quos affectus pariat 446.1
Pythagorica distinctio Mathematicarum artium 176.1
Pythagoreorum reprehensio in distinguẽdis differentiis situs in cælo 319.1
Pythagoræ peregrinatio & communicatio cum Iudæis p.
Pythagoreis cur par in ordine infinitorũ impar in ordine finitorum 314.1
Pythagoreorum cum Democrito & Leucippo comparatio 302.1
Pyramidis figura, cur ignis 302.1
Poetæ & Oratores non sunt artifices exactæ methodi 65.1
Poetarum methodus habet nonnihil artis 139.1
Poetarum carminibus quid debeat celebrari in optima Rep. 111.2
Poetarum furor qualis 365.1
Poetæ de Deo quid cognouerint 233.1
Pomponatij impia licentia in quæstione de demonibus 340.1
Pomponatiũ cur multi in quæstione de immortalitate sint infectati 49.2
Pomponatij opinio de immortalitate animorum pernicioſa 48.2
Pomponatius demoniacorum causam retulit ad humorem 349.1
Porphyrij testimonium de demonibus Christo cedentibus 341.1
Porphyrij locus illustratus de accidentis se-

paratione 258.2
Porphyrij quæstiones tres explicatæ in ideis & vniuersalibus 211.1
Porphyrij quæstiones tres Platonicæ p.
possibilis & contingentis natura qualis sit 71.2
potentia activa, quæ formæ, est duplex 249.1
potentia duplex Aristoteli 245.1
potentia passiua semper cum aliqua imperfectione coniuncta 245.1
potestatis & actus distinctio 273.1
potentia materiæ cur cum quadam imperfectione 248.1
principia rationis duplicis 24.1
priora sublatis posterioribus manent adhuc sinonimōs 229.2
prima intelligibilia non cognoscuntur perfectè per discursum 37.1
priuationis Aristotelicæ cum Deo comparatio 213.1
προηγούμενα quæ 205.2
probabilis ratiocinatio à demonstratione quo differat ex Plat. 21.1
Procli obseruationes de iis in quibus Aristoteles Platoni contradicit p.
Proclus à Io. Grammatico reprehensus in quæstione de tempore 316.1
Procli sententia de intellectu agente 47.2
proportionis tres differentiæ 293.1
proportionem geometricam cur Plato assumpserit ad mundi originem 293.1
propositionum diuisio & subdiuisio 41.1
prouidentia Dei quomodo se habeat ad res futuras 77.2
prouidentiæ diuinæ gradus 175.1
prouidentia triplex 79.2
prouidentia diuina qualis ab Aristotele posita 175.1
prouidentiæ quæ officia 85.2
prouidentia quomodo possit aliqua ex parte mutari, aut non possit 79.2
prudentia quid 118.2
pulchrorum ordo, & per hunc ascensus ad Deum 162.1
pulchritudinis gradus quomodo nos euehant ad Deum 274.1
pulchritudo quomodo gradibus distinguatur in his quibus inest 273.1
pulchrum & bonum quomodo se habeant ad inuicem 274.1
pulmonis conformatio & vsus 449.1
pulmonum vsus ex Platone 429.1

Q

Qvalitates quomodo intendi possint aut non possint 129.2
Qualitates etiam corporum, sunt incorporeæ 227.1
Qualitas media est inter formam & materiam 275.1
Qualitatum intentio & remissio ex qua causa propriè pendeat 130.2
Qualitatum tactilium gradus 422.1
Qualitas incorporea quàm variè dicatur 274.1
Quæstio de methodo magna 66.1
Qualitas tantum actionis instrumentum 275.1

R

Rami schola philosophiam quærit in poetis & Oratoribus eóque damnata ab Academia 92.1

Ramus cur Thessalus methodicus ab authore soleat apppellari 53.1
Ramus omnibus ordinibus Academiæ odiosus 110.1
Ramus Iunoni infernæ sacer 85.1
Rami doctrina damnata à Rege Francisco 90.1
Ramus in Græcis parum exercitatus 111.1
Ramus inconstans in patria asserenda 86.1
Ramus damnatus à Senatu 92.1
Rami doctrina damnata à iudicibus à Rege delectis, horúmque sententia 96.1
Rami impudentia in Senatu contra Academiam Parisiensem 93.1
Ramus cur Thessalus nominetur 82.1
Rami in Aristotelem conuitia 106.1
Rami doctrina damnata ab vniuersa Academia parisiensi 89.1
Ramus viam aperit ad inscitiam 85.1
Radij aspectus qui fracti vel inflexi esse dicantur 248.2
Radierum aspectus differentiæ 248.2
Rationis duplicis principia 24.1
Ratio in homine duplex 207.2
Ratio humana quo modo se habeat in actione & contemplatione 38.1
Rationis motus cur similis motui in orbem 298.1
Rationis quintæ ad immortalitatẽ examen 11.2
Ratio quo differat in deo & in homine. 27.1
ratio in iudicando quàm variè se habeat 207.2
ratio in hominibus & demonibus qualis & quomodo distincta 357.1
ratio in Deo & in homine quo differat 207.2
rationis quartę ad immortalitatem cum tertia comparatio 9.2
Recordatio vitę superioris in animo quid 371.1
recordatio vitæ superioris qualis à Platone posita 12.2
recordationem vitæ superioris in nobis esse ponendam, quibus argumentis Platonici probent 2.2
Reginaldi Odonis pernicioſa sententia de intellectus separatione 45.2
Rhetoricæ artes, sunt etiam logicæ 295.2
rhetorica Dialecticæ & Philosophiæ moralis propago 166.1
Relatorum sinenæ ideæ 220.1
Res præter naturam quę à Platonicis esse dicantur 215.1
Reipublicæ administratio quibus partibus constet 14.1
Reipublicæ partes cum partibus animi cõparantur ex Platone 160.2
Reipublicæ duæ formæ primæ apud ipsum Platonem 160.2
Reipublicæ administrandę formę quinque ex Platone 160.2
Reipublicæ primæ & secundæ differentiæ apud Platonem 169.2
Repudiandi verbum non esse barbarum, vt putat Logodædalus 258.2
Respirationis vsus qualis 428.1
respirationem Aristoteles non vult animalem esse actionem, sed naturalem 437.1
respiratio manifesta cuius facultatis sit actio 436.1
respiratio à perspiratione occulta quo differat 430.1
respiratio secundum Platonem quomodo fiat in nobis 427.1
Rigoris vocabulum inter Philosophos tolerabile 255.2
Rigor quid Platoni & vnde 396.1
Risus à Logodædalo non rectè ponitur in splene

ſplene 264.2
Rondeletij ſententia de reſpiratione piſciũ reprehenditur 434.1

S

SAnctitas in quo poſita 114.2
Sanguinis temperamentũ quale 381.1
Sapientiam cur Dij dicantur ab Ariſt. inuidere 6.1
Sapientia quid 1.1
Sapientia cum malitia valde perniciosa 8.1
Sapientia quàm variè à Platone definita 5.1
Sapienti qualis honor 113.1
Sapientiæ amor qualis in philoſopho 6.1
Sapientes ſeptem Græciæ 6.1
Sapiens ſua ſponte, non propter præmia virtutem ſequitur 113.2
Sapor quid, & quæ eius differentiæ 395.1
Saporum primæ differentiæ, ſeptémne an octo ponendæ 421.1
Saporum differentiæ à Platone quomodo diſtinguantur 420.1
Sapor dulcis quomodo ſe habeat ad pinguẽ 421.1
Saporum differentiis quæ naturæ rerum reſpondeant 421.1
Satyri & Fauni quales D. Hieronymo cogniti 345.1
Saturnus quomodo concitatiſſimus & tardiſſimus 324.1
Sebaſtiani Foxij error in explicanda origine ſeminis 384.1
Sebaſtiani Foxij error de ſede animæ ſentientis 417.1
Sebaſtiani Foxij error in quæſtione de neruis 385.1
Sebaſtiani Foxij error 292.1
Sebaſtiani Foxij error in conciliatione Platonis cum Ariſt. 425.1
Sebaſtiani Foxij error in comparatione Platonis cum Ariſt. de ſede primi ſenſus. 391.1
Sebaſtiani Foxij error circa nomen carnis 442.1
Sebaſtiani Foxij error in comparatione platonis cum Ariſt. 183.1
ſeculum magnum platonis quale & quot millibus annorum conſtet 320.1
ſeminis origo ex medulla qualis 384.1
Senatus decretum contra Ramum 94.1
Seneca ponit animos mortales 6.2
Senſus quid, & quomodo fiat 24.1
ſenſus explicatio à platone 30.1
ſenſus an efformatio imaginum in animo 33.1
ſenſus primi ſedes vtrum Ariſtoteli ſit in corde 390.1
ſenſus ſedem Ariſtoteles non ponit in cerebro contra Seb. Foxium 392.1
Scaligeri ſententia, quod aer nullus in aqua 432.1
Scaliger parum philoſophicè ſentire videtur de animi noſtri origine 463.1
Scaligeri error in reprehendendis Plat. ideis 200.1
Scaligeri ratio contra ideas à plat poſitas 199.1
Scaligeri error in plat. reprehendendo 292
Scaleni inepta definitio à Logodædalo aſſignata 236.2
ſcientia vix datur homini in vita hac 202.1
ſcientia quorum ſit apud plat. & Ariſt. 29.1
ſenſus vtrum diuidendus in agentem & patientem 31.1
ſenſus perfectio debeatúrne animæ an ob-

iecto 31.1
Sensus quinque externi quomodo doriphori rationis, & intelligentiæ appellentur 247.2
Sensuum instrumenta cum quatuor elemẽtis comparantur 311.1
Sensus instrumentum ad obiectum quomodo se habeat 312.1
Sensus vtrum actio an passio 30.1
Sensus quomodo se habeat ad ipsius animi facultatem 208.2
Sensus quomodo se habeat ad corp° 208.2
Sensus quomodo fiat in nobis 406.1
Sensile, significétne quod sentire potest, an potius quod sentiri 193.2
Sensilia prima & secunda 25.1
Sentiendi actus an extrinsecus adueniat, contra Simonem Partium 53.2
Sepulchra Martyrum terrori sunt demonibus 341.1
Sepulueda reprehenditur de metempsycosi 386.1
Sermo quid 24.1
Sermo homini incognitus non potest excitari vi humoris melancholici 348.1
Sermo an insit belluis 66.1
Sermo ad cogitationem quomodo se habeat 32.1
Sermo nullus homini ingenitus 348.1
Seruus quis esse dicatur 87.2
Sigilla insculpta ad cæli aspectum qualia sint 352.1
Simonis Magi erronea opinio ex metempsychosi quodammodo deriuata 373.1
Simonis Portij de humana mente pernicioſa opinio 49.2
Simon Portius dicit non satis consentanea 50.2
Simoni Portio intellectus agens quis 50.2
Simonis Simonij sententia de Ramo 103.1
Similares partes ex sanguine 383.1
Syluij iudicium de Thessalo 87.1
Similia similibus, & dissimilibus dissimilia cognosci 311.1
Singularum rerum an ideæ 217.1
Singula quomodo sint in fato 84.2
Socrates solem contemplans, Deum contẽplabatur 265.1
Socrates definiendi rationem primus excitauit 166.1
Socrates cum Platone rerum naturalium contemplationem parum probauit p.
Socratis demon qualis 339.1
Socratis votum 7.1
Sol quomodo à Platone dicatur Dei filius 265.1
Sol & homo quomodo dicantur hominem gignere 317.1
Sol & Luna magni dij 323.1
Solis & Dei dissimilitudo 265.1
Solis cum Deo comparatio 263.1.225.1
Sol boni filius 264.1
Sol an medium mundi, in quo eiusdem anima 317.1
Somniorum Hippocratica obseruatio ad sanitatem accommodata 477.1
Somniorum diuisio ex Posidonio 364.1
Somnia quomodo contingant in somnis ex Platone 413.1
Somnia quomodo cadant in viros bonos & pios 355.1
Somnia diuinitus immissa, qualia 414.1
Somnia qualia à Deo vel demone 336.1
σῶμα quasi σῆμα dicitur 374.1
Somnia quæ dicantur in se habere aliquid diuini 477.1
Somnia quid à demonibus accipiant, & quomodo 364.1
Somniorum diuinitatem Aristoteles non probat 364.1
Somnia cur non cadant in pueros 414.1
Somnia quid requirant, vt possint habere

aliquid diuinitatis 365.1
somniorum interpretatio 415.1
somnia vnde & quàm varia 394.1
somnia non omnia quæ ex hepate nascuntur, habẽt aliquid diuinationis 248.2
somnia quàm variè in nobis excitentur et quid in eisdem diuinum 363.1
somniorum differentiæ ex humoribus in corporibus animalium 476.1
somniorum diuisio non intellecta à Logodæ dalo 247.2
somniorum differentiæ declarant differẽtias humorum in nostris corporibus dominantium 414.1
somnia quomodo quædam sedata, alia turbulenta 414.1
somnia diuina à quo dicantur immitti 477.1
somnia solent respondere vigiliarum cogitationibus 414.1
somni conciliatio vnde 394.1
somno cur tentamur potius noctu quàm interdiu, & in tenebris quàm media luce 412
sonorum quanta vis in afficiendis animis nostris 417.1
soni cur per auditum deferri dicantur vsque ad iecur 417.1
sophia ad philosophiã quomodo se habeat 6.1
sophista à philosopho quo differat 170.2
sophista quomodo dicatur versari circa nõ ens 172.1
sophista quis & vnde nomen habeat 171.2
sophistarum mos in laudandis suis mercibus 288.2
sophismata non faciunt vllam partem logici artificij, sed eius vitia tantum sunt 205.2
σωτηρία quid 273.2
spadones cur calui non efficiantur 384.1
species & partes quomodo ad inuicem se habeant 46.1
species suo genere notior & obscurior diuerso modo 57.1
speculorum ratio qualis, & quæ eorum varietas 394.1
speculorum imagines quàm variæ appareant 416.1
speculorum duæ differentiæ 249.2
specula non omnia oportere esse densa 249.2
specula an nulla pellucida, contra Logodæ dalum disputatio 249.2
speculorum explicatio duplex 416.1
speculorum ratio ex Plat. 415.1
spiritus visiuus Galeno non satis perspectus 408.1
spiritus in aspectu qualis 408.1
spiritus animo pro vehiculo 261.2
spiritum animalem Plato vult ferri etiam per arterias 419.1
spiritus quàm varij, & quam naturam habeant 337.1
spiritus animalis quomodo per neruos ferantur, dubitatio contra Galenum 419.1
spiritus animalis natura qualis 401.1
stellis singulis animi humani numero respondent 367.1
stellæ quomodo agant in hæc inferiora, & maximè in hominem 369.1
stella Aristoteli quid 295.1
stellæ ex ignea substantia 309.1
stellæ an animalia ratione prædita 324.1
stellæ non solùm habent intelligentiam assistentem, sed & informantem 324.1
Stellarum & astrorum in mundo qualis vsus 308.1
stellarum errantium in cælo qualis ordo 309.1

Stoicorum & peripateticorum comparatio in quæstione de perturbationibus 133.2
Stoicorum & peripateticorum dissensio de virtute an ingens ta sit, magis ad nomẽ pertinet quàm ad rem 129.2
Stoici quomodo dixerint peccata esse paria 130.2
στοιχειώδες quid 211.2
Strebei error circa ideas 200.1
Substantiæ vniuersales sunt, non tamen separatæ 206.1
substantiæ non sunt per se contrariæ 276.1
subiecti à materia distinctio 184.1
suppositio in principio Reipub. quæ à Platone dicatur 162.2
suppositæ Reip. forma quæ dicatur à Platone 161.2
Sudor Galeno quid 445.1
sudor & lachrymæ Plat. quid 427.1
surdi facti non necessariò muti 168.1
surdi omnes nati, cur muti 167.1
sursum & deorsum an natura distinguãtur in vniuerso 424.1
sursum & deorsum nihil in vniuerso 396.1

T

Τακῆ apud Platonem in Timæo quid significet 443.1
Tactus an sensus vnus 422.1
tactus & aspectus quales sint inter ipsos sensus 291.1
Tactus in nobis qualis 396.1
tactiles qualitates quomodo gradibus distinguantur 422.1
Tempus quid 308.1
Temperamentum sanguinis Hipp. & Aristoteli quale 381.1
Temperamentum in humano corpore quã variè possit exquiri 380.1
Temperantia, quæ Ciceroni duplex, quomodo sit intelligenda 124.2
Temperantia quid 118.2
tempus ad æternitatem quomodo se habeat 320.1
Terræ figura cur cubica 303.1
Terræ totius maior quantitas, quàm aquæ 294.1
terra altrix omnium & magna mater 366.1
terra an mundi medium in quo eiusdem anima dicatur residere 314.1
terræ portio aliqua an sit in corpore cœlesti 294.1
terra deorum antiquissima 327.1
terra diei & noctis effectrix 366.1
terræ in reliqua elementa permutatio ex Platone 305.1
Tertullianus de metempsycosi 370.1
Tertulliani argumenta contra Plat. 15.2
Tertulliani opinio de cõditione animi post vitam hanc 371
Tertulliani rationes contra recordationem vitæ superioris à Plat. positam 13.2
Tertullianus assentitur Aristoteli de animi sede in corde 473.1
Thales ab ancilla reprehensus 13.1
Themistij error notatur in examinanda ratione Arist. ad immortalitatẽ 24.2
Themistius obscurus in quæstione de nostro intellectu 43.2
Themistij doctrina de intellectu agente & potentiæ, non omni ex parte consentiens 42.2
Theodoretus Platonem arguit inconstantiæ in quæstione de mundo 282.1
Theodoretus Platonem arguit inconstantiæ in comparatione animi cum corpore 374.1

Theodoreti Cyrenſis de animi humani origine, dubitatio 459.1
Theologorum ſententia de Deo, qualis actus ſit 247.1
Theologiæ finis 169.1
theologorum variæ ſententiæ de futuro mundi interitu 282.1
theologi Chriſtiani de perturbationibus aſſentiuntur Peripateticis potius quam Stoicis 134.2
Theophraſti ſententia de prima mente ſecundum Ariſt. 34.2
theologorum ſententia quo modo Deus res ſingulas cognoſcat 219.1
theſſali maieſtas quib. titulis ornata 78.1
theſſali error circa nomē dialecticæ 17.1
theſſali in Ariſt. furor 253.1
theſſalus Ariſtoteli imponit 251.1
theſſali in philoſophia nihil propriū præter fucum 248.1
theſſali vniuerſa ſapientia in quæſtione de methodo 78.1
theſſalus methodi ignarus 118.1
theſſalo, finis prior mediis ratione ridiculæ 62.1
theſſali error in intelligendo loco Ariſt. de methodo 122.1
theſſalus ſuo iure dicere potuit omnium ratiocinationum figuram vnicā 72.1
theſſali error in ponenda analytica methodo ad confuſa deducente 145.1
theſſalus in excuſanda ſuorum ſcriptorum inconſtantia 136.1
theſſali ſcripta in quorum manibus verſentur 136.1
theſſali error in explicanda potentia paſſiua 249.1
theſſali errores varij ex ignorata diſtinctione logici organi 150.1
theſſalus vult analyſin deducere à confuſis, & ad confuſa 146.1
theſſali inconſtantia in methodo modo ad inuentionem modo ad iudicium referenda 138.1
theſſalus inepte docere vult Ariſtotelē quo modo ſit vtendum analyſi 125.1
theſſalus mathematica fædat ea referendo ad mechanica 172.1
theſſali error circa tempora Zenonis Cittiæi 150.1
theſſalus rerum phyſicarum, & mathematicarum ignarus 129.1
theſſalo vnica methodus inueniendi artes, & explicandi 126.1
theſſali error in ponenda cōtrarietate ſubſtantiarum 276.1
theſſalus multa à Laurentio Valla eſt mutuatus 72.1
theſſalus ſibi cōtrarius in diſtinctione duplicis ordinis naturæ 144.
theſſali error in quæſtione de ordine naturæ 310.1
theſſali error in tribus quæſtionibus Porphirij 212.1
theſſalus à Galeno deſcriptus quàm apte cum Ramo conſentiat 83.1
theſſalus magis laborat in fædando Ariſt. quam in intelligendo 243.1
theſſali error, & incōſtantia circa formas argumentandi in Hippotheticis 164.1
theſſali error in cōparatione generalium cum ſpecialibus 62.1
theſſalus an debuerit prætermittere methodum artiū inueniendarum 121.1
theſſali opinio puerilis de ideis 210.1
theſſalus ad diſputationem prouocatur 160.1
theſſalus odit omnem diſtinctionem 116.1
theſſali de dialecticæ dignitate fallax ratiocinatio 17.1
theſſali in phyſica methodo inconſtantia 130.1

Theſſalus male interpretatur Galeni ſyntheſin 129.1
theſſali error in referendo aſcenſu ad generalia, ad diſtributionis locum 124.1
theſſali error in explicando primo capite lib. 1. phyſic. 146.1
theſſali excuſatio quod multa vnica methodo complectatur 131.1
theſſalus falſo Ariſtotelem inſimulat atheiſmi 238.1
Theophraſti ſententia de ſaporibus 421.1
theſſali inconſtantia in quæſtione de inductione, & exemplo 123.1
theſſalus ſibi repugnat in quæſtione de methodo 56.1
theſſalus dicendo potentiſſimus, ſed impudentia lõge omnibus ſuperior 289.2
theſſalo materia, & forma corporis naturalis partes 130.1
theſſalus in quæſtione de methodo, adhuc hæret 139.1
theſſali error in quæſtione de fine mathematicorum 171.1
theſſali in ſcriptis inconſtantia 133.1
theſſali eloquentia qualis 79.1
theſſali error in confundenda metaphyſica cum dialectica 179.1
theſſalus ridiculus in exagitanda philoſophiæ diuiſione 16.1
theſſali impudentia, in ridenda mathematicorum abſtractione 172.1
theſſali tautologia 120.1
theſſalus methodicus cur Ramus ab authore ſoleat appellari 53.1
theſſali in ſuis ſcriptis incõſtantia 127.1
theſſali contra Ariſt. calomnia & impoſtura, in quæſtione de Deo 246.1
Thomæ ſententia de cõciliatione liberi arbitrij cum diuina prouidentia 95.2
Thomæ ſententia de Deo, quo modo cognoſcat 257.1
Thomæ ſententia de animi humani origine 462.1
Thomæ ſententia improbatur de origine, & diſtinctione partium animi 468.1
timæi Platonici ſumma, & eiuſdem diſtinctio 175.1
timæi Platonici diſtributio 379.1
timæi opinio de metempſychoſi 370.1
Topica & Analytica Ariſt. non ſunt ad vnam artem reuocanda 149.1
Topica cum Elenchis apud Ariſt. faciunt vnum opus 150.1
Topica ad Analytica quo ordine ſe habeant 154.1
totum dupliciter dicitur 52.1
totum quo modo partibus natura prius & poſterius 272.1
totum prius natura partibus, & partes toto 310.1
tractabile nihil ſine terra 292.1
tremoris & Rigoris quæ cauſæ ſint Platoni 423.1
Trianguli angulus diis quatuor eſt conſecratus 302.1
Trianguli præſtantia in rerum omnium generatione 302.1
Triangulus Pythagoreis principium omnis ortus 302.1
Triangulorum rectilineorũ diuiſio 304.1
Turnebi ſententia de Ramo 98.1

V

VAticiniorum qualis ratio 363.1
videre ſit ne agere an pati 227.2
venæ nomine arteria continetur 388.1
verborum & orationis examen non debet repeti ex poëtis 194.2
Venus maſcula qualis viſa Platoni, & Ariſtoteli 159.2
verborum ſapientia inanis, quãdo de rebus ipſis quæritur 299.2

Verbum Dei, pro eiusdem filio, cognitum Mercurio Trismegisto 236.1
verba demones allicientia qualia esse soleant 355.1
verborum affectatum studium, in philosophando vana superstitio 194.2
vestigia elementorũ quæ dicantur 237.2
Vicomercati sententia de Ramo 97.1
vincula occulta formæ cum materia quænam sint 382.1
videmus partim emittendo partim recipiendo 405.1
videamus ne recipiendo an emittendo 401.1
vilium rerum generatio non bene explicatur à Platone 219.1
vilium rerum an sint ideæ 219.1
vinolentos cur duplex pœna sequatur 138.2
vinolentorum & perturbatorum peccata an eodem loco habenda 141.2
virorum proborum filij cur vt plurimum sint improbi 121.2
virtus quid 118.2
virtutis nomen quid significet 123.2
virtutis nomen quo modo accõmodatum seminariis naturæ 127.2
virtutis diuisio 9.1
virtus sit ne aliqua in regendis cupiditatibus naturalibus 123.2
virtutis laus in actione 122.2
virtutum diuisio Platonica 110.2
virtus morum quid accipiat à parte animi superiore, quid ab inferiore 123.2
virtutum parandarum varia ratio, prout ipsæ sunt variæ 122.2
virtutes an omnes sint positæ in medij obseruatione 132.2
virtutes perfectæ neque intenduntur neque remittuntur 127.2
virtus morũ cur potius dicatur esse in parte animi inferiore quã superiore 123.2
virtutes morum doceri nõ possunt 127.2
virtutes rerum occultæ, vnde 362.1
virtutes morales Dei maiestate sunt indignæ 13.1
virtus quia voluntaria, vitium Platoni est inuoluntarium 135.2
virtutis diuisio 118.2
virtutis igniculi, & seminaria in quo cõsistant 136.2
virtus quo modo circa animi affectũ versari dicatur 134.2
virtus in nobis sita est, nec alterius imperio tenetur 135.2
virtutes Peripateticis sunt etiam quodammodo ingenitæ 129.2
virtutum diuisio secundum partes animi in quibus spectantur 127.2
virtus quo modo res diuina dicatur 119.2
virtutes sunt quædam extremitates, & mediocritates 128.2
virtutes omnes an possint ad vnam reuocari 124.2
virtus moralis quid homini præstet 123.2
virtutis & vitij medium quoddam 127.2
virtutes omnes sunt inter se connexæ 119.2
virtus an doceri possit 120.2
virtus ex Platone, nõ comparatur humanis viribus sed à Deo datur 119.2
virtutes in cuius medij obseruatione sunt positæ 132.2
virtus quo modo in nobis esse dicatur 136.2
virtutis à vitio, an vitij à vitio cõtrario, vtra maior distantia 132.2
virtus quo modo sit extremitas, & mediocritas 132.2
virtus diuina sorte quo modo dicatur cõtingere 136.2

vitiliginis ſpecies quæ 445.1
vitia omnia nõ poſſunt ſimul in eodem homine reperiri 127.2
vitia non ſe conſequuntur, ſicut virtutes 127.2
vitia Ariſtoteli melius voluntaria quam Platoni inuoluntaria 137.2
vitia cur intendantur, & remittantur virtutes non item 130.2
vitium nemo ſequitur ſua ſpõte 135.2
vitia qua arte in nobis emendata 131.2
vitium in virtutem non facile poteſt commutari 127.2
vitium cur homini in vita facile, virtus difficilis 130.2
vitioſo non licet, etiam ſi velit, ad virtutem redire 131.2
vitæ duplicis comparatio 9.1
vnitas Pythagoreis cur par impar 314.1
vniuerſalia Ariſt. quo modo ſe habeant ad Platonicas ideas 204.1
vniuerſalia vbi ſint 205.1
vniuerſalia reuera ſunt in ipſis rebus ſingulis 205.1
vniuerſalia quo modo ſe habeant ad noſtrum intellectum, & ad res ſingulas 205.1
vniuerſum habere in ſe diſtinctas omnes differentias ſitus 424.1
vniuerſalia aliquid eſſe, quibus ex locis Ariſt. probari poſſit 207.1
vniuerſalia Ariſtotelis ad ideas Platonis quo modo ſe habeant 210.1
vniuerſalia Ariſtotelis quem vſum habeant 104.1
vniuerſales ſubſtantiæ ſunt quidem, non tamen ſeparatæ. 206.1
vniuerſalia & ideæ corpora ne ſint an corporis expertia 212.1
vniuerſalia non ſunt tantum quando intelliguntur 209.1
vniuerſalia & ideæ quo differant in modo cõſiſtendi vel exiſtendi 212.1
vniuerſalia quo modo ſint in intellectu, & in communione rerum ſingularum 208.1
vniuerſales notiones in intellectu, reuera non ſunt ſubſtantiæ 205.1
vniuerſalia in intellectu non ſunt ſubſtantiæ 206.1
vniuerſalia ſunt aliquid, nõ nomina tantum communia 206.1
voluntas quid 147.2
voluntatis humanæ in agendo libertatem veteres philoſõphi agnouerunt 369.1
voluntas noſtra non eſſet voluntas niſi eſſet libera, ex. D. Auguſtino 95.2
voluntas quid Ariſt. & Platoni 137.2
voluntatis humanæ cõparatio cum ea quæ dæmonum & angelorum 88.2
voluntas humana qualis 88.2
voluptas pura quæ 150.2
voluptates quæ puræ vel impuræ 147.2
voluptatis & doloris fabuloſa connexio ex Platone 11.1
voluptatum & cupiditatum genera 8.1
voluptatis & doloris cauſæ 149.2
voluptas & dolor an admittãt medium, & quale 150.2
voluptatis & doloris vis in vita humana 149.2
voluptatum natura & diuiſio 145.2
votum Socratis 7.1
Vxorum communitas Platonica qualis p.

Z

Zeno quo modo perturbationem definiat 146.2
Zenonis opinio de perturbationibus 133.2
Zenoni Cittiæo quo modo virtutes omnes ſint connexæ 125.2

FINIS.

PRAEFATIO IN COMPARATIONEM ARISTOTELIS CVM PLATONE.

QVÆ IN TRIBVS PHILOSOPHIÆ partibus, explicatur commentario in Alcinoi institutionem ad doctrinam Platonis.

PER IACOBVM CARPENTARIVM, CLAROMONTANVM BELLOVACVM.

MAGNVM opus & arduum, Candide lector, conamur hoc tempore, cum in eam comparationem incumbimus in qua non Æserninus cum Pacidiano, verum Aristoteles, non spurcus homo (sicut de Æsernino ait Lucilius) sed doctus & acer, cum Platone componitur, philosopho optimo longe post homines natos. Nec enim in vniuersa philosophia horum scriptis vlla ætas quicquam vidit perfectius. Vt in ea quanquam mihi nihil difficile esse possit tua studia amanti, longe tamen promptior sit experiundi voluntas, quam spes perficiundi. Presertim cum vetera memoria repetens animaduertã neminem in philosophis nomen suũ olim esse professum, qui non idem in huius comparationis explicatione, suam industriam posteritati probari voluerit & quod ea esset assequutus, quasi Mineruam Phidiæ in arce ponere. Atque de nostris nonnullos audiam qui se in hoc studij genere digito cœlum putant contingere, in eodem argumento multarum vigiliarum opus iampridem meditari: cum quo si quando hoc nostrum conferatur.

Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?

Quate cum de eo mecum cogitarem & ante annos septẽ in Alcinoi publica interpretatione, ductis huius conatus rudibus lineis, quod animo conceperam meis confidenter satis indicassem, amicè

nonnulli & hi fortasse qui in rebus meis plus sapiunt quam egomet mihi, sic obiurgabant, nunquam ne cogitabis, in quem ordinem veneris? aut quam Spartam, vt aiunt, in hac vniuersi schola sis nactus? Siccine ad has tuas philosophorum delicias (sic enim ego ipse aliorum spinas soleo appellare) adherescès, vt de reliquo vitæ cursu in studiis, ciuium tuorum opinione grauioribus, constituendo, nunquam cogites? Addebant etiam alij hique nonnihil meo genio indulgentes, si in philosophia non modo conseneſcere, sed mori certum sit, in hac alia esse permulta quæ & argumenti nouitate placere possent magis & minore cum labore nobis gloriam parare. Hæc enim, vt illi aiebant, non modo abunde tractata sunt à veteribus philosophis, sed à recentioribus quibusdam magnificis pollicitationibus occupata. Cum illis autem paria facere nemo nostrum fortasse possit: & vt in iis fœlicius nobis omnia succedant quam sperare audeamus, at certe Thessalicæ turbæ & nescio cui Logodædalo, qui se huic addixit, istud erit inuidiosum. Qui quia vt in philosophia aliqui esse videantur, idem genus argumenti se delegisse dictitant, nihil putabunt in eo nobis esse relictum. Sed mihi crede, Candide lector, istiusmodi rationibus sic afficiebar vt idē in me sentirem quod his accidere solet qui de eo deliberare se fingunt, quod iam cupidissimè sunt amplexi. Vt enim se ab iis inuitari putant quæ aliis maxime aduersa videntur: ita quibus hi me à preclarissimo opere reuocare conabantur, iisdem commouebar magis, atque adeo inflammabar vt hoc mihi iam curis aliis omnibus antecuertendum esse putarem: & illis consultoribus fructuosam fortasse magis, sed hoc tempore minus gratam studij formam præscribentibus, iam illud respondere auderem.

Mihi sic visus est: tibi vt opus facto, face.

Quî enim his parere possemus qui omnino ab ea doctrina nos auocant cuius fœliciter inchoatum studium coerceri reprimíue nullo modo potest? Siue enim veteris philosophiæ cognitio in promptu est: non paranda nobis ea solum, sed etiam fruenda. Siue hæc potius tantas difficultates habet, vt frustra sperari videatur: eius inuestigandæ modus nullus esse debet: & querendi defatigatio turpis est, cum id in ea queratur quod est pulcherrimum, & nostra professione dignissimum. Nam si delectamur, cum ista philosophica meditamur, aut scribimus, quis est tam inuidus qui ab iis nos abducat? Sin laboramus, & aliorum studia fortasse magis quam nostra promouemus, quis est qui alienæ eique tam liberali modum statuat industriæ? Quanquam enim Terentianus Chremes non inhumanus est qui nouum vicinum non vult,

Fodere, aut arare, aut aliquid ferre denique.

(Non enim eum ab industria, sed ab illiberali labore deterret) isti tamen valde curiosi fore videntur, quos offendet hic noster labor qui nobis minimè est iniucundus. Aliis autem satisfacere erit vt opinor, facilius: qui istum laborē inutilem fore cēsent, quod de hac comparatione permultorum scriptis abundemus, & ea à nonnullis adhuc expectemus, quibus, si præiudicatæ authoritati credendum est, nihil debeat in hoc genere esse perfectius. Ego quidem memineram scriptas à Proclo obseruationes eorum in quibus Aristoteles Platoni contradicit in Timæo, quarum apud Io. Grammaticum in disputatione de mundi æternitate frequentissima est mentio. Legeram quod Roërius Commentario 2. in lib. Arist. de interpretatione, scripturum se de hac comparatione in omnibus philosophiæ partibus pollicetur. In eadem videbam extare contrarias & grauibus odiis, sicut prima fronte apparet, inflammatas Georgij Trapezuntij & Bessarionis Cardinalis contentiones, in eisque illum Aristoteli, hunc Platoni nimium tribuere. Itaque iusto arbitrio inter eos locum esse existimabam: quo in tanta sententiarum dissidentium varietate, neque secundum Aristotelem, neque secundum Platonem omnino iudicaretur. Mirabar à Io. Pico Mirandula in conclusionibus ita positum, nullum esse quesitum naturale, aut diuinum, in quo Aristoteles & Plato sensu & re non conueniant, quamuis verbis dissentire videantur. Idemque audiebam aliquando esse conatum Franciscum Cataneum Marsilij Ficini auditorem, cuius scripta de ea re ad nos non peruenerunt. Legeram etiam Symphoriani Camperij Medici Symphoniam Platonis cum Aristotele, Galeni cum Hippocrate. Incideram ante annos duodecim in sermonem cum Paulo Scalichio, quem Io. Mirandulæ simium, meo iudicio, possis appellare: qui profitebatur nihil esse facilius quam in omnibus illos conciliare, idque se minimo labore posse perficere. Audax negotium, dicerem impudens, nisi illius manibus parcendum esse putarem: aut nisi idem ab aliis permultis tentatum esse viderem. Sed cum ille tum certis rationibus inter nos nomen suum occultaret, nec eius consuetudine diutius frui potuissem: quid in eo viua voce effecturus esset, facile postea intellexi ex ea, quam paulo quidem ante ediderat, sed tamen adhuc in nostras manus non venerat, Encyclopedia. In qua inter illos dissidij causam potius explicare conatur, quam quod tum pollicebatur, perficere. Cum vero etiam penè eodem tempore extare cepisset Sebastiani Foxij liber de consensione Platonis & Aristo. in ea philosophiæ parte quæ de natura est, in eo facile coniicere potui quam esset grata philosophiæ studiosis huius comparationis explicatio. Quòd omnes

librum illum arriperent quasi diuturnam sitim explere cupientes, eúmque laudibus in cœlum efferrent: minimè quidem repugnante me, sed hoc potius admirante, quod in plerísque neque Platonis, neque Aristotelis sententiam esset assequutus. Omitto Georgij Acanthij libros tres de Platonis doctrina: aut Bernardini Donati libellũ de Platonicæ & Aristotelicæ philosophiæ differentia. Quo quanquam in pauciſſimis capitibus illorum cõparationem explicet, tantã tamen apud nostros iactationem habet, vt iam multorum hominũ commendatione ornatus, cum maximis scriptoribus certare posse videatur. Cur igitur mihi non liceat in eo ingenij vires periclitari quod sentio omnibus semper fuisse gratissimum, & esse cognitione digniſſimum? In quo vt nihil amplius consequar quam vt prodam vel in aggrediendo meã confidentiam, vel in abditis quæstionibus explicandis crassam ignorantiam: at hoc certe rei literariæ maximum adiumentum afferet, quod qui hac in parte philosophiam à nobis contaminatam dolebunt, meliora conabuntur: & ea cum philosophiæ studiosis communicabunt, quibus eadem opera nostris fortasse tenebras offundent, Aristoteli & Platoni clariſſimam lucem afferent. Sic enim mihi vel perire certũ est dum modo rei literariæ prosim: imo nulla poterit in eo videri mei nominis offensio, quod erit cum solida aliorum laude & publica vtilitate coniunctum. Ergo quoniam id iam facere certum est, dicam primum de huius comparationis necessitate: deinde de Platonis & Aristotelis in Philosophando consuetudine: vt intelligatur quo modo hic in magistrum fuerit animatus: postremo de iis quæ Alcinoo, quem nunc habemus in manibus, sunt propria. Comparationis vero necessitas facile ab eo intelligetur qui animaduertet in singulis philosophiæ partibus explicandis Aristotelem sic in Platonem esse affectũ, vt cum eo tanquam cum hoste, de doctrinæ philosophicæ imperio certare videatur. In quo dici non potest quam frequenter eius rei ignoratione, in illo interpretando aberremus, aut in earum disputationum, quas contra alios solet instituere, consiliis exquirendis cæcutiamus. Cum alij nimium intelligendo nihil intelligant & in plerísque Platonem exagitari arbitrentur, in quibus de illo Aristoteles nihil cogitat: aut etiam eius doctrinam omnino amplexatur: vel certe perpaucis mutatis pro sua venditat. Vis, vt hoc amplius intelligatur, potiſſima philosophiæ capita breuiter percurramus & in illis Aristotelis distributionem seruemus? Omitto quod à Porphirio de vniuersis quæstiones tres initio positæ, quæ Thessalo de hac comparatione multarum vigiliarum opus iam multos annos meditanti, & in Platone multũ exercitato, scilicet: pueriles esse videntur, nobiliſſimæ inter

illos controuersiæ de ideis summam continent, quæ à nobis postea pluribus explicabitur. Nunc de Aristotele tantum dicam. In cuius Categoriis cum substantia in primam & secundam distribuitur, eáque quæ in aspectum cadit, prima dicitur & esse maxime propriè ac præcipuè, hoc loquendi genere, quemadmodum & capite. lib. 12. Metaph. Platonis sententia de comparatione idearum cum rebus singulis, meo quidem iudicio, reprehenditur. In qua ille ideas non modo maxime, sed solas esse dicere solet: singula vero ne esse quidem, quia in perpetua mutatione versantur. Idem sequutus in postrema substantiæ proprietate, dixisse videtur contra Heraclitum, substantiam eandem numero permanere quando vicissim contraria recipit: in eoque corporeæ potius quam eius quæ intelligentia percipitur, rationem habuisse. Quum Plato contra, in philosophando intelligẽtiæ omnia, sensui nihil tribuat & Heracliti opinionem approbans, ad ponendas ideas impellatur, vt Aristoteles docet cap. 6. lib. 1. Metaph. Atque cum ille in Parmenide duas tantum simplicis motus species esse velit, vnam qua res loco mouentur, alteram qua suis affectionibus commutantur, reliquas vero ortum scilicet, interitum, accretionem & decretionem, mixtas esse & semper habere aliquam commutationem adiunctam (in quo etiam eius sententiam laudat Galenus capite. 1. lib. 1. de naturalibus facultatibus) Aristoteles contra, in iis quæ Categorias sequuntur, quadratum circumposita regula crescere ait, neque tamen commutari. Hoc autem quam recte Platoni opponat, isto loco non disputo, sed aliquando fortasse in eo opere exquiretur in quo præcipuorum capitum quæ ad communem differendi artem pertinent, explicationem meditamur. Prætermitto quod in relatorum priore descriptione interpretes arbitrantur Platonem exagitari. Quoniam nec illi Platonis locum indicant: nec ipse satis video quid in ea quæstione inter Platonem & Aristotelem possit interesse. Iam vt ad librum de interpretatione veniamus, quis de iis quorum scripta aliqua in illum extant, non obseruat in nominis & verbi definitionibus hunc Platoni esse contrarium, quod hæc ille ex hominis placito & arbitrio, Plato vero natura significarẽ velit? Atqui si rectè iudicamus, de eo potius inter illos summa est consensio: quæ suo loco hoc nostro commentario postea explicabitur. Sed illud iidem interpretes non obseruant, Aristoteli orationis genera multa esse quæ neque verum neque falsum significant: Platonẽ vero lib. 2. de Rep. & 3. itemque in Sophista, duas tantum eius species facere, vnam veram, alteram falsam. Alia quoque permulta sunt quæ si tum in posterioribus Parmenidis suppositionibus, tum in Sophista considerentur paulo attentius, ad Arist. illustrandum magnum

afferent adiumentum. Topicæ artis pauca fortasse præcepta sunt quæ aut Platoni contraria, aut ex eo deriuata videri possint. At locorum exempla penè infinita, in quibus Platonem rarissimè sequitur, frequentissimè vero exagitat. Quæ quia quibus ex fontibus deducta sint, ignoramus, ea interpretãdo contaminamus: atque eo abuti cogimur quod iam in Peripateticorum schola tritum est, exemplorum veritatem in ipsis præceptis non esse exquirendam. In Analytica arte, demonstrationis philosophicę, à populari argumentatione distinctio apud Platonẽ extat in Menone: vbi agitur de statuis Dędali volitãtibus. Omninóq; distinctio duplicis Methodi, exactę scilicet & popularis, ab eodem expressa cũ aliis locis multis tum maximè in Timæo: cum eam pro natura rerum quæ in sermonem incidunt, docet esse variandam. Et cum vterque ea quæ opinione comprehenduntur, distinguat ab iis quæ in scientiam cadunt: hoc tamen differunt quod Plato illa suaptæ natura & reipsa ita distincta esse vult, vt scientia idearum sit, opinio eorum quæ pertinent ad res singulas in sensum cadentes. Aristoteles autem eorundem vniuersalium scientiam & opinionem esse docet cap. 26. lib. 1. Analyt. post. Sed ita tamen vt pro varietate mediorum per quæ eiusmodi cognitio duplex comparatur, hanc ab illa velit esse distinctam. In eadem etiam arte cum pars ea quæ de demonstrando est, ducit initium ex eo in quo agitur de doctrina & disciplina nostra ex aliqua antecedente cognitione parta, hoc ad ambiguitatem Menonis pertinet, & ad euertendam recordationem superioris vitæ, quam Socrates apud Platonem inducit, vt illam explicet. Quanquam haud scio an ei ambiguitati Aristoteles illo loco omnino satisfaciat. In ipsa vero Physiologia non erit facile exitum reperire, si vel indicare tantum volumus omnia in quibus Aristoteles sine hac comparatione non potest intelligi, vel ea in quibus ille Platonem interpretari, aut illustrare videtur: longe verò plura in quibus eidem studiosè aduersatur. Nam in numero primorum principiorum inter se consentiunt (si quidem vterque tria ponit) sed in illo, iis maximè differunt: quod Plato priuationem à materia non distinguit, in qua Aristoteles inuentum suum multis verbis cõmendat lib. 1. Physic. De forma omnino contrariæ illorum sententiæ esse videntur. Exemplarem enim, quam Plato ideam appellat & vnius principij rationem habere vult, Aristoteles quibus potest rationibus labefactare conatur: eámque solam quæ in rebus singulis est & cum materia communicat, in principiis numerat: quam Plato quidẽ agnoscit, sed principij vim habere negat. Atque cum Aristoteli illa interior sit & prima summáque rei cuiusque naturalis perfectio: eadem Platoni secunda tantum est & inchoata. Quia ipsius ideæ est i-

mago, in materia fluente adumbrata. Plato diuinus, opificem rerum omnium deum, primam efficientem causam externã, in primis principiis statuit. Aristoteles naturæ genius, ea tantùm pro efficientibus, in principiis physicis retinet, quæ in ipsis rebus sunt & in iis alterius naturæ, id est formæ, rationem obtinent. In materia magis consentire videntur. Sed hoc in Platone Aristoteles improbat, quod in illa formarum omnium absentiam & ad has excipiendas potestatem non satis explicet: quódque eum locum & receptaculum formarum appellet. Hoc vero quanquam Aristoteles parum candidè exagiter, quasi sine similitudine dictum, illud tamen acutè, quod eam non tam formas continere ait, quam ipsis formis contineri. Denique circa quęstionem de principiis eo etiam differunt, quod in materia prima nullas formas Aristo. inesse vult, sed absolutam quandam ad eas excipiendas potestatem: in eóque alios multis locis reprehendit, qui in illa ponunt rerum omnium confusas formas, quas in ortu volunt esse distinctas & in eum ordinem adductas quem nunc in vniuersitate obtinent. Quæ Platonis est in Timæo non obscura sententia. Adde etiam in primorum principiorum contrarietate hunc ab illo notari, quod solus inter veteres philosophos eam materiæ tribuat, magnóque & paruo exprimat: Quorum tamen vtrunque cum maxima probabilitate ab illo videtur esse positum. Quis vero in Arist. aut Platone interpretando, horum omnium obseruationem iucundissimam non sentiat? Neque de corporibus quæ ex illis principiis oriuntur & constant, minor est inter illos dissensio. Nam Aristoteles prẽter nota elementa quatuor, vult quintum esse corpus simplex cœleste cap. 2. lib. 1. de Cœlo, hócque simplici motu in orbem ferri, quod astreum elementum nominat cap. 3. lib. 2. de animalium ortu. Platoni autem idem ex quatuor simplicium corporum purioribus portionibus mixtum esse videtur: sed in quo plus ignis sit (lucentis tamen non adurentis) quam reliquorum elementorum: ex quo etiam igneum ab eodem Platone appellatur. De duabus rationibus quibus Plato mundum vnicum esse confirmat, Aristoteles lib. 1. de Cœlo, eam quæ à forma ducitur, acutissimè videtur inuertere. Cum in altera, quæ ad materiam pertinet, eundem sequutus, statuat fieri non posse vt plures mundi sint. Quia in vniuerso hoc omnia, sicut ipsum nomen indicat, in se complexo, tota materia absumpta est, nec eius vlla pars relicta ex qua mundus alter potuerit exoriri. In quęstionibus aliis de mundi æternitate, aut de huius origine atque interitu: de eiusdem figura & elementorum quorũ coagmentatione constat, vel de horum principiis quę in figurarum proprietate à Platone ponuntur: de natura grauium & leuium, itémque de distinctione diffe-

rentiarum ſitus, tam in vniuerſo, quam in varietate locorum ad quæ ipſa elementa ſuapte natura mouentur, permulta ſunt in quibus Ariſtotelis doctrinam nemo vnquam aſſequetur, niſi qui iſtam comparationem tam habet in promptu, quam quod familiare eſt vel maxime. In Meteoris pauciora ſunt in quibus Ariſtoteles à Platone adiutus videri poſſit: plura verò quę ſuo ingenio contra veteres magna probabilitate diſputat. Nam in comparatione meteororum quæ aqueæ naturæ in media regione oriuntur, cum iis quæ in ima exiſtunt, quod pluuiæ rorem, niui pruinam reſpondere ait, in eo aſſentitur magiſtro Platoni in Timæo. Quod autem circum terram negat quicquam grandini eſſe ſimile, eidem aduerſatur. Quoniam hic glaciem in ima regione vult eſſe quaſi quandam grandinem. In explicanda origine fluminum illius ſententiam in Phedone, nominatim exagitat ca. 2. lib. 2. Meteor. Sicut & in diſputatione de cauſis ſalſi ſaporis in mari cap. 3. At cap. 14. lib. 1. in ea viciſſitudine quam per multorum annorum circuitus in res naturales cadere ait huiuſque obſeruationem vnius hominis ætatem ſuperare, Platonem ad verbum ſequitur initio Timæi: vt & magna ex parte in metallorum natura explicanda, extrema pagina lib. 3. In poſteriore autem phyſiologiæ parte quæ ſpecialior eſt, quæque res animatas magis attingit, in quæſtionibus de Animo & rerum animatarum partibus ac affectionibus, cum permulta ſint obſeruatione digniſſima, ex huius comparationis perpetuitate penè ſunt omnia repetenda. Nam in quæſtione de animo Platonis ſententiam de numero ſe ipſum mouente, déque variis animi motibus lib. 4. de Rep. ille multis rationibus exagitat lib. 1. de anima. Sicut & illud quod ex principiis rerum omnium idem animũ fabricatus eſt, vt docere poſſet quo modo per naturæ ſimilitudinem omnia cognoſceret. Atque cap. 3. Pythagoreorum fabulam appellare audet eam opinionem quam in multis dialogis Plato laudauit de animis humanis noua corpora ingredientibus etiam ea quæ belluarum ſunt abiectiſſimarum. At in eo magiſtrum omnino ſequitur quod cum Socrate in Phedone in eos multis rationibus diſputat qui animam non aliam eſſe putant à corporis harmonia & eorum quibus hoc conſtat, apta temperatione. Amplius etiam de partibus animi earúmque ſedibus & de ſemine vtrum animatum ſit aut quomodo, nobiliſſima eſt inter eoſdem controuerſia, nec ea ſatis adhuc interpretum ſententiis definita. Sicut nec in his quæ de ſanguinis officina, de arteriarum, venarum & neruorum origine à medicis diſputari ſolent. In quibus Galenus cum aliis locis multis tum maximè libris de decretis Hipp. & Platonis, damnato Ariſtotele, confirmare conatur Platonem cum Hippocrate idem omnino ſentire. In quo

neſcio

neſcio an huic debeam omnino aſſentiri. Neque verò illud pluribus explicabo quod tamen fortaſſe omniũ eſt maximum, ex eadem comparatione poſſe intelligi in quæſtione de animi immortalitate Ariſtotelis rationem vnicam ſuo pondere cum iis certare poſſe quæ apud Platonem ſunt variæ. Sed hoc vno verbo dicam quod ſentio, ſicut in philoſophando omnino cæcutiunt qui hanc comparationem non obſeruant: ſic alios qui in ea cæteris acutiores ſunt, facile videre quod eſt cognitione digniſſimum & à nobis poſtea pluribus locis obſeruatum, Ariſtotelem naturæ genium in Phyſicis diuino Platone tanto ſuperiorem eſſe, quanto in Metaphyſicis, eodem, meo quidem iudicio, inferior eſt. Neque verò in aliis quæ ad vitam & mores pertinent, minor eſt huius comparationis neceſſitas. Nam in conſtituendo fine bonorum, ideam quam Plato amplexatur, alter quibus poteſt rationibus reprehendit cap. 6. lib. 1. Ethic. Sed ſi libere iudicandum eſt, in illis pleræque tam leues ſunt, vt potius ideas confirmare quàm euertere videantur. Quis autem hoc intelliget niſi qui in eiuſmodi comparatione maximè erit exercitatus! Rationem virtutis parandæ omnino eſſe in noſtra poteſtate Ariſto. velle videtur initio lib. 2. Quod apud Platonẽ Socrates improbauerat in Theage. Nos noſtra voluntate peccare, ſicut & recte agere, idem pluribus locis repetit. At peccatum eſſe voluntarium paſſim apud Platonem Socrates pernegat. Et tamen hæc quæ contradictionis quandam ſpeciem præ ſe ferunt, ſunt eiuſmodi vt facile poſſint ab iis conciliari qui in vtriuſque doctrina ſunt verſati. Socrates morum virtutes prudentiæ particulas eſſe arbitratur. Hoc Ariſt. improbat cap. vlt. lib. 6. Ethic. Toto vero lib. 10. illum in eo ſequitur quod contemplationi & voluptati quam ille habet adiunctam, multum tribuit. Quod autem voluptatem motum eſſe idem arbitratur, illum in eo reprehendit. Neque in Oeconomicis & Politicis ſententiarum inter illos minor eſt diſſenſio. Nam Platonem duobus locis reprehendit quod in Politico œconomicam diſciplinam à politica differre dicat, non imperij ſpecie, ſed eorum tantum qui parent multitudine & paucitate. In quo tamen non modo tolerari potuit illius ſententia, ſed etiam ab eo laudabitur qui animaduertit in dialogo de Philoſophia, omnium imperiorum communem rationem in duabus virtutibus poni: in prudentia, ſcilicet per quam cognoſcitur quod rectum eſt, & iuſtitia, in qua ineſt conſtans & perpetua voluntas obſeruandi, quod per prudentiam rectum eſſe cognoueris. Quſque hæc comparabit cum eo quod Ariſtoteles ipſe ſcribit lib. 5. Ethic. de regula Leſbia, quæ re vna, diuerſis operibus accommodata, ab iis magnam figuræ varietatem capit. Hæc enim non malè poni videtur in duabus

illis Platonicis virtutibus quibus instructus esse debet quicunque humanæ societati recte præesse vult : sed earundem officia variare pro varietate eorum quibus præest. Simile est quod cum non sine ratione Socrates in Mænone Gorgiam reprehendat, quòd virtutem diuidat pro varietate sexus, ætatis & conditionis : aliámque esse velit viri, aliam fœminæ, aliam pueri, aliam eius qui iam grauis ætate, aliam denique hominis liberi, aliam serui: & lib. 5. de Rep. idem constituat nullum inter eos qui ciuitatem custodiunt esse debere officium mulieris proprium, qua mulier est, aut viri, qua vir, sed æquè dispersas in animantibus vtrisque naturas,& omniumquidem operum natura compotem esse fœminam,omnium & virum,in omnibus tamen esse imbecilliorem fœminam : in priore repudiata Socratis sententia, Gorgiæ commentum Aristoteli placet cap.8.lib.1. Politic. Palam est, inquit, omnium quos diximus moralé esse virtutem, neque eandem esse mulieris & viri temperantiam, neque fortitudinem, neque iustitiam, vt Socrates existimabat. Alia fortitudo ad imperandum, alia ad subministrandum. Similis est in aliis differentia. Aperte videtur istud ab his qui particulatim diligentius virtutes inspiciunt. Qui verò in vniuerso genere loquuntur & inquiunt virtutem esse animum bene habere, aut agere rectè, aut tale quippiam, se ipsi decipiunt. Qui autem virtutes numerant, vt Gorgias, longè melius dicunt quam qui sic definiunt in vniuersum. In posteriore vero, cap.3. lib.2. Platonis similitudinem reprehendit, qua ex belluarum obseruatione vult efficere, in ciuitate eadem studia viros & mulieres decere. Longè vero plura sunt quæ in vtraque Reipub.formaà Platone descripta (eam dico quę in libris de legibus & alteram quæ Dialogis de Repub. instituitur) idem exagitat. In quibus vt Aristoteli cædant Platonici in iis quæ ad communionem bonorum, maximè vero vxorum &liberorum,pertinent (quanquam etiam in illis quædam habent quibus magistri sententiam tueri conantur) quis in horum Philosophorum comparatione exercitatus, in reliquis non videt esse permulta in quibus Aristoteles à Platone verbis magis dissideat quam sententia? aut etiam parum candidè magistri verba in rem alienam detorqueat? Quæ omnia cum ab annis quatuor & viginti in Aristotele interpretando obseruare cœpissem, & tentata sæpius pro ingenij facultate, illorum inter se comparatione, ad philosophiæ cognitionem explicationémque magnum adiumentum percepisse me ipse sentirem: in eáque cum antea Alcinoum haberem in manibus,nostram opellam non solum rudibus, sed aliquantum doctis, iucundissimam fuisse recordarer : faciendum putaui vt illa quasi acroamatica quæ tum inter docendum viua voce nostris

explicabantur, in lucem prodirent & externorũ iudicium ſubirent. Nimium confidenter, fortaſſe: ſed non fit ſine periculo facinus magnum & memorabile: atque par eſt omnes omnia experiri qui res magnas & magnopere expetendas concupiſcunt. Sed de huius comparationis neceſſitate ſatis: nunc, vt erat propoſitum, de Platonis & Ariſtotelis in philoſophando conſuetudine tantum dicamus, quantum ad inſtitutam comparationem intelligendam videtur eſſe neceſſarium. Exiſtimauiſſe veteres, in philoſophiæ ſtudio Aegyptios omnium excellentiſſimos, græcos vero rudes, teſtis eſt Porphirius in libro de electisphiloſophis, quem frequenter citat Theodoretus libris de curatione græcarum affectionũ. Via quæ ad deos perducit, inquit ille, ære munita eſt, arduáque eadẽ & aſperrima, Cuius quidem calles quamplurimi barbari inuenerunt. At verò græci longius ab ea aberrarunt: & qui eam tenebant, tandẽ corruperunt demolitíq; ſunt. Cuius inuentores Deus fuiſſe teſtatur Aegyptios, Phœnices, Chaldeos, Lydios & Hebræos. Idémque in epiſtola ad Anebonem Aegyptium, Auſpicabor, inquit, meam erga te amicitiam ab ipſis diis, boníſque dæmonibus & à philoſophicis rebus, quæ ſunt diis dæmonibúſque cognatæ. De quibus ſanè quamplurima dicta ſunt, ſed potius ex coniectura dicta, quæque habeant fidei ſolius principia. Atque paucis interiectis hæc idem ſubiicit. Apud nos magna quædã verborum eſt diſceptatio, vt pote qui in boni coniecturam ex humanis rationibus ducamur. Quibus vero machinis quod melius eſt aſſequamur, ſemper nobis indagandum relinquitur. Quam de Aegyptiis & græcis ſententiam Plato confirmare videtur, primum his quæ ab Aegyptio ſacerdote Soloni dicta commemorat initio Timæi. O Solo, Solo, dicebat ille ſacerdos, vos græci pueri ſemper eſtis, nec quiſquam in græcia ſenex. Cur iſtud diceret percontante Solone, reſpondiſſe ſacerdotem Plato ait, quia iuuenis vobis eſt animus: in quo nulla eſt ex vetuſtatis commemoratione priſca opinio: nulla cana ſcientia. Deinde etiam quod eodem dialogo, Aegyptiis vt antiquiſſimis ſine ratione credendum eſſe ait: præſertim cum de diis quæritur. Quia vt ipſi dicebant, diis geniti, parentes ſuos optime nouerant. Fieri autem non poteſt vt deorum filiis fides non habeatur: licet nec neceſſariis, nec veriſimilibus rationibus eorum opinio confirmetur. Itaque illis credendum eſt, quaſi lege addicti ſimus ea credere quæ ipſi tanquam ſibi propria & domeſtica renunciare ſe teſtãtur. Quæ apud græcos de externis opinio, in philoſophis peperiſſe videtur incredibile peregrinandi ſtudium ad veritatis cognitionem, & in ipſo Platone effeciſſe quod ait Theodoretus Cyrenſis lib. 1. de curatione græcarum affectionum, vt ſcilicet perluſtrarit Aegyptum,

deinde Italiam & Siciliam: & vt in Aegypto non ab ipsis solum Aegyptiis, sed & ab Hebræis quoq; præceptoribus, veram Dei doctrinam magna ex parte perceperit. Quo nomine. D. Augustinus cap. 4. lib. 8. de Dei Ciuitate, in magna varietate philosophorum inter se & à Christianis dissidentium, arbitratur solos veteres Academicos, qui à Platone initium acceperunt, dignos esse cum quibus de veritate religionis disputet. Quod illi soli in ea aliquid videantur assequuti. Illam verò peregrinationem Plato fortasse instituit Anaxagoræ & Pythagoræ imitatione: quos idem Theodoretus lib. 2. ait, in Aegyptum esse profectos & cum Aegyptiorum Hebræorúmque sapientibus diu familiariter versatos. Eadémque opinione Pythagoram cum Iudæis sua studia cõmunicasse ex Erippo commemorat Origenes lib. 1. contra Celsum. Ferunt etiam, inquit, & pro indubitato affirmant Erippum in primo de legumlatoribus libro, memoriæ prodidisse Pythagoram suam philosophiam à Iudæis acceptam, ad græcos transtulisse & Hecatei cuiusdam historici de Iudæis librum extare, in quo & illud adiecit, sapientia tantopere Iudæorum gentem præstare, vt vel Herennius Philo in eo opere quod de Iudæis conscripsit, primo ambigat vtrum Hecatei historici illud sit opus nec ne: deinde si Hecatei sit, dicat non iniquum esse existimare hunc captum ea persuasione quæ apud Iudæos valet plurimum, in hæc descendisse. Idem de Apollonio Tyaneo, cuius vita à Philostrato descripta est, refert D. Hieronymus in epistola ad Paulinum. Intrauit Persas, inquit, pertransiuit Caucasum, Albanos, Schitas, Massagetas, opulentissima Indiæ regna penetrauit: & ad extremum latissimo Physon amne transmisso, peruenit ad Brachmanas: vt Hiarcham in throno sedentem aureo, & de Tantali fonte potantem, inter paucos discipulos de natura, de motibus syderum ac dierum cursu docentem audiret. Inde per Elamitas, Babilonios Chaldeos Medos, Assirios, Parthos, Syros, Phænices, Arabes, Palestinos reuersus Alexandriam, perrexit Æthiopiã: vt Gymnosophistas & famosissimã solis mẽsam videret in sabulo. Hoc etiã de nostro Platone testatur Xenophõ Gryllí filius, in iis quæ ad Socraticum scripsit Æschinem eidémque vitio vertit. Adamarunt, inquit, hi duo philosophi (Platonem autem & Aristippum intelligit) Ægyptum, monstrosam Pythagoræ sapientiã. Quos luxuriosos fuisse, nec satis stabiles sub Socratis disciplina amor ille Tyrannidis indicauit: próque frugali ac tenui victu, petitæ Syculæ dapes, ventri voracissimo congruentes. Ex quibus effectum est vt ille in Cratylo in quæstione de diis, Ægyptios, quos barbaros appellat, potius sequatur quam græcos. Mihi quidem, inquit, videntur primi illi homines in græcia solos eos esse Deos putasse, quos

nunc barbari plurimi opinantur Solem videlicet, Lunam, Terram, Stellas Cœlúmque ipsum. Videntes itaque hæc velut cuntia motu quodam atque currentia de natura cursus illius quem videbant ab eoque quod est θεῖν id est currere, θεοὺς id est Deos, quasi θέοντας, nominauerunt. Quod de eodem Platone scribit quoque Eusebius cap. 3. lib. 9. de præparatione Euangelica: vbi ex Porphirio de antiquitate philosophiæ apud Ægyptios & Hebræos, hoc Apollinis oraculum commemorat.

Dura via illa nimis, æratis clausáque portis,
Quæ vitam nobis apperit, donátque beatam,
Nec vero verbis facile enarrarier vllis,
Exponíque queat, illo quo semita ducit
Quam primi ante omnes cœperunt tradere, pulchræ
Qui Nili epotant lymphas: Phœnicibus inde,
Proximáque Assyriis ea cura. Sed inclyta longè
Gens Hebræa illam nouit notámque recepit.

Quare Numenius Pythagoreus, in philosophando Platonem non alium videri dixit quam Atticum quendam Mosem. Et Aristobulus Iudæus lib. 1. ad Philometorã, Legem nostram, inquit, in multis Plato sequutus est. Aperte namque in multis diligenter examinasse singula videtur. Mosaica enim volumina ante Alexandrum & ante Persarum imperium, traducta fuerant. Vnde plurima, sicut & Pythagoras, ille accepit. In quam sententiam extat quoque epistola Marsilij Ficini. lib. 8. Epistolarum de concordia Mosis & Platonis. Adieceruntetiam nonnulli Platonem cum in Aegyptum profectus est, Hieremiæ auditorem fuisse: magno temporum errore, & in quo opinionem suam D. Hieronymus aliquando retractauit, vt intelligi potest ex cap. 11. lib. 8. de Dei ciuitate, & cap. 4. lib. 2. retractationũ. Alij eandem in multis doctrinæ consensionem cum religione nostra, in illo obseruãtes, dicere ausi sunt in hoc legendo Christum diligenter versatum & ex eodem permulta ad nos transtulisse. Quam sententiam in Celso Origenes reprehendit lib. 6. disputationis contra eundem institutæ. Ex quibus minimè mirũ videri debere, si de iis quæ ad nos pertinent, pleráq;, quę sunt vel maximè abdita, ille pro suis vsurpet: sed multis inuoluctis tecta: aut si cum in illis nesciat fortassè quid aliena fide magis quam sua loquatur, diuinus tamen philosophus appelletur & paucis mutatis verbis atque sententiis Christianus fieri posse dicatur à D. Augustino libro de vera religione. Quamquam neque ei proprium est vt nescíens multa fundat persuasionis Christianæ quasi oracula, sed, vt Tertullianus scribit in Apologetico contra gentes, omnibus vetetibus philosophis, poetis atque sophistis commune. At hæc certè philosophandi ratio fuit illi

imprimis familiaris & ab ea quam Aristoteles tenuit longè diuersa. quod, vt eodem loco D. Augustinus ait, suauius ad legendum, quam potentius ad persuadendum scribit, & quod nostris frequens est, quasi in Pythagoreorum schola versetur, pleráque pro sua authoritate, sine ratione rata esse vult. Aristoteles autem contra, in disserendo plus habet virium quam suauitatis: nec in philosophando quicquam recipit, quod non sit probatum & naturæ legibus confirmatũ eiusdémque lumine illustratum. Ex quo, sicut antea diximus, naturæ genius à veteribus est appellatus. Quem quanquam Tertullianus in libro aduersus hæreticos, damnet, miserrimúmque appellet, quòd, vt ait, dialecticam instituerit artem struendi & destruẽdi versipellem, in sententiis coactam, in coniecturis duram, in argumentis operatiã contentionum, molestam etiam sibiipsi, omnia retractantem, ne quid omnino tractauerit: D. tamen Hieronimus Commentario in Ezechielem, eiusdem artis contra hæreses hanc vtilitatem commemorat: quod quicquid in sæculo est dogmatum peruersorum, quicquid ad terrenam scientiam pertinet & putatur esse robustum, hoc eiusmodi arte subuertatur, & instar incẽdij in cineres fauillásque dissoluatur. Vt probetur nihili quod putatur esse fortissimum. Quibus rationibus hoc in philosophorum schola Aristoteles iampridem videtur consequutus, vt ab iis qui ad superiores disciplinas aspirant ad eásque sibi viam parãt, Platoni anteponatur. Præsertim ab iis quibus placere cepit: id est qui ad eius doctrinã tempus & diligentiam adhibentes, omnium partium œconomiam considerare & in sentẽtiis subtilitatem, in argumentis aculeos possunt perspicere: ea suauitate neglecta qua in aliorum scriptis delicatiora ingenia primo aspectu facile capiuntur. Nam vt incipiam à prima philosophię parte & rem perducam ad extremam, quis non fateatur disserendi pręcepta si quæ apud Platonem extant, ea per varios dialogos sine ordine esse sparsa: non ad vnius artis formam ab illo reuocata? At hæc ab Arist. in vnum collecta sunt & tam acutè exposita, vt nihil in illis desiderare possis: nisi fortè, vt de Protogene Apelles dixit, quod non tollit manum de tabula: & tam subtiliter, etiam in minimis philosophatur, vt dum cauere vult ne quicquam prætermittat, pleráque dicat quæ ad communem disserendi vsum minimè videntur necessaria. In ipso verò præceptorũ vsu, permulta sunt quæ Plato pro sua authoritate ponit, quæque nulla ratione confirmat. Neque verò pauciora in quibus vbi rationem afferre conatur, plumbeus est, si cum Aristotelis acumine conferatur. Sic enim cum in Gorgia de iis qui apud inferos suorum scelerum pœnas dare dicuntur, multa disseruisset, pro omni ratione subiicit, Hæc sunt, inquit, illa Callicles quæ mihi auditu solo

accepta, credo equidem esse verissima. Idémque ad confirmandam animorum immortalitatem pro firmissimo argumento vsurpat illorum in noua corpora transitum. In quo, sicut dictum est, Pythagoreorũ fabulam merito ridet Aristoteles cap.3.lib.1. de anima. Atque lib.10.de Repub.vt propositis præmiis & pœnis in vita altera,nos in huius officiis ad id quod rectum est,inuitet, confugit ad fabulam. Equidem,inquit,tibi non Alcini apologum, sed præstantissimi viri Eri Armenij genere Pamphilij,referabo. Qui cum occubuisset in prælio, sublatis decimo die cadaueribus, cæteris iam corruptis, integer quidem incorrupto corpore repertus fuit:domúmque vt sepeliretur delatus,duodecima iam ab obitu die,cum pyræ impositus esset, reuixit & quæ interim viderat retulit. Quæ conficta & magna ex parte repetita ex poëtis,eodem loco longa oratione commemorãtur. Imo etiã amplius in iis omnibus quæ ad disserendi rationem pertinent, accuratum hominis studium idem Plato damnat & indignum esse arbitratur philosophi excellentia. Nam in Politico, Si caueris,inquit,studiosus esse verborum tua subinde in senectute locupletior prudentiæ apparebis. Et s. de Rep. Hósne igitur omnes, inquit, qui eiusmodi quædam didicerunt,articulásque eas perceperunt,in philosophorum numero reponemus? Minimè,inquam, sed philosophastros appellabimus. Tum,inquit ille, Quos ait esse veros philosophos? Eos, inquã ego,qui despiciendæ veritatis studio teneantur. Neque enim in Geometrię quæstionibus, neque in argumentosa philosophia, neque in coniecturali medicina,neque in Astronomia quæ physicis fluxísque rationibus clauditur: sed in ipsius boni versque scientia philosophus versari debet. In ea verò philosophiæ parte quæ de natura est, quid ab eo possis expectare,qui vniuersæ naturæ explicationem vno libro concludit:in eóque non tam ex sua sententia loquitur,quam Timęi, ex quo Pythagorea didicerat? Præsertim cum in cæteris dialogis eius ore,vt Cicero ait,Socrates loquatur:qui huius partis cõtemptor potius,quàm obseruator vult videri. Hic enim in Phedone,de suo in illa studio ita loquens inducitur. Equidem ô Cebes, cum essem iuuenis mira quadam eius sapientiæ cupiditate flagrabam, quam naturæ vocant historiam. Præclarissimum enim esse censebam causas intelligere per quas singula fiant atque intereant & qua sint ratione. Sæpiúsque me sursum,deorsum,iactaui talia quędam primo considerãs. Nunquid postquam calidum & frigidum putrefactionem aliquam acceperunt, quemadmodum nonnulli dixerunt, tunc animalia conualescant? Præterea vtrum sanguis sit quo sapimus, vel aër,vel ignis, aut nihil horum sit,sed cerebrum quod præbeat sensus audiendi, videndi,olfaciendi?Ex his autem memoria & opinio fiat.Ex memoria

verò & opinione quietẽ accipiente, per hæc ſcientia oriatur. Proinde horum corruptiones conſiderans atque eas quæ circum cœlum terrámque paſſiones contingunt, tandem adeo ad hæc conſideranda viſus ſum hebes vt nihil magis. Coniecturam verò ad hęc afferam tibi ſufficientem: nempe ob eiuſmodi conſiderationem vſque adeo ſum occæcatus vt ea etiam quę prius manifeſtè ſciebam, vt mihi aliiſque videbatur, dediſcerem, & alia videlicet multa quæ antea me ſcire putabam. Idem de illo nobis confirmat Xenophon Commentario de dictis & factis Socratis. Prorſus, inquit, dehortabatur Socrates de cæleſtibus rebus quas Deus ipſe molitur, quenquam eſſe ſolicitum. Neque enim putabat eas poſſe ab hominibus inueniri: neque gratam diis rem facturum exiſtimabat qui ea rimaretur quæ ipſi cuiquam prodere noluerint. Periculum verò inſaniæ impendere ei qui eiuſmodi res curaret atque inquireret: neque minus quam Anaxagoram inſaniturum, qui explicandis deorum conſiliis & incertis plurimum gloriæ ſibi vendicabat. Et idem alio loco. Nullus vnquam, inquit, impij celeſtíve quicquam vel facientem vidit Socratem, vel loquentem audiuit. Sed neque is, quod pleríque homines faciunt, de natura procul à nobis recedentium rerum aut cæterarum eiuſmodi diſſerebat: neque contemplabatur quam bene ſe habeat hic quem viri ſapientes mundum appellant: quibúſque neceſſitatibus ſingulæ rerum cęleſtiũ fiant. Verum eos qui talia curarent, inſanire oſtendebat. Ac primum omnium expetendum putabat vtrum cum eiuſmodi homines ſatis recte humanas res ſe ſcire arbitrentur, tunc denique ad earum quas dixi, rerum curam atque inſpectionem accedant: an dimiſſis humanis rebus diuinas contuendo opinentur congruentia ſibi facere. Mirabatur autem quod nondum planè homines pręſentirent eiuſmodi res ab hominibus inueniri nõ poſſe. Quandoquidem videret eos qui plurimum ſibi ſapere de iis rebus loquentes viderentur, eadem inuicem minus ſentire: nec ſecus atque amentes ſolent, mutuis inter ſe diſſidiis atque varietatibus male affectos eſſe. Nam vecordium alios quidẽ videre eſt nequaquã expaueſcere ad ea quę iure timenda ſunt: alios autem quæ timenda non ſunt, horrere. Aliis ipſorum minus turpe exiſtimari ſi vel in medio cœtu hominum ſúſque déque res omnes faciant & loquantur. Rurſus alios neque templa neque aras, neque aliud venerari quod ſacrum ſit. Alios verò paſſim lapides omnes ac ligna omnia feraſque ac brutas colere animantes. Pari quoque modo eorum hominis qui naturam rerum ſollicitè indagant, alios quidem opinari videmus vnum tantum modo eſſe ens, alios vero infinitam entium multitudinem. Videríque rurſus eorum aliis omnia ſemper moueri, aliis immota ſemper fuiſſe. Videri aliis fieri

omnia

omnia & perire: aliis nec genitum vnquã quicquam, nec periturum. Atque hæc quidem Plato & Xenophon de Socrate rerum naturaliũ contemplationem exagitante. Quid ergo in hac philoſophiæ parte à Platone expectare poſſis dignũ Ariſtotelis acumine cum apud illum in omnibus fere ſermonibus primæ partes tribuantur Socrati, qui eã philoſophiã contempſit & humano ſtudio indignam exiſtimauit? Vt ex his facile ſit intelligere, eorũ quorum inſtituta eſt comparatio, in philoſophando de rebus naturalibus diuerſam conſilij rationem extitiſſe & in hac minimè mirum cuiquam eſſe debere, ſi quemadmodũ Platonem in diuinis, veteribus philoſophis, quorum quidem ſcripta ad nos peruenerunt, longe ſuperiorem fuiſſe fatemur: ſic in naturalibus eundem Ariſtotelẽ naturæ genio multo inferiorẽ eſſe contendamus. Nam huius Metaphyſica primæ quidem ſapientiæ ſummam rudibus lineis deſcriptã continent atque indicãt quouſq; humana mens, naturæ lumine in Dei diuinorúmque inueſtigatione poſſit progredi. Ac dum illa in vniuerſum entis genus hoc ipſo quod eſt, iucumbunt, omnium eorum quæ ſunt originẽ ex Deo tãquam ex fonte repetunt & eandem ad Deum tanquam ad finem referũt. Sed in illis omnibus de diuinis tantum ab Ariſtotele aſſumitur, quantum humana ratione probari poſſe videtur: nec ſine hac ab illo quicquã pro rato ponitur. Quòd Platoni in hoc genere philoſophandi maximè fuit familiare. Quid vero amplius in his quæ ſupra naturam ſunt poſſis ab eo expectare qui in philoſophando naturæ legibus ſemper eſt addictus? In quo potiſſima eſt & maxima inter hos in ea philoſophiæ parte diſſẽſio. Niſi forte pro Ariſtotelis Metaphyſicis potius habendi ſunt libri quatuordecim de ſecretiore parte diuinæ ſapientiæ ſecundum Ægyptios. Qui cum in huius operibus græcis nuſquam, quod ſciam, extẽt ſub huius nomine ex Arabum lingua ante annos quinquaginta latinè deſcripti & Romæ editi, non vulgarem Theologiam continent, nec à Platonica valdè alienam. Sed quia ſermonis impuritate rerum earum quę in illis tractantur confuſione ita erant contaminati, vt animus in bonis literis inſtitutus ab illis abhorreret, nuper dedimus operam vt hi magna ex parte, vel potius de integro recogniti, & noſtris ſcholiis illuſtrati in lucem prodirent. Platonis diuinitas quanquam frequẽter in vanam ſuperſtitionem labatur, pleráque tamẽ continet ex religionis noſtræ fontibus hauſta. In quibus facile ea potuit approbare quorum cauſas noſtri non reddebant: & pro ſuis vſurpare quæ aliena fide niti potius quam ſua ratione confirmari videbantur. Quoniam ex Timeo, vt Cicero ait, Pythagorea didicerat. In iis autem de magiſtri authoritate præiudicata opinio tãtum poterat vt ſi quid eius ſcholæ ſectatores diſputando affirmarent, cum ex eis quæreretur quare ita eſ-

ſet,reſpõdere ſolerent,Ipſe dixit:Ipſe autem erat Pythagoras. Scitum mihi videtur de hac comparatione, illud Iulij Scaligeri Commentario in lib.1.de plantis, diuinum eſſe Platonem & Ariſtotelem: illum tamen quod inueniſſet,authoritate ſola tãquam virum bonum, hunc nihil ſine ratione quaſi acerrimum iudicem ſtatuiſſe. Itaque, inquit, cum vtriúſque libros lego, ab vtróque ſcriptos arbitrari liber. Vnus enim ſpiritus & ſapiẽtiæ & veritatis. Alter pictior,alter compoſitior, ille ad apparatum, hic ad pugnam. Incitat ille animũ,hic explet. Nec vero minus placet quod de eadem comparatione ſcriptum eſt à Marſilio Ficino in quadam epiſtola,Errãt omnino,inquit,qui Peripateticam diſciplinam Platonicę contrariam arbitrantur. Via ſiquidem termino contraria eſſe non poteſt. Peripateticam vero doctrinam ad ſapientiam Platonicam eſſe viam comperiet, quiſquis recte conſiderauerit naturalia nos ad diuina perducere. Hinc igitur effectum eſt vt nullus vnquam ad ſecretiora Platonis myſteria ſit admiſſus,niſi Peripateticis diſciplinis prius initiatus. Et idem alio loco,Peripatetici,inquit,quanta vbique ratione naturalia diſpoſita ſunt, diligẽtiſſime diſputant. Platonici vero præterea quantum inſuper illi qui hæc numero,pondere & menſura diſpoſuit,debeamus oſtendunt. Quamobrem illi facile doctos efficiunt:hi præterea ſapientes atque beatos. Reliqua eſt tertia philoſophiæ pars quæ de vita & moribus. In qua cum ab auditore Socratis qui hanc inueniſſe ſolámque excoluiſſe dicitur, præclara omnia expectanda viderentur, quàm multa ſunt in iis quæ ad Remp.pertinent,omnino nefanda? Nam mulieres nudas ſpectantibus iudicibus ſaltare vult lib. 5. de Rep. vt hi ſtatuant quæ de illis ſint nubiles. Quanto verò melius Candaulis Regis vxor, viro imperanti vt nudum corpus oſtenderet, reſpondiſſe dicitur, mulierem ſimul cum tunica pudicitiam exuere? Atque ille eaſdem in iis quæ pertinent ad militarem diſciplinam exercendas arbitratur:vt ciuitas quaſi amphidextera, viris & mulieribus ad omnia munera expeditè vti poſſit. Prudentius verò Ariſt. in Oeconomicis, vxori imperat vt domeſtica tueatur & curet: viro vt externis laboribus rem quærat & comparet. In eóque Homerum ſequitur,apud quem Hector Andromachen vxorem ſic alloquitur.

Ipſa domum perge & quæ ſunt tua munera cura:
Telas atque colus ancillis penſa iubeto
Bella viri curent:merito queis bella gerenda.

Quid dicam de communitate rerum omnium quam ille vult inducere? Quæ vt fortaſſe in cæteris tolerabilis videri poſſit: in vxoribus tamen ſi reuera communes concubitus intelligas, communémque ex illis ſuſceptam prolem, ea eſt eiuſmodi vt non modo humanæ na-

turæ aduerſetur, ſed ei quoque quæ nobis cum vniuerſo animalium genere intercedit. Quare merito Platonici vt hac in parte magiſtri doctrinam cum aliqua probilitate ſaluam retinerent, eum locum interpretati ſunt non de concubitu, ſed de communi vxorum omnium & liberorum cura. Et certè Plato ipſe ſic interpretatus videtur initio Timæi. Communes nuptias liberóſque ſtatuimus, inquit, vt nemo natos ſuos diſcernat: ſed omnes ab omnibus conſanguinei exiſtimentur: dum æquales fermæ natu, fratres ſororéſque viciſſim ſe iudicant: maioribus verò patrum vel auorum reuerentiam exhibent: erga minores autem tanquam filios ac nepotes afficiuntur. Vt verò in reliquis quæ ad mores pertinent, permulta in Platone laudanda ſunt: at certè docendi methodo & eorum quæ ad hanc partem referuntur, diſtinctione, videtur ab Ariſt. ſuperari. Quoniam hic vitam ſingulorum in Ethicis primum inſtituit: Deinde familiæ regendæ rationem, in Oeconomicis. Poſtremo de ciuili ſocietate diſputat in Politicis. Quæ omnia ſine vlla diſtinctione à Platone in legibus & libris de Rep. erant expoſita. Quæ cum ita ſint, quanquam non modo in iis quæ ad res diuinas, pertinent (in quibus Platonem admirari ſolent) ſed etiam in reliquis, pleráque ab illis fœlicius inuenta ſint, quam ab Ariſt. hoc tamen vere prædicari poteſt, quod neſcio quo iure Euſebius cap. 1. lib. 11. de Euangelica præparatione ex Attico Platonico, Platoni attribuit, Ariſtotelem primum omnium philoſophiæ partes vſque ad ætatem ſuam, ſicut membra Penthei, diſiectas atque confuſas, ad vnum corpus reuocaſſe: atque ex illis quaſi integrum animal compoſuiſſe. In quo ſi quis ſingula accuratius obſeruauerit, nonnulla fortaſſe deſiderari poſſint, ſed in docendi perpetuitate diſputationiſque variæ & multiplicis ſubtilitate, non modo magiſtrum ſuperauit, verum etiam cæteris, quibus idem ſcribendi genus poſtea placuit, attingendi quod erat aſſequutus, ſpem omnem ademit. Sed iſtud profecto dolendum eſt, hunc in Platone exagitando dum verba magis quam ſententiam inſectatur, ſic plerúmque affici vt quãquam in eo veritatis inueſtigandæ ſtudio vinci ſe dicat cap. 6. lib. 1. Ethic. ex eius tamen reprehenſione eáque frequenter non ſatis iuſta, priuatam gloriam potius quam cum publica vtilitate, veritatis cognitionem quærere videatur. Quid igitur? An in magiſtri ſententia intelligenda eum labi, aut illius odio vanóue contradicendi ſtudio hanc contentionem inſtituere exiſtimabimus? Difficile eſt hoc in eo credere qui Platonem annos viginti, & plus eo audiuit, quique huic mortuo vt philoſophorum Deo, aram extruxit. Sed hoc fortaſſe potius hominem laudis cupidum vrebat, quod mortuo Platone & Speuſippo nepote eius ex ſorore, aliquot annis docendi munere in Academia per-

functo, Xenocratem condiscipulum videret summa laude florẽtem, quam ex eo consequebatur quod in eadem schola quæ à magistro acceperat, omnia retineret illísque docendis audientiũ animos in se conuerteret. Quare vt Isocratis Rhetoris gloria cõmotus, ludum aperuit, atque ut Fabius ait, Pomeridianis scholis hanc profiteri cœpit, quòd turpe esse diceret illo loquẽte tacere: sic nõ tam magistri odio, quam cõdiscipuli æmulatione, veteris Academiæ doctrinã exagitasse videtur. Vt scilicet hac specioſa rerũ nouitate, iuuentutẽ ab illo abduceret eandémq; in suam scholã alliceret. Nam inter condiscipulos frequentes eiusmodi æmulationes grauibus contentionibus, etiã cum acerbitate, inflammatas, solere excitari in multis aliis reipsa est cognitũ, atque in ipso Patone à nonnullis obseruatũ. Siquidẽ hic cum alios coequales in multis Dialogis honorificè soleat nominare, nullo loco Xenophontis cõdiscipuli mentionẽ fecisse dicitur. Idque, sicut credi par est, ne eundẽ suis scriptis nobilitaret, aut immortalitati consecraret. Sicut & contrà, vix vsquã Xenophon Platonẽ nominat. Imo in institutione Cyri contra huius Remp. omnibus aliis imperiorum formis regiã potestatem anteponit. De quo tamen apud illũ lib. 3. de legibus, hæc Athenienſis hospes. De Cyro, inquit, ita vaticinor. In cęteris quidem ipsum & ducem bonũ & ciuilis vitæ amicũ fuisse: rectã verò disciplinam nullo pacto attigisse: nec ad rei familiaris administrationẽ animũ vnquam applicuisse. CL. Cur ita? ATHE. A iuuenta per totam vitã militia occupatus, mulieribus filios tradidit educãdos. Quę ipsos vt fœlices statim pueros atq; beatos, nullius indigentes rei, sic educabant vt prohiberent ne quis eis, vt pote beatis, aliqua in re aduersaretur: cogẽtes omnes quicquid ipsi dicerent aut facerẽt laudare. Quę si vera sunt quis non animaduertit in explicãda institutione Cyri à Xenophonte philosopho, dum Platoni condiscipulo vult contradicere, veritatis testimoniũ merito desiderari? Vt scilicet iure dictum videatur à Cicerone lib. 1. epistolarũ ad Q. fratrẽ, illam nõ ad historiæ veritatẽ, sed ad effigiẽ iusti imperij esse descriptam. Sicut & idem Xenophõ fortasse Platonẽ arguit cum in cõmemorandis dictis & factis Socratis atque in huius apologia tota via eos errare docet valdéque ineptire, qui Socratẽ de cœli naturæque rationibus occultis disputantẽ inducunt. Quare si quid in hoc ab Arist. peccatũ est, in quo, sicut ex sequentibus intelligetur, difficile est illum omni culpa liberare, cum maximis viris cõmune peccatũ est: & in quo vel philosophorũ principes facile capit veritatis obliuio. Nisi fortè id existimare mallumus quod scribit D. Thomas Cõmentario in libros de animo, perspectam quidẽ Arist. fuisse Platonis sententiã: sed illum in omnbus cauere voluisse ne auditores in illa abdita, popularibus verbis tritóq; loquendi

genere fallerẽtur. Quòd etiã ſcribit Beſſario Cardinalis ca.7.lib.2.cõtra Trapezuntiũ. Sed de vtriuſque philoſophi cõſuetudine ſatis. Nũc ad ea veniamus quæ propria ſunt noſtro authori & ei libro quẽ nũc habemus in manibus. Compendiaria hæc eſt vniuerſæ doctrinæ Platonicæ ſecundum tres philoſophiæ partes diſtributa deſcriptio. Quæ duobus hominũ generib⁹ vtilitatẽ eſt allatura. Rudes enim in ea quaſi in tabula, magni operis quod ab ipſo Platone multis dialogis abſolutũ eſt, primas lineas cũ aliqua voluptate intuebuntur: eáq; ad eius doctrinæ, quæ nunc tantum adũbratur, perfectiorem cognitionem excitabuntur. Qui autem in ipſo Platone diu multúmque erunt verſati, ſic ſuorum ſtudiorum quaſi ſummam facient: & in prẽteriti laboris maximo fructu, iucundiſſima recordatione perfruentur. Sed hoc ad Alcinoi modeſtiam pertinet, quod vt rudibus potius liber hic ſcriptus videretur, εἰσαγωγὴν appellauit; quaſi rudimentũ, vel rudem inſtitutionem, quæ ad Platonis doctrinam viam tantummodo paret. Sic enim de hoc libro loquitur extrema pagina. Hæc vero, inquit, vt ad Platonis doctrinam via paretur, ſatis abundè dicta ſint. De quibus quędam fortaſſe ſuo ordine, alia extra ordinem ſparſa: ſic tamen ſunt omnia expoſita vt ſuperiorum ſpeculatione ad ea quæ ex illis conſequuntur & ad reliqua eiuſdem decreta paratiores efficiamur. Quo etiam modo quidam (quod apud Ciceronem eſt lib.1.de finibus) dicebat ſe Tarentinis, Conſentinis & Siculis ſcribere: quòd doctorum iudicium reformidaret. De Alcinoo perpauca ab aliis accepimus. Vt liber hic ſuo lumine ſplendeſcere potius, quam authoris nomine celebritatem vllam accipere videatur. Illum Conradus Geſnerus in ſua Bibliotheca, ex hoc ſolo libro agnoſcit. In cuius græco exemplari tria capita deeſſe ait, quę in interpretatione Marſilij Ficini ſunt 26.27.& 28. Hęc autem, pace eius dixerim, à Ficino, neſcio qua ratione, tranſpoſita tantum erant & à nobis in ſequentibus ſuo loco repoſita. Volaterranus lib.13.ex Suida commemorant Alcinoum philoſophum Platonicum epitomẽ ſcripſiſſe decretorum Platonis à præſule Tropienſi poſtea in latinum conuerſam. Sed quis hic fuerit, quo loco natus, aut quo tempore vixerit (quoniam hæc ad authoritatem ſcriptorum & intelligentiam pertinent) quæſiui quidem ſedulo: nihil tamen adhuc potui conſequi præter leuem coniecturam, quam lectori indicabo: vt de ea pro ſuo arbitrio iudicet. Cum ad comparationem doctrinæ Platonis cum iis quæ ad noſtram religionem pertinent, libros varios curſim euoluerem, incidi forte in Euſebij cap.11.lib.11.de Euangelica pręparatione. In quo magnam partem cap.10. libri huius citat ad verbũ, aut certe perpaucis mutatis, atque his eiuſmodi vt in eis, ſicut in aliis permultis, exemplar Alcinoi quod ſequuti ſumus, deprauatum poſſis

ſuſpicati. Sed authorem nominat, Didymum, non Alcinoum. De quo ſic loquitur. Hæc Plato in Timæo. Quorũ ſenſum ab eo libro Didymi ſumam quem inſcripſit, de placentibus Platoni. Determinata, inquit, ſenſilium exemplaria, ideas appellat, ex quibus ſcientiam & definitiones fieri cenſet. Præter enim ſingulos homines, hominẽ quendam intelligi & præter equos ſingulos, equũ, ac communiter præter hęc animalia, animal nec generabile, nec corruptibile. Vt quemadmodum ab vno ſigillo multa ſignantur & vnius viri multæ imagines: ſic ex vnaquaque idea, ſenſilium corporum naturę quamplurimæ efformentur. Eſt autem idea perpetua ſubſtantia cauſa & principium vt ſingula talia ſint, qualis ipſa eſt. Et quemadmodum primitiua ſenſiliũ exemplaria ad hęc corpora præcedunt: ſic quæ omnia in ſe ipſa continet pulcherrima atque perfectiſſima, huius mundi exemplar eſt, ad quam creatore deo, ab vniuerſa ſubſtantia mundus ſimillimè eſt formatus. Quod cũ animaduertiſſem cæpi inquirere quis fuiſſet ille Didymus: atque deprehendi hunc in Alexandria vixiſſe temporibus Euſebij: vt mihi minus iam fit probabile hũc, cum recens eſſet adhuc memoria, in illius nomine aut ſcriptis commemorandis eſſe deceptũ. De illo verò hæc refert D. Hieronimus in Catalogo ſcriptorũ eccleſiaſticorum. Didymus Alexandrinus, captus à parua ætate oculis & ob id elementorum quoque ignarus, tantum miraculum ſui omnibus præbuit vt dialecticã quoque & Geometriam, quæ vel maximè viſu indiget, vſque ad perfectum didicerit. Is plura opera & nobilia conſcripſit, Commentarios in pſalmos omnes, Commentarios in Euangelium Mathæi & Ioannis, & de dogmatibus & contra Arrianos libros duos & de ſpiritu librum vnum quem ego in Latinum verti, in Eſaiam tomos decem & octo, in Oſeam ad me ſcribens, commentariorum libros tres, in Zachariam, meo rogatu, libros quinque & infinita alia quæ digerere proprij indicis eſt. Viuit vſque hodie & octogeſimũ tertium ætatis exceſſit annum. Idem prefatione in epiſtolam ad Epheſios, fatetur ſe Alexandriam adiiſſe vt hunc videret: ab eóque in ſcripturis omnibus quę habebat dubia ſciſcitaretur. Ttitemius abbas cum D. Hieronimo inter eiuſdem libros commemorat vnum de dogmatibus. Neſcio an non hic ſit, in cuius interprætationem nunc incumbimus. Fuiſſe autem Didymum cæcum, qui lucifer appellatus, doctrinæ Platonicæ (cuius hæc vniuerſa deſcriptio eſt) maxime ſtudioſum, hoc indicare poteſt: quod cum eſſet interrogatus à Ruffino quare moriantur infantes, cum propter peccata corpus acceperint, vno libro illi reſpondit, quòd ex Platone didicerat, eos non multa in altera vita peccauiſſe, atque idcirco carceres tantùm attigiſſe, vt ſcribit Hieronymus in epiſtola ad Ruffinum. Quare etiam hic in apolo-

gia ad eundem Ruffinum, se excusat quòd Didymum præceptorem agnosceret, qui cum Origene, Platonicis minimum oblectari videbatur. In Didymo, inquit, & memoriam prædicamus & super Trinitate, fidei puritatem. Sed in cæteris, in quibus Origeni malè credidit, nos ab eo retrahimus. Et Socrates cap. 25. lib. 4. de historia Ecclesiastica, scribit hūc Arrianis fortiter & acutè restitisse & inter alia multa scripsisse commentarios in libro Origenis de principiis, magna ex parte Platonicos: quibus illa bene esse scripta & præter rationem cōtendere eos probat qui Origenem in illis reprehēdunt, nec eos huius viri prudentiam intelligere. Commendat præterea in illo doctrinæ peripateticæ cognitionem Theodoretus cap. 29. lib. 4. historiæ, Didymus, à puero, inquit, sensu oculorum priuatus, disciplinis poëticis ac rhetoricis instructus fuerat, perceperatque auribus Arithmetices, Geometriæ, Astronomiæ præcepta: nec non Syllogismos Aristotelis & Platonis facundiam: non quasi illis veritas doceretur, sed quòd hæc arma essent quædam veritatis contra mendacium. Qua ratione factum soleo suspicari vt libro hoc Peripatetica pleráque pro Platonicis vsurpentur. Qualia sunt in prima philosophiæ parte ea quæ de tribus formis ratiocinationum & de Analyticæ methodi variis partibus commemorantur. Atque nescio quo modo genus ipsum scribēdi authoris cęcitatem indicat. Si quidem hæc dictata videntur ab homine in Platone exercitatissimo: qui eius libros ob oculos non haberet, sed ex ipsa memoria omnia repeteret. Eóque effectum est vt in nonnullis locum ex quo deprompta sunt exprimat, in pluribus, inuestigandum relinquat. Quòd in huius interpretatione maximam difficultatem parit. Qua coniectura si hoc consequimur vt ex officina illius magni Didymi Luciferi, Alexādrini, qui D. Hieronymi & Ruffini præceptor fuit, & vt ait Nicephorus Callistus lib. 9. historiæ ecclesiasticæ, pro decretis Nicenis pugnans, Arrianis doctè & fortiter restitit, liber hic prodiisse videatur, quid maius ad eius commendationem afferri potest? aut qua ratione amplior illi authoritas, in iis præsertim exquirendis quæ ad Platonis diuinitatem pertinent, conciliari? Sed de authore abunde satis: nunc ad huius libri distributionem veniamus. Postquam de philosophia déque his quæ futuro philosopho sunt necessaria, pauca præfatus est, & contemplationem actioni suapte natura anteponendam docuit, nonnunquam tamen illa intermissa, sed semper animo retenta, philosopho ad actionem esse veniendū: eius studium in tres partes distribuit ex ipsius philosophiæ diuisione natas. Quarum prima artes logicas complectitur: secunda, ea omnia in quibus est posita veritatis contemplatio: tertia, quæ pertinent ad vitam & mores. Quas cum eodem ordine ita explicet vt in singulis

Platonem maximum videri velit, artium logicarũ appellatione rhetoricam & dialecticam, vt opinor, complectitur. Quod hæc partim rationis sint, partim orationis, etsi non eodem modo. In quo quid inter eas interſit, poſtea explicabitur. Dialecticæ modo diſſerendi artificium tantum ſubiicit: modo ex Platonis conſuetudine, rerum omnium cognitionem. Atque ipſum diſſerendi artificium ita diſtribuit vt in eo Ariſtotelem potius quam Platonem ſecutus videatur. Eorum tamen quæ ad vnius artis formam ab Ariſtotele reuocata ſunt, & in præceptis poſita, vſum in Platone doceat & variis huius exemplis illuſtret. Credo quòd animaduerteret nihil amplius hac in parte illi poſſe attribui. In ſecunda autem quæ ad veritatis contemplationem pertinet, complectitur artes Mathematicas, Phyſiologiam & diuinam ſapientiam. In quibus cum varia ordinis ratio teneri potuerit, hic primum de artium Mathematicarũ vtilitate diſſerit, ex libris de Repub. & Epinomide. Secundo loco de diuina ſapientia, in qua ex diuerſis eiuſdem dialogis, ſed maximè ex Timæo & Parmenide, abundè explicat tria rerum omnium principia, materiam, Idęam & opificẽ Deum. Tertia de naturalibus. In quibus eandem diſtributionem ſeruans quã Plato in Timæo, agit de mundi idea, de huius in ſenſum cadentis magno corpore & animo: poſtremo de homine vt minore quodam mũdo. Atque de mathematicis quidem primo loco, ſiue quia in illis breuiòr eſſe volebat, ſiue vt Platonicorum opinionem ſequeretur: qui arbitrati ſunt in formis mathematicis abſtrahendis, futuri philoſophi animum primum eſſe exercendum eáque exercitatione ad omnem veritatis contemplationem erigendum. Quæ ratio ordinis pluribus à nobis eſt expoſita cõtra Theſſalũ, noſtris prælectionibus in Spheram. De diuinis autem prius agit Alcinous quàm de naturalibus (ſicut poteſt intelligi ex fine cap. 11.) vt ex illis tanquam ex primis fontibus, naturalia repeteret. Quãquam alij noſtrę imbecillitatis rationẽ habentes, hæc ad illa tanquam ad finem referunt. Quoniam, vt etiam docet apud Platonem Socrates in Phedone, ea ſola naturæ contemplatio laudabilis eſt, in qua omnia ad deum referuntur: vt ex variis rebus effectis tanquam ex vmbris, huius vera cognitio quæratur. Hac enim ratione Ariſtoteles ea in quibus iſta diuina conatur explicare, Metaphyſica videtur appellaſſe. Tandem verò noſter Alcinous deſinit in eam partem quæ de vita eſt & moribus: non apto quidem ordine ſi id ſpectes quòd Platonici dicere ſolent animum prius quam in contemplationẽ erigatur, repurgandum eſſe & à corpore, id eſt ab iis perturbationibus quas affert corporis contagio, ſecernendum: atque ita in eius mortis, de qua in Phedone idẽ Socrates loquitur, meditatione exercendum. Sed hac ratione non ineptè, quod cum & in

Metaphyſica.

contem

contemplatione & in actione omnia ad deum referre debeamus: in contemplatione quidē vt ad veritatis fontem, in actione verò vt ad ipsum bonum: longè potentior sit ipsius boni vis quàm veri. Adeo vt ne verum quidem expectamus nisi vt rationem quandam boni obtinet: quemadmodum in sequentibus suo loco disseretur. In iis autem quæ ad mores pertinent colligendis ita versatur vt quædam ad singulorum vitam conformandam, nonnulla ad domesticam societatē, alia ad ciuilem pertineant. Quoniam & inter hæc ordo quidam est, nec quisquam potest ciuitati cum laude præesse, nisi qui familiæ bene præest: neque verò familię præesse, nisi qui sibi imperat & perturbationes eas quæ de parte animi inferiore exoriuntur, longa consuetudine redegit in rationis obsequium, per eas virtutes quæ vt Aristoteles ait cap. 1. lib. 1. Ethic. inde morales sunt appellatæ. Cum verò ea quæ hoc libro ad vniuersam philosophiam pertinent ex Platone desumpta sint, magnaque sit scriptorum eius varietas, nec in hac omnia apud nos eandem authoritatem habere debeant: de illis etiam pauca hoc loco sunt dicenda: vt cum in sequentibus indicauero ex quibus dialogis singula collecta sint, simul etiam intelligatur quam verè hæc Platonis dogmata siue decreta, vel selectæ sententiæ esse dicantur.

Antiquissima est scribēdi ratio per dialogos: cuius inuentorem nonnulli fuisse tradunt Zenonem Eleatem. Eaque vel ob hanc commoditatem imprimis commendabilis, quod alternis interrogationibus & responsionibus, quibus illa constat, non modo melius quam in ipsius orationis perpetuitate, quę cuiúsque sententia sit cognoscatur: sed etiam breuius atque distinctius quòd contra hanc afferri potest, explicetur. Hanc Plato & Xenophon sic excoluerūnt, vt ad summum perduxisse videantur. Sed apud Platonem vt dialogorum varia sunt genera, sic in omnibus non idem pondus sententiarum esse debet. Nō enim solum ex his quidam ad Physiologiam petinēt, vt Timæus: alij ad Logicem, vt Politicus, Cratylus, Parmenides & Sophista: nonnulli ad vitam & mores vt Criton, Phedon, Phedrus, Symposium, Menexenus, Clitiphon, Philebus Hipparchus (Sic enim hos Diogenes Laertius distinxit lib. 3. de vitis philosophorum) sed, vt docent Fabius cap. 16. lib. 2. & Marsilius Ficinus in Lysidē Platonis, pro huius vario instituto & earum personarū quas loquētes facit, distinctione, quidam dogmatici esse dicuntur, quibus scilicet Socrates cum amicis disputans, id agit vt suá sententiam de his quę sunt in quæstione, seriò explicet. Alij positi in exagitanda opinione Sophistarū: In quos arrogantissimos & ad quęstum & gloriā, omnium rerum cognitionē per vniuersam Græciam profitentes, Socratis ætas inciderat. Tertij verò generis sunt qui ex illis duobus mixti, & in quibus fere accidit vt ille

cum discipulis Sophistarum disputans, primum confutando, falsam scientię persuasionem quam ex magistrorum schola hauserant, conetur de eorum animis euellere: deinde recta docendo, errantes in rectam viam reducere. Hoc enim modo in Menone cum Gorgiæ discipulo disputare videtur. Ergo quoniam hoc libro id agimus vt ex vniuersa Platonis doctrina nobilissimas sententias seligamus, aut potius vt ad eas exactius intelligendas viam paremus, permagni interest ex quibus dialogis hæc deprompta videantur: aut in quarum personarum sermonibus obseruata. Vt enim in dialogis Oratoriis ad Q. fratrem non ex Ciceronis mente ea profecta putantur quæ M. Anthonio artem dissimulanti, aut etiam exagitanti tribuuntur: sed quæ ab eo dicuntur qui in illo sermone primas partes obtinet: sic quanquam Platonis ore Socrates loqui dicatur, non omnia tamen Platoni probantur quæ à Socrate disputantur, sed ea tantum quæ tum ille affirmat cum nullam adhibet in disserendo dissimulationem. Qualia verò ista aut ex quibus dialogis ab Alcinoo collecta, dabimus operam vt in singulis postea intelligatur. Nunc illud monuisse satis fuit sine quo in sequentibus error vitari non potuit. Atque quoniam de Arist. & Platone déque hoc opere quãtum quidem videbatur, sumus loquuti: reliquum est vt cum lectore de huius commentationis nostrę ratione atque instituto, aliquanto familiarius agamus. Ego quidem cum de interpretando Alcinoo primum cogitare cæpi, meminеram me ante annos aliquot in priore nostra descriptione physica nescio quid pollicitũ de cõparatione Platonis cũ Arist. præsertim in ea parte quę de animi natura, distributione, & singularũ partiũ sedib⁹ varias quæstiones cõtinet. Et ad eã rẽ explicandã ex variis Platonicis atq; Peripateticis, maxime verò ex Gal. lib. de decretis Hippocratis & Platonis iã satis multa collegerã, quorũ cõmunicatio certè rudib⁹ nõ ingrata fore videbatur. Quare cũ in hoc authore nactũ me occasionẽ gauderẽ, in qua nõ modo illa effunderem, quæ tũ mihi erãt abdita, sed eodẽ labore ingeniũ exercẽdo nõnihil fortasse fructus afferrẽ, atq; industrię gratiã pararẽ: nõnullis hac in parte meũ studiũ indicare cæpi: nõ tã, vt quòd verũ est fatear, consiliũ ab illis expectãs, quã vt cũ id me facturũ apud illos recepissem, inde pedẽ referre nõ liceret. Sũ enim eiusmodi vt cũ multa instituã, ea variis cogitationib⁹ facile patiar interrũpi nisi me in instituto retineat meorũ quotidiana efflagitatio. Sed fuit illa profecto iuuenilis cogitatio & in qua lõgè aliter experiũdo res cessit, quam ipse mecũ eram in deliberando ratiocinatus. Nã præterquam quod hoc libro ad quæstionẽ de animo, in qua me exercueram, alia permulta accedunt quæ Pythagoreorum & Platonicorũ in vniuersa philosophia, summa mysteria esse putantur: alia etiam diffi-

cultas ex eo naſcebatur, quod hic ab homine in Platonica doctrina patrum noſtrorum memoria exercitatiſſimo, non ſatis fideliter de Græcis Latinus factus videbatur. Neque verò, vt ingenuè fatear, in me ea linguæ Græcæ facultas, vt etiam ſi in ſententia peccatum ab illo facere animaduerterem, poſſem ipſe perficere quòd in eo deſiderabam. Quibus rationibus ſic ab opere quod confidenter inſtitueram, reuocabar, vt quanquam cum eius primas lineas nõnullis ſpectandas propoſuiſſem, illi quotidie neſcio qua vtilitatis ſpecie allecti, ad perficiendum hortarentur, in eo tamen mihi non ſatisfacerem, quod nec omnia per me præſtare poſſem quæ ad confectionem operis erant neceſſaria, & vt illa in me ſita eſſent, non tamen ignorarẽ quanto cum periculo nominis & famæ coniuncta eſſet alieni operis commentatio. In qua quaſi in alieno ſolo ædificatur & in eas anguſtias animus contrahitur, vt de his plerúmque dicere cogatur in quibus minimè eſt exercitatus: nec in ea ſine vitio poteſt excurrere quæ habet maxime familiaria. Quid verò ſi adieceris immenſi laboris fuiſſe iudicare ex quibus Platonis dialogis ſingula ab Alcinoo ſunt deprõpta? Quod cũ primum eſſem aggreſſus & multa ſæpius quærenti atque euoluenti in eo diuinandum eſſet quod aſſequi caſus potius quam eruditionis eſſe videbatur (ſic enim indoctiſſimus quiſque in eum locum frequenter incidit, quem doctus diu quæſitum inuenire non potuit) ad extremum in eo quod totius laboris minimam partem continebat, ita defeſſus viſus ſum, vel potius fractus vt Pythagoreorum Platonicorúmque doctrinam animus auerſaretur non aliter quam crudus ſtomachus ac redundans, cibos ſuapte natura ſuauiſſimos. Sed vide candide lector, quanti te tuáque ſtudia fecerim. Quod antea ludens obſeruaueram interpretandis de Italorum vernaculis, duobus libris, vno de animi immortalitate altero de elementis, vt ſcilicet aliorum opera adiutus rudem primum illorum ſententiã colligerem, deinde eam pro mea facultate perpolirem, idem in huius libri explicatione exiſtimaui faciendum. Nam quæ ad intelligendam authoris mentem pertinebant, ea certum fuit vel mendicare potius hoſtiatim, quã quicquam tibi hac in parte deeſſet. Deinde quæ ab aliis acceperam conatus ſum omnia facere meliora. Atque hoc prima editione fortaſſe erã conſequutus, vt ſi non omnino adhuc expreſſa eſſet Alcinoi ſentẽtia: in multis tamẽ partibus fidelius quam à Marſilio Ficino reddita poſſet videri. De ſuauitate orationis in hoc præſertim commentario in quo multorum philoſophorum magis in rerum cognitione eruditorum, quam in verbis ornatorum, ſententias placuit ad verbum recitare, nihil dico. Quoniam res eſt eiuſmodi vt ſit contenta doceri, & vt Cicero ait, eloquentia à Philoſopho ſi affertur, aſpernando nõ eſt:

si eam non habet, non admodum flagitanda. Imo ea persuasione in plerisque vti volui tritis in philosophorum schola vocabulis: etiam si ea delicatæ nostrorum Logodædalorum aures respuerent. Ne in illis immutandis affectata diligentia, rebus atque sententiis suum pondus adimeret: Quod vtinam quidam mihi condonare potuisset. Equidem is qui nunquam antea à nobis læsus fuerat, nisi fortè in eo quod alacriter Thessalo restitimus ad cuius causam animum adiecerat, laborē nostrum in hoc authore interpretando & illustrando æqui boníque consuluisset, ac mihi tempus dedisset ad ea recognoscenda in quibus plerique sciebāt me mihi non satisfacere. Et certè id facere is debuisset qui suos fœtus ipse non solet, nisi lambendo perficere, quique in his sibi licere vult in dies mutare quidlibet. Aut si potius in hoc authore iuuare his voluisset, quæ putabat habere se nostris meliora, debitam gratiam egissem & hoc beneficium ab illo acceptum, semper præ me tulissem: prædicassem etiam apud omnes, ad quos eius pars maxima erat reditura. Sed hoc profecto fuit permolestum & tamen vsque adhuc à nobis dissimulatū, quod cum in hoc interpretandi cōmētandíque studio verborum sapientiam semper aliis concessissem, in rerum cognitionem ab ineunte ætate incubuissem, de hísque aliorum Philosophorum iudicia non modo nunquam reformidassem, sed hæc ipsa vt essent libera, expetiuissem, quo multorum opinionibus examinādis nostra facultas in dies crescerer, posterioréque cogitationes prioribus essent meliores: contra nos hic exortus est qui cum in rebus quæ ab hoc authore tractātur valde rudis ne hiscere quidem audeat in quorundam verborum interpretatione à nobis dissentiens id agit vt omnium philosophorum nostræ ætatis, princeps habeatur. Atque in hoc vt teneris ingeniis facilius imponat, editis scholiis in librum hunc, Platonis dialogos ex quibus ista Alcinous deprompsit, singulos iudicat & hac arte in illius doctrina exercitatissimus vult videri. Quod tamen sciunt permulti qui nos ante annos octo ista explicantes audiuerunt, prius à nobis fuisse confectum, quam hic Alcinoum attigisset, & ex nostris prælectionibus per nescio quos emissarios, ad eundem esse delatum. Vt merito cum Poëta dicere possim,

Hos ego composui versus, tulit alter honores
Sic vos, non vobis, & cætera. Notum enim carmen est.

Addit verò etiam, se si quando suis occupationibus relaxatus fuerit difficiliores huius authoris locos ex Platone & Arist. illustraturum & quid inter hos conueniat, quid non, dilucidè expositurum. Quod quidem tempus si aliquando futurum existimassem, lubens profecto expectauissem: vt experirer quid verborum artificio, ad rerum sentētiarúmque examen afferre posset. Sed ego huic, qui tam sæpe prouo-

cando, respondendi necessitatem nobis imposuit, seorsum postea ad finem operis huius respondebo. Quoniam in hoc, in quo non dubito profiteri, me multorum annorum quos in philosophiæ studio posui fructum collegisse, istiusmodi hominis nugis examinādis nullus omnino locus esse potest: ne pluris factum se arbitretur quā decuit. Nūc verò omnes philosophię professores etiam atque etiam rogabo ne ea contentione offendantur: néue ex leuiore aliqua particula, de toto opere pronuntient. Quis enim corpus in reliquis bene conformatum, vnquam ex eo reprehendit quod in eo neuus aliquis appareret? Sed si quis eorum, à me in rebus variis de quibus hoc Commētario pronūtiandum fuit, dissenserit, de eoque contra nos suam sententiam scriptis testari voluerit, modestiam adhibeat, omnē acerbitatem fugiat. Et quanquā fortasse grauē obiurgationē crassa in multis nostra ignorantia promereri videatur: hoc tamē potius cogitet quid musis, quid philosophorū ordini, quàm quid mihi debeatur. Atq; ita vna eadémque opera perficiet vt ego cum aliis fructum eruditionis in illo percipiā, nec modo tacitus agnoscam, sed apud omnes prę me feram & pro eo gratiā immortalē habeam. Quod non eo dico vt culpā ante peccatum deprecer: sed quod in istis rebus de quibus vsque adeo dissidētes sunt grauissimorum virorū sententiæ, valdè placeat modesta & verecunda libertas nouorū Academicorū, ab incertis assensionē cohibentium, indies viuentiū, & probabilia cōiectura ita sequētium, vt nihil tam indignū esse putent sapiētis grauitate atq; constantia quā aut falsa sentire, aut quod nō satis explorate perceptū sit & cognitū, sine vlla dubitatione defendere. Reliquū vnum est quod nos etiā præfari oportuit, multa esse in hoc libro ad diuinā sapientiā pertinētia: in quibus Platonis doctrina cum religione nostra cōparari potuit accuratius: vt de Deo, de Dæmonibus, de animi immortalitate, de fato, de arbitrij libertate. Sed nos in illis modū seruare, aut etiā infrà modum cōsistere certis rationibus volumus. Primum quidē quod ea vel à nostra professione aliena, vel certè supra hāc esse videātur. Deinde quod hominē in talibus quæstionibus hoc tempore nimiū controuersis, nō valdè exercitatū, parum deceat de sanctissimis rebus definire: in quibus si publicæ persuasioni summa antiquitatis cōsensione firmatæ tātum semper esset tributū quantū viri boni tribuendū existimant, trāquilliora omnia in Rep. Christiana antea extitissent & minus adhuc hodie in sedandis ciuilibus discordiis laboraremus. Quanquā in pleríſq; cum Platonicis D D. Hieronymi, Augustini, Tertulliani, Origenis, Theodoreti, Eusebij, Thomæ scripta sedulo cōposuimus. Non in alienā messem manū immittētes (neq; enim quicquam in illis nostro iudicio statuimus) sed in nōnullis declarare volētes quod antea ex D.

Auguſtino commemorauimus, Platonis doctrinam paucis mutatis, Chriſtianam videri poſſe. In aliis verò intelligi quoque à noſtris oportuit creſcente adhuc noſtra religione, vel etiam quaſi in ſuis incunabulis vagiente, pleróſq; in rebus ſacris alioqui maximos Platonis nimio ſtudio eſſe deceptos. Ne fortè cum illa iã, vt arbitror, ad ſummum perducta ſit, eodem vitio noſtra ætate incipiat ſeneſcendo repueraſcere. Quæ omnia quantam vtilitatem tibi, Candide lector, allatura ſint pronuntiare non eſt meum: ne magni videar meas nugas venditare. Huius rei euentum fortuna tuáque beneuolentia præſtabit. Viuent hæc & legẽtur, ſi genium habuerint. Placebunt & proderunt, ſi tibi ita videatur. Neque enim quiſquam eſt tam malus ſcriptor ex quo non poſſit aliquam vtilitatem referre qui eum legit animo beneuolo. Sed ſi quid optando conſequimur, illud modo precabor, vt tantã in legendo vtilitatem ſentias quantam ego in ſcribendo difficultatem atque moleſtiam. Sin minus, vt hoc ſaltem cogites ei deberi aliquam gratiam qui prodeſſe voluit omnibus.

SEQVVNTVR ARGVMENTA

DIGRESSIONVM QVAE HOC commentario continentur.

1 De methodo, quæ continet disputationes duas contra Thessalum Academiæ Parisiēsis methodicum. in cap. 5.

2 De ideis & vniuersalibus, in cap. 8.

3 De Deo, in qua contra eiusdem Thessali methodici calumnias Aristotelis doctrina defenditur, in cap. 9.

4 De dæmonibus, An corporei & quomodo ad nos se habeant réſque humanas cognoſcant, in cap. 13.

5 De metempſycoſi Pythagorica, eodem capite.

6 De ſede partis vel facultatis animi principis, Vtrum in cerebro an in corde, in cap. 14.

7 De modo videndi & de natura oculorum, in cap. 15.

8 De reſpiratione, an inſit piſcibus & cuius facultatis actio, in cap. 16.

9 De origine animi, de diſtinctione partium vel facultatum principum déque harum ſedibus, in cap. 17.

10 De animorum immortalitate. In qua Platonis rationes omnes cum Peripateticis conferuntur, in cap. 18.

11 De Fato, an ſit & in quo ſit, in cap. 19.

12 De arbitrij libertate, & vtrum hæc cum Fato poſſit cõſiſtere, eodem capite.

ALCINOI PHILOsophi, ad Platonis doctrinam institutio.

A PRÆSVLE TROPIENSI PRIMVM deinde à Marsilio Ficino, de Græcis conuersa: nunc verò de integro recognita & latina facta.

PER IACOBVM CARPENTArium Claromontanum Bellouacum.

Quid philosophia sit, quid philosophus & quibus hunc à natura instructum esse oporteat: quæque suo labore ad naturæ dotes adiicere.

Cap. 1.

Sententiarum ex Platone maximè selectarum, doctrina quædam eiusmodi cõstituatur. Philosophia est vehemens sapientiæ appetitio:[2] *vel solutio atque auulsio animi à corpore,*[3] *cum ad intelligibilia & ad ea quæ verè sunt, conuertimur.* [4] *Sapientia verò diuinarum humanarúmque rerum scientia.*[5] *Philosophus autem est qui ab illa nomen accepit, quemadmodum à musica musicus.* [6] *Natum verò eum primum quidẽ ad mathemata esse oportet*

tet, vt ad eam cognitionem facilis & promptus sit, quæ essentiæ non incertæ aut fluentis, sed in solam intelligentiam cadētis:[7] *deinde ad veritatem ita se habere, vt huius amore ardeat, à mendatio abhorreat. Natura etiam quodammodo temperantem esse, & parte animi inferiore quæ suis motibus contrà rationem efferri solet, contracta atque huic obsequente. Quoniam mathematum auidus, circa ea, quæ sunt, & ad hæc, appetitionem suam cōuertens*[8]*, voluptates corporis non admirabitur. Futurum quoque philosophum animo liberali esse decet. Quia in humilibus & sordidis affectata diligentia, maximè contraria est animo qui diuina & humana est contemplaturus. Illúmque ad iustitiam natum esse oportet:*[9] *si quidem & ad veritatem, liberalitatem atque temperantiam. Adesse quoque ei ingenij docilitatem & memoriam. Quia hæc philosophum etiam informant. Ad quas naturæ dotes, cum recta educatio & institutio accesserunt, perfectum ad virtutem declarant.* [10] *Illæ verò neglectæ, ingentiumm alorum sunt causæ.* [11] *Quas sola vocis communione cum ipsis virtutibus, temperantiæ, fortitudinis & iustitiæ nominibus Plato solet exprimere.*

IACOBI CARPENTARII COMMENtarius in caput primum Institutionis Alcinoi, ad doctrinam Platonis.

1 Vniuersæ philosophiæ summam ex Platonis doctrina, quæ varia est & multiplex, descripturus libro hoc Alcinous, ab ipsius Philosophiæ definitionibus ducit initium: vt ex iis intelligatur quale sit, quod in illius libris quæritur. Deinde ex 6. de Rep. Platonis ea enumerat quæ ad philosophi perfectionem partim ab ipsa natura expetenda sunt, partim doctrina rectáque vitæ institutione & consuetudine paranda. Nam vt agri non omnes frugiferi sunt, qui coluntur: vtque (quod Cicero ait 2. Tusculana) falsum est illud ac improbe dictum,

Etsi in segetem deteriorem dat æ
Fruges, tamen ipsæ suapte natura enitent.

Sic nec omnes animi culti, fructum ferunt. Et quemadmodum ager quamuis fertilis, sine cultura fructuosus esse non potest: sic nec animus sine doctrina. Est enim vtraque res, natura inquam & doctrina, sine altera debilis, nec ad perfectionem eius philosophi quę in Platonis scriptis quærimus, satis habet virium. Cum autem philosophiæ, sicut & rerum cæterarum quantumuis suapte natura simplicium, prout à nobis variè considerantur, diuersæ definitiones tradãtur, duas hoc loco ex Platone colligit. Quarum prior ex ipso nomine ducitur (philosophia enim vt Cicero ait lib. 2. de Officiis, si nomẽ interpretari velis, nihil est aliud quã studium sapientiæ) posterior (quæ duas partes continet) partim ex eo quod philosophica contemplatio, vt liberrima sit, imprimis expetit, animũ scilicet corporis cõtagione, quoad potest, solutum: partim verò ab eo quod pro summo beneficio eadem homini præstat: nempe vt rerũ perpetuo fluentium imagines contemnat, & pro nihilo ducat: ab illisque ad ea quæ verè sunt ita se conuertat, vt in eisdem Deum opificem contempletur: húncque nõ solum in communibus officiis imitetur vitæ modo atq; constantia, sed superata omni actione (eam intelligo ad quã philosophiæ moralis præceptis instruitur) tandẽ animo perpurgato & corporis vinculis soluto vel ab eodem auulso, illius iucundissimo cõsortio perfruatur. Imo in caduco corpore quasi quidam Deus (vt Euripides dicere audet) efficiatur. Quo modo etiam Pythagoras ait,

Corpore depoſito, cum liber ad æthera perges,
Euades hominem, factus Deus æthereus almi.

In his enim summam philosophi excellentiam esse sitam Platonici arbitrãtur. NB. Vt primum animũ suum suorũmque ciuium cõponat: quod per philosophiam moralem consequitur. Deinde expeditam adeptus trãquillitatem (parte scilicet animi inferiore vel omnino sopita, vel certè nulla in re contra superiorem exultante) diuinorum operum rationes & causas perscrutetur, in iisque authorem Deum speculetur & colat. Nam in eiusmodi speculatione, sapientia: in cultu religio: in ambobus humana felicitas consistit. Et certè Aristoteles, quanquã hac in parte non tam diuinus quã Plato, tamen in Ethicis ad Nichomacum gradationem eiusmodi seruasse videtur. Nam postquam lib. 1. humanã fœlicitatẽ descripsit, ab initio lib. 2, vsq; ad finem lib. 5. totus est in explicãdis virtutibus moralibus: per quas pars animi inferior repurgatur & superiori obsequens redditur: lib. 6, ascendit ad virtutes partis animi superioris: quibus vix locus est nisi illis moralibus antecedentibus. Septimo, progreditur ad virtutes heroicas, quæ hominẽ supra hominẽ erigunt. Immanitati ac feritati, inquit, licet eã virtutem poni cõtrariam maximè, quæ suprà nos est, quæ eadem heroica & diuina dicenda est, vt Homerus Priamum de Hectore loquentem facit, eum virtute præstanti esse:

Non hic mortali eſt, ſed diuûm ſemine natus.

Ita'ſi, vt aiunt, ex hominibus propter excellentem præstantémq; virtutem, efficiuntur Dij, profecto ea erit potissima animi affectio quæ feritati repugnat, &c. Tandem verò lib. 10. desinit in contemplationẽ & in quæstionẽ de voluptate, quam illa habet adiunctam. In quibus celebrandis maximè videtur cõsentire cum hoc summo philosophiæ fructu, quem ex Platone Alcinous commemorat.

2 Posterior philosophiæ definitio, collecta est ex Platonis Phedone. Eo enim Dialogo quia his qui in sapientiæ studium incumbunt, corpus impedimẽto esse solet, concludit philosopho ad huius contagionẽ minimè esse declinandum: sed ab illa discedendũ, animúmq; ad se ipsum conuertẽdum. Quem locũ sic interpretatur Cicero prima Tusculana. Tota philosophorum vita, inquit, cõmentatio mortis est. Nam quid aliud agimus cum à voluptate, id est à corpore: cum à re familiari, quæ est ministra & famula corporis: cum à Repub. cum à negotio omni

animum seuocamus? quid, inquam, tum agimus nisi animum ad se ipsum aduocamus, secum esse cogimus, maximéq; à corpore abducimus? Secernere autem à corpore animũ nequicquã aliud est quam emori discere. In qua Platonis sententia intelligenda veteres variè sunt decepti. Nam Cleombrotus Ambraciota cum nihil aduersi accidisset, vt animum corporis carcere liberaret, è muro se in mare deiecisse dicitur, lecto illo Platonis libro. Cum tamẽ eo ipso Socrates vetet ne quis iniussu Imperatoris Dei de statione vitæ decedat. Vnde in illum extat eiusmodi epigramma.

Vita vale: muro præceps delapsus ab alto
Dixisti moriens Ambraciota puer.
Nullum in morte malum credens: sed scripta Platonis
Non ita erant animo percipienda tuo.

Alij, etiam si Cleombroti factum improbent, in graui tamen calamitate, eáq; potissimum quæ publica est, spontaneæ huius solutionis à corpore, causam legitimam à Deo dari arbitrantur. In qua Lucretiæ & Catonis Vticensis mortẽ laudant. De Catone enim sic eodem libro Cicero scribit. Cato sic abiit è vita vt causam moriẽdi nactum se esse gauderet. Vetat enim dominãs ille in nobis Deus, iniussu hinc nos suo demigrare. Cum verò causam iustam Deus ipse dederit, vt tunc Socrati, nunc Catoni, sæpe multis: ne ille medius fidius vir sapiẽs lætus ex his tenebris in lucem illam excesserit: nec tamẽ illa vincula carceris ruperit (leges enim vetant) sed tanquã à magistratu, aut ab aliqua potestate legitima, sic à Deo euocatus atque emissus exierit. Quæ sententia à D. Augustino reprehenditur cap. 23. lib. 1. de Dei Ciuitate. Porrò illa animi à corpore philosophica separatio, duplex est: vna à perturbationibus, per eam purgationẽ quam virtutes morũ afferunt. Altera à sensibus ipsãq; visione vel imaginatione ex sensibus hausta, per eam contemplationẽ quæ propria eius mentis cuius participes Deos quidem omnes Plato esse ait in Timæo, homines autẽ paucos. De quo scitũ est quod scribit Marsilius Ficinus, vt sapientes medici duplici vtuntur purgatione: vna quidẽ leniendo, altera morbum soluẽdo, scientes neq; satis esse lenire, neque tutũ soluere velle antequã lenias: sic apud philosophos moralẽ antecedere purgationẽ, quasi lenientem: sequi alteram quæ hoc præstat summũ quod à falsis rerum imaginibus ad incorporea, quæ sola verè sunt, mentem erigit & in eorum cõtemplatione sic exercet, vt iam fruatur quadam specie eius voluptatis quæ erit maximè solida, cũ è corpore excesserit. Ex quibus intelligi potest quod altera definitionis parte dicitur, philosophiam auulsionẽ esse quãdam animi à corpore, cum ad ea quæ verè sunt & in intelligentiam cadunt, cõuertimur. Nam cum apud illum in Timæo, rerum omnium duo genera sint, vnum fluentium, alterũ earum quarum semper omnino eadem essentia, solæ posteriores verè esse dicũtur, quæ cæterarum æterna exemplaria cõtinent. In quarum cognitionem animus philosophia duce erigitur, cũ in mathematicis abstractionibus prius exercitatus, potest res singulas ad suam ideam reuocare. Vt ex vmbris clarissimi solis cognitionem captans, tandem in Deum definat, tanquã in ideam idearum & primum eorum omniũ quæ possunt intelligi. Atque hoc modo per varios rerum intelligibilium gradus suo quasi vehiculo aut ala (de qua postea differetur) in cælum effertur. Id verò est quod scribit Plato in epistola ad Dionysium, humanũ animum affectare qualia diuina sint, intelligere: aspicientem in ea quæ cognata habet: aut quod idem ait in Symposio, diuinorum amorem animos in cælum reducere.

3 De hac animi à corpore auersione & ad intelligibilia conuersione nobilis locus est apud Porphirium lib. 1. de abstinentia ab esu carnium. Quem integrũ describam vt facilius ea quæ in eandem sententiam à sacris scriptoribus dici solent,

cum Platonicis conferantur. Similes sumus, inquit hominibus, qui in exteras nationes, profecti non solum domesticis omnibus exturbati sunt, verum etiã è regione externa perturbationibus & consuetudinibus & institutis peregrinis ita fuerunt imbuti, vt ad ea propensi admodum sint. Quemadmodum igitur si quis inde redire domũ vellet, non modo iter facere studeret, sed quo à suis admitteretur, daret operam quoque, vt deponeret quicquid ab externis accepisset, eáque sibi in memoriã reuocaret quæ cum antea haberet, fuerat oblitus, sine quibus admitti à domesticis nullo modo posset: simili modo etiã nos debemus, si hinc ad ea quæ verè nobis domestica ac propria sunt, reuersuri sumus, ea omnia deponere quæ ex mortali natura contraximus, vna cum affectu quo ea prosequimur, ex quo etiam effecta dissensio fuerat, beatæque & æternæ substantiæ recordari, ac summa ope niti, vt ad ea quę colore & omni qualitate carent, redeamus: duabus vsi meditationibus, vna qua materiale omne ac mortale abiiciamus, altera qua reditum faciamus & ad illa contrario modo ascendamus, quàm ad hæc descenderamus. Intellectuales enim substantiæ eramus & adhuc sumus, puræ ab omni sensu & irrationali natura. Coniuncti verò cum sensu fuimus ex impotẽtia æternæ nostræ consuetudinis cum intelligibili: & ex ea potentia quam ad ea quæ hic sunt habebamus. Omnes enim quæ cum sensu & corpore operãtur facultates, anima nostra in intelligibili non manente, progerminarunt. Non secus atque ex prauitate terræ accidit, quæ sæpe cum tritici semen admiserit, auenas producit. Vnde si ad pristinum statũ redire velimus, primũ pro viribus studẽdũ nobis est, vt à sensu & imaginatione & ab ea quæ ex his consequitur irrationabili qualitate & ipsius affectibus, quatenus generationis necessitas patitur, recedamus. Deinde corrigenda ea sunt quæ ad intellectum spectant, pace & quiete ipsi cõciliatæ ex bello quod cum irrationali natura habet. Vt non solum de intellectu & intelligibili audiamus: sed etiam quantũ in nobis est, eius contemplatione fruentes & in incorpoream naturam redacti, verè cum illo & non falsò cum his quæ cõporibus cognata sunt, vitam traducamus. In eandem ferè sententiam multa sunt apud D. Dionysium lib. de Trinitate. Quo loco docet ascensum ad Deũ in purgatione animi esse positum: nec quenquã Deo frui nisi per ea quæ intellectu sunt præstantiora. De quo mentis ad Deũ ascensu pleni sunt Platonicorum libri. De eodémq; perpauca apud Arist. exaãt. Quoniam animum humanũ magis vt naturalem formam spectasse videtur, cuius functiones organico corpore indigent. In quo est animi in corpus descẽsus, ei de quo nunc agimus omnino cõtrarius. Nisi fortè huius esse concedimus opus de secretiore parte diuinæ sapientiæ secũdum Aegyptios: cuius antea in præfatione mentionem fecimus. Nam in hoc, cap. 2. 3, & 4. lib. 2: & cap. 4. lib. 4. cap. 6. & 8. lib. 7. permulta sunt cum Platonicorum doctrina magna ex parte consentientia.

4 Sapientiam Plato definit in Theæteto, perfectam coniunctionem iustitiæ & sanctitatis cum prudentia: per quam Deo simillimi homines efficiantur. Marsilius verò in Euthydemũ, obseruat in illo cum in loquendo exactior esse vult, diuinorum cognitionem sapientiam nominari, naturalium scietiam, humanorum prudẽtiam. Idémque in Theagem, diuinorũ nomine cõtineri ait, summa principia & æternas rerum omnium causas. Addere Cicero solet, sapientiam esse rerum diuinarũ & humanarum causarúmq; quibus hæ res cõtinentur cognitionẽ. Sed hæc causarum cognitio, scientiæ nomine cõtinetur. Quoniã scire nihil est, quàm rei causam tenere. Vt scilicet sapientia tam eorum quæ ex causis pendent, quam aliorum quę inter causas prima omnino sunt, perfectam cognitionem cõplectatur. In qua illa prior propriè est scietię, hæc posterior, intelligentiæ. Ex eóque Arist. cap. 7. lib. 6. Ethic. sapientiã vocat scientiã ac intelligentiã eorum om

niũ quæ ſunt præſtantiſſima. Quã, vt idem ait cap. 2. lib. 1. Metaph. Dij hominibus inuident, ſi quid inuident. Quoniam in pares inuidia cadit: hæc autem hominẽ Deo parem quodammodo videtur efficere. Quod apud Poëtas locũ dedit fabulæ de Prometheo qui dicitur alligatus Caucaſo, quòd Vulcani Mineruęque artificioſam pariter cũ igne clepſiſſet ſapientiã. Quanquã, vt eodẽ capite Ariſt. ſcribit, in Deum inuidentia non cadit, ſed quemadmodũ dici ſolet, falluntur multa poëtæ: neque hac alia præſtantior eſt exiſtimanda. Quæ enim diuina eſt maximè eadem etiam præſtantiſſima. Talis autem duobus modis ſolùm eſſe poteſt: Nam & ea ſcientia qua Deus præditus eſt potiſſimum, diuina eſt maximè: & ſi quę in rebus diuinis verſatur. Quorum vtrumque in hac vna reperitur. Quippe cum Deus & rerum omnium cauſa ac principium quoddam eſſe videatur, & ea ornatus vel ſalus ſit, vel vnus ex omnibus maximè. In hac verò definitione humanorum appellatione intelligenda ſunt omnia quæ in vniuerſitate propter hominem ſunt. In quibus non modo ea quæ mundo hoc inferiore continentur, ſed etiam cæleſtia corpora. Vt ſub humanis complectatur naturalia omnia corpora quorum homo quodammodo finis eſt: non ſolùm ea quæ ad inſtitutionem vitæ humanæ pertinent, quæ propria eſt philoſophiæ moralis. NB.

5 Sophiæ nomen eſt quàm philoſophiæ antiquius: ſicut amata res, amore natura prior. Philoſophia enim amorem ſapientiæ continet, eóque ab hac vt auaritia ab auro, à Seneca differre dicitur. Et tamen nonnunquam pro ipſa amata re vſurpatur: vt cum ea definitur, rerum diuinarum humanarumque cognitio. Sophi appellati ſunt veteres Græciæ ſeptem: qui à Cicerone. 5. Tuſculana, multis ſeculis fuiſſe dicuntur ante Lycurgum: cuius temporibus vixit Homerus, antè Romam conditam. Illi verò numerantur à Platone in Protagora, Thales Mileſius, Pittacus Mityleneus, Bias Prieneus, Solo, Athenienſis, Cleobulus Lyndius, Myſo Cheneus, Chilo Lacedæmonius. A quibus nomen hoc manauit, vſque ad ætatẽ Pythagoræ Hic verò cũ circa tẽpora Tarquinij Superbi (vt idem ſcribit Tuſculana. 1. & 5.) Phliuntem veniſſet, à Leonte Phliaſiorum rege interrogatus quam artem profiteretur, reſpondit artem ſe ſcire nullam, ſed eſſe philoſophum Vt modeſtiſſimo nomine poſſeſſionem ſapientiæ, quæ vt modo dictum ex Ariſt. diuina eſt potius quam humana, aliis relinqueret: eius verò amatorem ſe tantum diceret. Viſum eſt poſtea, ſicut Fabius ſcribit in præfatione lib. 1. nomen idem inſolentiſſimum hoc tanquam proprium, pauci ſibi arrogare cæperunt, vt ſoli ſapientiæ amatores, id eſt philoſophi dicerentur. Cum nemo ſit bene natus, qui non eius vel maximo deſiderio teneatur. Porrò in eam ſententiam quæ priore definitione continetur, Plato in dialogo de philoſophia, ſcribit philoſophari nihil eſſe, quàm quod ſcribit Solo, diſcenti aſſiduè, multa, ſenecta venit. In Euthydemo verò Philoſophiam eſſe dicit ſapientiæ acquiſitionem. Atque quam late pateat huius ſapientiæ amor idẽ ſic explicat lib. 5. de Rep. Num eum, inquit, quẽ amare quippiam dicimus, omnem illam ardere dicemus? an partim exoptare rem eam, partim nequaquam fatebimur? Omnem. Nonne ergo philoſophum ſapientiæ ſtudioſum eſſe dicemus, non huius quidem auidum, illius non: ſed omnis potius ſapientiæ? Vera loqueris. Eum igitur qui aliquam ſpernit doctrinam, præſertim dũ eſt iuuenis, neq; dũ ratione delectũ habet quid cõferat quidue nõ, cõferat diſcernentẽ, nequaquã diſcendi cupidũ vel ſapientiæ amatorẽ eſſe aſſeuerabimus. Quemadmodum illum qui faſtidit epulas, neque eſurire dicimus neque epulas concupiſcere, neque amatorem cibi, ſed contemptorem, vocamus. Et meritò quidem. Hominem verò ad quamlibet doctrinam guſtandam propẽſiorem, ad diſcendũmque promptiſſimum & inexplebiliter inhiantem meritò philoſophum nuncupabimus, nonne? Nuncupabimus. In quibus idem Plato cõ-

firmare videtur, quod hoc loco ὄρεξις, à nobis Latinè redditur vehemens appetitio potius quàm sicut à nonnullis, appetitio tantum.

6 Præparatio futuri philosophi quæ ex natura petenda est, ponitur hoc loco ab Alcinoo in duobus, quæ respondent duobus muneribus vitæ philosophicæ, quorum vnum in contemplatione veritatis, alterum in actione versatur. Nam ad contemplationem eorum quæ verè sunt (cuiusmodi Platoni sunt ideæ primáque intelligibilia) oportet eum natuta aptum esse ad mathematicas ab strationes: in quibus pædiam futuri philosophi esse positã, contra Thessalũ methodicã earum exagitatorẽ, abũdè docuimus nostris prælectionibus in Sphærã. Id verò significat eum solum aptum esse ad Philosophicam contẽplationem qui etiam ea quæ reuera cũ sensilibus cõiuncta sunt (quales affectiones Mathematicæ) cogitationem suam potest suprà sensum excitare & ab hoc separare. Ad actionem autem & perfectionem virtutum moralium, eundem futurum philosophum habere oportet ad has insita eiusdem naturæ seminaria, quos igniculos Stoici nominant. De quibus cum Alcinous dixit hunc natura quodam modo temperantem esse debere, hoc intelligendum est de temperantia generali: quæ à Cicerone lib. 1. Officiorum, ponitur in obseruatione decori generalis: quòd virtutum omnium moralium officia complectitur: sicut & apud Arist. lib. 5. Ethic. iustitia quæ generalis dicitur. Ex hac verò opinione Platonicorum (quę postea fuit Stoicorum) de naturæ seminariis ad virtutes, profecta sunt ea quæ Ciceroni in Philosophia sunt familiaria, Naturã in viuẽdo ducem tanquã deum esse sequendã: & eum qui illam sequitur, nunquam posse aberrare. Quanquam eiusdem Platonis sententia virtutes neque doctrina parãtur: sed vt ait extrema pagina Menonis, & in Theage diuina sorte in animos nostros influũt: de quo postea amplius disseretur cap. 21. lib. huius. Quare cũ eædem virtutes animũ pulchrũ efficiãt, sanctissimum est Socratis votum eiusmodi in Alcibiade. Da mihi Deus, inquit, vt meus animus pulcher efficiatur & quæ ad corpus attinent animi pulchritudinem non impediant. Nobiscum verò nascitur ad illas præparatio: quæ varias quoque & indiuiduas singulorum hominum proprietates occultas consequitur. Cum quibus cõferenda sunt quæ de partu aureo dici solent libris de Repub. & quæ ab Arist. de idoneo auditore philosophiæ moralis lib. 1. Ethic. atque de hominibus natis ad imperandum, aliis autem ad seruiendum lib. 1. Polit. Locus verò hic descriptus est ex initio lib 6. de Repub. vbi hæc omnia de Philosopho fusissimè explicantur.

7 Rationem huius rei sic Plato explicat initio lib. 6. de Rep. Philosophis, inquit, hoc inesse necesse est vt mendacij omnis natura expertes sint, neque sponte mentiantur vnquam, sed omnem oderint falsitatem, diligant veritatem. Probabilè est. Non solum probabile est ô amice, sed penitus necessarium eum qui ex natura ad aliquid amore afficitur, quicquid cognatum & familiare est amato, diligere. Scitè. Num familiarius aliquid sapientiæ quàm veritas reperitur? Nihil. An ergo possibile est naturam eandem esse philosophicam & mendacem? Nullo modo. Ergo discendi cupidum necesse est statim à pueritia veritatem omnem summopere affectare? Prorsus. Idem Plato lib. 2. de Rep. mendacium diis dæmonibus hominibúsque odiosum esse scribit. Et lib. 3. Concludit mendacium ciuitatis esse calamitatem quando scilicet priuati consuetudine quadam inter se cum voluptate veritatem occultant: maximè verò si id apud ipsos magistratus faciãt. Perinde enim id esse ac si ægri medico, & nautæ suo gubernatori mentiantur. Hominibus tamen nonnunquam pro medicamento mendacium esse vtile, non omnibus: sed iis qui remp. administrant, si id faciunt vel hostium vel ciuium causa, ad communem ciuitatis vtilitatem. Reliquis à mendacio esse abstinendum.

8 Plato lib. 9. de Repub. pro triplici partium animi siue facultatum distinctio-

ne, statuit totidem genera cupiditatum atque voluptatum. Tandémque concludit philosophũ cæteras voluptates flocci pendere: dum eas ad ingens discédi gaudium quo ipse fruitur in inuestigãda veritate, comparat. Et lib. 6. Quicunque, inquit, ad disciplinas & cætera talia omnia desiderio flagrant, puram ipsius animæ expetunt voluptatem: corporis autem oblectamenta despiciunt: nisi quis fictus, non verus philosophus sit. Qui locus maximè consentit cum Arist. doctrina lib. 10. Ethic.

9 Obseruanda hæc rationis redditio, quam valde illustrat Platonis locus initio. 6. de Rep. Timidæ illiberalique naturæ, inquit, philosophia vera non conuenit. Non, vt videtur. Vir autem modestus, non quęstui deditus, non pusillanimis, non superbus, non timidus, non in commerciis difficilis erit, aut iniustus? Nullo modo. Quinetiam cum discernere cupies quis animus philosophis sit, quis non, statim à teneris annis id obseruabis, nũquid iustus & mitis, an iniquus & agrestis. Maxime. Neque hoc vt arbitror, prætermittes. Quidnam? Vtrum ad percipiendum velox an tardus, Num censes quempiam illud vnquam diligere quod cum aggreditur summa cum difficultate agit & vix tandem parum quid proficit? Nunquam profecto. Quid si nihil seruet eorum quæ discit, obliuiscatúrque omnium, nónne erit scientia vacuus? Vacuus. Cum vero irritus illi labor omnis suscipiatur, an non cogetur tandem se ipsum & actionem talem odisse? Nihil prohibet. Obliuiosum igitur animum legitimorum philosophorum ingeniis conuenire nequaquam existimemus, sed admodum memorem. Ita prorsus. Absona præterea & inconcinna natura ad intemperiem semper trahit? Semper. Veritatem verò an cum intemperie & immoderatione congruere putas an cum temperie potius? Cum temperie. Ergo compositam & gratam preter cætera cogitationem huic ingenio tribuamus quod suapte natura propensum esse volumus, ad ideam cuiusque quod verè est, inspiciendam. Nempe? An non tibi videmur singula percurrisse quæ necesse est continuata serie sibi inuicem succedentia ei animo cõpetere qui veritatẽ rerum perfectè sit consequuturus? Ita prorsus Non potes igitur quoquo modo studium id damnare, quod nullus sufficienter exæquo potest nisi natura sit perspicax, memor, magnificus, gratiosus, amicus familiarísque veritatis, iustitiæ, fortitudinis, temperantiæ. Similis locus est apud eundem ad finem lib. 7. de Rep. vbi agit de dialectico.

10 Non solum neglectæ hæc naturæ dotes multorum malorum causæ sunt: sed multo magis quãdo qui his sunt prædíti, eisdem abutuntur & ad deteriorẽ partem animum applicant. Nam, vt Plato ait 7. de Rep. qui malus est sapiens habetur, tò plura peragit mala, quo acutius videt. Contra vero exile ingenium, vt idẽ ait lib. 6. nunquam quicquam magnum & memorabile potuit efficere. Et si memoria repetimus magnas clades quæ nobilibus Rebusp. acciderunt ab iis certè sunt profectæ qui magno ingenio & iis naturæ dotibus instructo, erant prædíti: præsertim qui ad hæc magna naturæ ornamenta literarum etiam cognitionem adiecerant. Quare Athenis crudelius dicuntur imperasse qui sapientes nominabantur quam qui literarum omnino ignari. Nam vt homo finem suæ perfectionis assecutus (inquit Arist. cap. 1. lib. 1. Polit.) animal est omnium optimum, ita quoque à lege seductus & à iudicio, cæterorum omnium est pessimum. Nihil enim immitius atque seuius quàm quæ tener arma iniustitia. Homo autem innata prudentia atque virtute armatus est, quæ nullo negotio in vsus cõtrarios vertuntur. Quapropter homine qui virtute careat, nihil est nefarium magis & immane.

11 Animi, inquit Cicero lib. 5. de Finibus, & eius partis quæ princeps est, quęque mens nominatur, plures sunt virtutes, sed duo prima genera: vnum earum quæ

ingenerãtur ſuapte natura, appellantúrque nõ voluãtariæ: alterũ earũ quæ in voluntate poſitæ, magis proprio nomine appellari ſolent, quarum eſt excellens in animorum laude præſtantia. Prioris generis eſt, docilitas, memoria: quę fere omnia appellantur vno ingenij nomine, eáſque virtutes qui habent, ingenioſi vocantur. Alterum autem genus eſt magnarum verarumque virtutum quas appellamus voluntarias, vt prudentiam, temperantiam, fortitudinem & reliquas eiuſdem generis. Ex hac verò vocabuli virtutis multiplici ſignificatione, quam iterũ reperit Alcinous cap. 22. lib. huius profecta ſunt varia Stoicorũ paradoxa. Et ſecundum eandem ab ipſo Ariſt. dictum ad finem lib. 2. Top. homines quadam ex parte natura bonos eſſe, vt liberales & temperatos: omnino autem & abſolutè, minimè. Quanquam hic cap. 1. lib. 2. Ethic. ſpectato ſolo poſteriore virtutis genere, quod aut doctrina, aut agendi conſuetudine comparatur, contra Platonem concludit, illam neque natura neque præter naturam nobis ineſſe: ſed comparari à nobis natura tantummodo aptis ad eaſdem ſuſcipiendas.

Duas eſſe vitæ humanę partes & in vtriſque quomodo Philoſophum verſari oporteat: quídque eundem contemplationi, quid actioni tribuere.

Cap. 2.

1 *Cum verò duplex vita ſit, vna in contemplando, altera in agendo: contemplantis quòd potiſſimum eſt, id in veritatis cognitione conſiſtit: alterius autẽ, in actione eorũ quæ recta ratio præſcribit. Honore digna prior vita eſt, eius aſſecla & neceſſaria, altera. Id verò ita eſſe ex iis intelligetur.*

2 *Contemplatio eſt functio intellectus ea quæ intelligibilia ſunt, intelligẽtis. Actio autem, animi ratiocinantis functio, corporis miniſterio indigens. Animus namque ipſum diuinum huiúſque notiones contemplans, bene affici dicitur. Atque hæc eius affectio, ſapientia eſt nuncupata. Quam quidẽ nihil aliud quàm cum ipſo diuino ſimilitudinem rectè dixeris. Quamobrem illa eſt primaria ac veneranda & maximè omnium expẽtenda hominíque propria, non impedita, atque eadem finis nobis propoſiti cauſa. At actio & adagẽdum vis, quoniam corporis ſeruitio vtuntur, eiuſdem incõ-*

modis

modis præpediri tardarique possunt. Philosophus tamen postulantibus temporibus aget & quæ contemplando quietè meditatus est, ea ad hominum mores vsúmque transferet. 4 Ad rempublicam enim veniet cum illam ab aliis malè regi senserit: adiuncta hæc existimans, exercitum ducere, iudicia exercere, legationes obire. Præcipua verò & inter ea quæ ad actionem pertinẽt, maxima, leges ferre ciuitati: aliis vitæ ordinem præscribere, in seditione atque iuuenili disciplina. Ex quibus intelligitur non decere philosophum à contemplatione deficere, sed eam semper fouere atque augere. Ad actionẽ tamen, vt pote quæ illi subseruit, nonnunquam accedere.

Carpentarij Commentarius in Cap. 2.

1 Quæ dicuntur hoc capite de comparatione vitæ in cõtemplando positæ cum actiua, maximè his possunt illustrari quæ à Plotino traduntur libro, de natura & contemplatione & vno. Vbi conatur primum efficere omnia in ipsa natura contemplationem quodammodo appetere. Quoniam ipsi naturæ in procreando, rerum seminariæ rationes propositæ sunt, in quas eadem quasi defixa, semper agẽdo aspirat. Deinde ostendit etiam actionem omnem ad contemplationem quodammodo referri. Hanc verò ab ipsa natura se attollere ad animum, ab hoc in mentẽ: sempérq; gradibus ascẽdere donec contẽplans cũ primo intelligibili ipsa contẽplatione quodãmodo vniatur, non solum, vt idem ait cap. 7. per acquisitam familiaritatem, sed potius per essentiam. Quo quid maius ad vitæ contemplatiuę commendationem afferri potest? Id verò est quod hoc capite Alcinous voluit significare cum dixit Animum τὸ θεῖον id est, vt interpretor, ipsum diuinum (quod eidem Plotino est ipsum vnum) huiúsque notiones (quæ singulorum ideę sunt & rationes seminariæ) contẽplantẽ, bene affici, atq; hãc eius affectionem, sapiẽtiã nominari. Quoniã animi ad veritatis cognitionẽ nobis dati, propriũ summũq; contẽplationis obiectũ, deus est: in cuius fruitione summa cõsistit sapiẽtia: ad quam via paratur per ideas quæ in eodem deo tanquã in fonte, vel potius vt in immenso mari sunt vnitæ. Quare quemadmodum oculus noster ad Solem, vt ad primum aspectabile propriúmque obiectum, bene afficitur, & tamen circa eundem nimio splendore impeditur, nec hunc huiúsque radios apertè potest intuẽri ciusmodi imbecillitate ex oculo non ex ipso sole enata: sic noster intellectus se habet ad ipsum diuinum, natura quidem clarissimum, sed cuius splendorem capere non potest propter eam imbecillitatem quæ in hunc ex corporis contagione redundat. Idque est quod Arist. significare voluit cum dixit lib. 1. Metaph. minore, intellectum nostrum ad ea quæ sunt in natura clarissima se habere, sicut

oculum noctuæ ad ipsum solem. Atque vt in eadem similitudine permaneam, quemadmodum oculus ad intuendum primum aspectabile sibi vmbram quærit, sic noster intellectus ad cognitionem dei & idearum quę sunt in eodem confugere solet ad res effectas, quę dei idearumq; vmbræ sunt & imagines, in quibus il le clarissimè relucet. Sic enim dictū est à Mercurio Trismegisto deo in sua essentia nihil esse nobis obscurius, eodem in rebus effectis nihil clarius. De quo postea pluribus capite de deo.

2 Lumen animi mens est, eius autem propria actio, veritatis contemplatio. Cui humana ratio subseruit discursu quodam veritatem inquirens & huic imaginatio, cum rerum singularum quæ sensibus sunt obiectæ imagines percipit. Mentis contemplationem sapientia perficit, sicut rationis discursum scientia atque prudentia, illa quidem in iis quæ natura continetur: hæc in aliis quæ ad mores pertinent. Quare quanto sapientia perfectior est scientia atque prudentia, tanto recta contemplatio actione præstantior. Quanto oculus præstat manibus inquit Ficinus in 1. de Rep. caput pedibus, ratio sensibus, anima corpori, finis omnibus quæ diriguntur ad finem, status motui, æternitas tempori: tanto contemplatiua vita actiuæ præstare videtur. Contemplatio enim actionis est principium & finis ducitque illam pro arbitrio & fistit, iubens denique inferiores motus externámque desinere actionem, vt intrinseca stabilisque actio liberior tandem possideatur. Sic vtique ab ipsa contemplatione dei, cælestes naturalésque motus & actiones omnes tanquam à principio ducuntur & reducuntur ad finem. Et certè in fruitione hujus diuinæ sapientiæ per postremum Philosophicę contemplationis gradū, humanę fœlicitatis summa cōsistit quę in actione quantūuis perfecta, non potest reperiri. Itaq; philosophia non agēdo, sed contēplando, sapientiā gignit: sapientia verò fœlicitatem. Quoniā per illam id cōsequimur vt etiā ea quæ vulgo putantur mala nobis bono sint. Fœlix porrò est, cui bene omnia succedunt. Soli autem ei bene omnia succedunt, qui omnibus bene vtitur. Solus verò omnibus bene vtitur qui & se ipsum & alia omnia ex sapientia perfectè cognouit, quique omnium vsum ex sapientiæ regula optimè potest temperare. Idque est quod à poëta dictum, cætera omnia ab his quę in animo posita sunt talia esse qualis animus eius qui illa possidet. Hinc Stoicorū paradoxa quæ Cicero pluribus explicat lib. 3. de finibus, Solum sapientem liberum esse, diuitem, Regem, Dictatorem. Quęq; sequutus Horatius Epistola prima.

———Sapiens, inquit, vno minor est Ioue, diues
Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum
Præcipuè sanus, nisi cum pituita molesta est.

In quo veterum philosophorum exemplis abundamus, qui hac contemplatione delectati regum omnium potentiam contempserunt: & in eadem maximè solida voluptate perfruentes cęteras omnes quę ad corpus pertinent, constantissimè contempserunt. Quoniam hæ in turbulentis motionibus consistunt ideóque contrariis doloribus facilè inter turbantur. Hinc Platonica fabula initio Phædonis, deum scilicet cum voluptatem & dolorem inter se pugnantia vellet conciliare neque id facere posset, in vnum saltem eorum apices coniunxisse: propterea que cui adest horum vnum eidem mox quoque alterum adesse. At ea quæ animi est quæque contemplatione alitur in summa animi quiete vel potius in huius immobilitate quadam cōsistit. Scitum enim est quòd scribit Gregorius Nyssenus cap. 11. lib. 4. de homine, non omnem actum motum esse, sed quendam per immobilitatem existere: secundum quem deus primus agit. Quod enim, inquit,

primum mouet immobile est. Talis autem existit in hominibus contemplandi actus. Per immobilitatem enim semper innascitur: quippe contemplans vnum & idem iugiter perseuerat, & mens contemplantis stat circa vnum & idem semper consistens. Ideóque contemplationis voluptas quæ maxima est,& primaria & vera,per immobilitatem fit. De contemplatione & voluptate similis est Aristotelis sententia lib.10.Ethic. Vbi ostendit summam hominis fœlicitatem statuendam in excellentissimo munere partis eius animi quæ in eodem præstantissima est maximæque diuina.Mente autem in animo humano nihil esse præstantius,nihil diuinus: huiúsque maximè propriam functionem in contemplatione consistere atque omnium functionum quæ virtuti congruunt,eam,vno omnium consensu iucundissimam esse quæ manat ex sapientia. Addit etiã functiones virtutum earum quæ morales quæque politicæ nominantur,quodammodo esse negotiosas, perturbationibus inuolutas & in eo positas quod ex animo & corpore est concretum. Contemplationem autem mentis esse deum in vita hac imitantis & summa tranquillitate fruentis. Quare philosophorum vitam quę in contemplando transigitur omnium maximè esse diuinam Plato scribit in Philebo. Et quanquam lib.5.de repub.beatas respub.prędicet, quas regunt philosophi aut quarum rectores philosophantur: illos tamen in melioribus rebus occupatos, non vult ad eas accedere lib. 7. nisi temporum necessitate coactos. In quo quia illis iniuriã facere videbatur quod eos cogeret deteriorẽ vitam subire, cum frui possent meliore,de ea re quæstionem quàm Glauco affert ita explicat. Oblitus es,ô amicè,hoc legi curæ non esse,vt vnum quoddam genus in ciuitate imprimis fit beatum,sed vt tota ciuitas. Profectò ad hoc ciues ipsos persuasione & impulsione conciliat facitque vt mutuo sese adiuuent communémque pro viribus vtilitatem colant. Nempe lex ciuili cœtu homines congregat, non vt permittat vnumquemque quo lubet ferri, sed vt ipsis ad copulam ciuitatis vtatur. Vera loqueris. Id me fugerat. Considera itaque Glauco, quemadmodum Philosophos qui apud nos reperiuntur,nulla iniuria afficiemus. Sed cum cogemus eos aliorum curam gerere, iure in hunc modum dicemus: quod videlicet quicunque in aliis ciuitatibus philosophi reperiuntur, ob hanc causam merito administrandæ Repub.labores refugiunt:quia in qualibet ciuitate ipsi per se nascũtur, repub. nõ curante. Par autẽ est vt quod per se nascitur,cum nulli pro alimentis acceptis sit obnoxium,nulli exhibeat nutrimẽti mercedẽ.Nos autẽ vos tam vobismet quam reliquis ciuibus tanquam in apum examine duces,ac reges creamus,melius perfectiúsque quàm cæteri,eruditos aptioréque ad vtrámque curam suscipiendam. Descendere ergo vicissim debetis singuli in aliorum hominum cætum & ad obscura inspicienda assuefieri.Nam cum assuefacti fueritis, multo acutius illa cernetis quã qui in eis quotidie obuersantur: & quælibet simulachra quę & quorum sint cognoscetis:vt qui reuera noueritis quę honesta, iusta,bonáue sint. Atque ita ciuitas nobis vnà ac vobis quasi vigilãtibus rectæq; sentientibus,coletur:non tãquam somniantibus,quemadmodum nunc plurimæ habitantur, ab his videlicet qui de vmbris decertant déque principatu tanquam maximo bono contendunt. Nec verò Aristotelis de hac duplicis vitæ comparatione, dissimilis est sententia. Si quidem cap.2.lib.1.Polit.scribit hominem natum esse ad ineundam societatem eúmque qui hanc fugiat,si id facit hominum odio, deteriorem esse quouis homine;si verò ad contemplationem se referat,eodem longè prestantiorem. Et vt paulò ante significatum est cap.8.lib.10.Ethic concludit completam vndique & absolutam hominis beatitudinem versari in actione cognitionis & contemplationis, per quàm ille quoad potest,deo similis efficitur: non autem per eas

virtutes quæ morum appellantur. Quoniam hæ dei maiestate, vt ait, sunt indignæ. Vtramque Platonis sententiam improbauit Cicero Officiorum. 1. Nam de comparatione contemplationis cum actione ita scribit. Multi sunt & fuerunt qui eam quàm dico tranquillitatem expetentes, à negotiis publicis se remouerunt, ad otiúmque profugerunt. In iis & nobilissimi philosophi longéque principes & quidam homines seueri & graues, qui nec populi, nec principum mores ferre potuerunt. Et paulò post. Facilior quidem & tutior, inquit, & minus aliis grauis aut molesta est otiosorum vita. Fructuosior autem hominum generi & ad claritatem amplitudinemque aptior, eorum qui se ad Rempub. & ad magnas res gerendas accommodauerunt. Quapropter & iis forsitan concedendum sit remp. non capessentibus, qui excellenti doctrinæ se dediderunt: & iis qui aut valetudinis imbecillitate, aut aliqua grauiore causa impediti, à Republ. recesserunt: cum eius administrandæ potestatem aliis laudémque concederent. Quibus autem talis nulla sit causa, si despicere se dicant, quæ plerique admirantur, imperia & magistratus: his non modo non laudi, sed etiam vitio dandum puto. In posteriore autem quòd Plato vult à Philosophis necessitatem expectari, id eodem loco ita exagitat. Philosophos, inquit, ad Rempub. accessuros Plato non putat nisi coactos. Aequius autem erat id voluntate fieri. Nam hoc ipsum ita iustum est quòd rectè fit, si est voluntarium. Sed in priore, Ciceroni viro politico liceat ciuiles vndas admirari & tranquille philosophorum contemplationi anteponere. Quãquam illis iactatus & in exilium actus, meliorem alteram vitæ partem sensisse videtur: cum, vt Plutarchus scribit, Græcos rogabat vt philosophus, nõ orator vocaretur. In posteriore autem eam necessitatem quàm philosophis expectandam Plato ait, non satis candidè interpretatur. Quoniam hæc Platoni temporum & calamitatum publicarum vrgentium necessitas est: in qua philosophus de imperando certare debebit: qui antea in rebus secundis & tranquillis, certabat de non imperando, vt liberius in contẽplatione posset versari. Quare Socrates in Thęeteto, philosophos quinunquam ad Remp. venire volunt, vt sapientiæ studio abutentes, ita exagitat. Illi, inquit, ab ineunte ætate primum quidẽ viam in forum ignorant: neque iudicium, aut consilium, aut concilium ciuitatis aliud vbi sit, norunt. Leges autem decretáque, vel promulgata, vel scripta nec vident, nec audiunt. Factiones sodalitatum quæ ad magistratus creãdos spectant, & congressus & cęnas, & lasciuiora conuiuia, ne somniant quidem. Iam bene ne an malè vobis olim habuerit, aut quod, cui malum turpísue nota à maioribus suis seu viris seu fœminis sit, magis eos latet, quàm maris, vt dici solet, arenæ. Atque hæc omnia nescire se philosophus nescit. Neque enim vulgaris gloriæ gratia ab iis abstinet: sed reuera duntaxat corpus illius in vrbe habitat atque versatur: mens autem hęc omnia parui, imo nullius æstimans, passim volat, vt ait Pindarus, & quæ sub terra sunt & quæ supra dimetiens & arte transcendens, omnem perscrutata naturam rerum omnium quæ ad vniuersum pertinent: iis autem quæ propè sunt, nullo modo se applicans. THEOD. Quo pacto id ais ô Socrates? SOC. Quemadmodum Thaletem dum cœlũ suspiceret intentus syderibus, in foueam cadentem Thracensis quædam eius ancilla facete nimium carpsit: quòd quæ in cælo sunt peruidere contenderet, quæ autem proxima & ante pedes erant, non videret. Quòd verò longè aliter quàm Cicero arbitratus, philosophos ad Rempubl. cogi velit, intelligi potest ex epistola ad Architam Tarentinum. Illud quoque te considerare oportet, inquit, nullum nostrûm sibi soli natum esse: sed ortus nostri partem sibi patriam vendicare: partem parentes: partem amicos.

Multa insuper pro temporum diuersitate nobis accidere, quibus nostra vita occupata est. Vocante igitur te patria ipsa ad Remp. gubernandam, absurdum forsan esset non parere: præsertim cum simul accidat vt aditus prauis hominibus relinquatur, qui nulla eius quod optimum est ratione, proficiscuntur ad publica. Scitum est quod de hac cõparatione scribit Theophrastus, quemadmodum serui fideles omni studio rem domesticam curant, vt heri dent operam liberioribus ministeriis: sic prudentiæ quæ in agendo consistit, curæ esse debere vt sapientia sine impedimento circa ipsum intelligibile veritatémque versetur.

3 Animus qui iam antea purgatus est (neque enim nisi antegressa purgatione perfectæ cõtemplationi locus est) per hanc cum in Deum erigitur, bene affici dicitur: quia suo principio simillimus efficitur: & quanquam adhuc est in corpore, solutus tamen videtur eius vinculis: cum per illam se quoad potest, à corpore auocat, nec amplius huius ministerio vtitur: etiam si initio notiones primas efformaret ex visis, quæ rerum sensibus perceptarum sunt quædam simulachra. In quo circa quæstionẽ de animi immortalitate Peripatetici hærere videntur. Nam si in illo quasi in tabula nuda (sic enim Aristoteles appellat ca. 4. lib. 3. de animo) primam notionum efformationem spectes, quid est quod nõ videatur cum corpore esse coniunctum, atque eiusmodi vt ab eo separari non possit? At quia hoc principio, quod à corpore profectum est, animus excitatus, mentis lumine, maiora concupiscit, & indefesso studio contemplãs, ad ea nititur quorum nullas imagines sensu percipere vnquam potuit: hoc non incertam spem affert immortalitatis. Præsertim cum eiusmodi studium in natura prouida vanum esse non possit (nisi fateri volumus hominem perpetuo isto conatu eodémque vano, omniũ animalium esse miserrimum:) neque vero in vita hac expleri. Quare reliquum est vt eius quasi rudimẽto nunc fruamur: quod eo erit perfectius quo animũ melius afficiet, id est quo magis hunc à corpore continget auocari, & ad proprium obiectum, primum scilicet intelligibile, reuocari. De quo quid Aristoteles sentiat postea exactius inquiretur, cum horum sententiæ in quæstione de animi immortalitate inter se conferentur.

4 Locus hic deprauatus esse videtur in contextu græco: sed quantum cõiectura possumus assequi, eorum quæ pertinẽt ad reipub. administrationem duas partes facit, vnam potiorem in legibus ferendis, & constituendo ciuitatis statu: alteram adiunctam vel auxiliariam, in iis tenendis quæ legibus præscripta sunt: & in aliis ad eorum obseruationem domi militiæque per iudiciorum seueritatem cogendis. In priore potissimum vult excellere philosophos ad Rempub. accedẽtes: vt scilicet ad illos pertineat cura eorum quos Cicero lib. 3. de Leg. scribit à græcis Nomophylacas appellari, vel quos ex sequentibus Nomothetas possumus dicere. Nonnunquam tamen eosdem, cum necessitas postulat, etiam ad illa adiuncta vel auxiliaria se demittere. Sic enim ipse Plato in philosophico otio ciuitatis statum constituebat, quando libris de Repub. iusti ideam pro regula omnibus proponebat: aut cum libris de legibus ad humana se demittens, ex variarũ formarum comparatione, deligebat, quod hi sequi deberent qui perfectissimam illam speciem non possent assequi. Idem dici potest de scopo Aristotelis in Politicis.

Philosophia in partes tres distribuitur, quarum communis est apud omnes distinctio: deinde hæ singulæ in alias subdiuiduntur. Vt his omnibus ex Platonis doctrina describendis, hæc institutio accommodetur.

Cap. 3.

1 Philosophi autem studium, vt Plato voluit, in tribus versari videtur. In eorum quæ sunt contemplatione & cognitione: in actione honestorum: in rationis & orationis cõsideratione. Dicitúrque eorum quæ sunt cognitio, contemplatiua: aliorum quæ ad actionem pertinẽt, actiua: quæ circa rationem cum oratione coniunctam versatur, [2] Dialectica. Atque hæc distribuitur in diuidẽdi vim, & definiẽdi, inducendi & ratiocinandi. [3] Rursúmque postrema, [4] in Apodicticam (quæ circa necessariam ratiocinationem versatur) Epicherematicam (quæ Enthimemate continetur: hoc autẽ ratiocinatio est imperfecta) [5] ac deniq; in Sophismata. Quæ quanquam philosopho non sint eligenda, sunt tamen necessaria. [6] Porrò altera pars quæ ad actionem refertur, partim ad mores pertinet, partim ad præfecturam familiæ, partim ad ciuitatem & huius salutem. In quibus ea quæ prima est, moralis dicitur: secunda, domestica: tertia ciuilis. [7] In contẽplatiua autem quod causas immobiles primásque & quæcunq; diuina sunt, inuestigat, id Theologiæ tribuitur. Quod verò astrorum motus conuersiones rerúmque omnium restitutionem in integrum, atque ipsius vniuersi coagmentationem inquirit, hoc naturalis est scientiæ. Mathematicarũ autem artium, ea omnia quæ ad Geometriam reliquásque disciplinas pertinent. Atque cum philosophiæ distributio sit eiusmodi, in ea de Dialectica primo loco dicendum, quid de

illa Plato sentiat imprimísque de eo quod Criterii, siue iudicatorium.

Iacobi Carpentarij Commentarius in idem cap. 3.

1 Antiquissima est philosophiæ distributio in partes tres, quæ eadem apud Ciceronem Academica 1. & lib. 1. de Oratore: sed suis partibus paulo contractior, in naturæ obscuritatem, in differendi subtilitatem, in vitam atque mores. Hic verò quanquam eodem partium numero absoluta, in his tamen longè est generalior. Nam ad cognitionem veritatis, quæ primæ parti proposita, non modo ea hoc loco referuntur quæ in explicãda naturæ obscuritate sunt posita (qualia sunt quæ ad physiologiam pertinent) sed metaphisica & omnes artes quæ mathematicæ appellantur. Vt cum formarũ tria genera sint, sicut Arist. tradit cap. 2. lib. 2. physic. vnum earum quæ cum materia necessario sunt cõiunctæ, alterum earum quæ omnino ab illa separatæ, tertium mediarum quæ re ipsa cum materia coniunctæ, ab illa ratione & cogitatione abstrahuntur, in harum omnium contemplatione philosophus versetur, & à physicis ad metaphysicas aspiret per medias mathematicas: in quarũ abstractionibus idcirco Plato suos volebat exerceri. In tertia verò parte quæ logicas artes continet, non est nuda sermonis consideratio, quã in huius loci interpretatione Marsilius Ficinus & Logodædalus noster sunt sequuti: sed eius cum interiore ratione certa cõiunctio. Vt ea complectamur nõ modo Dialecticam disciplinam, id est vt Cicero ait Academica 1. artem orationis ratione conclusæ: sed & huic ex altera parte respondentem Oratoriam, quæ explicatio est orationis perpetuæ, ad persuadendum accommodatæ. Sic enim postea Alcinous cap. 5. Dialecticis quædam adiungit quæ ad oratoris informationẽ pertinent. Zeno Citieus à quo disciplina Stoicorum est profecta, cum vniuersam philosophiam cuidam animali similem faceret, dicere solebat in ea logicem ossibus & neruis, carni ethicen, animo physicen respondere. In illa verò diuisione quæ à fine ducta, omnium consensu probata est, quod exagitat Thessalus lib. 6. Scholarum Metaphysic. non satis dignum est in quo refellendo laboretur. Differentia artium cõtemplatiuarum & actiuarum, vel effectiuarum, inquit, leuicula est & inanis. Omnis ars præceptis constat, quorum est contemplatio & scientia: sed præterea est πρᾶξις. & vsus: vt etiã in theologia, nõ hac sophistica, sed verissima. Quin Aristoteli partitionem hanc deridenti, contemplatio ipsa, Dei maxima videtur actio. Atqui distinctionẽ eandem Aristoteles sequutus est in diuisione quæstionum Dialecticarum lib. 1. Top. & ridiculum est in hac effectionẽ cum actione confundere: nescire verò quo modo contemplatio nonnunquam actio quædam esse dicatur, & ipsi actioni aliquando ex altera parte opponatur: quod in primis philosophiæ elementis nostri discere solent.

2 Marsilius Ficinus argumento in Euthydemum, obseruat Logicẽ apud Platonem significare solere, artem regulas nominum, orationum, argumentationumque disponentem: Dialecticam verò sagacitatem philosophi regulis his vtentis, ad rationes rerum inuestigandas, diuinarum præsertim, à quibus rerum quoque sequentium summæ rationes accipiuntur. Ideóque Dialecticam apud illum plerúmque pro Theologia vsurpari. Idem lib. 4. Epistolarũ, Dialecticam,

inquit, non tantum logicã illam Plato esse vult quæ primas & minutissimas ratiocinationum regulas docet: sed profundum expeditæ mentis artificium, ad ipsam veram meramque rei cuiusque substantiam, physicis primo, deinde metaphysicis comprehendendam. Vt & ratio de quolibet reddi possit & denique supra sensum corporúmque naturamm, entis lumen percipiatur, atque incorporeæ rerum species, quas ideas vocamus, intelligantur. Ex quibus ipsum vnum specierum omnium fons, mentium & animorum origo ac lumen, principium & finis omnium (quod ipsum bonum Plato vocat) inspiciatur. Huic similis est Plotini sententia cap. 4. lib. de triplici ascensu ad mundum intelligibilem. Quænam est, inquit, Dialectica quam oporteat etiam prioribus adhibere? Est vtique habitus qui ratione de vnoquóque potest dicere, quid sit vnumquodque & quo ab aliis differat, quóve conueniat. Præterea quomodo, vel vbi sit quodlibet, & si est, quid est: atque entia quot sint, & non entia rursus, sed ab entibus alia. Eadem hæc & de ipso bono disputat, & de non bono, & de iis quæcunque sub bono & quæ sub boni contrario. Itemque quid sempiternum, quidve non semper. De omnibus, inquam, non opinione, sed scientia tractans, ab errore qui circa sensibile accidit, vacans, intelligibili prorsus adheret, circáque ipsum diligenter agit, falso posthabito, animam nutriens in ipso veritatis campo. Qua significatione & loquendi consuetudine Platonica, dialecticæ nomine postea vtetur Alcinous cap. 6. vbi hanc disciplinis omnibus superiorem facit & circa diuina constantiaque versari ait. Hic vero eam significari intelligamus quæ de disserendo præcepta tradit: quibus ad cæteras artes viam parat: quæque a Metaphysica, vel à prima sapientia tanto distat, quanto communis artium ministra, ab ea quæ domina est & architectonica. Quæ duo in hoc nomine confundens Thessalus methodicus lib. 9. suarum Animaduersionum, ridicula apodixi, dialecticæ ministræ & instrumenta tantum suppeditantis ab omnium rerum tractationem, id tribuit quod proprium est primæ sapientiæ: quæ certè non illa disserendi instrumenta debet explicare, sed his accuratè vti ad omnium quæ sunt, hoc ipso quod sunt, perfectam cognitionem. Illius verò apodixin, scilicet, audiamus. Doctrina, inquit, quæ suis decretis causas, accidentia, oppositiones, comparationes, diuisiones, definitiones, syllogistica principia ad ens, quatenus ens est, communiter & vniuersaliter tractandum & explicandum, tractat & explicat, est omnium doctrinarum domina. At logica communem illam & vniuersalem doctrinam documentis & inuentionis Topicæ, & dispositionis Analyticæ instruit. Logica est igitur omnium artium domina. Hic, vt arbitror, quia in eiusmodi logico artificio omnibus veteribus & recentioribus philosophis maior vult videri, ista fallaci conclusione persuadere conatur, se in artibus omnibus summum principatum esse adeptum. Thessalico fastu dignum profecto aucupium. Quamquam etiam apud Platonicos, si quis præceptis ad dialecticam ceterarum artium ministram pertinentibus, in omni rerum genere promptè vtatur, illorúmque obseruationibus deducere possit animũ per vmbras non simulachrorum, vt ait Plato 7. de Repub. sed eorum potius quæ vere sunt, atque hunc tandem erigat in contemplationem eius quod in ordine rerum est optimum, is iam euadet in alterum, quem primum philosophum diximus appellari. Plato in Cratylo, cum nomina rebus recte imponere eius esse dixit, qui apte potest interrogare & respondere, hanc curam ait ad dialecticum pertinere. Et in Phedro, postquam exposuit duas artes, vnam componendi, alteram diuidendi, Huiusmodi ego diuisiones collectionésque, inquit Socrates, amo: quo intelligendi

Dial. 3d.

& lo-

& loquēdi sim compos. Ac si quem alium, vnum & multa pro rerum natura perspicere posse arbitror, eius ego vestigia velut cuiusdam numinis sequor. Atque eos qui id facere possunt, rectè ne an contrà cognominem, Deus ipse nouit, voco autem hactenus Dialecticos. Et in Sophista, Per genera diuidere, inquit, & neque eandem speciem alteram putare, neque alteram rursus eandem esse, nonne Dialecticæ officium esse dicemus? THE. Dicemus profectò. Quo verò modo Dialectici appellatione Aristoteles vti soleat, & hunc vt populare artificē, à philosopho, huiusque artem Topicam, quæ est locorum communium, ad probabiliter disserendum, ab Analytica distinguat, à nobis dictum est in Animaduersionibus Dialecticis contra Thessalum, & in præfatione Logici Organi. Sed quia nonnulli in quæstione hac à nobis dissentiunt, & locis aliquot ex eodem Arist. instructi, efficere, conantur nonnunquam apud hunc Dialecticę nomen, vniuersum disserendi artificium sub se complecti, eáque pręcepta quę philosophorum propria, de definiendo & demonstrando, ad Analyticam artem referre solemus, nō ad Dialecticam, de hoc paulo pluribus nunc nobis est agendum. Iam verò locis aliis videmur effecisse, & contra Thessalum nostris persuasisse (quod paulò post repetetur) ex naturali rationis vsu, in vniuerso ratiocinandi siue disserendi artificio duas partes, vt nouas duas artes, ab Arist. rectè esse positas atque distinctas, vnam Topicam, alteram Analyticam: quarum hęc philosophum instruit, vt accuratum veritatis æstimatorem & iudicem, per proprias rerum causas: illa, popularem artificem, ad inuestigandam veritatem disputando in partes contrarias ex communibus, id est ex iis quę sunt in quaque re maximè probabilia. Atque quod popularem hunc artificem Dialecticum ab Arist. nominari diximus, & dialecticam facultatem eam quæ ex probabilibus, hoc quidem illi valdè frequens esse & familiare, concedunt: At hoc solum reprehendunt, quod quodam loco à nobis scriptum est, semper apud hunc nomen hoc probabilitati esse addictum, nunquā verò vniuersum disserendi artificium significare: aut eam partem in se continere, quæ de definiendo & demonstrando præcepta continet. Contra enim proferunt locos duos: vnum ex primo Rhetoricorum, alterum ex cap. 4. lib. 13. Metaph. in quibus illi Thessali plumas, aut nescio cuius Simonis Simonij, in disputatione contra Schegkium, pro suis venditant. Commouerer verò multo magis eo quod idem scribit cap. 1. lib. 1. de animo, aliter Physicum, aliter Dialecticum (quem libro de Interprætatione, & lib. 8. Top. negat quærere quid res sit) iram & vnumquodque cæterorū similium, definiturū. Dialecticus enim, inquit, hanc definiet libidinem vltionis, aut aliquid simile: physicus verò feruorem sanguinis in corde: quorum hic materiam, ille formam atque rationem explicat. Quanquam & hoc ipso loco, populares definitiones & minus accuratas, (qualis illa est iræ quæ à fine, formæ rationem habente, ducitur) Dialecticas nominauit. Sed ad illos duos locos veniamus. Prior est apud Arist. cap. 1. lib. 1. Rhetoricorum ad Theodecten, vbi scribit Dialecticæ esse vel vniuersæ, vel certè cuiusdam partis, de quolibet syllogismo agere. In quo nihil aliud significat quam partem artis Analyticæ priorem, ad perfectionem futuri Dialectici ex probabilibus disputantis, esse necessariam. Quia illa huic suppeditat instrumenta ad disputandum necessaria: ratiocinationem scilicet & inductionem, quorum forma ex ea hauriēda est, materia verò & quasi sylua argumentorum probabilium, ex arte Topica. Ideóque à nobis in præfatione Logici Organi quæsitum est, cur hæc artis Analyticæ pars prior, quæ communia præcepta continet de ratiocinationis & argumentationis formis, arti demonstrandi potius quam Topicæ ab Arist. esset annexa, & vno opere comprehensa. Et Arist. ipse lib. 1. Top. cap. 1. & cap. 10.

postquam ratiocinationem definiuit, eámque in suas species diduxit, & ab inductione separauit, ad horum omnium pleniorem cognitionem nos reuocat ad Analytica. Ergo hoc loco non significatur ab Arist. vniuersum disserendi artificium (quod etiam demonstrandi rationem complectitur) Dialecticæ appellatione contineri: sed ipsam Dialecticam, quã eodem loco vsurpat semper pro facultate disserendi ex probabilibus, indigere antecedente cognitione formarum omnium argumentandi, quæ in hac ipsa Dialectica, vel in arte Topica Dialecticam facultatem instruente, tradenda esset nisi commodè posset repeti: ex arte demonstrandi, cui certis de causis potius est annexa: id est ex priore parte artis Analyticæ: quæ idcirco pars quædam Dialecticæ facultatis ab eodem Arist. esse dicitur. At fortasse illis, in loco altero, qui citatur ex cap. 4. lib. 13. Metaph. plus erit virium, ad id quod defendimus, euertendum. Imo verò nullus locus eo est aptior ad efficiendum quod volumus, Dialecticæ nomen semper ab Arist. vsurpari pro facultate populariter disserendi de omni quæstione proposita ex probabilibus, quæ arte Topica instruitur. Quod vt ab omnibus intelligatur, locum illum accurate expendamus. Rectè Socrates (inquit Arist.) ipsum quid est, quærebat: Ratiocinari enim volebat. Ratiocinationum verò principium, ipsum quid est. Nondum enim tunc erat facultas Dialectica, vt possent absque ipso quid est contraria exquirere, & vtrum contrariorum eadem esset scientia. Vbi Arist. significat primum Socratem de iis, quæ ad vitam & mores pertinebant, ratiocinari conantem, in iis vniuersã quædam notauisse quæ definitionibus explicarentur: quarum assignandarum ratio ante huius tempora erat incognita: sicut notari potest in variis Platonis Dialogis, in quibus hic cum Sophistis loquens inducitur. Ratio verò propter quam Socrates in iis definitionibus primus elaborauit, hæc redditur. Quia volebat ratiocinari. Et cum nunc duo modi sint ratiocinandi, vnus apodicticus, per proprias rerum causas, quæ definitione continentur, alter Dialecticus, per communia & probabilia in partes contrarias, tum nondum erat Dialectica: id est tempore Socratis, nulla adhuc ars erat probabiliter disputandi de quacunque quæstione in partes contrarias. Quare ei reliquum erat vt ratiocinando apodictice philosophice, id est accuratè agere conaretur. At philosophicarum & apodicticarũ ratiocinationum principium definitio. Itaque merito hic philosophando in eam curam potissimum iucumbebat, vt sermonem omnem ad notiones vniuersas reuocaret, quas definitione explicare conaretur: & per hanc tanquam per causam, accuratè de rebus omnibus iudicare. Et certè verum est temporibus Socratis, nullam adhuc extitisse artem probabiliter disputandi de quacunque quæstione, quæ, apud Arist. sicut volumus, semper est Dialecticæ. Quoniam hanc se inuestigare ait initio Top. & eiusdem primum se obseruatorem prædicat, extrema pagina libri de redargutionibus Sophistarum. Si verò, vt isti volunt, eo loco Dialecticæ nomine quodcunque disserendi artificium significaretur, falsò profectò diceretur temporibus Socratis nullam adhuc Dialecticam extitisse. Quoniam eius artificij inuentor Zeno Eleates à Platone variis Dialogis celebratur. Nec exquirere contraria in artificio disserendi alterius facultatis est, quàm eius, quæ ad disputandum ex probabilibus est comparata. Sic enim ab Arist. scriptum est cap. 1. lib. 1. Rhetoricorum, aliarum, artium nullam de contrariis ratiocinari, sed Dialecticam & Rhetoricam, id solas facere. Quoniam vtraque, inquit, de contrariis est: quamuis non similiter res subiectæ se habeãt, sed semper vera præstantioráque, secundum naturam melius syllogismo concludantur, aut, vt simpliciter dicam, credibiliora sint. Aliæ quidem scientiæ contrariorum sunt, vnius ad electionem, siue pro scopo: alterius ad

fugam & deflinationem, vt philosophia moralis boni est, & mali, itémque medicina sanitatis & morbi, vel vnius per se alterius, aduentitia quadam vi. At nulla scientia vtrunque contrarium, pro scopo habet propositum, aut tanquam finem exquirit: facultas verò disserédi ex probabilibus, ad vtrúmque horum comparata est, & plerúmque præteritis definitionibus rerum earum, quæ in quæstionem cadunt, ex communibus, contrarias partes ita disputat vt vtrâmque contrarietatis partem pro scopo pariter habere videatur. Sic enim interpretamur illud, cõtraria exquirere, vel vt Aristoteles loquitur ταναντία ἐνθυσκοπεῖν. Quare cum Socrates de iis quæ ad vitam & mores pertinent ratiocinari vellet: nec posset ratiocinari ex communibus, quod apud Arist. est Dialecticè, Dialectica enim tum nondum erat: id est nulla adhuc ars ex communibus disserendi. Ei reliquum, vt confugeret ad propria. Quæ quia definitione continentur, quemadmodum ex arte demonstrandi didicimus, idcirco idem in iis, quę ad mores pertinebant primus dicitur esse conatus rerum definitiones, ipsis vniuersis accommodare. Quę germana esse videtur eius loci sententia. A qua prorsus alienum est quod isti comminiscuntur, eodem significari rationem definiendi & ratiocinandi ex definitionibus, quæ artis est Analyticæ posterioris, ad Dialecticam pertinere. Quæ cum ita sint permaneo adhuc in priore opinione, de nomine Dialecticæ semper apud Arist. probabilitati addicto: in eáque iis ipsis confirmor quę Thessalus, cum suis nugiuendulis, in partem contrariam afferre solet: etiam si intelligam Platonicos & Stoicos eodem nomine aliter esse vsos.

3 Dialecticæ pro partibus subiicit varias rationes tractãdi ea instrumenta, quæ ad disserendum adhibentur. De quibus duo ad simplices quæstiones pertinent, Definitio & Diuisio, reliqua ad coniunctas. Atque vt in simplicibus diuisio vnum in multa distribuit, definitio multa in vnum colligit: sic in coniunctis inductio à multis singulis, ad vniuersa cõponendo assurgit, ratiocinatio verò contra. Quomodo instrumenta hæc quatuor non solum in singulis tractandis vasebunt, sed in perpetuitate argumenti, quæ est methodi: respondebúntque duabus huius formis, quas sic commendat Socrates in Phædro. Si quis, inquit, duarum specierum in quas modo fortunâ incidimus, vim arte compræhenderit, opus non ingratum fuerit consequutus, PHE. Quas species dicis? SOC. Vt in vnam ideam conspiciens, passim dispersa conducat: quo singula definiens manifestum reddat semper id de quo agitur. Quemadmodum nos in præsentia quid sit amor definimus, siue bene, siue male id factum sit. Certè hinc disputatio nostra claritatem in se habuit, constantémque sibi ipsi concordiam. PHE. Alteram verò speciem quam dicis ô Socrates. SOC. Vt rursus secundum species articulatim pro rerum natura incîdat: neque imperiti coquiritu, vlla membra confringat. Quibus hæc idem Socrates postea subiicit, Huiusmodi ego diuisiones collectionesque, inquit, ô Phedrę, amo, quo & intelligendi & loquendi sim compos. Ac si quem alium, vnum & multa pro rerum natura perspicere posse arbitror, ego eius vestigia velut numinis cuiusdam sequor. Atque eos qui hoc facere possunt, recténe an contrà cognominem, Deus ipse nouit. Voco autem hactenus Dialecticos. Quod verò hoc loco Alcinous ratiocinationis quatuor species facit Apodicticam, Epicheremæticam, Enthimematicam & Sophisticam, id Platonicum dici non potest, quasi vllo loco à Platone in præceptis ista diuisio sit posita. Sed quia apud illum frequentia argumentationum exempla notari possunt quæ ad harum quatuor formarum varietatem, sunt referenda. De quibus multa colligit Bessario Cardinalis cap. 5. lib. 1. contra Trapezuntium. Porrò cum ab Arist. cap. 1. lib. 1. Top. & cap. 1. lib. 1. Analytic. priorum, diuiditur ratiocinatio in

Apodicticam, Dialecticam & Sophisticam, intelligendum est ab illo Dialecticam vocari, quam hoc loco Alcinous Epicherematicam nominat. Et certè Aristot. eodem modo cap. 4. lib. 8. Top. φιλοσόφημα definit ratiocinationem demõstrantem: Epicherema verò ratiocinationem dialecticam, quæ eidem est ex probabilibus. Quanquam veteres varia significatione Epicherema inter argumentationis species retulerunt: sicut docet Fabius cap. 10. lib. 5. Quod autem Enthimema hic imperfecta ratiocinatio dicitur, eadémque Rhetorica appellatur, Aristotelicum etiam est. Si quidem hic lib. 2. Analytic. priorum, Enthimema definit ratiocinationem imperfectam ex verisimilibus, vel ex signis. Et cap. 1. lib. 1. Analyt. post. scribit apud Rhetores exempla pro inductionibus esse: sicut enthimemata pro plenis ratiocinationibus: & 1. Rhetoricorum ad Theodectem, quemadmodum in Dialectica fides fit ratiocinatione & inductione: sic in Rhetorica enthimemate & exemplo fieri solere. De quibus omnibus quanquam sciam pleráque à Thessalo methodico, in Aristotele esse exagitata: ea tamen prætermittam hoc tempore. Quod ad eiusmodi nugarum examen, locus alius mihi sit destinatus, in Commentario nostræ descriptionis logicæ.

4 Apodixi siue demonstratione à causa ducta, animus confirmatur: Probabili verò ratiocinatione, per opinionem in contrarias partes iactatur. Quæ etiam si recta sit, adhuc tamen est infirma, & similis volitantibus statuis Dædali. Quod apud Platonem eleganter explicatur sub finem Menonis. Num igitur, inquit, Socrates, nihilominus recta opinio, quam scientia confert? M E. Hoc vtique minus confert, ô Socrates, quod quicunque scientiam habet, semper assequitur: qui verò rectam opinionem, interdum quidem consequitur, nonnunquam verò fallitur. S O C. Quid ais? Qui recta opinione incedit, nónne quandiu rectè opinatur, semper voti compos efficitur? M E. Necessarium apparet. Quamobrem miror quare cum ita sit, scientia tamen longè præstantior habeatur, quàm recta opinio, & cur vtraq; illarum aliud quidam sit, dubito. S O C. Nostin quam ob causam id mireris? An ipse vis tibi dicã? M E. Dic prorsus. S O C. Quia statuas Dædali nunquã consideraſti: forte verò neque apud nos extant. M E. Quorsum hęc? S O C. Quoniam hæ nisi ligentur, discedunt atque aufugiunt: ligatæ permanẽt. M E. Quid tum? S O C. Ex eius operibus quod solutum est, haud magni fit, instar fugitiui hominis. Neq; enim permanet. Ligatum verò, admiratione dignũ, pulcherrima enim opera sunt. Cuius hæc gratia dico? Verarum opinionum gratia. Hæ quippe quousque stabiles perseuerant, pulchra quædam opera sunt, omniaque bona perficiunt. Attamen diu consistere nolunt, sed ex hominis animo confestim aufugiunt. Quapropter non multi præcij sunt, donec quis illas ratiocinatione à causis ducta ligет. Qui Platonis locus, in distinctione artis demonstrãdi, & probabiliter disputandi, apud Arist. diligenter est obseruandus.

5 Argumentationum fallacium apud Arist. cap. 1. lib. 1. Top. duo genera sunt: vnum earum quæ à communibus ducuntur, sed ab eo qui illis vtitur, detortis in sententiam, à mente eius cũ quo disputatio instituta est, alienam. Alterum in quo propria quidem alicuius scientiæ principia vsurpantur: sed falsam habent interpretationem, & ab ipsa sciẽtia alienam. Vt cum illud, Omnes lineæ ductæ à centro ad ambitum circuli, sunt æquales, tam rectis quàm obliquis lineis accommodatur: aut cum ex eo quod omnium circulorum semicirculi pares inter se esse debent, concluditur duorum circulorum inæqualium semicirculos inter se pares esse oportere. Eas quæ prioris generis sunt Arist. in arte Topica, absolutè Sophisticas & vocat, & dialecticis, quę probabilibus cõstant, ex altera parte opponit: posteriores falsa descriptione niti ait, quòd maximè cõtrariæ esse videan-

tur Geometrarum demonstrationibus, quas idem diagrammata, siue descriptiones solet appellare. Hic sophismaris nomine vtrumque genus est complexus. Sic enim apud Platonem in Euthydemo, Sophismatum varia exempla ad illa duo genera pertinentia enumerãtur. Quod autem ea philosopho necessaria esse ait, non ita accipiendum est, quasi hunc eis ex professo vti velit: sed vt ista in sermonibus aliorum qui veritatis cognitionem impediunt, possit deprehendere. Nempe vt à Sophista differat nõ decipiendi facultate, sed voluntate & electione: quòd idem Arist. scribit lib. 1. Rhetoricorum ad Theodecten.

6 Philosophiæ moralis prima pars, singulorũ mores cõponit atque exornat iis virtutibus quas Platonici purgantes appellãt. Quoniam per eas corporis cõtagione homo repurgatur: cum perturbationes quæ ex illa nascũtur, ad partis animi superioris regulam reuocantur. Per eandémque viri boni hoc consequuntur vt sibi imperent: cum Plato contra lib. 8. de legibus, prauos sui dominos esse neget. Qui verò sibi imperare potest, iam dignus est qui familiæ præsit in eáque vxoris, liberorum & seruorum curam suscipiat. Quibus ex eiusdem Platonis mẽte rectè imperabit, qui prudentia atque iustitia erit instructus. Prudentia quidem qua se ipsum & alios possit dignoscere, rationémq; officij singulis præscribere: Iustitia, vt per hanc idipsum velit, quod rectũ esse prudentia cognouerit: & in eo negligẽtes, aut cõtra officiũ peccantes, pœna reprimere: ne quid illi tale posthac, & cæteri ad peccandũ sint tardiores. Quæ cùm ciuilis imperij ratione eandem, quasi regulã Lesbiã, contineant: hæcque (vt de æquo & bono Arist. scribit cap. 10. lib. 5. Ethic.) pro rebus nouis quotidie interueniẽtibus mutetur, & his se accomodet, à Platone concluditur dialogo de philosophia, & in Ciuili, eundem esse Regem, Tyrannum, Ciuilem, œconomũ, & domihum: multitudine verò & paucitate eorum qui parent, horum imperia distingui. Quòd Aristoteles, sicut in præfatione significarum est, reprehendit in œconomicis & cap. 1. lib. 1. Politic.

7 Philosophiæ in contemplando versantis, tres particulas ponit, in Metaphysicis, Physicis & Mathematicis. De quarum distinctione & ordine nonnihil capite superiore dictum est: plura verò cõtra Thessalum à nobis collecta sunt cap. 3. prælectionum in Sphæram. In Physicis autem astrorum cõuersiones intellige, cum sub obliquitate Zodiaci, intra duos Tropicos illa ita feruntur, vt nonnunquam propius accedere, alias à nobis declinare videantur. Quod Soli manifestè accidit in iis quæ Solstitia nominantur. Si quidem post Solstitium hyemale, hic ad nos redire incipit, verno tempore: post æstiuũ verò à nobis declinat, autumno. Ex quo rerum harum inferiorum, quæ Lunæ sunt subiectæ, primum ordinatę mutationes contingunt, in causis ortus & interitus. Quia virtute cælesti hæ ita reguntur, vt Sol ex eo gignat quòd propè accedit, idémque hoc ipso quòd recedit rebus interitum afferat. Quoniam contrariorum effectuum causæ sunt contrariæ, sicut Arist. scribit ad finem lib. 2. de ortu & interitu. Deinde aliæ maiores mutationes accidũt, quarum obseruatio superat vnius hominis ætatem: ideóque hæ minus quã superiores nobis notæ. De quibus Arist. initio lib. 1. Meteor. & Plato prima parte Timæi. Platonicis autem altera generalis est rerum renouatio, cũ omnia in integrum restituuntur, astris omnibus redeuntibus ad idem punctum à quo ceperunt moueri. Quàm Alcinous hoc loco videtur intellexisse. De hac verò postea pluribus differetur cap. 12. in explicando magno sæculo Platonis, cuius Cicero mentionem facit in Somnio Scipionis.

Quia ad primam philosophiæ partem quæ est de differendo, pertinet vis iudicandi, hæc in animo qualis sit siue in vita hac, siue in altera, quæritur, quoque modo se habeat ad sensum & intellectum, itémque ad scientiam & opinionem.

Cap. 4.

1 Quoniam est quiddam quod iudicat, & est id quod iudicatur, erit etiam aliquid, quod ex iis perficiatur, quòd propriè iudicium vocare possis: Hoc idem propriè dictum iudicium, possit quis appellare [2] iudicatorium. Sed his communius est, ipsum iudicans. Hoc autem duplex, vnum à quo, alterum per quòd iudicatur: quorum illud, intellectus est, hoc, instrumentum naturale ad iudicādum accommodatum. Quòd primo verorum est, deinde etiam falsorum: neque aliud quicquā est quàm ratio naturalis. Apertius autem hoc in iis quæ sunt. [3] Iudex quidem dicatur philosophus, à quo res ipsæ diiudicantur: itémque & ratio, per quam Verum iudicatur, quod modo instrumentum diximus appellari. [4] Duplex autem ratio est: vna quidem quæ omnino incomprehensibilis & certa, altera secundum eorum quæ sunt cognitionem, nunquam fallens. Prior in dei potestate est, hominis verò minimè. Posteriorem etiā homo potest assequi. Sed hæc quoque duplex, vna quidem circa intelligibilia: altera circa sensilia. [5] Quarum quæ circa intelligibilia occupatur, ea scientia est & ratio scieutiam gignens. Quæ verò ad sensilia refertur, ratio opinionis effectrix & opinio. Quare ratio quæ scientiam parit, firmiorum est & constantium: vt pote quæ de firmis & constantibus principiis. Ratio autē verisimilis opinionisque effectrix, maximè probabilium est. Quoniam circa constantia nō versatur. Scientiæ autem

circa intelligibilia, & opinionis circa sensilia, principia sunt intellectio & sensus . 6 *Sensus est affectio animi per corpus, internuntia primò facultatis perpessæ. Quando verò in animo per sentiendi instrumenta rei species sentiendo fuerit impressa (nam in eo sensus est) si eiusmodi species propter temporis diuturnitatẽ non euanescat, sed constans & diuturna seruetur, eius conseruatio memoria nuncupatur.* 7 *Opinio autem memoriæ sensúsque complexio. Cum enim in id incidimus, quod primò sensum mouere potest, ab eóque in nobis sensus efficitur, & à sensu memoria: si postea idem nobis occurrat, superiorem memoriam, cum iterato sensu componimus, & in nobis ipsis iam dicimus, exempli causa, Socrates, Equus, cæteráque eiusmodi. Hæcque opinio nuncupatur: quando superiorem memoriam, cum recente sensu, componimus. Atque vbi hæc inter se consentiunt, opinio vera existit: si verò illa dissident, eadem dicitur esse falsa. Nam si seruans Socratis speciem natam ex eo, quod aliquãdo cum illo sit congressus, Platoni occurrens, putet se ob quandam similitudinem, Socrati rursus occurrere, ac postea Platonis sensum velut à Socrate haustum, cum Socratis memoria componat, opinio falsa existet.* 8 *Id autem in quo sensus atque memoria fiunt, cùm cærea tabula Plato comparat. Cum verò quæ per memoriam & sensum opinione concepta sunt, animus cogitatione sibi iterum effingens, ea respicit vt & illa à quibus ista manarunt: functionem eiusmodi picturam quandam, ac interdum imaginationem idem nominat. Cogitationis verò discursum, animi quasi secum habitãtis colloquium. Sermonem, id quod ab ipsa cogitatione, cum voce per os effluit. , Intellectio autem est actio intellectus prima*

intelligibilia contemplantis. Atque hæc quoque duplex esse videtur. [10] *Vna animi intelligibilia intuẽtis prius quã cum corpore coniungatur: altera eiusdem cum in hoc suum corpus descenderit. Illa quidem priùs quàm animus suum corpus esset ingressus, intellectio vocabatur. At postquàm ipso corpore conclusus est, quæ tum dicebatur intellectio, nunc naturalis cogitatio nominatur: quæ intellectio quædam est, in animo iam corpore concluso. Quoties ergo intellectionẽ, rationis scientiam gignentis principium esse dicemus, non eam quàm nunc dicimus, accipi volumus, sed illam potius quæ animo à corpore soluto, conuenit. Quæ quidem, vt diximus, tunc intellectio, nunc naturalis cogitatio nuncupatur.* [11] *Atque hanc ipsam naturalem cogitationem idem cum simplicem scientiam, tum animi alam, ac recordationem nominat. Ex iis autem simplicibus scientiis constat naturalis scientiæque effectrix ratio, quæ secundum naturam inest. Cum sit igitur ratio duplex, vna ad scientiam accommodata, altera ad opinionem, itémque intellectio & sensus: necesse est & his obiecta quædam existere, qualia sunt intelligibilia atque sensilia.* [12] *Et quoniã in intelligibilibus quædam prima sunt, vt Ideæ, alia secunda, vt species quæ in materia sunt, & ab hac separari non possunt: intellectio quoque duplex erit, primorum vna, altera secundorum. Et quia ex sensilibus quædam prima sunt, vt qualitates, seu color, albedo: alia per aliud aduentitiáque quadam vi, vt album, coloratum, post hæc verò quod concretum est, vt ignis, mel: eadem ratione sensus primus primorum erit, secundus verò secũdorum. Atque prima intelligibilia intellectio diiudicat, non sine ratione scientiam gignente, per comprehensionem*

quandam, ſine diſcurſu. Secunda verò, ratio ſcientiæ effectrix, non ſine intellectione. In ſenſilibus autem ea quæ prima & quæ ſecunda ſunt, ſenſus diſcernit, non ſine ea ratione quæ cũ opinione eſt coniũcta. Id verò quòd cõcretũ eſt, eadẽ ratio, ſed nõ ſine ſenſu. [13] *Cùm igitur mũdus intelligibilis, primum ſit intelligibile, hic verò in ſenſum cadens, concretũ quiddã & coagmentatũ: illũ intellectio cũ ratione diiudicat hoc eſt non ſine ratione: hunc ratio cum opinione coniuncta, non ſine ſenſu.* [14] *Et cum contemplatio ſit, nec nõ & actio: recta ratio haud eodem modo diſcernit ea, quæ in contemplationem & quæ in actionem cadunt. Sed in contemplatione quid verum, quid aliter ſe habeat, exquirit. In iis autem quæ ad actionem pertinent, quid proprium, quid alienum, & quid id quòd agitur. Ex eo enim quod natura inſitam honeſti boníque notionem habemus, ratione vtentes nóſque referentes ad illas naturales notiones, velut ad definitos quoſdam modos, hoc ne an illo modo ſe habeant ea quæ in deliberationem cadunt, diiudicamus.*

Iac. Carpentarij commentarius in idem Cap. 4.

1 In artificio diſſerendi duo ſpectanda ſunt: huius ſeminariũ, quod ad naturã pertinet, & eiuſdẽ cultura in præceptis huius artis poſita. Capite hoc agitur de naturæ ſeminario: proximo, de huius cultura. Quodquidẽ ſeminariũ in eo poſitum, quod ad rerum omnium diiudicationem pertinet, partim nobis eſt cum belluis commune, partim cum ipſo deo: ſed in nobis longè perfectius quam in belluis: imperfectius autem quam in ipſo deo. Quoniam & homo in cognitione rerum, mediam quandam facultatem obtinet inter deũ & belluas. Nam ad rerum omnium cognitionem & diiudicationem cum duo homini data ſint, ſenſus & ratio, in ſenſu cum bellius communicat, in ratione & intelligentia, diuinæ naturæ imaginem habet expreſſam. Sed in ſenſu hoc belluas ſuperat, quod illæ ſingularia tantum apprehendunt, nullas ex iis notiones vniuerſas excitant (quamquam ſcio aliud viſum eſſe Galeno & Cardano, contra quos de eo non diſputo hoc tempore) homo autem ad ſenſum accedente lumine mentis & intelligentiæ, per diſcurſum rationis, ſingularibus inter ſe comparatis in eiſ-

démque notata similitudine, de ijs excitat notionem vniuersam: de qua dictum interpretor ab Aristotele cap. 1. lib. 1. de anima, animal commune aut nihil esse, aut esse posterius: itémque si quid aliud commune dicatur. At idem in ratione & intelligentia eo superatur à deo cælestibúsque intelligentiis, quod in vita hac nihil intelligit nisi per cogitationis discursum, cuius initia hausta sunt ex imaginatione, quæ quamquam interius quiddam sit, cum corpore tamé necessario est coniuncta. Dij autem & cælestes intelligentiæ fruuntur primorum intelligibilium aspectu: imo deus ipse sibi primum est intelligibile. Itaque Alcinous in sequentibus postquam in ratione posuit primum diiudicandi naturale instrumentum, illam spectat & in homine & in deo: itémque vt ad sensum demissam & supra sensum excitatam: quam in deo incomprehensibilem esse ait, & omni ex parte certam: in homine autem penes constantiam eorum quæ sunt, constantem & certam, at propter ea quæ ex corporis contagione nascuntur, infinitis erroribus obnoxiam. Nam certè si circa contemplationem primorum intelligibilium error in hominem cadit, non ex primorum intelligibilium inconstantia, aut mutatione nascitur, sed ex ipso homine, cuius intellectus in vita hac se habet ad prima intelligibilia, sicut oculus noctuæ ad ipsum solem. Si quando verò hic summo philosophiæ munere rapitur à corpore, aut eodem soluitur, tum deo cælestibúsque intelligentiis similis effectus, fruitur aspectu primorum intelligibilium, nec horum cognitionem percipit vllo cogitationis discursu, etiam si ad illam excitatus sit antecedente exercitatione cogitationis, primum in physicis, deinde in mathematicis. Magnum verò hoc ad commendationem artis differendi, quod in eius seminario posita ostenditur propria hominis excellentia: quà hic longo interuallo belluas vincit, & quantam potest cum deo similitudiné assequitur. Etenim nõ potest non iudicari excellentissimũ ea re inter homines præstare, qua ipsi belluas vincunt & ad deũ proximè accedunt. Hoc autem beneficio artificij differendi consequuntur.

2 Κριτήριον, ad verbum iudicatorium interpretamur: propter eius vocis significationem multiplicem, quæ latiniore alio nomine vno vix potuit exprimi. Significat autem primum instrumentum iudicandi & locum iudicij: aliquandóque, vt Alcinous ait ad finem capitis huius, adhibetur ad actionem, cum per id discernimus quid agendum vel fugiendum, aliquando ad solam cognitionem. Deinde hoc quod in homine ad cognitionem refertur, vel in solo sensu consistit, aut in imaginatione quæ sensum sequitur: hóque aut nobis cũ aliis animalibus est commune, aut per ipsam rationem proprium efficitur. De vtroque quædam sunt digna obseruatione apud Galenum initio lib. 9 de decretis Hippo. & Platonis. De priore verò sic loquitur Aristot. cap. 9. lib. 3. de Anima. Quoniam animus is, inquit, ex quo animantes constant, ex duplici via ac facultate definitus est: quorum altera est vis iudicandi, quæ rationis est & sensus, altera qua mouentur loco, de sensu quidem ac mente dictum sit hactenus. De eo autem quod motum affert, quid tandem sit animi videndum est, & cætera. At circa iudicium eiusmodi inter hominem & belluas hoc interest: quod in homine illud liberum sit, & in iis quę ad actionem pertinẽt, boni vel mali imaginibus, quæ ex sensu nascuntur, plerúmque sibi ipsi contrarium: in belluis verò definitũ & à naturæ motu sic profectum, vt illæ hoc immutare nullo modo possint. Quis enim sic natura iudicat lupum pernicioſum, vt aliter apprehendere non possit: & cum eiusmodi esse iudicauit, illum necessario fugit eadem impellẽte natura: nõ tamen, vt paulò ante dictũ est, per vllam lupi notionem ingenitam, etiamsi hoc nonnulli existiment. Homo autem sic corporis voluptatem malam iudicat, vt

possit nonnunquam aliter iudicare: & cum ita iudicauit, eãdem tamen in vita hac amplecti, sicut in iis experimur, quos impotentes appellamus. Idque pro varietate partium vel facultatum in eiusdem hominis animo dissidentium: de quibus postea suo loco differetur. Quorsum verò artis differendi explicationem in doctrina Platonica tradenda, ab hac quæstione de iudicio & iudicatorio Alcinous repetat, intelligi potest ex Cicerone Academica. 1. vbi de dialectica hæc Platonicorum decreta commemorat. Tertia philosophiæ pars, inquit, quæ erat in ratione & differendo, sic tractabatur ab Academicis & Peripateticis. Quanquam oriretur à sensibus, tamen non esse iudicium veritatis in sensibus. Mẽtem volebant rerum esse iudicem: solam censebant idoneam cum crederetur, quia sola cerneret id, quod semper esset simplex & vnius modi, & tale quale esset. Hanc illi ideam appellabant iam à Platone ita appellatam: nos rectè speciem possumus dicere. Sensus omnes hebetes & tardos esse arbitrabantur: nec percipere vllo modo res eas quæ subiectæ sensibus viderentur: quæ essent, aut ita paruę vt sub sensum cadere non possent, aut ita mobiles & concitatę, vt nihil vnquam vnum esset & constans, ac ne idem quidem, quia continenter laberentur ac fluerent omnia. Itaque hanc omnem partem rerum opinabilem appellabant. Scientiam autẽ nusquam esse censebant nisi in animi motionibus atque rationibus. Hoc idem fundamentum sequutos Stoicos, dialectico iudicio (quod solum in hac arte retinuerunt, inuentione ipsi naturæ relicta) penè eadem subiecisse, colligi potest ex Diogene Laertio in vita Zenonis Citiæi. Sextus Philosophus lib. 2. Pyrrhoniarum hypotiposeon cap. 3. in Criterio, quòd ad rerum cognitionẽ adhibetur, quoddam facit commune, aliud proprium, tertium maximè proprium. Rursusq; illud Criterium quòd rationale appellat, vult trifariã dici posse, à quo, per quòd & secundũ quòd: illũdque à quo, hominẽ esse: per quòd, aut sensum, aut intellectum: secundum quòd autem, applicationem phantasiæ, secundum quàm homo aggreditur diiudicare, adiutus vnò ex antedictis, per cogitationis discursum, qui naturæ humanæ maximè proprius.

3 Iudicium antea appellauit actum iudicantis, vel eius quòd iudicare potest, circa id quòd iudicatur, vel potest iudicari. Atque idcirco illud ex duobus perfectum esse dixit, ex eo scilicet quod iudicat, & altero quòd iudicatur. Quoniam omnis muneris functio, consistit in quadam accommodatione agentis ad ipsum obiectum, circa quòd functio exercetur. Nũc id quod iudicat iudicaréue potest, in duo vel etiam in tria distribuit, nempe in hominem: exempli causa, philosophum, in animum & in ipsam rationem tanquam instrumentum. Homo quidem est absolutè qui iudicat: sicut & eum, non item eius animum, Aristoteles cap. 4. lib. 1. de anima, propriè discere ait & cogitare. Id verò quo ille iudicat, partim est animi, partim rationis: sed animi vt causæ principis, rationis vt instrumenti. Quemadmodum & cap. 2. lib. 2. idem Arist. id quod scimus partim animi esse dixit, partim scientiæ qua animus est instructus. Neque verò ipsum instrumentum per quod iudicatur, est vnius modi. Sed animus ratione quam à natura accepit, vt primario instrumento iudicat: hęc, iuuatur aliis quæ ipsa ars suppeditat. Sic enim dicimus à philosppho iudicari animo de quæstionis alicuius veritate, per rationem naturalem instructam iis argumentationum formis quę communis artis differendi præceptis perficiuntur. In quibus omnibus obseruatione dignum est, quo modo apud Platonicos artis differendi fundamenta repetantur ex ipsa natura.

4 Adhunc locum intelligendum spectanda est ex Platonicorum sentẽtia varietas eorum quæ in cognitionem cadunt, & facultatum animi, quæ ad eiusmodi

cognitionem adhibentur. Sunt autem eorum omniũ quæ cognoſci poſſunt, duo prima genera, vnum intellectui obiectum, alterum ſenſui: & in vtriſque quidam primum, aliud ſecundum. Intelligibile quidem omnino primum, ſicut Sol primum aſpectabile, illud idem eſt quod omnia primo intelligit, & in quo, vt omnium exemplari, queruntur cæterorum quæ ſunt, ſpecies & ideæ: ad quas pertinet perfecta noſtra intellectio (primum enim intelligibile, idem eſſe cum primo intellectu, Plotinus confirmat cap. 6. lib. de tribus principiis) ſecũdum autem complectitur numeros & figuras, in quibus Mathematicæ abſtractiones conſiſtunt: deinde rerum formas cum materia coniunctas, non vt in rebus ſingulis ſunt circumſcriptæ & numerabiles, ſed vt in communi ratione ſpectantur. In iis verò quæ ſenſum mouere poſſunt, vel vt noſter Alcinous paulò poſt ſcribit, prima erit affectio ſua ratione quoad poteſt, à ſubſtantia ſeparata, vt color: ſecunda, ipſa ſubſtantia qualitate affecta, vt corpus coloratum: vel, ſicut nonnulli Platonici tradunt, etiam primo ſenſum mouere dicetur omnis ſubſtantia corporea ſuis qualitatibus affecta: ſecundo, vmbræ & imagines corporum, ſiue in aqua, ſiue in ſpeculis apparentes, de quibus poſtea differetur cap. 15. libri huius. Hæc autem eodem modo ſe habent ad corpora, quo Mathematicæ formæ ad veras rerum omnium rationes, quæ idæis continentur. Iam verò primi intelligibilis, in ſolo deo omnino abſoluta eſt intellectio: per quàm ſe ipſe perfectè intelligit & in ſe cætera omnia, nobis hæc omnino incomprehenſibilis ſecundum ſuam perfectionem. Inchoata verò tantum: prout in vita hac philoſophiæ ſcopum aſſecuti, deo ſimillimi efficimur. Quoniam ad illud natura clariſſimum (quod Ariſtot. ſcribit lib. 2. Metaph.) ſe habet noſter intellectus, ſicut oculus noctuæ, ad Solẽ: vel omnino vt aſpectus ad primũ aſpectabile. Quod Plato etiam teſtatur lib. 7. de rep. Secundi autem intellectio eſt cum cogitatione coniuncta, aut cogitationis quidam diſcurſus eſt, ad illam priorẽ intellectionẽ aſpirans. In reliquis quæ ſenſum mouere poſſunt, prima eſt ipſius ſenſus perceptio: quàm ſequitur viſio, vel imaginatio. Deinde rerum perceptas imagines memoria conſeruat: ſicut has aliqua ex parte obliteratas, vel cõfuſas, ipſa recordatio renouat, vel diſtinguit. Per quas rationis quidam diſcurſus, cogitationis eſt: ſicut eo peracto de bono vel malo, vero vel falſo, quædam interior affirmatio vel negatio, opinionis eſſe dicitur. Porrò in prima & ſecunda functione ſenſus, diuiſioni ſenſilium, quæ hoc capite proponitur, reſpondet quod Ariſt. ſcribit cap. 6. lib. 2. de Anima, quædam ſentiri primo & per ſe, vt qualitates ſingulis ſenſibus proprias: alia per aliud & aduentitia quadam vi, vt ſubſtantias illis qualitatibus affectas.

Plato in Theæteto ſcientiam propriè eſſe vult interioris eſſentiæ, quæ in multis ſimilitudinem cõmunionémque naturę continet: ſenſum autẽ, affectionũ quæ illius eſſentię comites ſunt, in illáq; diſſimilitudinẽ pariunt. Vt ex eo intelligamus ſcientiã idearũ eſſe, quæ continent rei cuiuſq; eſſentiam: ſenſum, ſingularũ imaginũ ideis participantiũ, & affectionum quæ in illas cadunt & potiſſimũ ipſius materię conditionẽ ſequuntur. Sicut apud Ariſt. illa vniuerſaliũ eſt, per priores cauſas eſſentiæ: hic rerũ ſingularum, per affectiones natura poſteriores. Idem vero Plato in Philebo, ſenſum vocat motum in cõmuni corporis & animi paſſione factũ: atque eodem loco opinionis originem ſic explicat. SOC. An nũ ex ſenſu ac memoria in nobis opinio naſcitur & ipſum opinari poſſe? PROT. Præcipuè. SOC. Nõne ſic circa hęc nos habere putãdũ? PROT. Quo modo? SOC. Vt fateare hominẽ nonnunquam procul aliqua confuſè cernentẽ, cupere clarius quę cernit diſcernere? PROT. Fateor equidẽ. SOC. Id igitur ſic à ſe ipſo quodã modo ſciſcitabatur. PROT. Quo pacto inquis? SOC. Quidnã illud eſt quòd

iuxta saxum sub arbore procul apparet? An hæc ille proferre secum videtur, dum eiusmodi quędã aspicit, cuiusmodi sibi quandóq; apparuerunt? PROT. Quidni S O C. Deinde velut sibi ipsi respõdés, homo est, inquit, tanquã rem iã assecutus P R O. Nimirum. S O C. Rursus fortè mutata sententia, opus quoddam à pastoribus fabricatum esse asserit. P R O T. Maximè. S O C. Hic si quis adsit eadẽ quæ animo secum ipse volutabat, in vocem effundens, rursus præsenti diceret, ac sermo tunc fieret, quod ante opinioné vocabamus. P R O. Manifestum. S O C. At si solus hic sit, hoc idem secum ipse repetens & diu quandoque in se ipso seruans procedit. P R O. Prorsus. S O C. Quid ergo? Idémne tu hic quod ego, sentis. P R O. Quid istuc? S O C. Videtur mihi tunc hominis anima libro cuidam persimilis. P R O. Qua ratione? S O C. Memoria in idem cum sensibus incidẽs & illæ, quæ circa ista passiones sunt, verba quædam in anima inscribere mihi videntur: cúmque vera conscribunt, passionem eiusmodi veram opinionem dicimus, & orationes in nobis veræ ab hoc ipso proficiscuntur. At cum scriba hic noster, falsa scribit, contraria veris eueniunt. P R O. Omnino ita mihi videtur, & ea quæ dicta sunt libenter accipio. Aristoteles cap. 26. lib. 1. Analyt. Post. Opinionem definit propositionis nullo certo argumento confirmatæ, compræhensionem non necessariam. Docétque eandem rem in opinionem & in sciẽtiam posse cadere: sed non eodem medio siue argumento, nec eadem ratione rei eiusdem factam compræhensionem, opinioni & scientię posse attribui. Proclus cap. 1. Cõment. 1. in Euclidem, hæc ex Platonicorum doctrina ita distinguit, vt velit Platonem eorum quæ sunt, cognitiones primis, mediis & postremis substantiis diuisisse: primarumque quæ sine materia sunt & summa puritate præditæ, intellectionem vocauisse: postremarum, quæ cum sensu coniunctæ, opinionem, quæ obscuram veritatem est nacta: mediarum, quales sunt mathematicæ, cogitationem. In quibus idem Proclus naturalis Criterij tres gradus ex eadem Platonicorum doctrina acutè distinguit. De his verò vide quæ à nobis collecta sunt cõtra Thessalum Methodicum cap. 6. prælectionum in Sphæram.

6 Plato in Theæteto, scribit belluis & hominibus ingenitam esse facultatem qua passiones per corpus in animam manantes sentiunt. In quo corpori nullum sensum tribuit: sed sensus functiones in eo tantum vult declarari: ideóque quos alij quinque sensus externos appellant, hic tantum esse vult sentiendi instrumẽta, per quæ rerum obiectæ imagines, ad interiorem sensum, quem communem nominant, deferantur. Sic verò & Arist. cap. 2. lib. de sensu, negat animum eum qui videt, in extremo oculo situm, sed intra nos esse. & cap. 2. lib. 3. de Anima, necessaria, vt opinor, ratione confirmat, interiorem sensum vnum communem esse ponendum, qui omnes rerum obiectarum imagines per diuersas corporis partes organicas recipiat, per eásque de rerum obiectarum differentiis solus iudicet. Ex quibus facile de eo constitui potest quod etiam ad hunc locum pertinet, vtrũ sensus actio quædã sit, an vero passio? Primum enim partẽ corporis organicã dum animo subseruit, rerúmq; obiectarum differẽtias excipit, propriè pati certũ est, vel ex eo quod tẽpore defatigatur & langueſcit, animi substantia eodẽ modo se habẽte. Ideóq; si senex oculum iuuenis reciperet, nõ minus acutè videret quam iuuenis. Quod idẽ de reliquis animi facultatibus est intelligendũ. Si quidẽ illę, vt ait Arist. ca. 4. li. 1. de Anima, senescere videtur, nõ quod animus aliter quã prius affectus sit: sed quia corpus in quo habitat: quẽadmodũ in ebrietatibus & morbis cõtingit. Iã de animo vtrũ patiatur, & quo modo, quæstio est. Qui si pro imagine, verè eã qualitatem, quæ sensum mouere dicitur, exciperet, reuera pateretur: vt si sentiendo candorem, verè ipso candore inficeretur. At quia pro

eiusmodi qualitate corporea, imaginem tãtum incorpoream de illa, admirabili quadam ratione excitatam, recipit, non absolutè pati, sed quodammodo, dicitur. An igitur cum omne quod patitur, ab alio agente patiatur, animus ab obiecto agente patietur, sensúsque animi passio, obiecti actio ita esse dicetur, vt ab hoc, non ab animo, sit ipsius sensus perfectio? Sic enim Arist. docet in physicis, motum perfectionem esse ab agente profectam, in patiente receptam. Minimè verò. Sed cum in ipso sensu interiore duo insint, receptio imaginis & iudicium de obiecta re per imaginem, in priore animus quodammodo patitur, in posteriore agit. Hoc verò est quod ipsius sensus summam perfectionem continet: cuius inchoatio tantum est in antecedente externi obiecti actione. Sic ex Plotino & D. Augustino scribit Marsilius Ficinus cap. 6. lib. 7. Theologiæ Platonicæ, animum cum sentit in corpore, non ab illo aliquid pati, sed in eius passionibus attentius agere. Vt sensus animaduersio sit operationis illius attentioris, aut iudicium de corporea passione & qualitate, excitatum ab attentiore illa animi actione. Quæ duo in sensu nonnulli obseruantes quæsiuerunt, vtrum hunc, sicut & intellectum, in agentem & patientem distinguere oporteret. De quo disputatur ab Augustino Nipho, vno libro de sensu agente & patiente.

7 Opinionem hic ex Platonis sententia appellat appræhensionem sensilis obiecti, sub imagine rei iam antea sensu perceptæ, & in memoria reconditæ: quæ imaginatio quædam est. Ideóque opinionem pro imaginatione videtur vsurpasse, vel ipsam imaginationẽ, opinionem appellasse. In quo Plato ab Aristotele reprehensus est cap. 3. & 11. lib. 3. de anima. Rationes autem Arist. ad efficiendum imaginationem nec esse opinionem absolutè, nec opinionem cum sensu, nec per sensum haustam, nec opinionis & sensus cõiunctionem, colligentur à nobis vbi de eadem quæstione Platonis sententia erit perspecta. Quoniam ea non sine obscuritate esse videtur. Hic in Sophista, veritatem & falsitatem primo spectat in oratione, ex relatione quadam ad rem quæ per hanc significatur (sic enim & ab Arist. dictum est in Categoriis, & libro de interprætatione, ab eo quod res est, vel non est, orationem dici veram vel falsam) deinde hæc eadem transfert ad cogitationem, opinionem & imaginationem, de quorum comparatione ita disserit. HOSP. Quid de cogitatione, inquit, opinione & imaginatione dicimus? nónne iam cõstat quod hæc omnia genera, tum vera, tum falsa, in animis nostris efficiuntur? THE. Qua ratione? HOS. Sic intelliges facilè, si prius quid vnumquodque istorum sit, quóue inter se singula differant, acceperis. THE. Exhibe modo. HOSP. Nónne cogitatio & oratio idem? nisi quod cogitatio dicitur illa ipsa sine strepitu vocis interior collocutio, qua se animus noster alloquitur? THE. Penitus. HOS. Sed per os effluxus prolationis ab illa, oratio nuncupatur. THE. Verum. HOS. Quinetiam in oratione hoc animaduertimus. THE. Quid? HOS. Affirmationem inquam & negationem. THE. Nempe. HOS. Quando igitur hoc in anima per cogitationem, silentio fit, potéstne alio quam opinionis nomine nuncupari? THE. Nequaquam. HOS. Quid verò? cum non per ipsam, sed per sensum rursus talis passio accidit, potéstne aliter quam imaginatio nominari? THE. Non aliter. HOS. Postquam oratio partim vera, partim falsa esse apparuit: cogitatio verò interior, ipsius animæ collocutio: opinio verò cogitationis conclusio, in qua memoriæ sensúsque commixtio reperitur, necessarium esse videtur vt cogitationes opinionésque partim veræ, partim falsæ sint: quippe cum sint orationi cognatæ. Similis locus est apud eundem Platonem, in Theæteto. Hoc, inquit, Socrates, mihi videtur, cogitantem scilicet animam nihil aliud agere quam secum ipsam differere, interrogando, respon-

do, affirmando atque negando. Postquam verò definir, idémque siue tardius, siue velocius animaduertens, asserit, neque vagatur, hãc ipsam opinionem ponimus. Deinde paucis interiectis, de veritate & falsitate in opinione, ita disserit. Restat, inquit Socrates, vt falsa in hoc opinemur, quando te Theodorúmque cognoscẽs seruánsque in cærea effigie vtriusque figuras, longo ex tempore, tanquam annulorum vestrorum signacula, neque acutè cernens vtrósque, tento proprium vtriusque signum propriè visioni attribuendo, eius accõmodare vestigio, vt agnitio fiat: sed aberro & instar eorum qui commutatis calceis errant, commuto, & vtriúsque visionẽ ad alienum simulachrum transfero, & similia quædam patior his, quę in speculis trãsuerso resultant, cum aspectus dextera in sinistra commutat. Atque ita decipior, nascitúrque aliena opinio, & id est, quod falsa opinari vocatur. Quibus duobus locis Plato videtur significare voluisse, non tam fortasse opinionem imaginationem esse, aut contrà: quam opinionem ad interiorem cogitationis discursum, eodem modo se habere quo imaginationem ad sensum. Vt enim cogitationis discursus in opinionem desinit, quæ illius quædam est conclusio: sic sensus in imaginationem. Atque vt in opinione, consensio cum re, veritatem continet, dissensio falsitatem: sic imaginatio vera est, quæ rem apprehendit sub sua imagine, falsa, quæ sub aliena. Nunc quid contra Aristoteles disputet, audiamus. Hic cap. 3. lib. 3. de anima, habitus siue facultates quatuor in nobis statuit quibus inest veritas & falsitas, Sensum, Opinionem, Intelligentiam & scientiam: à quibus omnibus imaginationem vult esse separatam. Atque illud quidem vt manifestum ponamus hoc tempore, illam neque scientiam, neque intelligentiam esse. De reliquis duobus idem differit hoc modo. Imaginationem non esse sensum, hinc intelligi, quod cum sensus, vel vt habitus & facultas, vel vt functio dicatur, imaginatio quæ nobis dormientibus viget in somniis, neque ad habitum sensus, neque ad functionem referri possit. Deinde quod sensus omnibus animalibus insit: imaginatio non item. Quódque sensus aut semper, aut magna ex parte verus sit: imaginatio verò contra, magna ex parte falsa. Eandem verò opinionem dici non posse, hoc potissimum argumento colligit, quod omnis opinio cum quadam persuasione sit cõiuncta, quam parit rationis discursus: at hic in belluas nullo modo cadit, cum quibus si non omnibus, at certè quam plurimis, ipsa imaginatio nobis est communis. Adde quod Solem intuentes, imaginamur pedalem: de quo tamen contraria opinio est, & assensio vera, quod tota terra longè maior sit. Et omnis opinio necessario cum assensione coniuncta est: imaginatio verò plerúmque sine hac. Ad id verò quod paulò post sequitur in Alcinoi contextu, de comparatione cogitationis cũ sermone, pertinet quod Democritus & Epicurus, sermonem in voce, rationis flumen appellauerunt. Quoniam, vt aiunt, quando ratio stillat in linguam, frangitur aër & fit verbum. Sic fons est ratio, riuus verò verbum, quod in fonte cum Deo conuenit: in riuo autem ac flumine, cum homine. Vtque nihil est in riuo, quod non prius fuerit in fonte: sic nihil esse debet in sermone, quod non prius fuerit in eo animi conceptu, qui rationis est. In superiore comparatione veritatis & falsitatis cum re, cogitatione, opinione & oratione, illud quæri potest, an oratio cũ cogitatione & conceptu consentiens, à re autem dissentiens (id enim potest contingere) vera, an falsa sit. Vt si cum re vera dormias, cogitatione concipiam te vigilare, atque ita oratione enuntiem, vera ne erit oratio, quia conceptui respondebit, an falsa, quia à re dissidet, per medium conceptum cui est consentanea? Iulius Scaliger exercitatione secunda contra Cardanum, orationem falsam esse negat, nisi quis volens mentiatur. Non enim,

inquit, falsa dicit (id est, vt interprætor, conceptus animi non falso enuntiat: si quidem iis in sua oratione respondet) qui se verum putat dicere: sed falsas apprehensas, verè enuntiat eiusmodi apprehensiones. Vt tum falsitas sit in notionibus cum rebus ipsis conferendis: non item in oratione relata ad notiones, quas vt sic dicam, immediatè repræsentat & explicat. Ad hanc quæstionem vide quid apud nostros interfit inter mendacium dicere, & mendacem esse.

8 Animum qui rerum obiectarum imagines recipit, cæræ similem esse Plato vult in Theæteto: ex eóque causam ita explicat cur de hominibus nonnulli memoria plurimum valeant, alij non item: aut in percipiendis imaginibus quidam facilius decipiantur, alij difficilius. Cum in alicuius animo, inquit Socrates, cærea effigies profunda & multa leuisque & probe subacta est, quæ per sensus influunt, in hoc insculpta quod Homerus animi cor vocauit, cæræ hanc similitudinem intelligens, vt pote pura signacula & funditus insidentia, diuturna fiunt. Ac primo homines sic instituti, dociles sunt & acuti, deinde etiam memores: postremo simulachra sensuum non commutant, vnde vera nimirum operantur. Nam cum sint ea perlucida & ampla in regione, velociter distribuunt, diuidúntque in propriam effigiem singula: quæ quidem existentia veráque vocátur, virique tales sapientes esse dicuntur. An non idem tibi videtur? THES. Mirum in modum. SOC. Quando igitur densum alicuius est cor, quod sapientissimus Poëta laudauit, vel cum lutulentum, nec ex defecata cæra, vel molle nimis, vel durum, non rectè omnino se habet. Nam mollis nimium cæra, celeres quidem ad percipiendum efficit, sed eosdem obliuiosos. Dura verò contra, diu memores, sed ineptos tardósque ad percipiendum. Et qui densam & asperam, lapideámque vel terream, vel feculentam habent, obscura simulachra continent: obscura quoque qui duram: profunditas quippe non adest. Obscura præterea qui molliorem: nam ex confusione facilè euanescunt. Quod si præter hæc, inuicem quoque congesta sint, ob sedis ipsius angustiam, si quidem exigua sit animula, obscuriora quoque illis simulachra fient. Homines ergo huiusmodi omnes quales descripsimus, ad opinionem falsam proni redduntur. Nam cum quid vident, aut audiunt, aut cogitant, quia singula singulis reddere mox nequeunt, tardi sunt præuaricantúrque. Nam peruersè vident plurima, audiúntque & aliud sæpe pro alio, cogitando decepti concipiunt, atque hi falsi, mentiêtes, ignari vocantur. Eandem ferè similitudinem secutus Aristoteles cap. 1. lib. de memoria & recordatione, ita scribit. Perspicuum est, inquit, intelligẽdum esse eam affectionem quæ per sensum & in animo & in ea parte in qua ipse insit, gignitur, & cuius habitum memoriam esse dicimus, picturæ cuiusdam speciem gerere. Motio enim ea quæ oritur, consignat quasi notam quandam sensum: quemadmodum hi qui aliquid obsignant, annulis faciũt. Quocirca hi, qui in magno motu vel propter animi perturbationes, vel propter ætatem versantur, non valent memoria. In iis enim perinde fit vt si in aquã profluẽtem motus annulúsque imprimantur. In aliis propter firigoris incommoda, sicuti antiqua ædificia, vt propter duritiem eius partis quæ motum accipit, vestigium & quasi simulachrum non imprimitur. Itaque qui admodum pueri & senes, obliuiosi sunt & immemores. Motu enim agitantur, illi propter incrementum, hi propter decessionem. Platonici & Peripatetici in hac similitudine cauere volunt, quod paulo antè disputanimus, ne scilicet propter hæc existimemus animum in sentiẽdo aut recordando, recipere vel pati potius quàm agere. Quare Plotinus cap. 1. lib. de sensu & memoria, negat in sensuum functionibus vllas contingere in animo formationes, vel impressiones: aut memoriam esse disciplinarum sensuúmque conseruationem

tionem quasi figura quædam seruetur in animo. Quoniam, inquit, neque ea extrinsecus accepta est. Deinde quomodo ea cognoscat vel recordetur, idem cap. 3. ita docet ex Platonicorum sententia. Ante omnia, inquit, non est mirandum, imo verò mirandum quidem, non tamen incredibile, quod tali potestati animæ attribuimus. Eam scilicet nihil in se accipientem, ea tamen quę non accipit, animaduertere. Animæ námque natura est omnium ratio. Ratio, inquam, intelligibilium, & eorum quæ illic sunt vltimæ: eorum verò quæ sunt in vniuerso sensibili prima. Quapropter ad vtraque vergit: & à superioribus quidem bene afficitur atque reuiuiscit: ab inferioribus autem quadam similitudine fallitur, & tanquam delinita prolabitur. Cũ igitur sit in medio cõstituta, nimirum percipit vtraque: & superiora quidem dicitur intelligere, in memoriam scilicet reuocata: si quidé illis incubat. Cognoscit autẽ propterea quod quodammodo est hæc ipsa. Nempe non cognoscit ea, collocando eadem in se velut in sede: sed quodammodo hæc habendo, atque intuendo: atque ex eo quod anima hæc ipsa est obscurius: & ex habitu quodam obscuriore velut experrecta euadit: lucidius eadem & ex potentia prodit in actum. Sensibilia quoque similiter quasi coaptans hæc ipsa secũ, efficit vt effulgeant, & ante oculos ponit: Quippe cum vis animæ etiam prius ad id præparata sit, eadémque parturiat. Similis est sententia Prisciani Lydi cap. 5. Cõmentarij in librum Theophrasti de Anima. In superiore autem Platonis loco obseruandum est, animę sentientis atque memoriæ sedem in corde potius quàm in cerebro videri positam. Sed hoc fortasse magis ex Homerica lõquendi consuetudine, cuius testimonio eo loco vtitur, quàm ex Platonis sententia. De qua postea accuratius disputabitur cap. 14. & 17. lib. huius.

9 Plato in Phedone, scribit animum nostrum fuisse prius quam in corpus laberetur, tũmque eum per ingenitas ideas, rerum omnium cognitionem habuisse: deinde acceptam antè ortum scientiam, corporis contagione amisisse: quam sensibus adiuti in vita hac, recordatione renouemus: eo scilicet labore quem in discendo ponimus. Disciplinam verò nostram vitæ tantum superioris esse recordationem, hac ratione confirmat. Quod homines si de rebus quas in vita hac nunquam didicerunt, apto ordine interrogentur (vt in Menone pusio de dimensione quadrati) statim vt docti respondeant. Quod facere non possent, nisi per scientiam rerũmque omnium rationem ingenitam. Quare ad animi immortalitatem confirmandam, hoc potissimum argumẽtum idem esse arbitratur, quod si animus fuit ante corpus hoc, necesse quoque sit vt cum è corpore excesserit, eandem recipiat conditionem, qua fruebatur prius quam cum illo coniungeretur. Quæ cum in Menone, Phedro, Phedone & 10. de Rep. apertissimè dicta sint de tempore corporis ortum antecedente, Marsilius tamẽ, vt Plato videatur cum nostra religione magis consentire, cap. 4. lib. 17. Theologiæ Platonicæ, scribit fortasse apud Platonem animos corporibus priores fuisse, nõ tempore, sed naturæ dignitate. Sed quid hoc ad animi immortalitatem, ad quam confirmandam ille hoc argumento vtitur? Melius hac in parte D. Augustinus cap. 31. lib. 10. de Dei Ciuitate, obseruat, Platonicos animum ponere Deo coeternum: quod credere nollent quicquam sempiternum esse posse, quod antea semper non fuisset. Apud Arist. verò quanquam certum sit ex cap. 3. lib. 2. de animalium ortu, & cap. 5. lib. 3. de Animo, mentem extrinsecus aduenire, à corpore separabilẽ esse, & immortalem, nec huius actionem cum corpore communicare, eius tamen qui singulis hominibus est proprius, non videtur vllam conditionem, aut ingenitam cognitionem agnouisse prius quam cum corpore coniungatur. De quo postea accuratius disputabitur. Ex hac verò sententiarum diuersitate accidit, vt animus

noſter quando vitam hanc ingreditur & primũ cũ humano corpore cõiungitur, Platoni in Philebo ſimilis ſit tabulæ raſæ, in qua rerum formæ obliteratæ ſunt, per eam obliuionem quam corpus attulit. At apud Ariſt. ſicut antea obſeruatum eſt, tabulæ nudæ, in qua nihil vnquam fuit efformatum, reſpondere dicitur lib. 3. de Anima. Quæ duo in Peripateticorum doctrina quidam non ſatis accuratè diſtinguunt. Quorum error in Theſſalo methodico, à nobis detectus eſt cap. 2. prælectionum in Sphæram

10 Animus apud Platonem, eſt qui cum ſuo corpore coniunctus animal vnũ facit, ex proprio corpore vitáque per hoc diffuſa. Intellectus autem ſiue mens, animo ſuperior, cum hoc tamen vnitur: vt in mundo, tanquam animali omnium maximo, ex eiuſdem ſententia poſtea pluribus explicabitur. Ergo intellectus à corpore ſeparati operatio, ea eſt intellectio quam Alcinous priore facit: quæ ſcilicet eſt primorũ intelligibilium intuitus, ſine cogitationis diſcurſu. Altera verò eiuſdem in corpore, iam naturalis eſt cogitatio, ſiue vt ait, intellectio quędam in animo corpore concluſo. Quanquam enim intellectus noſter etiam cum in ipſo corpore eſt, functionem habeat ſuam, in qua cum illo non communicat, ad intelligendum tamen diſcurſu vtitur à pręcognito ad incognitum, qui proprius eſt cogitationis, quæ διανοία nominatur. Primúmque excitatur ducto initio à corporeis ſenſibus. Quorum cognitio prima & ſine medio eſſe dicitur ab Ariſt. cap. 1. lib. 1. Analyt. Poſt. Hac verò ſecundum Platonẽ rerũ ſpecies obliuione obſcuratæ, & magna ex parte obliteratæ, per illum cogitationis diſcurſum quodãmodo renouantur. Atque idcirco appellatur quædam intellectio in animo corpore concluſo, & ſic intelligendo, cum corpore neceſſario communicante. De quo poſtea accuratius in quæſtione de animi immortalitate.

11 De animi alis quibus per multos circulos ille tandem in cœlum euolat, ſic Plato in Phedro. Regula Adraſtiæ Deæ, id eſt ineuitabilis numinis, hæc eſt, inquit, vt quæcunque anima Deum comitata aliquid verorum inſpexerit: ea vſque ad alium circuitum ſit indemnis, & ſi ſemper hoc facere queat, ſit ſemper illæſa. Si verò impotens aſſequendi, non inſpexerit, & caſu aliquo vſa repletáque opinione & prauitate, grauetur, grauata autem pennas cõfregerit, in terramque reciderit, tunc prohibet lex hanc in prima generatione in aliquam brutalem ire naturam: ſed iubet eam quæ plurima viderit, in genituram viri philoſophi, aut pulchritudinis cupidi, atque amatorij: eam verò quæ ſecundo loco, in regem legitimum, aut bellicoſum virum, aut imperatorium deſcendere. Tertio in gubernatorem Reipub. aut rei familiaris diſpenſatorem, vel quæſtuarium. Quarto in laborioſum gymnaſticum, aut circa medelam curámque corporis verſaturum. Quinto in eos qui vates futuri ſunt & circa myſteria quædam. Sexto in poëtam, vel alium quenuis eorum qui aptè in imitatione verſantur. Septimo in artificem, vel agricolam. Octauo in Sophiſtam & popularem. Nono in Tyrannicum. In iis omnibus quicunque iuſtè vitam egerit, ſortem poſtea nanciſcitur meliorem: qui verò iniuſtè, deteriorem. In idem enim vnde profecta eſt cuiuſque anima, annorum decem millibus non reuertitur. Nam alas ante hoc ſpatium non recuperat: præter illius animam qui philoſophatus eſt ſine dolo, vel vna cum ſapientiæ ſtudio pulchritudinem adamauit. Hæ quidem tertio ambitu millę annorum, ſi ter hanc ipſam elegerint vitam, ſic recuperatis alis, poſt tria millia annorum euolant abeuntes. Ex quibus intelligi potęſt alam ab eo appellari, animo inſitum igniculum per quem ad celeſtia erigitur. Qui cum in ea animi noſtri parte qua contemplamur, ipſius veri cupiditate excitetur: in altera autem quæ ad actiones pertinet, ipſius boni amo-

re, fit vt cum re vnum sit ipsum bonum & ipsum verum, duabus alis coniunctis pro duplici animi nostri functione in vita hac, ad illud à quo sumus profecti, contendamus. Marsilius Ficinus cap. 4. commentarij in Symposium, hoc interpretatur de duplici animæ lumine. Habet anima, inquit, lumen geminum: naturale vnum, siue ingenitum, alterum diuinum & infusum. Quibus vnà coniunctis, seu duabus alis, per sublimen peruolare valet regionem. Et cap. 5. commentarij eiusdem. Mens, inquit, propriæ lucis indagine ad diuinam lucem recuperandam vehementissimè instigatur. Instigatio verò appetitioque huiusmodi, verus est amor: quo duce dimidium hominis alterum, alterum eiusdem dimidium concupiscit. Quia naturale lumen, quod animi dimidium est, lumen illud diuinum, quod alterum eiusdem dimidium dicitur, olim neglectum accendere rursus in animo nititur. Ad eandem sententiam pertinent quæ dicuntur à Plotino libro de triplici ascensu ad mundum intelligibilem.

11 Hic certum est Alcinoum agere de primorum intelligibilium in nobis cognitione: ad quam vita hac aspiramus, ratione discurrentes, beneficio cogitationis per varias formas cum materia coniunctas: in quibus ipsius primi intelligibilis vis quædam est adumbrata. Secunda vero intelligibilia, id est naturales formas cum materia coniunctas, negat nos cognoscere sine ea ratione, quæ cum opinione cohæret. Quia in illis quæ scientia à nobis quæritur, ea ab affectionibus essentiæ ducit initium. Opinio autem, sicut antea dictum, est memoriæ cum sensu quædam coniunctio. Quorum vtrúmque, sicut apud eundem Platonem est in Theæteto, pertinet ad affectiones rerum & essentiæ imagines, non ad ipsam essentiam. Sicut ipsius concreti (quod quia mutabile est in scientiam cadere non potest) cognitio opinione comprehensa, à sensu ducit initium. Ergo his gradibus philosophia duce, animus noster in cœlum reditum parans, per sensum & memoriam, opiniones primum sibi conformabit. Ex iis quæ in opinionem cadunt, ad secunda intelligibilia aspirabit: tandémque in purioribus mathematicorum abstractionibus exercitatus, à naturalibus formis ad intelligibiles, id est ad ideas se referet: & per ipsas ideas ad diuinam mentem qua illæ comprehenduntur: ab hac denique ad ipsum bonum idearum omnium principium, quod idem est primum omnino intelligibile. Atque quemadmodum primum aspectabile, id est ipse sol, oculo non modo videndi vim largitur, sed etiam actum: sic primum hoc intelligibile dat nostro intellectui primam vim intelligendi. Vtque circa oculum nihil amplius humana ars conatur, quàm vt eum purget & ad aspectabilia conuertat: ita in nostro intellectu philosophia, quæ huius cultura est, duo præstare potest: nempe vt eum purget à perturbationibus & falsis opinionibus, & à sensilibus formis ad ideas conuertat. Atque sicut sol aspectabilium lumen, oculo quando iam couuersus est, monstrat ea quæ sunt aspectabilia: sic ipsum bonum, quod idem est primum intelligibile & reliquorum intelligibilium lumen, ea quæ ad intelligendum proposita sunt, nostro intellectui detegit. In quam sententiam, vide etiam librum Procli de anima & dæmone: in quo docet quo modo per multos gradus contemplando à multitudine ad vnum ascendamus. Est verò etiam loco hoc, alioqui difficili & obscuro, aliud obseruandum. Nempe quod in primis intelligibilibus diiudicandis dominari vult mentis intellectionem: quæ vt dictum, posità est in fruitione illorum per intuitum: accedere verò quasi comitem, vel potius prænuntiam, rationem eam quæ coniuncta cum cogitationis discursu. In secundis contra, hanc rationem cum cogitationis discursu, primum locum

obtinere: ad eam accedere mentis intellectionem. Atque in sensilibus prima & secunda, ab homine cognosci (de huius enim sensu locus hic intelligendus) per sensum quidem, sed accedente ad hunc ratione, quæ cum opinione coniuncta. Concretas verò substantias quæ primis sensilibus affectæ sunt, percipi potissimum ratione, sensu huic subministrante & subseruiente. Quod in singulis quale sit attentius est considerandum. Atque primum quidem ea intelligibilia quæ prima nominantur, cum formæ sint omnino materiæ expertes, in vita hac & in altera cognoscuntur solo intuitu: cum ipsa mens ad mundum intelligibilem ascenderit, vel omnino corpore soluta, post vitam hanc, vel etiam in vita hac, rapta à corpore per ecstasin, & per eam mortem quam philosophicam cap. 1. appellauimus. At in vita hac, mens ad ascensum ad mundum intelligibilem præparatur antecedente rationis & cogitationis discursu, quo exercetur in contemplatione naturalium & in abstractionibus Mathematicis. In secundis autem, quæ formæ sunt cum materia coniunctæ, & cum eadem in agendo necessariò communicantes, principem locum obtinet ratio cum cogitationis discursu. Sed illa in hoc errorem vitare non potest, nisi illustretur & dirigatur primæ mentis lumine extrinsecus adueniente & influente. Quoniam vanus est labor humanæ cogitationis circa formas rerum naturalium, nisi ab illa prima mente adiuuetur. Iam in sensilibus similis distinctio. Nam in primis & secundis dominatur sensus: in homine verò ad hunc accedit rationis discursus. Quoniã sensus noster primo ex se, & per se obseruat ea quæ prima & secunda obiecta sunt, quorum perceptio est illi cum belluis communis: deinde accedente ad sensum rationis & cogitationis discursu, ex eorumdem primorum & secundorum sensilium comparatione, excitat notionem vniuersam, cuius comprehensio homini est propria. In concretis autem substantiis, quæ qualitatibus illis affectæ sunt, contra quodammodo accidit. Nam in illis ratio dominatur, sed non sine sensu. Quoniam rerum substantias sensus proprie non percipit: sed hic ad eas excitat, per sensiles qualitates quibus sunt affectæ. Sic enim Arist. cap. 6. lib. 2. de anima, substantias numerat in iis quæ non sentiuntur per se, sed per qualitates quibus sunt subiectæ. Quæ omnia in authore nostro, sunt hoc loco diligentissimè obseruanda.

13 Mundum duplicem Plato ponit, vt apertius intelligetur ex cap. 10. lib. huius: vnum exemplarem, alterum hunc in sensum cadentem, in quo illius exemplaris quædam imago à deo rerum omnium opifice est expressa. De quo sic ille in Timæo, Volens deus, inquit, omnium quæ intelligi possunt pulcherrimo & vndique absoluto, mundum simillimum reddere, animal vnum ipsum effecit, aspectui subiectum, animalia cuncta naturæ suæ conuenientia, intra suum limitem continens. Exemplarem autem illum Platonici interpretantur, intellectum diuinum, non ipsum bonum, sed boni filium, idearum omnium fontem: cum ipso bono substantia vnum (sicut inter illos nonnulli affirmant) ratione autem eo differentem, quod per eum Deus per se sufficiens, seipsum explicarit in lucem. Ergo quia exemplaris mundus idea idearum est, intelligibile quoque primum erit, & cætera intelligibilia in se complectetur. Quemadmodum mundus hic, omnia quæ sensum mouere possunt, suo ambitu continet. De quo vide Philonem Iudæum libro de mundi opificio. In his verò meritò miraremur Platonicos naturæ luminæ tam multa, quæ etiam in nostra religione valde sunt abdita, videre potuisse: nisi antea de causis diuinitatis in horum doctrina abundè dictum esset in præfatione: & eadem, aut etiam quædam his

diuiniora, animaduerti possent in antiquiore scriptore Mercurio Trismegisto, tam in Pimandro, quàm in Asclepio.

14 Ratio in hominis intellectu veri cognitionem appetit: in eiusdem voluntate, ad bonũ tanquã ad finem refertur. Vtque in veri contemplatione, intellectus non prius expletur, quã ad causam omnino primam ascẽderit: sic in bonis, voluntas rectæ rationi consentanea, alia ex aliis ita semper expetit, vt ad deum cuncta referat. Idque est quòd Plato docet lib. 6. de Repub. vt res omnes sine ipsius boni possessione inutiliter possidentur: sic artium omnium cognitionem vanam esse, nisi ad ipsius dei intelligentiam referatur. Itaque humana mens ex naturæ suæ primordiis, in vtroque munere deum expetit: sed contemplando in illo ipsum pulchrum, id est omnium quæ in naturæ vniuersitate pulchra sunt, fontem & ideam admirabitur: agendo vero, in eodem ipsius boni amore rapietur. Hæcque maxima vtilitas est ideæ boni: in qua exagitanda Aristoteles naturæ genius, repudiata diuiniore Platonis philosophia, ludere videtur cap. 6. lib. 1. Ethic. Alio modo bonum ab eisdem Platonicis spectatur in perfectione cuiuscũque rei, hoc ipso quod est. Quoniam omne ens sicut est particeps entis, ita quoque particeps perfectionis cuiusdam: & huius quidem gradibus distinctæ, sicut distincti sunt entium gradus. Sícque ab eisdem bonum enti æquale dicitur, ac vtrumque horum numeratur in his quæ sequuntur ad omnia. Quanquam boni & entis ratio distincta est, vniúsque magis absoluta, alterius vero quodam modo relata.

Explicatum est Dialecticæ fundamentum, quod in ipsa natura est positum. Nunc in eadem breuiter colliguntur ea quæ artis propria, ad Definitionem, Diuisionem Analysin, Inductionem & Raciocinationem pertinent. Horúmq; vsus variis exemplis ex Platone illustratur.

Cap. 5.

1 *In dialecticæ elementis hoc potissimum* 2 *Plato esse putat, vt primum rei cuiúsque natura consideretur, deinde ea quæ illi accidunt. Quid autem vnumquódque sit, exquirit, vel à superioribus, diuidendo atque definiendo: vel ab inferioribus, retexendo. Ea verò quæ accidunt & essentiis insunt, vel ex iis quæ continentur, per inductionem: vel ex iis quæ continent, per ratiocinationem. Vt meritò, Dialecticæ*

sint rationes diuidendi, definiendi atque retexẽdi: & præterhas, diiudicandi & ratiocinandi. [3] *Diuisio quidem alia generis in species sectio: alia totius in partes, vt cum distribuimus animum in eam partem cuius est ratio, & in alteram cui perturbationes insunt: háncque rursum in eam in qua iræ ardor existit, & in alterã quæ cupiditates continet. Alia distributio est vocis in ea quæ significantur, quando vnum & idem nomen rebus pluribus accommodatur. Rursúmque alia accidentium in subiecta, vt cum dicimus de bonis quædam ad animum pertinere, quædam ad corpus, quædam externa esse. Alia subiectorum in accidentia, vt cum dicimus hominum quosdam esse bonos, nonnullos malos, alios his interiectos.* [4] *Diuisione igitur generis in species vtẽdum est ad cognoscendam rei cuiúsque propositæ, naturam, quàm absque definitione nemo potest consequi. Definitio verò ex diuisione hoc modo nascitur. Rei definiendæ genus sumẽdum est, vt hominis animal: deinde hoc per proximas differentias diuidendum, vsque ad species descendendo, vt rationis particeps & rationis expers, mortale & immortale. Sic enim si proximæ differentiæ generi adiiciantur, ex iis hominis definitio constituetur.* [5] *Analysis tres species habet, vnam qua à sensilibus ad prima intelligibilia ascendimus: alteram qua progredimur ex demonstratis & subdemõstratis ad primas medióque carentes propositiones: tertiam ex suppositione ad ea principia, quæ sine suppositione sumũtur. Prima quidem est eiusmodi:* [6] *Vt si à pulchro quòd in corporibus cernitur, ad id quòd animorũ est, progrediamur: ab hoc ad aliud quòd in vitæ officiis, inde ad id quòd legibus continetur: tandem ad eius immensum pelagus: vt iis gradibus quòd reliquum*

est, hoc ipsum pulchrum, assequamur. Secũda species est eiusmodi. Supponendum est quod quæritur, & quæ illo priora sunt consideranda, eáque demonstranda, à posterioribus ad priora progrediendo: donec ad primum & id quòd in confesso est, perueniamus: à quo rursus ducto initio, ad id quod quærebatur compositionis modo regrediamur. Vt quæro, An immortalis sit animus? Atque hoc ipso supposito, inquiro an idem semper moueri possit: eóque demonstrato, rursus an quod semper moueri potest, idem quoque per se moueatur? Idque etiam cum demonstrauero, amplius cõsidero, an quod per se moueri potest, principium sit motus. Atque hoc quoque deinceps, an principij nulla sit origo? Quod quidem vt ratum ponunt. Quoniam quod ingenitum est, idem quoque interitus est expers. A quo vt clarissimo cum ductum fuerit initium, demonstrationem eiusmodi componam. Si principium, ingenitum & interitus expers. Principium motus quod per se mouetur. Quòd per se mouetur, animus. Interitus ergo expers, ingenitus & immortalis animus. Ex suppositione verò Analysis talis est. Quisquis aliquid inuestigat, illud ipsum supponit: deinde quid ad suppositum sequatur, considerat. Posthæc si eius quòd suppositum est, ratio reddenda sit, aliam suppositionem assumẽs, quærit vtrum quod prius suppositum fuerat, rursus ad alteram suppositionem consequatur: idémque obseruat donec ad principium peruenerit quod non amplius ex suppotione sumitur. [7] *Inductio autem est omnis secundum rationem via, vel à simili ad simile progrediens, vel à singulis ad vniuersa. Vtilissima verò est ad excitãdas notiones ab ipsa natura insitas.* [8] *Orationis eius quàm propositionem vocamus, species duæ sunt: vna*

quidem affirmatio, altera negatio. Affirmatio hæc est, Socrates ambulat: Negatio hæc, Socrates non ambulat. In affirmationibus autem & negationibus quædam est de genere vniuerso, altera de eius parte. De parte affirmatio talis, quædam voluptas bonum: negatio, quædam voluptas non bonũ. De genere vniuerso affirmatio eiusmodi, Omne turpe malum: negatio, nullum turpe bonum. Ex propositionibus quædam Categoricæ sunt, aliæ Hypotheticæ. Categoricæ, quæ simplices, vt omne iustum bonũ. 9 Hypotheticæ, quæ vel consecutionem, vel repugnantiam quandam declarant. 10 Ratiocinandi verò artem Plato adhibet arguens & demonstrans. Arguens quidem, ea quæ falsa sunt interrogando: demonstrans autem, vera docendo. Ratiocinatio est oratio in qua quibusdam positis, aliud ab iis, vi tamen eorum quæ posita sunt, necessario efficitur. Ratiocinationũ quædam Categoricæ sunt, aliæ Hypotheticæ: nonnullæ ex illis mixtæ. Categoricæ, quarum tam sumptiones quam conclusiones, Categoricæ sunt propositiones. Hypotheticæ, quæ Hypotheticis propositionibus cõstãt: Mixtæ quæ vtriusque generis complexionem habent. Vtitur autem ille ratiocinationibus demonstrantibus, in dialogis in quibus id agit vt suam sententiam explicet: probabilibus contra sophistas & iuuenes: contensiosis autẽ in eos qui propriè contensiosi dicũtur, vt in Euthydemum & Hippiam. Cum verò categoricarum ratiocinationũ figuræ tres sint, prima dicitur in qua extremum commune de hoc quidem enũciatur, illi verò subest. Secunda, in qua idem extremum de vtrisque enunciatur. Tertia in qua illud idem vtrisque subest. Extrema dico propositionũ partes, vt in hac, homo est animal, hominẽ &

animal

animal, extrema appellamus. Atque in prima figura Plato interrogat, itémque in ſecunda & tertia. Et in prima quidem, ſic in Alcibiade, Iuſta, pulchra ſunt: pulchra bona: iuſta ergo bona ſunt. In ſecunda, vt in Parmenide, Quod partes nullas habet, nec rectum, nec rotundum eſt. At quicquid figuræ eſt particeps, aut rectum eſt, aut rotundum. Quòd ergo partes nõ habet, figuræ nullius eſt particeps. In tertia ſic eodem libro, Quod figuræ eſt particeps, quale eſt, quod figuræ particeps, finitum. Quod ergo quale eſt finitum eſt. Ratiocinationes autem Hypotheticas interrogatas ab eodem libris multis deprehendemus, & maximè in Parmenide. Si nõ habet partes ipſum vnum, nec principium, nec finem, nec medium habet. Si neque principium, neque medium, neque finem habet, nec extremum habet. Si extremum non habet, neque figuræ vllius eſt particeps. Ergo ſi non habet partes ipſum vnum, nullius figuræ eſt particeps. At in ſecunda figura Hypothetica, quam plurimi tertiam nominant, in, qua ſcilicet medium commune, extrema vtraque ſequitur, in hunc modum interrogat. Si non habet partes ipſum vnum, neque rectũ eſt neq; rotundũ. Si figuræ eſt particeps, aut certũ eſt, aut rotundũ. Quare ſi partes nõ habet, nec figuræ vllius eſt particeps. Quinetiam ad tertiã figuram (quæ nõnullis ſecunda eſt, in qua commune extremum reliqua duo antecedit) huius interrogationes in Phædone ſic reuocari poſſunt. Si ſciẽtiam ipſius æqualis adepti, nunquã obliuioni tradidimus, profecto ſcimus. Si autem obliti ſumus, recordamur. Mixtarum quoque ratiocinationum meminit, earum quidẽ quæ ex conſecutione aliquid efficiunt, hoc modo. Si vnum totum eſt & finitum, hoc principium & media finémque

habens, figuræ etiam erit particeps. Verum autem antecedēs. Verum igitur consequens. Aliarum autem quæ ex consecutione euertunt, differentiæ sunt ex eo ipso considerandæ.
11 Quando quis igitur perspectas habet animi facultates, hominúmque differentias & orationis formas, quas variis variè accommodet, acutéque sentit, quis, quibus rationibus & cuiusmodi persuaderi possit: hic si nactus fuerit occasionem ad vsum accommodatam, perfectus erit orator: eiúsque Rhetorica, scientia bene dicendi merito nuncupabitur. 12 Sophismatum quoque & captionum rationem, modò propius intueamur, in Euthydemo à Platone significatam deprehēdemus. Si quidem eo & quæ secundum voces, & quæ secūdum res ipsas sophismata committuntur, horúmque explicationes indicantur. Atque etiam decem Categorias tum in ipso Parmenide, tum in aliis Dialogis quasi adumbrauit. Notationis verò formam vniuersam in Cratylo est complexus: 13 Et planè hic vir admirabiliter perfectus in definiendo & diuidendo: quæ in illo vim Dialecticæ maximam declarant. In iis quæ in Cratylo traduntur illius mens est eiusmodi. 14 Quærit naturáne nomina constent, an institutione. Atque statuit, quod in ipsis nominibus rectum est, id institutione constare: non tamen omnino, neque vt sors tulit, sed ita vt eiusmodi institutio, naturæ rei sit consentanea. Non enim esse aliud nominum rectitudinem, quam institutionem, cum rei ipsius natura conuenientem: neque quamlibet institutionem ad rectitudinem nominis satis esse: neque verò naturam, aut in hac primum vocis sonum, sed quod ex vtrisque compositum est: vt quoduis nomen ponatur rei familiare & proprium. Non enim si quodlibet nomen ad rem

quamuis temerè adhibeatur, rectè significat, vt si homini nomen equi imponamus. Si quidem loqui actio quædam est. Quare non quouis modo quis loquatur, rectè loquitur: sed si loquatur vt rerum ipsarũ natura postulat. Quoniam verò eius muneris quod in loquendo versatur, pars quædam est rei cuiúsque suo nomine expressio, vt orationis pars ipsum nomen, rectè vel non rectè nomen imponere, haud sanè cuiuslibet institutionis erit, sed eius in qua nomen cum ipsa re naturali quandam cognationem habebit: isque rectè nomina instituet, qui eisdem nominũ naturas exprimet. Nam rei instrumentum nomen est, non quodcunque sortè datum, sed naturæ consentaneum: eodémque res inter nos communicamus & discernimus.[15] *Quo fit vt instrumentum sit, & docendæ & discernendæ cuiúsque rei naturæ accommodatum: quemadmodum textoris radius, telæ. Ad dialecticum hoc etiã pertinebit, nominibus rectè vti. Vt enim radio textor vtitur propriam eius functionẽ agnoscens, cũ illũ faber efformauerit: haud secus dialecticus nomine vtetur, quod nominũ author vt decet effinxit. Etenim clauum conficere fabri est: eo autem rectè vti, gubernatoris officium. Sic quoque nominum institutor rectè nomina statuet, si id fecerit quasi præsente dialectico, vt eo qui perspectas habet rerum subiectarum naturas. Atque id quidem quòd dialecticum, ad hũc modum sit descriptum.*

Ia. Carpentarij Commentarius in Cap. 5.

1 In prima philosophiæ parte quæ est de disserendo, siue de methodo inuestigandæ veritatis & diiudicandæ, videtur noster Alcinous magna ex parte Arist. potius sectari quam Platonica: & cum vtriusque Stoica frequẽter permiscere. Idq; quoniam, vt in præfatione dictum est, partis huius ad vnius artis formam reuo-

catio, præceptorúmque quasi in vnum corpus collectio, & horum ex relatione ad certum finem, apta distributio, Aristoteli penè propria est. In qua vix Plato quicquam sibi potest vendicare præter dispersa præcepta, quæ in huius Dialogis multa sunt, & præceptorum vsum, frequentibus exemplis in eisdem illustratum: qualia ex illo Alcinous pleráque hoc capite commemorat. Primum verò constituendum, est quod ex capite superiore debuit intelligi, huic arti subiectam esse in natura rationem, quæ eiusdem præceptis excolitur tam latè fusis in omnem partem, quam latè diffusus est illius vsus: in quo alius alium, vel solius naturæ præstantia, potest vincere. Nam cum eidem Platoni, ars omnis bene agendi, vel efficiendi consilium quoddam sit: quicquid est in quo nonnulli inter alios excellunt, id aut iam arte aliqua comprehensum est, aut certè eiusmodi vt ad eam possit reuocari. Si quidem in illa præstantia & ingeniorum excellentia, aut artis iam inuentæ & cognitæ vsúque excultæ, effectus quidam est, aut id ipsum quod arti nondum natæ potest esse pro exemplari, si accesserit diligens eorum hominum obseruatio, quorum ingenia illam naturæ excellentiam sunt adepta. Sic enim natura artis exemplar & ipsa ars naturæ perfectio esse dicitur: quanquam non vna & eadem ratione. Porrò omnibus constare arbitror, alium esse rationis vsum in populari sermone, alium in accuratiore philosophorum doctrina quæ ad rudium captum non solet se omnino demittere. Quoniam, vt Plato ait in Timæo, cum de re firma, stabili & mente comprehendenda disseritur (apud eruditos præsertim) stabiles quoque & immutabiles, & quam maximè fieri potest, inexpugnabiles rationes esse oportet. Cum autem de ipsius rei firmæ stabilisque simulachro disputatur, has verisimiles esse satis est: quæ ad superiores eo modo se habent, quo imago ad suum exemplar. Atque vt Arist. scribit lib. 1. Ethic. Ipsum accuratum docendi genus non est in omni re, nec apud omnes simili modo postulandum. Támque turpe est mathematicum popularibus rationibus vtenté, probare, quam ab oratore necessariam ratione requirere. In quo non solius inuentionis, aut delectus argumentorum singulorum, discrimen est, quod Thessalus passim videtur arbitrari, sed etiam collocationis, huiusque rursum duplicis. Cuius scilicet pars prior singulis quæstionibus tranctandis accommodata est: posterior verò doctrinæ perpetuitati, in distributione multorum ad eandem quæstionem, vel certè (si quæstionum varietas est in re vnius generis, vel in affectionibus ad idem genus subiectum pertinentibus) illorum omniũ ad eundem finé pertinentium. Ex quo apud Aristotelem profecta est vniuersę artis differendi distributio in duas partes, vel potius in duas integras artes, vnam Topicam, alteram Analyticam. Quæ apud eundem non modo suis finibus tam manifestè differunt quàm opinio & scientia: sed etiam argumentorum inuentione atque delectu, horúmque collocatione: non solum ea quæ singulorum argumẽtorum est, sed & altera longè præstantiore, per quam intelligitur, in differendi perpetuitate, quid de multis ad eandem rem pertinẽtibus, debeat esse primum, quid postremum, quid inter hæc interiectum. Sicut in huius doctrina facilè animaduertent qui præcepta de hac collocatione & methodo quæ in Topicis lib. 8. traduntur, cum iis sedulo conferent quæ permulta, illísque longè exactiora, artis Analyticæ parte posteriore ab eodem explicantur. Nam sicut à nobis in Animaduersionibus Dialecticis dictum est, & in præfatione Logici Organi pluribus expositũ, ea quæ priore parte eiusdem artis Analyticæ de argumenti delectu & collocatione traduntur, vtriúsque artis, Topicæ, inquam, & Analyticæ, communia sunt, sed certis de causis (quæ illic à nobis sunt redditæ) ab Arist. cum parte posteriore coniuncta. Iam verò præter illam collocationis perpetuitatem, quæ propria est

methodi, quis nescit ad quæstiones singulas rationis vsum adhiberi, vel simplices rerum notiones definitione & diuisione explicando: vel in coniunctis verum à falso inductione nonnunquam, aliàs verò ratiocinatione, discernēdo? De quibus vt definitio in simplicibus multa in vnum colligit, diuisio vnū in multa distribuit: sic in coniunctis inductio ex multis quæ continentur, progressionem habet ad vnum quiddam quod continet, ratiocinatio verò ex iis quæ continent, ad ea quæ continentur. Quæ cum quatuor sint, iis ab Alcinoo quinta adiicitur Analysis, quæ à nonnullis statuitur in perpetua collocatione, vel multarum quæstionum ad eandem rem, vel multorum argumētorum ad eandem quæstionem pertinentium. Quanquam hîc etiam simplicibus notionibus & quæstionibus singulis accommodatur. De qua postea hoc ipso capite pluribus disseretur. Nunc verò obseruandum est ab Ammonio, Commentario in præfationem Porphirij de quinque vocibus, Dialecticæ Platonicæ, quatuor tantum potissima capita constitui, primum de definiendo, secundum de diuidendo, tertium de Demonstrando, quartum de Analysi: præterita inductione, quæ quinto loco ab Alcinoo ponitur, etsi in principibus disserendi instrumentis non admodum necessaria. Ergo disserendi ars, illa siue quatuor, siue etiam quinque, suis præceptis instruet, & quo modo componenda sint, docebit. Quibus singulæ scientiæ in suo genere subiecto tractando, vtentur. Quæ quoniam hæc illis subministrat, idcirco eadem reliquarum scientiarum ministra appellatur. Vnde nata quæstio, quæ ab Aristotelis interpretibus variæ disputatur, vtrum hoc artificium disserendi philosophiæ pars, an huius instrumentum tātum debeat nominari. De qua vide quæ à nobis dicta sunt in præfatione Logici Organi.

2 Locus Platonis est in Phædro, quem ex illo Cicero vsurpat lib. 1 de Officiis, libris de finibus, & in Oratore. Aristoteles lib. 2. Analyt. post. de re simplici duo quæri ait, an sit, & quid sit: sed primum an sit, deinde verò quid sit. Quoniam frustra quæritur de re aliqua quam naturam habeat: nisi prius eam in natura esse constet. Ergo vel locus Platonis intelligendus est in disputationibus quæ frequentissimè institui solent de rebus quas causa esse constat: vel in scientiis & artibus de genere subiecto, de quo, vt idem Arist. ait cap. 1. lib. 1. Analy. post. initio ponēdum, quia est. Vel si hoc quoque transferre volumus ad ea de quibus adhuc dubitatur, sint nécne (vt de inani & infinito in physicis) in iis etiam à definitione erit incipiendum, non ea quæ naturam rei doceat, sed quæ vim nominis interpretetur: sine qua nō potest de re subiecta, vtrum in natura sit, sine errore iudicari. Sic enim Arist. ait cap. 7. lib. 2. Analyt. post. neminem de eo quod non est, scire posse quid sit, sed tantum, quid aut oratio, aut verbum significet.

3 Hic diuisionis nomine complectitur non eam modo quæ in genere propriè dicitur, sed & partitionem totius integri, quam cum illa in argumentandi legibus confundi Cicero vetat in Topicis. Id autem fortasse facit Alcinous ex eo quod Plato scribit in Politico, quicquid alicuius species est, eiusdem quoque partem esse. Galenus verò obseruat lib. 6. de decretis Hipp. & Plat. quanquam non omnis pars species dici possit, à Platone tamen rationem, iram & cupiditatem, modo partes, modo species animi appellari: vt hoc loco partitionis exemplum propositum, diuisioni quoque possit accommodari. Nisi mallis diuisionis eius quæ propriè in genere dicitur, nulla hic exempla proferri, sed ea reiici in sequētem locum, in quo de cōparatione diuisionis cum definitione disseritur. Quod verò distinctionem vocis multiplicis, diuisionem etiam appellat, id facit repugnante Georgio Agricola & in eo ipso Boetium leuiter exagitante lib. 1. de Dialectica inuentione. Reliqui duo modi, accidentium in subiecta & subiectorum

in accidentia, ita sunt intelligendi, vt non propriè accidens in subiecta, vel subiectum in accidentia distribuatur (nec enim hoc absolutè Categoriarum distinctio permittit) sed accidens in accidentia, & subiectum in subiecta: accidentium tamen sub alio accidente communiore contentorum differentiæ petantur à subiectis, sicut & subiectorum, contra ab accidentibus. De iis plura scripta sunt à Boetio lib. de diuisione. In exemplo autem de diuisione bonorũ, quod hoc loco proponitur, multa quidem sunt ad comparationem Platonis cum Aristotele pertinentia: sed ea commodius explicabuntur in tertia philosophiæ parte, de vita & moribus, commentario in cap. 20. libri huius.

4 De vtilitate, quam diuisio ad colligendam rei cuiusque naturam affert, multa scribit Plato in Politico. Idémque in Sophista negat quemquam posse latentem rei vllius naturam discernere, nisi in ea ab aliis diuidenda, sit exercitatus. De differentia verò quæ adiecta generi definitionem perficit, sic loquitur extrema pagina Theæteti, Si differẽtiam cuiusque accipias qua ab aliis est distinctum, definitionem, vt quidam tradunt, acceperis. Quandiu vero commune aliquid attigeris, illorum definitionem quorum communitas est, habebis. Aristoteles lib. 2. Analyt. post. definiendi rationem diuisione plurimum adiuuari fatetur quòd per eam omnes differentiæ rei propositæ conuenientes colligi possint, definitionem tamen ratiocinatione per diuisionem facta, omnino concludi posse negat. Quod hac aut nihil prorsus efficiatur, aut id postuletur quod in quæstione est positum. Idémque exactius hanc comparationem explicat cap. 14. lib. eiusdem, vbi ostendit etiam si breuissima definitio ea sit futura, in qua primo loco ponitur proximum genus rei definiendæ (sic enim minus erit laborandum in colligendis intermediis differentiis) aliquando tamen esse necessarium à superiore remotioréque initium repetere: nec tum vllam ex intermediarum diuisionum differentiis ad rem pertinentibus, prętermittendam. Quod cum faciemus, plurimum interesse vult quo ordine singulæ disponantur, & quæ primo, quæ secundo loco constituantur. Atque cum in definiendo cauendum sit ne quid prętermittatur: eodem loco scribit id propemodum sola diuisione præstari. Quoniam, inquit, postquam primo loco genus acceptum est, si quis non proximam diuisionem accipiat, sed ad inferiorem aliquam transiliat: in partes diuisionis non cadent omnia quæ sub genere continentur. Vt si quis animal diuidat in ea, quæ alas habent perpetuas continuásque, & ea quæ diuisas: non comprehendet omne animal, sed volucres tantum, quarum hæ sunt propriæ differentiæ, in quas non omne animal cadit. Quod idem in aliis generibus est dicendum. Id vero est quod hoc loco Alcinous precipit, de genere per proximas differentias diuidendo.

O. V. HENRICO Memmio, in secretiore Regis Senatu, P. C.

Iacobus Carpentarius. S.

SEquens disputatio de methodo, Ornatissimè & Humanissimè Memmi, antè annos octo nescio qua occasione, ex nostris in authorem hunc Commentariis selecta, seorsum in tuo nomine est edita: mihi fortasse antè tempus, quæ in regia professione paulò post ineũda, eos motus peperit, quos non dubito quin adhuc memineris. Quare æquum visum est eandem nunc suo loco, melioribúsque fortasse temporibus restitutam, te suum patronum, vel potius tutelarem Deum agnoscere: cuius auspiciis in illis fluctibus, saluis rebus, ad portum potuit peruenire. Sciebam equidem tibi multis honoribus aucto, grauiora deberi: sed piaculum erat semel consecrata, alio conuertere: & hoc opere confecto, cum iam cogitare inciperem de nostris in Lucretium disquisitionibus, quæ, vt ex sequentibus intelliges, te authore sunt institutæ, sperare ausus sum, fore vt in his quas tibi iampridẽ vouimus, cumulatius aliquando satisfaceremus. Modo nos non solùm fauore tuo, sed tuis

in illum authorem vigiliis adiueris. Quòd vt facere velis, te per philosophiam obsecramus: cui sicut multum tribuis, sic certè debes quam plurima. Quia te in Reip. administratione imprimis exornauit, & in eum dignitatis locum extulit, vbi perpaucos habes pares. In quo diu viue & Vale.

IAC.

IAC. CARPENTARII

de Analytica methodo,

prima digressio.

IN QVA DISPVTATIONES duæ, contra Thessalum Academiæ Parisiensis methodicum,

AN EA SIT VNICA, IN QVA SEMper à genere ad species ad specialia descendamus.

ANalyseως vocabulum, cùm de methodo agitur, doctrina Aristotelica magis quàm Platonica nobilitatum est. Siquidem ab eo Aristoteles Analyticã inscripsit vniuersæ artis differendi partem præstantissimam: quam in priorem & posteriorem distinxit, atque libris quatuor est cõplexus: quibus, meo quidem iudicio, apud intelligentes nihil est in Logico organo admirabilius. Platoni verò familiaris magis est, Diæresis: cui ex altera parte Sinthesin opponit: sicut nonnulli apud Arist. Analysi, Genesin. In quibus primùm nobis obseruandum vocabula hæc, Analysin, inquam, Genesin, Diæresin & Sinthesin, nõ vno modo apud veteres vsurpari. Ideóque eorum multiplicitas hoc loco distinguenda, vt hac perspecta sine errore iudicare possimus de quæstione maxima: quam quidam contra Aristotelem, imò verò contra omnem antiquitatem, explicarunt, vtrum in omnibus artibus vnica methodus constituenda? De qua nunc paucis liceat cum illis agere: differetur autẽ de eadem aliàs in Logicæ artis descriptione, pluribus: vt intelligant, non quod aiunt, idcirco nouam hanc, quam moliũtur, operis effigiem à nobis damnari, quòd opus nullum vnquam Methodica Aristotelis regula confecerimus, nunquam ab

aliis factum considerauerimus: sed quia in rebus omnibus nobis æterna & sancta est antiquitatis authoritas: nec vt ab ea facile deficiamus permittit, pudor fortasse subrusticus, sed vt arbitror minus reprehendendus quàm horum contra bonos scriptores omnes, confidens audacia.

Analysis quid.

ANALYSIS, vt intelligi potest ex Arist. cap.3.lib.3. Ethic. pertinet ad Geometrarum descriptiones: in eisque significat reuocationé eius de quo quæritur, ad principia in suo genere omnino prima, per ea quæ intermedia sunt. In quibus nullus gradus sine vitio prætermitti potest. Hinc ab eodem translata ad artem demonstrādi: quam inde Analyticam appellauit. Vt in explicatione eius, quæ artium omnium exactè tractandarum regulam continet, vel sola inscriptione indicaret se maximè Geometras imitari: vt exactissimos artifices & valde Methodicos: tales enim hos cum antiquitate existimabimus, tantisper dum ex eadem impudentiæ schola, plaustrum animaduersionum in illos expectabimus. Quanquam verò Aristoteles eandem nonnunquam appellet artem demonstrandi: non est tamen fortasse omnino idem quæstionis propositæ Analysin facere, & eam per suā causam demonstrare. Analysin enim facit, qui ab illa descendit ad proximam causam, ab hac ad secundam, indéque ad tertiam: donec ad prima omnino peruenerit: in quibus animus conquiescit, nec amplius priorem causam inquirit. Demonstrat verò, qui à causa natura prima, resurgit ad proximam, indéque per intermedias, ad quæstionem propositam: sicut in explicatione secundi exempli notari hoc loco in Alcinoo potest. Qui etiam si cum priore suam Analysin persequente, commune habeat spatium in quo versetur, nempe id omne quod inter quæstionem & causam in eo genere primam, est interiectum: ratione tamen ab illo non minus distinguitur, quàm is qui per aliquod interuallum ascendit, ab altero qui per idem descendit. Sicque Arist. cap. 3. lib.3. Ethic. deliberationem in iis quæ ad mores pertinent, cum actione quæ illam sequitur, comparans, ait eam Geometrarum Analysin in descriptionibus imitari. Quoniam pro rato posito fine (neque enim de hoc vult deliberari) inquirit quomodo ad eum peruenīri possit. Quod si compluribus rationibus eum parari posse constet, tum qua facillimè & optimè possit, inuestiget. Sin vna via, quo modo per hanc: idque eousque faciat, donec ad primam causam ventum sit, quæ in inueniendo est postrema. A qua actio contra, primum excitetur, & per eosdem gradus in finem desinat, qui in deliberando primus ponebatur. Hæc mihi analyseōs prima vis, in differendi arte apud Arist. esse videtur. Quod nomen posteà nonnulli in ea etiam methodo vsurparunt, quam in colligen-

da definitione idem præscribit cap. 14. lib. 2. Analyt. post: indéque descensum omnem à generalibus ad specialia, Analyticum appellauerunt, non valde repugnante me. Vt hoc nomine, de duobus ordinibus à Platone laudatis in Phædro, alterum complectamur: quem animaduerto Aristoteli in docendo valde familiarem. Quanquam hîc eo loco diæresin potius quàm analysin nominet, ex eóque concludat definitionis colligendæ rationem diæresi valdè adiuuari. Ex quo fortasse est effectum, vt nonnulli diæresin ad Analysin reuocarint, illámque huius partem quandam fecerint. Est etiam Analysis quædam totius integri in particulas vltimas, per partes principes, aut alias quasuis intermedias: vt cum ciuitas in suos ordines, híque in singulas familias distribuuntur: vel ratiocinatio in pronunciata, rursúmque hæc in attributum & subiectum, quæ inde Analyseos extrema ab eodem appellantur cap. 1. lib. 1. Analytic. priorum: quòd in ea ratiocinationis, per media pronunciata, analysis desinat. De tribus autem Analyseos modis qui nunc ab Alcinoo notantur, duo posteriores facilè ad eum referri possunt, quem de Mathematicis ad differendi artem translatum esse voluimus. In primo, hæreo. In quo etiam si facilè sit distinguere gradus quosdam per quos animus ascendit à sensilibus, ad ea quæ omnino corporis expertia sunt, & à sensilibus separata, per multa intermedia: vix tamen in Aristotelica aut Platonica loquendi consuetudine, Analyticum hoc videri potest: nisi eadem ratione à rebus singulis ad notionem specialem, & ab hac ad maximè generalem, in abstrahendo facta progressio, analytica quoque esse dicatur. Quod si admittimus, quis non videt non modo Platonis diæresin, sed etiam huic contrariam sintheſin, ad analysin reuocari? Sed de huius nominis varietate fortasse plus satis: reliqua breuius persequamur. Genesis, originem significat rei alicuius ex eorum quibus constat collectione atque vnione: si modò illa est eiusmodi vt partes habeat. Et quia totum dupliciter dicitur, nempe quòd integrum est, & quòd vniuersum: idcirco illa cum de ordine quæritur, significare potest progressionem à partibus ad totum integrum (sic enim partes toto integro genesi priores sunt) & ex formis ad genus vniuersum. De qua, sicut ex sequentibus intelligetur, non est eodem modo iudicandum. Vsurpari quoque potest in moribus, pro descensu à fine ad media, in deliberando: & pro ascensu à mediis ad finem, in agendo. Sic enim dicimus deliberantibus finem ex se media gignere, & agentibus media de se finem ipsum excitare. Haud dissimilis est varietas in diæresi & sintheſi. Nam vt totum dupliciter dicitur: sic eius quoque duplex distributio est, dupléxque cōpositio. Atque vt ex fundamento, pariete & tecto domus componi

dicitur : ita quodammodo ex rebus singulis speciales notiones, & ex specialibus generales. Itémque contrà, vt domus in fundamentum, parietem & tectum distribuitur : sic genera in species, & hæ in res singulas : sed distributionis & compositionis modo valde dissimili.

Quibus ita positis, iam ad nostrum methodicum Thessalum veniamus : sic enim eum qui nobis istam quæstionem attulit, honoris causa placet appellare : quòd apté cadere in illum videantur omnia quæ de Thessalo scribit Galenus lib. 1. Methodi.

Hic Methodum vnicam esse vult, eámque Analyticam: repugnante Platone, Aristotele, Galeno, omni denique antiquitate: sed hoc fortasse suo iure facit, pro ea scilicet libertate, per quam illi noua academia concedit, vt nullius nomini addictus, meritò omnibus veritatem anteponat. Itaque nullius authoritate nobis premendus est, sed momenta rationum modo considerãda: vt ex horum comparatione veritas eluceſcat. Qua perspecta facilè, vt opinor, illos hac in parte omni suspicione erroris, vel inconstantiæ liberabimus: eadémque opera efficiemus vt intelligatur hunc nostræ academiæ Thessalum in ista quæstione semper sui similem, id est in antiquitatem contumelioſum esse, & nescio quibus nugis, in quibus iampridem consenuit, modóque repueraſcit, sic insoleſcere, vt suis humeris Philosophiæ regnum gestare videatur. In qua disputatione, ne in verbo magis quàm in re laboremus, constituamus quid Methodi nomine significetur: vt ad id tanquam ad regulam, nos in hac disputatione referamus. Sit verò hæc, in multis ad eandem rem siue artẽ pertinentibus, nec tamen eundem gradum in hac obtinentibus, viæ siue ordinis institutio: in qua primum quiddam quasi pro capite, vel reliquorum fonte ponatur. Deinde consideretur quid ex illo principio sit secundum, quid tertium, ac deinceps quo modo vnumquodque consequatur. In hac Methodi ratione, quæ ex Galeno lib. 9. de placitis Hippo. & Plat. est descripta, video cum Methodico Thessalo mihi
» bene conuenire. Idque vt omnes intelligant, commemorabo quæ
» ille superioribus Galeni verbis subiicit: Hîc, inquit, Methodicæ col-
» locationis, de qua loquimur, & quam vnicam probamus & sequi-
» mur, species videtur à Galeno definiri. Quam definitionem si se-
» quare, eámque rem velis Methodum appellare, & Methodi no-
» mine contra me dicas hanc primi, secundi, tertij, quarti loci dispo-
» sitionem à Galeno locis de quibus disseremus, intelligi, & plures artis collocandæ vias & Methodos tales à Galeno constitui, re ipsa iam non verbo dissidemus. Atqui ego sic, intelligo Thessale, & secundum hanc propositi nominis notionem contendo, Methodum

vnicam esse non posse. Cedo enim num vt in docendis artibus, postquam iam sunt inuentæ, earúmque rudis materia est collecta, istiusmodi gradus à peritis artificibus sunt distincti: sic erunt apud solertes artium inuestigatores? nec omnia simul ab illis inquirentur, sed in iis quædam erunt prima, alia secunda, itémque tertia & quæ deinceps consequantur? An in docendis rebus iam inuentis, ignoratione Methodi confusio quædam esse poterit: in earundem inuestigatione nulla vnquam erit? Aut in rerum inuestigationem aliquando confusionem cadere concedes: in illa Methodum esse vllam omnino negabis? Non dicam id tibi propter contrariam summorũ Philosophorum authoritatem non licere, sed propter eum vsum, qui te tam multa docuit. Nec enim qui primi in notandis differendi præceptis ex vsus obseruatione laborarunt, sine ordine id fecerunt. & si verum fateri vis, in iis erroribus quos in illorum scriptis tibi fingis, non solum explicandis, sed etiam inuestigandis, sine aliqua Methodo minimè es versatus. Et certè Galenus, cuius definitionem probauisti, id ipsum quòd disputo apertè fatetur cap. 4. lib. 1. Methodi. Methodo quippiã inquirere & inuenire, inquit, ex aduerso opponitur ei quòd est fortuitò temeréque reperire. Est autem id cum via quadam & ordine, ita vt in disquisitione aliquid primum sit, aliquid secundum & tertiũ & quartum, atque ita de reliquis omnibus deinceps, quoad demum ad ipsum quod ab initio est propositum, sit peruentum. Verùm animaduerto quid mihi sis dicturus, te scilicet ordinem aliquem in inuestigandis rebus agnoscere: sed de eo hoc loco non agere, nec complecti appellatione eius Methodi, quam vnicam esse contendis. Sic enim scribis eodem loco: Non differimus hîc quomodo res ὑπισχνούμεναι sint inquirendæ: sed quo modo cum inuentæ fuerint, collocandæ & quo ordine disponendæ. Et vt apertius sententia tua intelligatur, idem posteà repetis. Dico (ais) cum totius artis materia sit inuenta, definitiones, regulæ, partitiones, cęteráque omnia decreta constiterint: cùm sit etiam illa materia iudicata, totius huius scientificæ & artificiosæ materiæ dispositionem vnicam esse. Imò vt gratificeris nobis amplius, non modo in inueniendo ordinem agnoscis, sed eum contrarium esse vis Analytico: quem rerum inuentarum explicationi præscribis. Ita enim ineptam Galeni reprehensionem, de qua posteà tecum differetur, eodem loco concludis. Omnium artium inuentio & obseruatio, licet summum artis finem propositum semper habeat, à sensibus oritur, & inductione singularium ascendit ad specialia, à specialium inductione ad generalia. Quam comparationem duorum ordinum si ad causas & res effectas, vel ad principia & ea quæ ex principiis oriũtur, referamus: in illa agnoscemus Platonis dubitationẽ: qui, vt Arist.

Methodus quædã in artibus inuestigandis.

ait.1.Ethic. quæstionem hanc attulit vtra via esset tenenda, an quæ à principiis, an quæ ad principia: quemadmodum in stadio ab iis qui præmia cursoribus proponunt,ad metam, an contrà. Si quidem omnibus est manifestum eos qui veritatem, causæ cognitione comprehensam,in rebus abditis inuestigant,ex effectis ad principia & causas de quibus illa orta sunt, proficisci:sicut & in simplicibus notionibus efformandis, speciales primùm ex rerum singularum imaginibus, deinde generales ex specialibus effingere.Ex quo ab Arist. hunc ordinem cum contrario descensu à generalibus,comparante,dictum est cap.1.lib.1.de Animo, animal vniuersale, aut nihil esse, aut esse post singula.Et tamen hic noster Methodicus,illum Platonis locum, veræ Methodi turbatorem appellat:quòd eum suis somniis parum accommodum arbitretur: quem minimo negotio, salua etiam hac falsa sua opinione,poterat retinere.Sed hoc posteà videbimus cùm huic disputationi nostram,id est Platonis & Aristot.de Methodi varietate, sententiam subiiciemus. Nunc ex huius ore hoc vt confessum & manifestum arripiamus, analytico ordini contrarium esse alterum rebus & artibus inuestigandis accommodatum: sed eum hoc loco certis de causis prætermitti,ex eóque cõcludi, reliquum ordinem esse vnicum. Sed dic mihi,Thessale,cur illum prætermittis: aut certè si pro tua regia authoritate,sine ratione prætermittere potuisti cur eos reprehendis qui non solum docendum putauerunt quo ordine res explicãdæ, postquam iam sunt inuentæ, sed etiam qua Methodo essent inuestigandæ? Atqui necessariis rationibus videor efficere posse, illam Methodi partem non esse à te prætermissam,sine magno vitio eius artis, de qua in integrum restituenda tam superbè cogitas, & in quam ab annis quatuor & viginti totus incumbis,sudans,nitendo, neque proficis hilum.Etenim Logicam artem,quæ rationem instruit, perficere vis. Atque pro fundamentis tuarum Animaduersionum & Institutionum à te alio loco est positum,eius explicationem tam latè patere oportere,quam rationis vsum in natura:vt imago,quoad fieri potest, suo exemplari respondeat. At rationis naturalis vsus in ordine appareret,non solùm cùm de explicandis rebus iam inuentis quæritur: sed etiam cùm in eisdem inuestigandis est laborandum. Cur igitur illam naturalis rationis partem tuis præceptis de Methodo, vt tu quidem arbitraris,excoluisti,vt verò docti iudicant omnino,peruertisti: alteram non modo non attigisti, sed eos reprehendisti qui eam suis scriptis illustrare sunt conati?An quia de explicatione artium iam inuentarum cum Aristo. imò verò cum omni antiquitate contendebas: in earum autem inuentione minimè laborabas? Sed finge ea tempora quibus res naturales vel medicæ nondum erãt obseruatæ. Cùm earũ multi gradus sint, an de omnibus notandis homini natura solerti &

Lib.1.Animaduer. & lib.1. Diale. Instit.

sagaci simul cogitandum existimabis? Atque hoc sine magna confusione facere non poterit: nec certè is faciet in quo singularis naturæ bonitas apparebit. Quid igitur hic, nulla adhuc harum artium cognitione instructus (talem enim fingimus) facturus est? Si de rerum naturalium, aut medicarum simplicibus notionibus efformandis agatur: à singulis quæ in sensum cadunt, ducet initium. Ex communione naturæ in illis perspecta, speciales notiones effinget: ex iis rursum inter se comparatis, aliam generalem colliget: donec ad summam peruenerit, in qua vniantur omnia quæ arti inuestigandæ sunt subiecta. Si verò ad ea progrediatur quæ in affirmatione & negatione, veritatis aut falsitatis significationem continent: rerum effectus notabit & in iis quidem primum eos qui sunt in natura postremi. Ab iis progredietur ad proximos: deinde à rebus effectis ad causas: quas gradatim persequetur, nec prius inuestigare desinet quã ad primam peruenerit. Hanc progrediẽdi rationem in illo naturę tuę splendore, quo veteres omnes superas, sæpe, credo, sensisti. Si verò in eo ne conuictus tenearis, verbo magis quàm sententia, mihi resistis: testes appello omnes eos qui in hac rerum inuestigatione, quid natura solers possit efficere, in se ipsi sunt experti. Quoniam iam in eas angustias sum redactus, vt contra Thessalum, omnium veterum iuratum hostem, Platonis, Aristotelis, Galeni authoritate vti nõ liceat. Porrò eiusmodi solertiam arte aliqua regi, vel perfici posse, ex eo intelligitur, quod id omne in quo vnum ab alio naturæ impetu, vel sola exercitatione, quam nulla ars adhuc antecessit, superari contingit: cùm in pluribus fuerit obseruatum, artis præceptum parit. quod post artem natam, cæteris bene agendi consilium præstat. Ergo si non solum in explicandis inuentis, sed etiam in inuestigandi solertia, ordinis obseruatione alius alium natura plerúmque superat: sicut certè superat, quænam ars hanc naturæ perfectionem obseruare debet, obseruatámque suis præceptis explicare, & aliis imitandam proponere? Ea opinor, quam Logicam appellas. Quoniã hæc, sicut vis, rationem instruit: ad quam pertinet hæc ordine facta rerum inuestigatio: támque latè patere in suis præceptis debet, quàm latè fusus est rationis ipsius, in vsu naturalis perfectio. Cur igitur in hac rerum inuestigandarum Methodom prætermittis: cùm de Methodo explicandarum rerum quæ iam sunt inuentæ, tam multa scribendo eáque tam frequenter repetendo nos eneces? Sed quid tam multis rationibus contra te opus est, cùm id ipsum quod contendimus, tua authoritate conficere posse videamur? Lib. 3. tuarum Institutionum, exercitationis Dialecticæ duas partes facis, cáque inter se cõtrarias: vnam in exploratione disputationis iam factæ, alteram in nouæ effectione & compositione. hanc Geneſin, illam Analysin vis nominari. Verùm si vtra-

que Dialecticæ artis est, eáque non ad singulorum inuentionem vel iudicium pertinet, sed ad perpetuitatem operis, quod vel per Genesin conficiendum est, vel de quo iam confecto, per Analysin iudicãdum: annum in vtraque Methodum aliquam sequi erit necesse? Non eandem opinor. siquidem illa duo sunt inter se contraria. Fatearis igitur necesse est Methodum esse vnam constituendis artibus accommodatam, alteram eisdem retexendis, atque vtramque Dialecticæ exercitationis propriam. Quibus omnibus si te eò expediri arbitraris quòd in Dialecticis Institutionibus, vbi de exercitationis partibus agebatur, vtraque Methodus distinguenda fuerit & explicanda, hîc verò minimè: idque, quoniam de collocandis artibus iam inuentis, non de earũ prima origine quæratur: nõ satis animaduertis ex quo Aristotelis loco nata sit hæc tua de Methodo digressio. Recordare verò ex eo profectam quod Aristot. cap. 2. lib. 1. Analyt. Post. Cùm priora & notiora dupliciter dici proposuisset, ad eorum distinctionem explicandam talia subiecit. Dico nobis quidem priora & notiora, inquit, quæ ad sensum propius accedunt: absolutè autem priora, quæ longius à sensu sunt remota. Remotissima verò sunt quæ maximè vniuersalia: proxima, quæ singularia. Atque hæc inter se opponuntur. In quibus quanquam vulgaris notiorum priorúmque distinctio (quæ mihi quidem certè in Philosophia necessaria esse videtur) variis rationibus à te exagitetur: de ea tamen nunc non disputabo, quòd ad eam quæstionem alius locus mihi sit institutus. Sed id solùm contendam, Aristotelẽ in illa non minus, aut etiam fortasse magis, ordinis rationem habuisse in rebus inuestigandis, primáque veritatis inuentione, quàm in eadem explicanda, postquam inuenta est & cognita. Ideóque de specie ima rebus singulis proxima, hic aliter sentit quàm cap. 1. lib. 1. Physic. Si quidem ex iis quæ nunc dicuntur, effici, vt opinor, vides speciem suo genere esse nobis notiorem: quia rebus singulis propinquior est. At in Physicis contrà, genus sua specie nobis est notius & ad nostræ imbecillitatis captum accommodatius. Quæ duo, sentẽtiæ in Arist. nullam contrarietatem habent, etiam si falsa eius imagine nõnulli interpretes in illorum comparatione valdè laborent. Sed existimandum est illum in Analyticis obseruare primam notionum in animis efformationem, in qua est inuestigandæ veritatis principium (Sicut idem confirmat cap. 24. lib. eiusdem & cap. vlt. lib. 2.) in Physicis verò non iam id agere, vt doceat quo ordine notiones communes rerum naturalium in animo omnino rudi, vel in intellectu tanquã in tabula nuda, primum colligendæ sint: verùm quomodo assiduis auditoribus (quales illa acroamatica desiderant) qui iam in illis aliquid sunt ade-

pti,

pti,explicandæ & enodandæ.Atqui certum est vel te ipso iudice, ſpecialem notionem facilius efformari quàm generalem:quoniam ad illam pauciorum obſeruatione opus eſt.At poſtquam vtraque iam efformata, prius & facilius noſtra imbecillitas rẽ quamque obiectam appræhendit ſub genere confuſo, quam ſub eiuſdem ſpecie enodata. Adde quòd Analytica ars,quæ tibi tuam in Animaduerſionibus digreſſionem peperit, apud Ariſtotelem non minus eſt inueſtigandæ veritatis & in animis noſtris diiudicandæ,quàm cum aliis communicandæ & explicandæ. Quoniam in ea potiſſimum oſtenditur quomodo à propoſita quæſtione ad primã cauſam,per intermedias,proficiſci debeamus.Hoc verò inueſtigãdæ veritati imprimis eſt accommodatum.Quæ poſteà à cauſa prima incipiendo,& per intermedias, ad eandem quæſtionem redeundo,doceatur & explicetur.Cur igitur eo loco in quo de prima notionum efformatione veritatíſque inueſtigatione potiſſimum agitur, cùm eam digreſſionem adornas quæ vniuerſum tuum lepidum artificium continet, vel eum ignem quem de cælo clepſiſti, Methodum rerũ inueſtigandarum omnino reſpuis, de altera tanto ſtudio contra antiquitatem diſputas? Equidem cùm attentè mecum conſidero quomodo poſſis hunc nodum ſoluere, & de eo nonnunquam cùm illis communico quos exiſtimo in tua doctrina inter alios magis exercitatos (etenim vt id tecũ faciam neſcio quid non permittit:& etiã ſi id maximè velim,intelligo tamen quàm inutiliter ſim facturus cùm eo homine qui nihil noui habet in promptu,ſapítque tantùm ex commentariis in aliquot locis communibus, quaſi in ſuo Marathone & Leuctris)cùm,inquam,hoc conſidero,ſoleo mihi fingere,vel exiſtimaſſe te hanc Methodum ad priorem partem huius artis,quæ de inueniendo eſt,pertinere:vel eandem iudicaſſe cùm tua Analytica:vel denique eiuſmodi vt ex Analytica facilè potuerit cognoſci. Quid enim quartum poſſis comminiſci? Atqui ſi ad inuentionem pertinere vis,mancas hac in parte Dialecticas tuas Inſtitutiones fatearis eſt neceſſe. In quibus cùm inuentionem tradis, ne verbum quidem eſt vnum de hac inueſtigandi Methodo in prima notionum efformatione, vel artium inuentione per certos gradus diſtincta.Quæ tamen ſi illius eſt,in ea principem locum debuit obtinere.Nec verò poteſt ad inuentionem quàm tu eo loco definis,referri: nec in illius explicatione,quàm ipſe affers,compræhendi.Poſita quæ- "
ſtione,ais,de qua diſſerendum eſt, argumenta quæruntur. Deinde iis "
via & ratione diſpoſitis, quæſtio ipſa explicatur. Tertia mentis actio "
in diſſerendo nulla. Non vides totam inuentionem tuam, eſſe ſitam in excogitandis ſingulis argumentis, per quæ ſingulæ quæſtiones, in quibus de veritate vel falſitate agitur,poſſint tractari?At hic de ve-

ritate quæstionis nondū agimus, nec de singulis argumentis ad quæstionē pertinentibus: sed quo ordine rerū multarū variæ notiones in animo nudo efformādæ, aut in ea obseruatione, quæ artes parit, quid debeat esse primum, quid postremū, quid medium. In quo retexendo, post artem inuentam, ipse artifex secūdum alteram Methodi speciem elaboret. An igitur ex locorum ordine, quem præscribis, existimasti hanc Methodi partem potuisse intelligi? Erras, si id credis. Primùm enim locum tribuis causis, secundum effectis, tertium subiectis, quartum adiunctis: quæ quanquam in exacta rerum iam inuentarum tractatione isto ordine soleant collocari: prima tamen inuestigatio ferè contrario modo ex adiunctis ad subiecta proficiscitur, deinde ex effectis in causas desinit. Quæ verò artis tuæ pars illius ordinis inuertendi rationem explicauit? Aut in illa inuersione cùm duplicē Methodum nobiscum agnoscas, cur in Arist. Analyticis post. vnicā in ea arte quæ rationem instruit, retinuisti: de altera, cuius esset, ne verbo quidem indicasti? Maiore fortasse probabilitate existimare potuisti hanc Methodi partem quàm in tuis scriptis desideramus, cum illa quàm amplecteris eandem esse. Et certè, vt tibi nonnihil concedam, in eodem interuallo vtraque versatur: atque eadem habet extrema, sicut & media, vnáque est eo modo quo viam eandem dicere solemus quæ fert Thebis Athenas, & Athenis Thebas. Quod Arist. ait lib. 3. Physic. Verùm, vt in loco si interuallum reipsa vnum est & idem, non continuò efficitur motus omnes in illo, vnius & eiusdem speciei existere: sed plerúmque eos contingit esse contrarios (sic enim ascensum descensui contrarium esse dicimus, etiam si motus vtérque in eodem spatio versetur) haud aliter de duabus his Methodi partibus videtur esse constituendum. Nam quanquam vtraque versetur in percurrendo spatio quod inter res singulas & summum genus, vel primam causam & summos rerum effectus existit: alia tamen est ratio, atque adeò contraria, progrediendi à rebus singulis ad summum genus & regrediendi à summo genere ad res singulas, per ea quæ sunt interiecta. Nec verò distinctio Methodi tam ex ipso spatio spectari debet, quàm ex modo progrediendi. Itaque de tribus illis quæ ad erroris, vel negligentiæ tuæ excusationem proposita sunt, vnum vides esse relictum: vt dicere posse videaris hanc Methodi partem rebus inuestigandis accommodatam, ex altera, tam multis verbis à te celebrata, tam facilè potuisse intelligi, vt nouo præcepto vel consilio non egeat. Quid enim, inquies, facilius quàm cum docueris per quos gradus à summo ad imum descendendum sit, per eosdem intelligere ab imò ad summū prius fuisse ascendendum? Atqui non quæro, Thessale, quàm multis debuerit explicari: sed hoc solùm contendo, cùm de

Methodi distinctione in Aristotelis doctrina ageretur, hanc partem in illa non potuisse sine vitio prætermitti: etiam si cùm in ipsa diuisione esset numerata, breuius potuerit explicari, propter multa quæ habet cùm altera Methodi parte communia. Neque verò hîc plus tibi debes arrogare, quàm Aristoteleis voluisti licere: quos seuerè reprehendis si quando ea prætermiserint, quæ facilé intelligi posse concedis. Recognosce enim tuã in illos animaduersionẽ de neglecta Dialecticæ definitione & distributione. Aristoteles, ais, non definit Dialecticam in vniuersum, non distribuit: non definit denique artem. Aristotelei fatentur. At inquient, hæc facilè intelligi posse. Video inquam posse, neque despero quin aliquando intelligantur. Sed obsecro te, Aristotelee, qui ista defendis, si pictorem aliquem ad te pingendum certo pretio conduxisses, ísque tui corporis imaginem truncam & sine capite, sine principibus membris tibi pinxisset: cum portentosam illam picturam proponeret, quamuis meminisses te caput & humeros habere, num tibi stomachum faceret? cachinnum excitaret? id credo non negabis. Cur hanc igitur animi tui (quæ tantò tibi tot studiorum, laborúmque pretio paratur) imaginem, prima summáque sui parte carentem probabis? Non sunt, non sunt, inquam, ô Aristotelee, artes idcirco inuentæ ac laudatæ, quia prætermitterent quod intelligi possit: nihil est enim in artibus comprehensum, quod sine artibus intelligi non possit: singulæ enim res antè cognitæ sunt, quàm vniuersæ præceptis concluderentur. sed laudantur artes, quòd tam facilè explicent res omnes sibi subiectas, vt facillimè & certissimè ex earum præceptis intelligi possint. Sed nimis vrgeo & hac in parte sic hæreo, quasi hoc solùm in Methodici arte, de Methodo peccatum sit, quod eam prætermiserit quæ rebus inuestigandis est accommodata: cùm in illa alia tam multa sint, vt mihi verẽdum sit ne in singulis persequendis, non possit hæc disputatio exitum reperire. Itaque iam bona fide tecum paciscar, Thessale, nos de ea tantùm agere secundum quam, vt ais, cùm artis materia sit inuenta, definitiones, regulæ, partitiones, cæteráque omnia decreta constiterint: cùm etiam materia illa fuerit iudicata, iam disponenda est, & cum hominibus aliis communicanda. Quàm tu Methodum doctrinæ appellas, vt eam significes rebus docendis magis quàm inueniendis esse accommodatam. Hãc, inquam, doctrinæ Methodum vnicam esse vis: ego verò multiplicem: eiúsque partes inter se differentes esse contendo. De quo si mihi cum Aristoteleo esset differendum, quoniam vnum sicut & multa, dicitur partim genere, partim specie, partim numero (sic enim Aristoteles, ipse distinxit. lib. 1. Top.) quæreretẽ quo horum modorũ Methodũ, quàm Analyticam appellas, vnicam esse velis? Et quoniam quòd ab-

Lib. 1. Animal.

ſolutè vnicum eſſe verè dicitur, id aut numero, aut certè ima ſpecie (quàm Ariſtoteles nonnunquam indiuiduam appellat) vnum eſſe oportet: facilè, opinor, efficerem, vel te iudice, Methodum doctrinæ ſpecie ima vnicam, id eſt in alias ſpecies indiuiduam dici nullo modo poſſe: multo verò minus numero. Nam ſi Analyſis, ſicut vis, complectitur deſcenſum à generalibus ad ſingula, per intermedia ſpecialia: à fine ad media: primum quidem ea quæ illi ſunt proxima, deinde ad alia quæ ab eodem ſunt remotiora: à partibus totius integri eiuſdémque primis elementis ad totum: à cauſis ad res effectas quæ ex illis manant (hos enim quatuor doctrinæ modos animaduerto te Analyſeos nomine eſſe complexum) quis Ariſtoteleus in tanta partiũ varietate, dicere auderet Analyſin, quæ hæc omnia ſic inter ſe differentia complectitur, omnino vnicam eſſe? Quid enim vnúſne & idem deſcenſus videri poteſt à genere ad ſpecies, à membris & partitibus ad totum integrum, à fine ad media, à cauſis ad res effectas? Atqui vnum & eundem eſſe oportet, ſi omnino vnicus eſt: aut ſi vnicus non eſt, neque omnino vnica eſt Methodus, etiam ſi Analytica eſſe dicatur, quæ tam multiplicem deſcenſum in ſe complectitur. Sed ea tantùm genere fortaſſe vna, quæ in ſpecies multas à ſe inuicem proprietate quadam differentes, eaſdémque communione naturæ inter ſe connexas, diſtribuatur. Hoc ſi dicere voluiſti, nihil habet, hac in parte, iſta doctrina quod tuum dicere poſſis, præter affectatum ſtudium contradicendi. Quis enim negauerit eius Methodi quæ ad docendas res accommodata, generalem rationem eſſe vnam, poſitam in progreſſione à primis ad vltima, per intermedia: hanc verò non omnino vnicam, ſed diuiduam in ſpecies ſiue modos tam differentes, quàm diuerſa illorum graduum habitudo in genere & formis, in fine & mediis, in partib⁹ & toto integro, in cauſis & effectis. At verò quia mihi res eſt cum Theſſalo, qui illud Ariſtotelis, de tribus rerum differentiis, non probat, ſed pro eo ſuum commentum nobis opponit, res eaſdem diuerſas eſſe cauſis, effectis, ſubiectis, adiunctis, diſſentaneis, collatis, nomine, tributione, definitione, teſtimonio (eius enim verbis vtendum eſt, ne in ſuo regno offendatur) aliter diſputatio inſtituẽda, atque quærendum: num quatuor illos Analyſeos modos vno eorũ quæ enumerata ſunt, vel etiam pluribus differre arbitretur. Quibus ſi plurimum differunt, vt certè differunt, cur Analyſin in illos modos diſtinctam, vnicam eſſe contendit? Quanquam dum eius ſcripta attentius conſidero & quod pudet me fateri, in iſtis nugis inter ſe conferendis oleum & operam perdo: animaduerto huic aliter placuiſſe Analyticam Methodum vnicam eſſe. Nempe quòd in ea ſemper à generalibus ad ſpecialia deſcendamus. Sic enim ille concludit.

Lib. 9. Animad.

Aristotelis igitur veram doctrinam à scholastica fallacium & mendacium interpretum inertia, vindicemus: vnicam denique ab vniuersalibus & generalibus ad singularia specialiáque Methodum Hippocratis, Platonis, Aristotelis, Galeni etiam Methodum teneamus. Ergo in Analysi quadruplicem illum descensum retines, à genere ad species, à fine ad media, à causis ad res effectas, à partibus ad totum integrum: & tamen Analysin vnicam esse vis, quia semper à generalibus ad specialia progrediamur. Cur igitur cum primo loco descensum à genere ad species in illa notasti, huic reliquos tres modos tanquam differentes subiecisti: quandoquidem etiam in iis fateris nos à generalibus ad specialia descendere? Deinde si in iis à generalibus ad specialia descendimus, finis igitur generalior tibi erit mediis, causa rebus effectis, & partes toto integro. Hoc enim vides, opinor, si tibi, constare vis, necessariò esse consequens. Quanquam quid ago, aut satísne sanus sum, qui in eo laboro, vt ratione extorqueam, quod ipse profiteris: imò verò nouæ tuæ doctrinæ palmarium ducis? Dicunt interpretes, ais, primo loco finem, secundo proxima fini, tertio tertia ac deinceps reliquis locis reliqua, vt erunt fini viciniora, aut ab eodē remotiora, sic prius posteriúsve subducenda. Hęc rerum per tales gradus subductio, Methodus est Aristotelica: quam sequor & laudo. In quam interpretes, licet id minimè reputantes, quocunque consilio faciant, incidunt: quia via hæc progreditur à natura prioribus & notioribus, à generaliotibus denique prænotionibus. Rationem verò audiamus propter quam finis, sicut arbitraris, mediis est generalior. Nam si finis est, ais, sunt etiam ad finem relata, non contrà. An hoc est probare finem mediis generaliorem esse? Atqui nobis, Thessale, animal generalius est homine, nec tamen si animal est, hominem esse oportet, sed si homo est, animal esse, necesse. Sic enim ex Arist. Topicis, & iis quæ Categorias sequũtur, didiscimus. Sed reprimã me: ne in hac tua conclusione aliquid lateat noui artificij, quod mihi nõdum satis sit perspectum. Nobis, Thessale, generaliora sunt quæ pluribus communicãtur, de eísque interrogantibus quid sint aptè enunciantur. Nec verò tu in tuis institutionibus, in quibus seriò philosopharis, generis rationem aliam attigisti. Ad quam si te hoc loco reuocamus, non vides quàm difficilè futurum sit, finem mediis, partes toto integro, causam rebus effectis, generaliorem dicere? Quanquam in toto integro cum suis partibus comparato, vel in tota re naturali cum principiis, quem ordinem seruari velis, quísque, si tibi constare vis, in eo Analyticum dicere possis, profecto non video. Nam in animaduersionibus, de Physicis Aristotelis ita scribis. Vera hæc Methodus in Physicis seruatur, & quod verbis initio confunditur, id verbis

» melioribus eodem initio corrigitur:& opere toto præclarissimè vin-
» dicatur,& à causis ad causata, à generalibus ad specialia,ab vniuersa-
» libus ad singularia, à simplicibus ad confusa compositáque procedi-
» tur,non contrá.Et eodem loco scribis ex illa Methodi Analyticæ re-
» gula, in Grammaticis primo loco statui literam, ex qua dictio,ex dic-
» tione oratio:In Arithmeticis vnitatem,vnde numerus. In Geome-
» tricis punctum,vnde linea, ex qua superficies, & tandem ex superfi-
» cie corpus oritur (hæc enim tua sunt,quæ pro meis vsurpare non au-
» deo,ne videar ex punctis lineam,ex linea superficiem,contra Aristo-
» telis doctrinam componere) atque in illis omnibus quòd primo lo-
» co constituitur, γενικώτατον videri ex eo confirmas : quod possit eius
doctrina facilè sine consequentibus accipi : consequentium sine illo
antecedente non possit. In quo duo sunt, Thessale, quæ efficiunt vt
meritò in te maiorem prudentiam desideremus. Vnum quidem quod
contra Peripateticos disputans,vnicam esse Methodum Analyticam,
vt hac compositionem complectaris,quam illi ex altera parte Analy-
si opposuerunt, postulas tibi concedi id omne sine quo alterum in-
telligi non potest,esse illo generalius. At illud tibi hi non concedét:
nisi idipsum de eo quo generalius esse dicitur,sicut dictum est, enun-
cietur : ac in eo tibi resistent, quòd priuatio sine antecedente habitu
cognosci non possit:nec in prima notionum efformatione,species si-
ne antegressa rerum singularum obseruatione: cum tamen nec habi-
tus priuatione,cui contrarius est,generalior videri possit, nec res sin-
gulæ,sua specie. Dicéntque te pro arbitrio nouum Dialecticarum vo
cum vsum confingere : non æquabili iure ex antiqua loquendi con-
suetudine contra Arist.doctrinam disputare. Quis enim ante te par-
tium in totum Analysin esse dixit? Quod si, Thessale,de ordine inue-
stigandis rebus accommodato dicendum tibi esset, nónne fatereris
in illo esse progrediendum ab antecedentibus ad consequentia,ante-
cedentiáque ea esse, sine quibus consequentia intelligi non possent?
Ergo si generalium rationem à te positam retinemus, etiam in rebus
inuestigandis,non solum in docendis inuentis,à generalibus ad spe-
cialia fiet progressio. Quod,sicut vis,ordinis est Analytici. Et tamen
hunc in docendis rebus,quæ iam inuentæ sunt,retines:in inuestigan-
dis repudias. Non sentis quibus difficultatibus hæc noua opinio sit
impedita?Alterum,quod cum hoc loco punctum linea generalius es-
se vis, non meministi te paulò ante finem mediis generaliorem hac
ratione collegisse, quòd si finis sit,sint etiam media relata ad finem,
non contrà. Quam si in puncto & linea sequi nobis liceat, efficietur
profecto contra quam statuis, lineam puncto esse generaliorem.
Quandoquidem manifestum est,opinor,si linea est, punctum esse o-

portere,non contrà. Sed hæc non perſequimur ſubtilius: ne inſtitutam de comparatione totius integri cum partibus, quæſtionem prætermittamus. Vis in Animaduerſionibus nos in Analyſi progredi à ſimplicibus partibus ad totum integrum, quod ex illis eſt compoſitum,in eóque, ſicut anteà dictum eſt, partis nomine in puncto cum linea comparato, abuteris. At lib. 2. tuarum Inſtitutionum, cùm in Gammaticæ explicatione, Methodi Analyticæ exemplum proponis, arbitraris in ea totius artis naturam primùm definitione compræhẽdendam,ſecundo loco ſtatui debere quatuor illius partes, Orthographiam,Etymologiam,Syntaxim, Proſodiam: tum partium harũ definitiones tertio gradu ſuperioribus connecti. Atque ita deinceps « ad extremas particulas, ab integris rebus diſpoſitionem debere pro- « gredi,eámque viam vnicam in tradendis artibus eſſe ſeruandam. O- « pinionum varietatem, ne dicam contrarietatem, vides. In hac « quid ſequar, Theſſale? Ego quidem certè quanquam non dubi- « tem, quin in docendis artibus progredi poſſimus à fine ad media & ab elementis ſimpliciſſimíſque partibus ad compoſita: vix tamen aſſentiri poſſum vtrumque ad Methodum vnicam & ſpecie indiuiduam pertinere. Quoniam in illis duobus video ea quæ pro extremis conſtituuntur, ex ſua natura conſiderata & cum noſtra cognitione comparata,rationem quodammodo contrariam obtinere. Nam finis,à quo in priore ducitur initium,cùm deſtinatis mediis cõparatus, totius rationem habet, ſummam deſtinatorum perfectionẽ in ſe continet, illíſque fortaſſe vtroque modo eſt notior,& certè naſcẽdi ordine poſtremus. At ſimpliciſſimæ totius integri particulæ, cõtrà, perfectionem ſuam à toto capiũt, illóque nobis longè obſcuriores ſunt,& naſcendi ordine primæ. Quomodo igitur ab iis facta progreſſio, vna Methodo eadémque ſecundum ſpeciem indiuidua,includetur? Eos qui à primis elementis totius integri, ad totum compoſitum progrediuntur, vis Analyticè ex ſimplicibus ad confuſa proficiſci(hæc enim tua verba ſunt.) Atqui tu,tu inquam,qui doctrinæ incõſtantiam tam ſuperbè aliis ſoles obiicere,deſcenſum à genere ad ſpecies,ad Methodum Analyticam cùm ſuperiore vnam & eandem, vis pertinere. Cùm tamen certum ſit generum notiones in hac primo loco poſitas,confuſas eſſe,enodationíſque indigere: quàm à formis, in quas diuiduntur,accipiunt. In quibus vides quid ex tua ſententia efficiatur: Methodum ſcilicet Analyticam omnino eſſe vnicam, in qua à generalibus ad ſpecialia ſemper deſcendamus: in illa tamẽ nonnunquam nos progredi à ſimplicibus ad confuſa: alias verò contra, à confuſis ad enodata, quæ eadem in naturæ ambitu ſunt ſimpliciora. Id autem quid eſt aliud quàm hoc nomine abutẽdo,vno genere velle

complecti ea quæ veteres in duas ſpecies diſtributa, ſuis etiam nominibus diſtinxerunt, vnúmque compoſitionis, alterum Analyſeōs eſſe dixerunt. Neque verò magis id mihi probatur, quod à partibus ad totum integrum tanquam à ſimplicibus ad confuſa, vis analyticè nos progredi. Quoniam non valde commendabilis in docendo tua Analyſis eſt futura, ſi ad confuſa nos deducit. Præſertim cum proprium doctrinæ ſit, non confundere, ſed diſtinguere & enodare. Et certè quanquam à toto integro ad partes deſcendere, ſit à confuſis progredi: non tamen contrà, à partibus ad totum tanquam ad confuſum dicimur aſcendere. Quandoquidem partes eiuſmodi prius quàm ad totum ventum ſit, à ſe inuicem ſunt diſtinctæ: nec amplius in illo confunduntur: etiam ſi in eodem coniungantur & vniantur. In quo vereor ne non ſatis attentè conſideraueris, in quam ſententiam partes modo confusè, modò diſtinctè in toto cognoſci dicantur. Sed hoc tibi condonandum, quoniam fieri non poteſt quin ignoratione labatur in pleriſque, qui in omnibus ad contradicendum magis quàm ad intelligēdum ſe comparat. Sed mihi crede, Theſſale, ſolidiorem gloriam hac in re, ſicut in aliis permultis, eſſes conſecutus, ſi vetera retinere, quàm noua omnia facere maluiſſes. Síque in eis quæ, vt ingenuè fatear quod ſentio, ab Ariſt. interpretibus non ſine magna obſcuritate tractabantur, illuſtrandis, tantum ſtudij poſuiſſes, quantum in contaminandis. De quibus attende, ſi placet, quid in illorum præceptis à nobis primum ſit obſeruatum, deinde ex vſu notatum in grauiſſimorum Philoſophorū ſcriptis. Nec enim in hac quæſtione tuos Poëtas vel Oratores iudices eſſe volumus: lepidos quidem ſcriptores & venuſtos, quis negat? ſed ferè ſemper contentos in collocando ea Methodi parte quam ipſe communis prudētiæ eſſe vis: de qua hoc loco non diſſerimus: víxque vnquam tentantes alteram exactam & philoſophicam, rebus ipſis partim inueſtigandis, partim docendis accommodatam, ac ne vix quidem eam in dicendi ſcribendíve perpetuitate ſine vitio ſeruantes. In quibus conſiderandis ſi poſſis ad aliquod tempus componere te, & indecorum ardorem iſtum ſenilem (ne verbo vllo grauiore te offendā) reprimere: ſenties fortaſſe illum tuum olim imberbem iuuenem, non eſſe fabrum huius nouæ architecturæ, quam adornas, omnino ignarum: nec ſolum præclari operis veram imaginem optare, ſed eius in tuis ſcriptis falſam ſpeciem meritò damnare. Quippe qui Ariſtotelis Methodo, operis alicuius confectionem non infeliciter tentauit, & de ipſa fabricandi regula diu multúmque cogitauit. Sed certè diligentius quàm vnquam antea, ex illo tempore quo eſt à te ad legendas tuas, de iſta quæſtione, nugas ante annos quinque inuitatus.

Maxima

MAXIMA quæstio est de Methodo, & in differendi arte digna philosophi præstantia: vt in ea explicanda laborantes, minimè vereri debeamus, ne à nostræ professionis munere recessisse videamur. Nec verò in vsu solùm obseruationem longam desiderat (quod te nō latet) sed in artis præceptis explicationem habet (quod minimè vis) difficillimam: quæ veterum & recentiorum philosophorum ingenia variè exercuit. In qua tecum non dicam Aristotelem posse superari, si vlla re superari potest: sed eum potius tantum consecutum, vt huius beneficio longissimo interuallo antiquis præstiterit, & doctrinæ splendore posteritati præluxerit, spémque assequendæ singularis industriæ omnino ademerit. Hæc autem in differendi perpetuitate ex collocatione multorū ad eandē rem pertinentiū, sed in illa non eūdem gradum obtinentiū, partem vnā instruit rationis eius, quā nobis natura dedit: eo ferè modo quo præcepta quæ de singulis argumētationū formis traduntur, dirigunt alterā, singulis quæstionibus per singula argumēta probādis accōmodatam. Itaque perficit vt ea re homo homini præstet, in qua posita est summa eiusdē excellētia & propria naturæ dignitas: vtq; hæc ipsa philosophiæ pars, siue ministra, quæ de differēdo est, suo iure esse dicatur ars artiū reliquarū, nō modò explicandarū, cum earum materia iam inuenta, sed inuestigādarum atque constituendarum. In qua cum eius iudicij quod à ratione manat, eadémque dirigitur, summa vis appareat, soleo mirari, Thessale, cur in partibus huius artis Methodum à iudicio separaueris, & in diuisione dispositionis tanquam generis vnius, illi ex altera parte opposueris: cóque magis quòd hoc ipso loco primæ tuæ cogitationes, quibus olim Methodum iudicio, vt speciem suo generi subiecisti, postremis lōgè meliores mihi esse videntur. Hoc verò in scriptis tuis valde laudo, & cupidissimè amplector, quòd istam Methodum duplicem esse vis: vnam doctrinæ exactioris, alteram communis prudentiæ per omnia fusæ & in diligenti circunstantiarum omnium obseruatione sitæ. Quam tamen fateris artis nonnihil habere, in qua à priore, longo interuallo superetur. Sed cum istam posteriorem Poëtarum & Oratorum, vt popularium artificum, esse velis, illam Philosophorum potius: video quidem cur hoc loco in quo de Methodo explicandarum artium agitur, eam prætermittendam putes: verùm nescio quàm constanter in artis differendi vsu, ad Poëtarum & Oratorum amœniores musas, potius quàm ad summorum philosophorum grauissima scripta, nos reuoces: cùm in illis eam Methodi partem deesse fatearis, quæ potissima est, & quam penè solam huius artis propriam esse vis. Quanquam nobis opera danda est, vt ex iis tuis nugis colligamus si quid ineat boni. Equidem veritatis vis te coëgisse videtur ad pro-

Quæstio de Methodo qualis.

Dialecticarum Instit. editione 1.

bandam hanc distinctionem, quam à circunstantiis materiæ petitam, alio loco superbè damnasti: & idcirco à communi arte omnino alienam esse putasti. Quam cùm primùm in institutionibus tuis olim animaduerti tibi placere cepisse, speraui quoque futurum, vt aliquando cum veteribus in gratiam redires. Si modo, vt Roscius in senectute numeros in cantu remiserat, ipsasque fecerat tardiores tibias: sic tu feruorem istum, ne dicam furorem, qui te transuersum agebat, si non prudentia tua, at certè longæ ætatis beneficio componeres. Nam & Platonem alio loco ostendimus, primam quoque Methodi distributionem, in duas partes fecisse in Timæo, cùm rebus quę tractantur quandam cognationem habentes: & Aristotelem in Logico Organo, quod Methodi præcepta potissimùm complecti deber, eandem partitionem secutum: quam si verum fateri vis, adhuc in eo perspicere non potuisti. Quoniam hic artis disserendi duas partes vt nouas artes constituit (sic enim Cicero initio Bruti quinque partes eloquentiæ, quinque artes appellat) vnam Topicam, alteram Analyticam. Ac in artis Topicæ, libro 8. ostendit quando popularis disputatio instituta est, qualis debeat esse collocatio, non modò singulorum argumentorum, sed multorum ad eandem rem pertinentium, in quibus quæritur quid debeat esse primum, quid secundum, quid tertium. Quod anteà constitutum est ad Methodum pertinere. Libris verò duobus Analytic. Post. siue in coniunctis quæstionibus, in quibus de veritate agitur, demonstrare velis, siue in simplicibus definire: docet quo ordine vtrunque sit faciendum. Nec tantùm quis in singulis artibus partium ordo sit: sed etiam in ipsa artium omnium encyclopedia, quid debeat esse primum, quid postremum, quid interiectum, quæque de ipsis artibus aliis inferiores sint, quæ superiores. Idem quoque in duabus illis Methodi partibus moderandis & in maxima varietate circunstantiarum, (quarum obseruationem Methodo prudentiæ subiectam esse vis) tum rei, tum auditoris rationem habendam arbitratur. Rei quidem, quoniam vt scribit cap. 3. lib. 1. Ethic. hominis est eruditi atque periti subtilitatem requirere in omni genere, eatenus quoad rei natura patitur. Nihilque interest vtrum Mathematicum popularibus rationibus vtentem probes, an ab oratore necessariam rationem requiras. Auditoris verò, quia vt idem ait, lib. 1. minore Metaph. ad audiendum, morem consuetudinémque afferre solemus: vtque audire consueuimus, ita alios volumus dicere. Nec quæ ab iis abhorrent, similia nobis videntur, sed ignotiora & magis peregrina, propter insolentiam. Ex quo est profecta operũ eius distinctio in Acroamatica & Exoterica, quam Cicero notat lib. 5. de finibus. Sed illam popularem quæ om-

Arist. Acroamatica & exoterica.

nino præceptis definiri non potest, relinquamus: de eáque tantum agamus quæ Philosophum, vt exactum veritatis inuestigatorem ac iudicem instruit. Hic, vt opinor, non modo veritatis iam cognitæ explicator esse debet, sed eiusdem inuestigator ac diligens obseruator. Et quanquam maximam laudem in inuentis aptè, & distinctè tractandis consequatur: non minus tamen admirandus est in rectè inuestigandis & obseruandis. Circa verò inuentionem duo notanda sunt: vnum quidem, quo modo ad rerum inquisitionem ille excitetur, alterum cum iam excitatus est, quánam insistat via. In priore, ab initio posito fine, ad laborem erigitur, deinde gradatim descendit per media fini proxima, ad ea quæ ab illo sunt remotissima: sicut colligi potest ex Aristo. lib. 1. Metaphysic. Cùm autem vel necessitate, vel vitæ vsu, vel ingenua voluptate (talia enim ferè sunt quæ propositis finibus adiunguntur) ad ferendum laborem in rebus obseruandis, excitatus est: tum contrario ordine in harum obseruationem incumbit, ab vltimis progrediendo (quæ eadem alia ordinis ratione prima sunt) atque ab iis per medios gradus ad finem ascendendo, in quem desinit. In priore manifesta est ea Analysis, cuius rationem anteà exposuimus ex lib. 3. Ethic. in posteriore, Genesis. Nam proposito fine, media quærere per quæ is parari possit, eáque gradatim persequi, ad eam Analysin pertinet, quàm in deliberationibus humanis Aristoteles eo loco notat, atque Geometrarum Analysin in descriptionibus imitari. Ascendere autem à mediis ad finem, contrarij ordinis est: in quo Genesin ponimus. Et quanquam vtraque progressio naturalis dici possit, id tamen diuersa ratione accidit. Si quidem prior naturæ est res instituentis, aut de rerum procreatione quasi deliberantis: posterior eiusdem iam gignentis. Quæ duo si verum fateri vis, Thessale, non agnouisti, nec certè in Galeno exagitando satis acutè distinxisti. Ille ait per istiusmodi Analysin artes esse inuentas. Tu, quia hoc aduersari videtur doctrinæ tuæ de vnica Methodo Analytica, tractandis artibus iam inuentis, non autem eisdem inuestigandis accommodata, scribis hoc Philosophiæ Aristotelicæ (id est vt ego quidem interpreror, tuæ) contrarium esse. Omniúmque artium inuentionem & obseruationem licet summum artis finem propositum semper habeat, à sensibus oriri, & inductione singularium ascendere ad specialia, & rursum à specialium inductione, ad generalia. Atqui ad artes inuestigandas homines proposito fine excitatos esse, indéque ad præceptorum obseruationem (quæ à rebus singulis incepit) descendisse, Aristotelis sententia est Metaphy. 1. omnium Philosophorum firmata consensu. In illóque descensu à fine, Analysin cõsistere, non modo idem fatetur lib. 3. Ethic. sed ipse quoque agno-

Duplex ordo naturæ.

scis, cùm eius Methodi quam vnicam esse vis, eandémque Analyticam, partes quatuor distinguis, à fine ad media, à genere ad species, à partibus ad totum integrum, à causis ad res effectas. Sed aliud est quærere quid homines excitauerit ad artium inuestigationem, & postquam excitati sunt, quo ordine in obseruatione præceptorum sint versati. Excitati sunt Analysi, quæ diæresis quædam ipsius finis videri potest. At in obseruatione præceptorum, secuti sunt genesin: quam per me etiam licet Sinthesin nominare. Sed fortasse in superiore Galeni loco hoc te male habet, in quo nonnulli eius interpretes sunt perturbati: quod per Analysin artes inuentas ille ait: tu ex Arist. contendis illas potius perpetua Analysi debere explicari. Cùm tamen apud omnes certum sit, & à nobis antea positum, ordinem in inueniēdo non minus esse diuersum ab altero, qui in perpetua explicatione inuentorum tenendus est, quam descensum ab ascensu: etiam si vterque in eodem spatio versetur. Quo modo igitur, inquies, per Analysin artes inuentæ, & per eandem postquam inuentæ sunt, explicātur? Facit hoc, Thessale, nominis huius multiplicitas: quam ab initio distinximus. Nam quia Analysis dicitur de descensu à fine ad media, & à generalibus ad specialia: priore ad artium inuestigationem homines excitati sunt, atque deliberando ab illo per media gradatim descendentes, in animis artes ipsas constituerunt: posteriore, in eisdem explicandis sunt vsi, siue quia vt Arist. significat cap. 1. lib. 1. Physic. post efformatas in animis rerum ad aliquam artem pertinentium notiones, intellectus noster ab vniuersalioribus tanquam confusis, ad speciales vt distinctas, & enodatas progredi solet: siue quoniam, vt idem ait cap. 1. lib. 1. de partibus animalium, magnum in docendo vitium est sæpius idem dicere: hoc verò effugere nemo potest, nisi hac Methodo à maximè communibus ad ea quæ in specialibus ima sunt, per intermedia proficiscatur. Quibus ita positis, facilè iam est videre quam turpiter erres, non satis perspecta istius multiplicitatis distinctione: vel quàm malitiosè, tuo more, in hac disputatione Aristoteleis falsam interpretationem affingas: vt in ea habeas commo-
» diorem occasionem calumniæ. Aristotelis interpretes, ais, si huius
» logicam probe nossent, nunquam feciſſent Analysin genesi prio-
» rem: sed contrà, genesin Analysi, vt Aristoteles fecit priorum Ana-
» lyt. primo: feciſſentque omnino cum doctore suo Geneseos Analy-
» sin, non cōtra magistri doctrinam, Analyseos genesin. Tu verò Thessale, repudiata illorum sententia quid nobis sequendum arbitraris? an semper genesin Analysi priorem esse vis? In Methodo tota via aberras, si id credis. Nam in iis quæ ad mores pertinent deliberatio, Analysis quædam est ipsius finis in media: actio eiusdem ex mediis quasi

Geneſis. At in illis certiſſimum eſt, vt deliberationem actione, ſic finis Analyſin eiuſdem Geneſi natura eſſe priorem. Quæ ſi ad artes referamus, in iiſque Geneſin tecum appellamus à ſingulis horùmque obſeruatione, aſcenſum per inductionem ad vniuerſa (qui quidem artium præcepta peperit) adhuc vera Analyſis per quam antea, ex Galeni ſententia, diximus homines poſito fine ad harum inueſtigationem excitatos, Geneſin iſtiuſmodi antecedit. Quis enim tibi concedet eos prius in rerum ſingularum obſeruatione laborare cœpiſſe: quàm ad eum laborem propoſito fine, eiúſque facta Analyſi, eſſent excitati? Vides igitur, ſi modo quod rectum eſt videre potes, Ariſtotelis interpretes non ſine iuſta ratione Analyſin Geneſi priorem dixiſſe. Nunc conſideremus quid te in iſta comparatione fefellerit: aut quomodo hoc tuum, quanquam ſuperbum de antiquitate iudicium, aliqua ex parte verum videri poſſit. Geneſin fortaſſe appellas ſolam Platonis in Phędro eã ſyntheſin, per quã in prima obſeruatione ſingula diſperſa, in vnam ſpeciem colliguntur. Cuius quanquam in Platonicorum doctrina noua origo in animo dici non poſſit: ſit tamen per recordationem quædam excitatio, ideóque quaſi Geneſis. Analyſin verò eiuſdem Diæreſin, per quam, vt ait, articulatim res vnaquæque, ſicut natura poſtulat, per ſpecies diuiditur, poſtquam ſcilicet vniuerſæ notiones in animo, ſicut Plato vult, excitatæ ſunt: vel, vt Ariſt. arbitratur, nouæ efformatę. Quæ ſi tua eſt de Analyſi & Geneſi ſententia, per me licet dicas, Geneſin Analyſi priorem, & Geneſeos eſſe Analyſin, non Analyſeos Geneſin. Quoniam non ex illo deſcenſu notiones in animis efformantur, quarum eſt Geneſis: ſed illæ potius per aſcenſum natæ vel excitatæ, perpetua quadam Analyſi explicantur. Verùm ſi harum vocum neglecta multiplicitate, quæ Ariſtotelis interpretibus, atque etiam huic noſtro Alcinoo Platonico, eſt familiaris, cùm te ad vnicam ſpeciem reuocaueris, & in huius anguſtias nominis communionem contraxeris, in eaſdem illos velis cogere, de eáque ſignificatione hoc ab illis dictũ arripere, de qua eo loco nõ ſunt locuti (ſicut ex eo intelligi poteſt, quod tu ipſe de Analyſi finis, in Logico organo ex illis commemoras) an non ſentis iſto modo contra antiquitatem diſputare, Sophiſtarum eſſe, non Philoſophorum? At Ariſto. inquis, in prioribus Analyticis ratiocinationis Geneſin prius explicat, quàm eiuſdem Analyſin. Fateor. Sed in eo primum aliud Sophiſma agnoſce, quòd à quæſtione contra veteres inſtituta de ea Analyſeos ſpecie quæ finis eſt in media, diſputationem transfers ad alteram, quæ integræ ratiocinationis eſt in pronunciata & ſimplices voces, tanquam in partes & elementa. In quæ nemo poteſt illam ſine errore diſſoluere, niſi qui prius nouerit ex iis eandem componere.

Deinde tu de Logici organi explicatione contra veteres agis, atque ex Aristot. confirmas in illa Genesin prius quàm Analysin tractari: illi spectarunt consilia hominum de constituendo Logico organo deliberantium. In quibus per Analysin descensus factus est à fine ad media: Contra verò in eiusdem explicatione, ascensus à minimis ad id quòd in eiusdem Analysi, de arte deliberantibus, erat omnino primum. De distinctione autem Logici organi ad Analysin vel Genesin accommodata, in qua veteribus Aristotelis interpretibus non omnino, tibi verò multò minus assentior, pluribus hoc loco non disputo: verùm id solùm contendo, si in eo Topicam artem ab Analytica separaueris (quæ quo ordine ad illam se habeat docere alterius est instituti) ac in Analytica Categorias & librum de interpretatione (communia quidem vtriusque artis elementa, sed vt alio loco contra te disputauimus, huic potius quàm Topicæ, propter dignitatem adiuncta) fueris complexus: in hac per Genesin siue vt Galenus loquitur, pẽr sinthesin, à primis elementis quæ Categoriis continentur, progrediendum ad id quod est in eadem summum & imprimis expetendum. Sed ita tamen vt eiusmodi graduum distinctionem prius cognitam fateamur per contrariam Analysin, à fine ad illa prima elementa descendentem. Quàm secuti sunt qui ad hanc artem spectato fine excitati, de eadem constituenda primi certa quadam Methodo cogitarunt. Nec verò sinthesis siue Genesis, de qua in exemplo proposito loquimur, ea est per quam notiones ex singulorum obseruatione in animis efformantur (hanc enim tecum agnoscimus, ex Platone & Aristotele, ad obseruationem præceptorum, non ad explicationem pertinere) sed altera quæ in constructione totius integri primum dicitur, indéque ad genus vniuersum transfertur: quia hoc, vt Aristote. ait. cap. 1. lib. 1. Physic. totum quoddam est: quippe quòd multas species quasi partes, complexu suo continet. Sed ita vt illa sola nominis communione in toto integro & genere vniuerso esse dicatur, nec sit in vtroque eadem ratio: neque in illis explicandis Methodus omnino vnica, sed potius contraria. Ex quo accidit, vt quando id quod eidem arti vel scientiæ subiicitur, cùm diuersis comparatum, vtroque modo totum quoddam est: nempe & integrum, quod ex quibusdam quasi membris componitur, & vniuersum, quod naturæ suæ ambitu species plures cõplectitur (qualẽ in arte disserendi, nostri ratiocinationẽ esse volunt & in Physiologia corpus naturale) tum in ipsius artis vel scientiæ perpetuitate, Methodus non vna semper & eadem, sed duplex adhibeatur. Siquidem in illa, priore loco totius integri ex membris compositio aptè explicatur, per eam quam Genesin vel Synthesin diximus posse nominari: poste-

Distinctio Logici organi.

riore, generis in ſpecies ſuas diſtributio, ex altera Methodi parte quæ ad Analyſin, vel Diæreſin pertinet. Nam cùm in vtráque illius perpetuitatis parte multi gradus ſint & in illis primum quiddam, aliud vltimum, itémque intermedium: Methodum aliquam ponere eſt neceſſe. Quàm ſi tu vnicam & ſpecie indiuiduam aſſeris: fateaeris oportet, ſi conſentanea dicere vis, genus vniuerſum ad ſpecies vltimas & intermedias eodem modo ſe habere, quo prima elementa ad totum integrum,& eas partes quæ ſunt interiectæ. Quod quidem non ſolum doctrinæ Ariſtotelis omnino contrarium eſt,ſed tuis nugis non ſatis conſentaneum. Nobis verò non magis vitioſum eſſe videtur in eiuſdem artis perpetuitate, pro diuerſa ratione partium quæ incidunt, docendi Methodum variari: quàm in ipſius perpetuitatis particulis, eandem quæſtionem tractari argumentis, quorum collocatio partim ad differentes ratiocinationum figuras, partim ad diuerſos eiuſdem figuræ modos pertineat. Vt tibi in illa perpetuitate vnicam Methodum aſſerenti, licuerit profectò eodem iure omnium ratiocinationum formam vnam conſtituere. Adeo vt ſoleam mirari, hoc etiam in mentem non veniſſe, vt noua omnia faceres. Præſertim cum te ad id excitare potuerit optimus magiſter tuus Laurentius Valla, ex cuius maledicentia quaſi copiæ cornu, tam multa in Dialecticas animaduerſiones tranſtuliſti. Vis autē, vt hoc ipſum quod de Methodo in eadē arte variāda hoc loco cōtendimus, apertius intelligatur, profito aliquo exēplo illuſtretur? Non dicam Ariſtotelis logico organo, ratiocinationis vt totius integri Geneſin vel Sintheſin ex pronunciatis, de quibus agitur libro de interpretatione, & pronuntiatorum ex ſimplicibus vocibus, de quibus in Categoriis, primùm explicari: deinde eiuſdem vt generis vniuerſi, Analyſin vel diæreſin in Apodicticam, Dialecticam & Sophiſticam, quorum natura explicatur in Analyticis, Topicis & Elenchis. Quòd quanquam id probabiliter dicatur à multis, ſequi tamen non placeat hoc tempore: quoniam à te iampridem exploſum eſt, & mihi, vt libere dicam quod ſentio, non ſatis probatum. Sed illud modo rogabo, ſi quando Phyſica attigeris, atque hæc, quibus tuæ declamationes, neſcio quid minitantur mali, in integrum, ſi diis placet, reſtituere ceperis: an num in eis corporis naturalis compoſitionem ex materia & forma primum trades: deinde à generali huius ratione ad ſpecies vltimas per intermedias deſcendes? Hoc enim tibi placere ex tuis ſcriptis coniicio: & certè Ariſtotelem ita fieri voluiſſe facilè colligo ex initio libri. 1. Phyſic. cuius ſententiam quorundam interpretum errorem ſecutus, omnino peruertiſti. Verùm ſi id feceris, Theſſale, eritne omnino eiuſdem Methodi à materia & forma ad corpus

naturale ascendere, & à corpore naturali ad eiusdem species descendere? Ego quidem in posteriore Analyseos speciem vnam facilè animaduerto: in priore qualem eam comminisci possis prorsus non video: aut certè quoniam de vocabuli vi rectóque vsu inter nos agitur, si hanc Analysin esse contenderis, nescio quorum Philosophorum consuetudine tuam in eo opinionem possis confirmare. Atque vt in illa rerum naturalium explicatione, Genesin cum Analysi in variis partibus perpetuitatis docendi, obseruamus: & in hac coniunctione Genesin, per quam corporis naturalis compositio explicatur, eiusdem, tanquam generis vnius, Analysi priorem facimus: sic accidere potest, vt in eadem etiam perpetuitate Analysis cum Genesi coniuncta, hanc meritò nonnunquam antecedat: præsertim in artium compendiis, in quibus ad hominum studia excitanda fine primo loco posito, eóque aliqua definitione concluso, artes ipsas Analytice constituimus: deinde in eisdem à primis elementis breuiter expositis, ad id quod maximum est, per Genesin ascendimus. Quam duplicis ordinis coniunctionem nos in artis disserendi compendio non infœliciter seruasse videmur, & si tua consideras paulò attentius, eandem in tuis dialecticis es secutus. Hoc verò quicunque facere instituunt: ab earum artium, quas tradere volunt, definitione incipiant est necesse. Non quod ab hac artis compositio progredi debeat, in quam ipsa potius desinit: sed quia Analyseos, quæ Genesin præcedit, caput illa continet. Quod quidem in fine est positum: à quo optima artis definitio duci debet. Et certè Galenus in arte medica, quæ parua, id est, compendiaria appellatur, id ipsum quod disputo secutus videtur: in eo ordine quem definitionis esse ait. Quoniam hic non tam fortasse nouam Methodi speciem continet à duabus prioribus omnino diuersam: quam duarum in vnam, collectionem quandam compendiariam. Si quidem quod eo libro medicinam primo loco definit artem salubrium insalubrium, & neutrorum: deinde hæc tria quæ in definitione sumpta sunt, per varios gradus diuidit, donec ad ima quædam (qualia tamen, vt loquitur, non autem singula) ventum sit: hoc ad Analysin tuo more dictam, haud dubiè pertinet. Quoad autem in explicandis partibus, quas Analysis parit, ascendit à primis eiusdem artis elementis ad ea quæ in illa sunt summa, vt ad morborum curationem & valetudinis conseruandæ rationem, id non amplius ad Analysin, sed ad Sinthesin potius videtur esse referendum. Et tamen hoc totum ordinis definitionis esse vult: non solùm quod à definitione incipiat, sicut es arbitratus, sed potius quod in partibus omnibus quas illa siue Analysis, siue Sinthesis parit, breui definitione ferè sit contentus. In quibus explicandis, aliis de Medicina scriptis, idem

Locus Galeni initio artis paruæ.

idem solet esse longè prolixior. At cùm artem iam inuentam, & per Analysin cõstitutam, gradatim componere volumus: nec tam ad eam hominum studia excitare, quam rudes instituere, atque hos à primis elementis, ad id quod habet summum, per Genesin vel Sinthesin, quasi manu ducere: tum, vt ab eius definitione incipiamus, nihil necesse: satísque est, si cum ad partem principem summámque ventũ fuerit, tum eius naturam definitione aliqua complectamur. Quoniam vereri debemus ne artis magnitudine, quam definitio breuiter solet comprehendere, statim initio proposita, rudes omnino deterreantur, potius quàm excitentur, ac desperatione debilitati, id in ea experiri nolint, quod se assequi posse diffidant. Itaque potius in ipsis elementis illi sic erunt exercendi, vt adhuc nesciant quæ instituti summa sit: ac tum demum hoc sentiant, cùm ad principem partem peruenerint: in qua totius artis definitio primo loco ponetur. Tu quidem, Thessale, pueritiæ memoriam vltimam repetẽs, de studiorum tuorum forma nobis concedes quod voles: ego verò fatebor me puerum grammaticam sic didicisse, vt in iis quæ de literis, syllabis, singulísque nominibus & verbis, tum tradebantur, omnino nescirem quo magistrorum in docendo, meus in discendo labor referretur. Deinde adolescẽtem, in Aristotelis Categoriis, & libro de interpretatione sic esse versatum, vt agnoscerem in illis rudimenta tantum duarum artium, Topicæ & Analyticæ: quarum summam definitio, earundem artium initiis ab Aristotele posita, esset aliquando explicatura. Scio quid tu postea contra veterem doctrinam hac in parte disputaueris & de præterita dialecticæ definitione, quam graues contentiones contradicendi studio inflammatas, in peripatetica schola excitaueris. In quibus vt tibi facilè concedo potuisse definiri, non Dialecticam (nec enim vt alio loco contra te disputauimus, Aristotel. vniuersam differendi vim, hoc nomine vnquam est complexus) sed artem rationis: quæ deinde posita definitiones, per Analysin in principes partes harúmque elementa dissolueretur: à quibus rursum Genesis duceret initium, & in finem artis eiusdem definitione comprehensum, desineret: sic tibi pernego ita fuisse necessario faciendum. Et si fortè hoc modo communis ars fuerit exposita: contra te constanter contendo vtrunque, ad vnum & eundem ordinem non posse pertinere. Sed descensum à definitione artis finem continente, ad prima elementa (qui breuiter initio fieri potest, partim vt auditor excitetur, partim vt rudibus primísque lineis ductis, non omnino nouus ad artem accedat) ad eam Analyseos speciem esse referendum, quam in deliberationibus de vita, antea obseruauimus. Ascensum verò ab elementis ad id quod eadem ars habet summum, ad Ge-

nesin:non eam per quam notiones diximus efformari,sed alteram,in qua ostenditur quo modo vel totum integrum de suis partibus, vel finis de mediis excitetur.Atque etiam illud addo, dum singulos gradus in Analysi,vel Genesi persequemur, si quid in illis occurrat quod generale sit & suapte natura commune multis,id ita esse explicãdum, vt Analyticè semper à generalibus ad specialia descendamus: ne in illud vitium incidamus quod ex Arist. lib.1. de partibus animalium, antea indicauimus. Hoc autem in eiusdem doctrina tam frequentem Analysin effecit: vt ex eo, meo quidem iudicio, in hunc errorem de vnica Methodo Analytica,sis impulsus. Atqui iam ex superioribus potes intelligere, vel certé facilè intelligent hi quos nondum infatuasti, non modo non esse eandem in Methodum inuestigando,& eo explicando quod iam inuentum est: sed neque artis eiusdem partes omnes in docendi perpetuitate, eadem Methodo tractari: Nec eam quam Analyticam appellamus, docendis inuentis tantum esse accommodatam: sed pro diuersa Analyseos ratione, ad artes in animis constituendas,cum de illis inuestigandis agitur, esse necessariam.Quod de contraria Genesi,itémque de Platonica diaresi ac Sinthesi,pro earum multiplicitate,eodem modo est explicandum.Sed in ampliorem disputationem quam ab initio sperabamus, excreuit nostra digressio,& nescio quo studio fortasse prouecta longius, quam commentandi ratio permittit. Itaque iam finem faciam,si vnum indicauero, in quo errorem tuum excusare nullo modo potes. Scribis Galenum gloriari se Methodi Analyticæ inuentorem & authorem esse: ideóque te in illo non solùm modestiam, sed memoriam valdè requirere,qui antea Platonem totius ὁδοιπορίας ἄνω καὶ κάτω scriptorem & authorem è Phædro & Philebo produxerit & appellarit,& in artis medicæ constitutione veterum Philosophorum documentum esse dixerit.Atqui,Thessale, nullam ex eo gloriam Galenus captauit: nec se,pace dixerim tua, huius Methodi inuentorem prædicauit: sed eam quam à veteribus Philosophis acceperat, primùm ad artis medicæ constitutionem accommodasse, & in huius origine explicanda vsurpasse:cùm per sinthesin superiores Medici plerique, vt Herophilij & quidam Erasistrati sectatores,ac Atheneus Attaleus, eandem tractare essent conati. Quam fuisse illius sententiam non contendam tecum pluribus,quoniam hi facilè iudicabunt, qui quasi in rem præsentem venientes, initium libri de arte Medica,quàm paruam appellant, sedulò cùm eo comparabunt, quod ab illo scribitur, libro de eiusdem artis cõstitutione.Nunc quia satis longa digressione,Thessali digressioni de Methodo satisfeciisse videmur,ad Alcinoi interpretationẽ reuertamur.In qua quanquam hoc capite alia permulta sint quæ disse-

rendi arte contra eundem pro vetere disputari: ea tamen potius reiicienda putauimus in commentarium descriptionis Logicæ: in quo nostra Elenctica contra hanc scholam, doctrinæ peripateticæ, imò verò bonarum omnium artium perturbatricem, complectemur. In illo verò edendo quorundam efflagitationibus iampridem satisfeciſſem, nisi in annuis animaduersionum fœtibus, ab Academiæ nostræ Thessalo adhuc meliora in dies expectarem, eáque in quibus hic tandem aliquando resipiscens, veterémque suum errorem agnoscens, in illo detegendo magna nos laboris parte leuaret.

FINIS.

IA. CARPENTARIVS, Candido Lectori. S.

SVPERIORE disputatione Thessalus sic affectus est, vt quanquã antea sæpe à doctissimis viris in multis reprehensus, nunquam tamẽ grauius cõmotus fuisse videatur. Credo equidẽ, Candide Lector, quòd illa peti se in eo sentiret quod habebat omnium charissimum: quoque omnibus Philosophis superior haberi volebat. Quare is qui antea omnes alios aduersarios contempserat, hîc magna animi impotentia, à doctrina, de qua inter nos erat instituta contentio, rem traduxit ad conuitia: in quibus exercatissimus, facilè quemuis in arenam deiicit. In sententiis autem & argumentis, sic hærere visus est, vt eruditorum omniúmque philosophorum iudicio nihil esset contrariæ eiusdem disputationi frigidius. Quæ tamen apud imperitos aliquatenus parte suo fuco splendesceret, eidemque præstaret, vt reuera victus, alios in triumpho portare videretur. Quod vbi animaduerti, iterum cum illo de eadem quæstione congrediendum existimaui. Vt quod fœliciter inchoatum videbatur, magno rei literariæ commodo, tandem aliquando conficeretur: quo vetus doctrina de Methodo semper eadem retineretur, contrariæq; huius nugæ omnino exploderentur. Hoc vero non modo in hac academia ex illo tempore videor cõsequutus, sed exterorum permultorum testimoniis in eodem maximè cõfirmatus. Sed eius contentionis euentum & eas Tragedias quas illius recordatio postea in regia professione mihi excitauit, tacitus nonnunquam considerans, lubens profecto illud vsurparem,

Vtinam ne in nemore——

Nisi publicæ vtilitatis, quam rerum mearum rationem habere mallem. Quoniam facile mihi persuadeo ad dissensionem de religione, hanc potissimum causam accessisse, propter quàm in illa à Thessalo tam acriter sum oppugnatus, penéque (prout tum erant tempora) regiorum professorum ordine exclusus: quòd eius maiestatem grauiter læsisse viderer in oppugnanda sententia de Analytica Methodo, in qua idem doctrinæ suæ summam & deiectæ antiquitatis palmarium iampridẽ posuisse videbatur. Hoc verò etiam, Candide lector, quod secunda congressione respondimus, superiori disputationi subiiciendum existimauimus, vt nihil esset quod hac in parte posses desiderare. Vale.

AD EXPOSITIONEM *DISPVTATIONIS DE METHODO, Contrà Theſſalum Oſſatum, academiæ Pariſienſis Methodicum.*

Reſponſio Iacobi Carpentarij, Claromontani Bellouaci.

Quæ digreſſionis primæ, pars poſterior.

O Factum bene quòd opinionem tuam de Methodo oppugnauimus! Tandem tibi hoc perdoluit, Theſſale, Laudo: vir es. Antea quanquam à nobiliſſimis aduerſariis, de quæſtionibus maximis in certamen vocatus, nunquam tamen adduci potuiſti vt reſponderes. Nunc verò grauiter commotus es. Quid ita? Arcem tuæ ſapientiæ voluimus inuadere, tibíque id de manibus eripere, in quo de victa omni antiquitate triumphas. Et tamen ne tua maieſtas lædi videretur, ſi tu ELOQVENTIÆ, PHILOSOPHIÆ REGIVS PROFESSOR, GRAMMATICÆ, RHETORICÆ, LOGICÆ PHYSIOLOGIÆ, MATHEMATICARVM ARTIVM RESTITVTOR, IN RE LITTERARIA DEVICTIS FABIO, CICERONE, ARISTOTELE, PLATONE, EVCLIDE, OMNI DENIQVE ANTIQVITATE, MAGNIFICVS TRIVMPHATOR, CÆSAR SEMPER AVGVSTVS. aperto marte in ſingulare certamen cum gregario doctore, & vix vno è multis deſcenderes: alieno nomine cóque in Academia nouo, vultum tuum velaſti, ſicque eleganter profecto, perſonatus, indignationi tuæ voluiſti obſequi: atque ſperauiſti ſalua exiſtimatione tantæ maieſtatis tuæ, iſtum canem tibi adlatrantem (ſic enim de nobis quodam loco ſcribis) poſſe non dico vinci, verum pedibus miſerè conculcari & confici. Sed tamen iſta larua, Theſſale, commodior erit

quam speraſti. Teget enim ſplendorem tui vultus: in quo ineſt quiddam ſuapte natura dignum imperio, variiſque victoriis etiã amplius elatum: atque fortaſſe præſtabit, vt nihil metuendum ſit à tuis radiãtibus iracũdis oculis, quibus haud diſſimiles in C. Mario, terrori fuiſſe dicuntur militi ad huius necem properanti. Quanquam quid cum illa facias? aut quo modo te occultare poſſis? Vox ipſa Theſſalum ſonat: quæ ſemper ſuas habet ampullas & ſeſquipedalia verba. Debuiſti, & hoc pace dicã tua, O AMPLISSIME REX ET SEMPER AVGVSTE, vt perſonatus in hac diſputatione nobis facilius illuderes, tuos cothurnos ad aliquod tẽpus deponere, & noſtros ſoccos induere. Verum vt ſimia etiam in purpura, ſemper eſt ſimia: ſic tu cum Oſſatus quidam videri vis, ſemper es Theſſalus: id eſt in dicendo elatus, & ita inflatus, vt ſi de tricis agendum ſit, non minus vehemens eſſe videaris, nec in tuis ſplendidioribus ornamentis frequés, quam ſi in cauſa centumuirali pro maieſtate regis eſſet dicendum. Hæc enim, ſi neſcis, tua eſt illa Pytho quæ iam pridem tonat, fulminat, permiſcet vniuerſam Academiam. In cæteris, eadem apud Germanos, Italos, adde etiam ſi voles apud Indos, quantumlibet admirabilis. Nam per me licet diuinam etiam dicas: nec ego de eius gloria tecum contendam: nec mecum male agi exiſtimabo ſi noſtro ſermoni puritas deeſſe non videatur: atque hæc quidem, non illa quam tuæ aures teretes & ſuperbæ vbique ſummam expetunt, ſed quam ſimplices & philoſophicæ, non omnino reſpuũt. Ideoque IOVI SERVATORI magnam gratiam habeo, quòd in ſuperiore diſputatione, ſententiis quidem, fateor, quoad potui & licuit, elaborata, verbis ſua ſponte fuſa & fluente, vnicum (multiplicitatis) verbum te offenderit. Et quanquam pro illo poſſim alia permulta tibi eloquentiæ & philoſophiæ regio profeſſori, reponere (quæ cum voles ſeorſum indicabo) illúdque imprimis quod ſtatim initio à te non ſatis, emendate dictum eſt (*Eheu miſero tibi*) cum illa interiectio caſum eiuſmodi non regat, ne in illo quidem Vergiliano (*Eheu quid volui miſero mihi*) in quo puerili imitatione videris eſſe deceptus: id tamen minime faciam. Quòd illud meum, loquendi conſuetudo philoſophorum receptura ſit, cui hac in parte ſeruire ſatis eſt: quódque intelligam non in eo ſitas eſſe opes philoſophiæ, hoc ne an illo verbo vtamur: ſed quæſtionem omnem inter nos de re eſſe inſtitutam quæ ſit contenta doceri. In qua nobis iam aperto vultu agendum eſt cum perſonato Theſſalo. Qui antea prælij tantum ſpectator eſſe conſueuit: ipſe fraterculum ſuum in arenam aliquoties miſit, Potentem ſanè & cautum luctatorem: de quo non erat verendum ne ab iſto dictata referret: ſed tamen pugnæ euẽtu ſemper infelicem. Credo, quod deteriore cauſa pugna-

ret, & contra eos quorum impetum Theſſalus adhuc merito reformidat. Nunc vero huic fraterculus ereptus eſt: dicerem rei literariæ, ſi in cõmunem vtilitatem veteríſque doctrinæ exornationem, ſuum ſtudium & induſtriam viuus conferre voluiſſet. Gyganti, inquam, fraterculus ereptus. Qui quia ſentit iam ſe nonnihil premi in quæſtione de methodo, quam habet omnium maximam, à Carpentario philoſophiæ quidem profeſſore gregario, & ſi huic credendum eſt, omnium bonarum literarum prorſus experte: ſed tamen in quo negare nõ poteſt aliquid ineſſe veteris philoſophiæ peripateticæ, quam ſophiſticam appellat, quamque certis de cauſis odit & metuit: anceps in varias partes diſtractus, perlecta illa diſputatione de methodo, quod vnica non ſit, initio hæret, dum ſecum ita cogitat. Quid hic faciam? hominémne ſicut antea, omnino cõtemnam? Natura quæſtionis non permittit. Nam & ipſa per ſe magna eſt: nec vnquam quiſquã poſt alios ſcriptores in docendo magnus haberi voluit, qui non idem aut nouam methodum inſtituere conatus ſit, aut quàm ab aliis acceperat, meliorem facere. Nobis vero térque quatérque maxima. Si quidem in ſeptem artibus que libero homine dignæ, eam celebritatẽ peperit, quæ in literario regno, omnium regum triumphos ſuperare videtur. Quid enim eſt cuius beneficio Grammaticam græcam, latinam, Vernaculam, noſtris reſtituimus? METHODVS. Quid eſt per quod in Rhetorica, Fabio, Cicerone, imò verò omnibus græcis & latinis huius artis magiſtris, ſuperiores videri potuimus? METHODVS. In logicis autem cum vnus Ariſtoteles pro deo coleretur, huiuſque de diſſerendo ſcripta ſemper eſſent ſummo antiquitatis probata conſenſu, quî potuimus cõſequi vt iis de ſuo gradu deiectis, noſtra iam in eruditorum omnium manibus verſentur? METHODO. Iam vero cum in mathematicarum artium quadro ante annos quatuor rudes omnino eſſemus, & eo ipſo tempore domi ab eruditis viris dictata, poſtea in Cathedra regia referre conaremur: quo modo conſequi potuimus vt rem eandem eo ipſo die quo didiceramus, cum tãta celebritate publice docere, eóſque à quibus omnia acceperamus, tanto interuallo ſuperare videremur? METHODO. Atque, quoniam propter expectationem quam in iis reſtituendis, de nobis maximam omnes non modo Galli, ſed Germani & Itali conceperunt, iam omnium eruditorum oculi in nos videntur eſſe coniecti: quo tãdem modo illam de nobis expectationem ſuſtinere, tantúmque opus conficere poterimus? METHODO. Ergo hæc nobis retinẽda eſt: per quam melioris notæ ſcriptores omnes, in noſtro triumpho portantur, & contra illum tuenda: qui etiam ſi omnino eam non poſſit de manibus eripere, facile tamen conſequetur vt aliquid effeciſſe pu-

tetur. Sed qua ratione id fiet? Dignus ira noſtra non eſt iſte diſputator: & tamen contra hunc dicendum eſt aliquid: ne ſapere in ea quæſtione putetur, cuius explicationem nobis propriam ſemper videri voluimus: & reſpondendo etiam de nobis multa magnifica oratione prædicanda. Hæc verò ſi nudo vultu apertóque dicantur, verendum eſt ne hoc audiamus à viris bonis & modeſtis, verecundiores olim fuiſſe præcones ludorum gymnicorum: qui vbi cæteris coronas impoſuerant victoribus, eorumque nomina magna voce pronunciauerant: cum ipſi ante ludorum miſſionem corona donabantur, alium præconem adhibebant, ne ſua ipſi voce ſe victores eſſe prædicarent. Itáque ipſi quidem reſpondebimus: ſed reſponſioni noſtræ, Oſſati diſcipuli nomen prætexemus: atque ita conſequemur, vt præter conſuetudinem commoti minime videamur, & ab hoc profecta quantauis doctrinæ noſtræ commendatio, ea non inſolens, ſed officioſa & à diſcipulo, doctori debita cenſeatur. Quis hoc ſingulare artificium inalio non admiretur? Atqui in Theſſalo tritum eſt & vulgare. Hinc verò profecta eſt libelli tui contra nos inſcriptio: à qua iam ordiamur. THESSALI, ſuos fumos, ſicut antea ſemper, ſic nunc deintegro volentis magni venditare, in Carpentarij diſputationem de Methodo, EXPOSITIO, id eſt ſcriptorum à Carpentario contaminatio (Nam in Theſſali ſchola, quæ officina eſt omnis impudentiæ, bonos ſcriptores exponere, eſt aliorum contumeliis omnibus obiicere ſuiſque conuitiis fœdare) velata nomine OSSATI diſcipuli. Hic verò neſcio an vſquam vllus ſit: aut ſi eſt, is, ſicut intelligo à nonnullis auditoribus noſtris, ex eo tempore quo iſta edita eſt præclara expoſitio, ad hãc diſputationem ſæpe prouocatus, ne hiſcere quidem adhuc auſus eſt: magiſtellus trium literarum, in hanc vrbem tenui conditione allectus, & in eadem neſcio quid affectans quod adhuc nolo dicere. Et tamen tu qui in Philoſophia & Mathematicis, Rex Regum videri vis, ſub illius nomine, valdè ineptè profecto & indecorè, loqueris vt philoſophus maximus & in erudito mathematicorum puluere exercitatiſſimus. Quid ſi tecum agendum putauiſſem iſto modo? Nun potuiſſem ſine fraude opponere notos tibi, notos omnibus ordinibus, primarios in hac vniuerſi ſchola, eloquentiæ & philoſophiæ profeſſores, in noſtro ludo inſtitutos, & à nobis etiam ad magiſterij pileum vocatos, qui Oſſatum tuum facile exoſſarent, & te tuámque doctrinã omnino eneruarent? Nec enim neſcis, aut quantumuis impudens negare potes, me talibus plærisque auditoribus in nouas celeberrimáſque colonias deductis, abundare: tuos verò tuo prelo ſemper fuiſſe concluſos. Sed iſta quæſtio, ſicut ipſe arbitraris, omnium maxima, diſcipulis omnino committenda non eſt: nec indigna in quam nos ipſi,

iis in-

iis intuentibus, incumbamus. Quare, si placet, aperto vultu hoc agamus: nostris contentionibus fortasse veritas eluceſcet. Nec ego inuitus de priore ſententia aliqua ex parte decedam, ſi meliora attuleris. Quoniam verò in ſuperiore diſputatione valde confuſus tibi fuiſſe videor (idque ex eo facile credo quod in illa neque potui, neq; volui, eam methodum obſeruare quam vnicam eſſe vis) danda nunc eſt opera vt quoad poſſumus, rebus noſtris ſaluis, ſtomacho tuo indulgeamus: & popularioris methodi, ſaltem ſpeciem aliquam in diſputatione de philoſophica methodo, perſequamur. Hoc autem perficiemus fortaſſe, ſi, quando in hac contentione quædam ad perſonas pertinẽt, quæ quaſi in iudicio verſantur, alia ad res ipſas de quibus quæritur, de illis priore loco, de iis poſteriore tecum agamus. Sic enim, vt ſpero, expoſitionis tuæ fucus detegetur: in qua dum ea quæ ad vtrunque noſtrum pertinent, cum rebus ipſis permiſces, conſequeris nonnunquam vt in frigidiſſima reſponſione, quia maledicendo ſuperior es (quis enim in eo tecum paria fecerit?) viciſſe videaris. In ſingulis diſputationis capitibus dabo operam vt erudito lectori, & in arte diſſerendi accuratè verſato (talem enim iudicem, ſicut video, vterque noſtrum poſtulat: quoniam quæſtionem hanc in illa omnium maximam vno conſenſu fatemur) tibi ſatisfactum videri poſſit: in aliis fortaſſe par pari relatum quod te remordeat. Dicam vero de eo primo loco, quod tibi moleſtum eſt in libri noſtri inſcriptione. PETRVM RAMVM nominari THESSALVM ACADEMIÆ PARISIENSIS METHODICVM. Moleſtum eſſe facile credo: ſed nolui placere. Quod ſi amicè ſcire vis cur ita fecerim: verebar ne audito tuo nomine, omnes ad nos vtrinque concurrerent: quaſi ſopiram ſapientiſſimo regis edicto, de religione contentionem in Academia renouare vellemus. In qua vtérque noſtrum talem ſe præſtitit, qualem meminiſſe potes. Itaque eo nomine vſus ſum quod nolebam ab omnibus intelligi, & quo intelligentibus maximè ſignificari cupiebam qualis eſſes, qualis antea fuiſſes. Meliore ne occaſione tu, aut ingenio acutiore, vel, ſi voles, maiore humanitate, olim P. Gallandium collegam tuum, de re literaria bene meritum, Gallonium, Epicureo nomine appellaſti? Equidem cur id dicere poſſis non video. Nam Theſſali nomine domeſtica tua vita non læditur, quam ego nunquam attingam: ſed de modo profeſſionis tuæ intelligẽtibus nonnihil ſignificatur, quod omnibus in Academia notiſſimũ. *At, inquis, qui Theſſalus fuerit neſcis, niſi per aduerſariũ Theſſali: cuius ſcripta ſi extarent, collatis contrariarum ſententiarum momentis, iudicari denique poſſet vtra iuſtior & verior cauſa eſſet.* Hui, quàm aptè hoc! Quis enim nos inter illos iudices eſſe voluit? Quaſi vero cum te Theſſalũ Academiæ

Ramus cur Theſſalus academiæ.

nomino, id agam vt in te Theſſali opinionem omnino condemnem. Sed video quid velis. Si Theſſali ſcripta extarẽt, ex illis fortaſſe etueres aliquid, ſicut es valde ingenioſus, quo probares eius opinionem meliorẽ fuiſſe quam Galenus videri vult: eamque fortaſſe amplecteris, atque Theſſalum methodicum te nominari minus moleſtè ferres. Credo. Et ſi Epicuri libri omnes extarent monumentáque frugalis vitæ, qua, vt Cicero ait, in vna domo eadémque valde anguſta, continentiſſimè vixit, virtutem coluit: & P. Gallandius adhuc viueret, putas ille ſe Gallonium atque adeo Epicureum nominari moleſtè ferret? Nihilo, credo, magis quàm Fabritium aut Curium. Tantum igitur hoc loco tibi videndum fuit, an ea ſatis apte in te caderẽt quę de Theſſalo methodico Galenus ſcripſit. Vis autem in tuam gratiam comparationem hanc excutiamus? Opus eſſe videtur. Vt ex ea inſcriptionis noſtræ ratio intelligatur. Theſſalus artem medicam, quam Hippocrates merito longam eſſe ait, ſex menſibus perfectè traditurum ſe profitebatur, eóque diſcipulos quã plurimos alliciebat. Tu perfectã artis diſſerendi cognitionem duobus vel tribus menſibus parari poſſe dictitas: in qua tamẽ annos viginti & plus eo verſatus, nihil adhuc habes certi quod ſequare. Et in illa tua oratione pro philoſophica diſciplina, vt omnes bonarum artium ſtudioſos pollicitationibus ad te pertraheres, tuoque prelo includeres, prædicabas perfecturum te vt puer vel ex incunabulis deductus & tuæ curę commiſſus, intra annos ſeptem Grammaticam primum latinam & græcam perfectè teneret, deinde Rhetoricam, Dialecticam, Phyſiologiam vniuerſam & in Mathematicis, Arithmeticam integram, Algebratica, ſicut ais, ſubtilitate non omiſſa, Geometriam non Euclidis ſolum, ſed Apollonij Conica, Archimedis Cylindrica, Theodoſij ſpherica: non prætermiſſis etiam Opticis, Catoptricis, Muſicis, Aſtronomicis. Vt exacto anno ſeptimo, hic, ſicut vis, iſtarum omnium artium magiſter ſit perfectus & abſolutus: qui non ſolum illa omnia perfectè didicerit, ſed alios aptè docere poſſit. Hęc enim tua verba ſunt. Atqui tu toto ſuperioris vitæ tuę decurſu, vix illorum omnium partem minimam adhuc es cõſecutus. Non putas igitur ſentire nos, in iſtis tuis nugis quanto Theſſali vanitatem ſuperes? Theſſalus in epiſtola ad Neronem, prædicat ſe nouam ſectam inſtituiſſe, quæ vera ſit: quoniam ſuperiores omnes medici nihil vtile prodiderunt, vel ad ſanitatem tuendam, vel ad morbos propulſandos. Quid aliud ab annis quinque & viginti de tuis Grammaticis, Rhetoricis, Dialecticis, Phyſicis, Mathematicis audiuimus? Cur igitur mihi non licebit quando eadem cum Theſſalo facis, vel etiam lõgè deteriora, iiſdem verbis affari te, quibus illum eo loco Galenus? Quid improbè, quæ bona ſunt calumniari tentas, vt multitudini pla-

ceas,cum potueris in veritatis contemplatione excellere, si diligens esse ac veritatem colere voluisses? Quid ita ruditatis auditorum patrocinio abuteris ad veterum blasphemiam? Thessalus audebat Hippocratem accusare, in suisque nugacibus libellis iudices græcos constituebat:Ipse ferebat sententiam,nullam ab illis expectabat:Ipse sibi palmã dabat modo de medicis, modo de græcis omnibus.Hæc enim, inquit Galenus,insignis audacia sapientissimi,scilicet Thessali, profiteri se omnes medicos vicisse:sed seipso litigatore,seipso agonotheta, seipso iudice. Post medicos, reliquos etiam græcos in certamen prouocauit Rhetoras,Geometras,Grammaticos,Astronomos, Philosophos. Sic Thessalus vbique primas partes obtinet. Primus omnium hominum est. Non putas hæc omnia, eadem ironia de te dici posse? Ergo ex eodem Galeni loco pergamus, téque his verbis demulceamus. Thessalo omnes hymnos cantent scribántque victoriæ carmina. Publicum orbis Theatrum constituatur, acceditóque aliquis qui canat eum qui in fornace carbonaria natus est, in eadémq; educatus, vicisse Fabium, Ciceronem, Platonem,Aristotelem, Euclidem cæteróque oratores,philosophos,mathematicos: palmã denique eripuisse omnibus. An etiam vis ex eodem illud addam? Quis tam magniloquus poëta nobis existet,qui hæc possit exornare?Quis dabitur Homerus qui hexametro hanc Thessali victoriam celebret? aut quis lyricus qui velut Pindarus,altè in dythirambis canat?Quíque sicut olim Bacchi,ita nunc præconium Thessali efferat? An potius nullum horũ requirere debemus: sed eorum qui scribunt iambos Archilocum aliquem, aut Hipponactem, aut ex tragica scena quempiam qui hominem sic compellat,

Quiesce dum miserrimè in stratis tuis.
Nanque haud vides quæ te putas nosse probè.
Orestis mihi somnium narras,Thessale.

Percurre reliqua (sunt enim eodem loco alia permulta quæ de te dicta esse videntur) túmque intelliges,si modo intelligere voles, cur ego te posthac in omnibus artibus liberalibus Thessalum haberi cupiam & nominari. Quod si feruorem illum,ne dicam furorem,quem in Thessalo Galenus descripsit,in animo tuo sentis (nec enim dubito quin sentias) sed Thessali libros nobis ereptos esse doles,quoniã hi si extarent causam tuã fortasse adiuuarent:cogita idem exitium tuis esse propositum. Nam si viuus magna laterum firmitate, magnis, vt ita loquar, grandiloquentiæ tuæ viribus, annis quinque & viginti de nouæ doctrinæ vel potius fatuitatis, aliquot capitibus ad rauim in hac vniuersi schola tam sæpe declamitans, nihil consequi potuisti: quid te mortuo futurum speras? Aut quem adhuc de tuo

ludo excitasti,quem huius sectæ vindicem tantæque glorię hæredem sperare possis?Illa mihi crede tecum omnino extinguetur:quę te ipso viuo à nemine vnquam omnino probata est, nisi turbulento, rerum nouarum cupido, & in antiquitatem hoc ipso malè animato, quod facilius esse putaret eius decreta contaminare,quàm pro dignitate tractare. Eo ipso loco quo de Thessali nomine cõquereris, *dolere te scribis me ex ea patria esse natum, quæ multos huic Academiæ viros diligentes & fructuosos extulit. Fabros,ais, Syluios, Fernelios, Hortensios, Flesselios,& iam denique Ramos aureos.* Non pudet sub Ossati tui larua, te Ramum aureum appellare. Imo verò putrem,vel potius ferreum, qui vt alio loco scripsi,

De Patria Thessali.

Iunoni infernæ dictus sacer.

Et ad inscitiæ orcum viam aperit,sicut ille Vergilianus ad inferos. Equidem Picardorum ager siue natiua proprietate (qualis in aliis locis certa quædam laudatur à multis:) siue bellorum calamitate, quam frequentissimam nostra patrúmque memoria sensit, multa ingenia peperit,nõ præcocia,non ardẽtia, non turbulẽta, sed matura, grauia, sedata,& quę tardius fortasse quàm alia permulta, literarũ studia attigerũt:sed in iis fructus tandẽ attulerunt familię suæ,atq; adeo Reip. vtiles & glorioſos. Quoniam iis loco humili,& bellis afflicto, natis,

Labor,vt ait poëta,ingenium miseris dedit & sua quémque,
Aduigilare sibi iussit fortuna premendo.

Verum hoc in eisdem semper fuit maximum & omnium aliarum nationum summo probatum consensu, quod vt sine fuco sunt, sine fraude (hoc vero cum aliorum probro dictum minimè velim) sic in proposito constantissimi & veteris disciplinæ obseruantissimi. Tales enim non solum verè nominare potuisti Fabros, Syluios, Fernelios, Hortensios,Flesselios: sed ex Theologorum ordine adiicere, vel potius primo loco ponere, Lexouiensem Episcopum Ioan. Hãnonium, olim in Aristotele magistrum tuum, nunc vero grauiter dolentem quod in te facem ardentem Philosophiæ pepererit,Episcopum Cabilonensem Anth. Erlanteum, Io. Arboreum, A. Democharem hísque priorem ætate Iodocum Clicthoueum, Iacobo Fabro quem doctoré habuerat, in explicando Aristotele eodémque ornando simillimum. Nec dubito quin illos fueris nominaturus, nisi certis de causis huic ordini iampridem inimicus extitisses. Ego vero aperte fatebor clarissimorum illorum virorum ortu nobilitatam patriam, nihil splendoris à nobis expectare debere: atque illud etiam addam, esse quod in nobis merito doleat:nempe quod verendum sit ne illis amissis,orbetur ea celebritate quam in re literaria per illos suos alumnos obtinuit. Sed dic mihi,bona cum venia,qua fronte ausus es inter eos qui

in Academia noſtra Picardi dicuntur, cum illis te iſto loco aſcribere? Non putaſti ſcire nos qui ſis & quo loco natus? Recordare præleam ſcholam, cui iure præfectum te eſſe gloriaris, ego vero non nego, ſi ſexagenarium ſenem, à quo fueras ex Mariano Gymnaſio allectus & in filium adoptatus, fortunis non orbaſſes, recordare, inquam, hanc ſuis inſtitutis in moderatorem eum ſolũ admittere qui in Sueſſionum agro ſit natus: hunc verò academiæ noſtræ legibus à Picardia ſeparari, apud nos vel pueris notum eſt. Ideóque meminiſſe potes eodem tempore quo illi Gymnaſio, neſcio quo iure, præfectus es, in Picardorum tribu eſſe quæſitum, vtrum te quaſi transfugam, ſua comitia repetere volentem, deberent admittere: an ad Gallos, quibus ex vetere ordinum deſcriptione in Academia Sueſſiones ſunt ſubiecti, relegare? Nũ etiã ſentis in tuo cerebro aliquid eius affectus qui Sueſſionum agro dicitur eſſe proprius? Sed age quoniam inter nos ius dicendæ ſententiæ tibi olim dedimus, Picardum te eſſe concedamus, reliqua quæ huius loci ſunt accuratè expendamus. Grauiter dolebit patria, ais, Carpentarium ſuorum populariũ tam diſſimilem inueniri. Deliras, credo, Theſſale, & mihi aſcribere vis, id in quo ego de te iampridem potui triumphare. Cedo enim vter noſtrum illorum popularium, quos antea nominaſti, ſimilior eſt, non dico facultate (quæ in te eſt quantauis, in me ſentio quam ſit exigua) ſed ſtudio & profeſſionis modo? Tu cum primum ad docendas liberales artes acceſſiſti, de veteribus eloquentiæ & philoſophiæ magiſtris nullum prętereundum putauiſti, quem non linguæ tuæ petulãtia fœdares: atque ad hoc te ſingulari ſtudio comparaſti, vt bene nata iuuentus claſſicos omnes ſcriptores prius contemneret, quam quemquam eorum primis, vt dicitur, labris guſtaret. Tu incredibili genere maledicentiæ, feruorem tuum iuuenilem in omnes bonos nobilitari voluiſti, illóque aucto & in furorem conuerſo, eoúſque es progreſſus vt etiam ſi animo nondũ ſis in hac ætate ſenili bene compoſito, illa tamen vetera tua non audeas agnoſcere. Ego vero, Theſſale, nullius vnquã nominis in re literaria fuerim. Triobolaris magiſter ſemper extiterim, ἀναλφάβητος adde etiam cetera quę voles: hoc tamen adhuc habeo ſartum tectum, quod extant monumenta quædam conatus mei in illuſtranda vetere Ariſtotelis doctrina, nulla prorſus effrenatæ in antiquitatem impudentię. An non hæc (quæ negare non potes) ſatis erunt ad efficiendum vt intelligatur Carpentarium in philoſophiæ ſtudio grauiſſimos illos viros imitantem, tantum quidem quantum voluit non eſſe conſecutum, ſemper tamen cum illis hoc habuiſſe commune, quod perficere voluit vt Ariſtoteles retineretur, illuſtraretur, amaretur: quẽ tu quacunque ratione explodere conabaris, & tuis declamationibus fœda-

tum,viuis & posteris odiosum reddere? Quid si Ia. ille Faber Stapulensis,qui patrum nostrorum ætate Aristotelem quasi ab inferis euocauit,in singula Gymnasia,quibus tum fere erat ignotus,deduxit,eũdémque in omnibus philosophiæ partibus suis scriptis illustrauit, atque perfecit vt in eruditorum manibus pro veteribus sophistis versaretur: hic, inquam, si reuiuisceret & vtriúsque nostrum conatus in philosophia intueretur, quid putas de splendore patriæ in nobis esset dicturus? Grauiter doleret profecto, eam doctrinam abs te omnino damnari,in qua excitanda tantopere laborauit,acerbè etiam obiurgaret:nostra vero studia in ea retinẽda,blandiore fortasse aliqua cohortatione digna arbitraretur.Sed intelligeret,inquies, nõ modo in Gallia,sed apud exteros omnes celeberrimũ popularis sui Thessali nomẽ, Carpẽtarij verò obscurissimũ. Sit ita sanè. Verũ idẽ respõderet, insignis & valdè impudicę meretricis nomẽ solere apud oẽs esse nobilius quã verecũdæ & castæ matrisfamilias, nõ tamẽ idcirco patriæ gloriosius. De cæteris quãquã ego te nouerim bene & gnauiter impudentẽ, valde tamẽ miratus sum quo ore ausus sis in meritis erga patriã rémq; literariã cũ Syluio, Fernelio, Flesselio eundẽ ordinẽ affectare, & ad eã gloriã quã exculta ornatáq; antiquitate illi maximã sunt consecuti, te in hãc furentẽ,quasi socium illis adiungere. Quid viui,nostra memoria nobísque audiẽtibus (quod minimè ignoras)tua somnia tã sæpe damnauerunt,atque publicè sunt insectati:vt si hodie reuiuiscere possint, patriam sint renunciaturi potius quam vllam partem laudis & gloriæ ex doctrina comparatę,tecum communem habituri. Quid enim?cum olim in funesta disputatione contra A.Goueanum, ad tuas nugas defendendas Ia.Syluium inuitasti, nun ex eius ore sensisti populari suo Thessalo quàm oblectaretur? Aut cum audis illius pro Galeno contra Vessalium tonitrua,nun metuis reuiuiscentis senis,pro Aristotele, quem cum Galeno coluit,cõtra te fulmina? Nun meministi quæ fuerit nobis rectoribus apud selectos Academiæ iudices, contra tuam scholam, Fernelij atque Flesselij sententia? In hac illi ea dixerunt ex quibus facile quiuis intelligere potuit,quam molestè ferrẽt te inanis gloriæ cupidum, turbulentum, elatum, nouarum opinionum æstu penè furentem, ex ea patria esse natum, quæ huic Academiæ peperit viros permultos veteris disciplinæ amantissimos, iudicio graues, sedatos,in labore constantes & huius fructum ad exornationem classicorum scriptorum semper referentes. Neque verò amplius id ago vt hanc eorum de te opinionem fuisse cõfirmem. Quoniam satis adhuc testantur viuæ voces multorum, qui cum illis familiariter sunt versati. Et quandiu extabunt Fernelij atque Syluij monumenta doctrinæ, eáque cum tuis conferentur: posteritati facilè probabunt in tanta animorum sententiarum dissimilitudine, quam illa maximam

ſemper apertè indicabunt, fieri nullo modo poſſe vt illi, ſi reuiuiſcãt, Theſſalũ populare ſuũ potius quã Carpẽtariũ agnoſcãt. Sed de patria fortaſſe plus ſatis. Iã id aggrediamur in quo epiſtola noſtra, animũ tuũ grauiter videtur exulceraſſe. *Proemiũ tuũ (ais) nihil habet contra P. Ramũ præter cõuitia impotẽtis animi & maleuoli. Verũ quid iſta probra ad quæſtionẽ de Methodo artis informãdæ & probra præſertim laudis & gloriæ plena? Eũ tu Regis edictis dãnatũ, ais qui tot annos liberales artes tanta bonorũ omniũ vtilitate & lætitia, tãta regis ſui nõ ſolũ liberalitate, ſed gloria profitetur. Vbi pudor & modeſtia fuit, cũ dicere auſus es, à Senatu damnatũ, quẽ ſenatus ſua ſpõte, nõ ſolũ calũniis tuis & tuorũ liberauit: ſed publici & honeſti in Academia gymnaſij præfectura exornauit: tãdémq; poſtea in hui⁹ quã exprobras tẽpeſtatis æſtu, Senatus conſulto ſuo & reſtitutionem bonorum & quæſtionem abſenti decreuit: & pace conſtituta primum omnium in Academiã reſtituit. Vt iam P. Ramus bonis omnibus & doctis tãto chariſsimus ſit, quanto tu odioſsimus eſſe meruiſti.* Hæc tua ſunt, Theſſale. De quibus poſtrema in loquendo Poëticam imitationem habent quam, niſi tantum poſſes in Laurentij Vallæ regno, propter ſtudiorum in contradicendo communionem cum illo maximam, non ferremus. Cætera apertè ſignificant te tibi male ſconſcium, plæraque de meis in eam partem arripuiſſe de qua ſcribendo, ita me Deus amet, nihil cogitabam: nec te in religionis cauſa, vlla re grauari volebam. In qua ſi te aggrederer, quas ruinas ederẽ? Quanquam hoc non faciam. Quoniam inter nos non de religione, ſed de bonarũ artiũ & liberaliũ profeſſione quæritur. Vnũ liberè dicã, quod periculoſiſſimis tẽporibus dicere ſemper auſus ſum: & cũ amplius dicere non licebit, cædã vrbe, aut etiã ſi opus ſit, cedã vita. Dicã vero pleno ore, vt facilius intelligas, me eo tẽpore quo cepit in apertũ erũpere de re Chriſtiana contentio, quæ per multos annos nobis pueris erat graſſata, vidiſſe in hac permulta quæ in hominibus noſtris, vel potius in nobis ipſis, merito notabãtur. De hac vero ſemper credidiſſe, tã prudenter à maioribus conſtitutũ, tãque feliciter & ſanctè ſacras leges ab illis expoſitas, vel quæ ad cæremonias pertinẽt, tã prudenter ab eiſdẽ inſtituta: vt qui melius aliquid quæreret, non poſſet vitare iis, quibus offenderetur, longè deteriora. Quo animo cũ eſſem, optaui quidẽ ſemper oẽs mei ſimillimos: & quotieſcũq; in publico dicẽda fuit ſentẽtia, tantũ fateor à me extorſit iuſtus dolor, quantum iis licere videtur qui pro aris & focis cõtẽdũt. Sed Deũ teſtor me neminẽ vnquã in periculũ vitæ vel fortunarũ adduxiſſe: imo vero dediſſe operã vt per me ſalui eſſent oẽs, q cũ Rep. ſalui eſſe poſſẽt. Fui quidẽ cũ de interceſſione neſcio qua ageretur, Mathurinẽſib⁹ Comitiis in te vehemẽtior fortaſſe quã voluiſti: ſed nõ certe quã debui. Cur enim tibi licuiſſet vetera eadẽq; ſicut arbitramur, ſãcta audacter oppugnare, nobis cõniuẽtib⁹?

Tu pro ea dimicatione prædicabis quantum voles, te tuis viris bonis esse chariſſimum: ego certo ſcio me meis non eſſe odioſum. In cæteris fruamur ea tranquillitate, quam nobis ſapientiſſimum Regis edictum peperit: atque fruamur tantiſper dum tempus aliud expectabimus. In quo quemcunque caſum fortuna inuexerit, feremus fortaſſe pulchrius quàm ſperaſti: atque ſi Deus nobis iſtam mentem ſeruauerit, conſequemur vt non tam leuiter, quàm plærique veſtrum, in re omnium maxima, hominum metu videamur eſſe perculſi. Sed ridiculum eſt profecto, Theſſale, quòd nos diximus te Regis edictis & Senatuſconſulto iampridem eſſe damnatum: id neſcio quo artificio, ad quæſtionem de religione tranſferre voluiſſe. Nempe vt alios multos contra nos commoueres: quos habebas huius recentis calamitatis ſocios, & in hac, bonorum virorum commiſeratione longè digniores. Verum expende quid à me dicatur. Loquor de doctrinæ & philoſophicæ profeſſionis tuæ, contra quam diſputationem inſtituo, damnatione peruetere: ideóque nominatim ſcribo te iampridem eſſe damnatum. At iſta de religione, ſicut ſcis, ſunt recentiſſima. De publica vero calamitate & priuato caſu quod eodem loco ſubiicio, quid habet quod non potuerit de vnoquoque noſtrum veriſſimè dici? Et tamen iſta eſſe ais conuitia impotentis animi: in quibus nihil eſt quod dicti videri poſſit contumelioſè, nihil petulanter iactatum. Sed age quoniam tu ita vis, contumeliam iſtam, ſiue conuitium, in legitimam accuſationem vertamus: rem argumento probemus: teſtibus confirmemus. Ego doctrinam tuam (nam de hac mihi tecum, non de religione quæſtio eſt) Regis edicto iam pridem damnatam eſſe dico. Negas? En profero quæ ad ſempiternam nominis tui memoriam, in commentariis Rectoratus Guillielmi Montuellij, ante annos viginti deſcripta ſunt. Ea iam fideliter recitentur: ne poſthac negare audeas.

Rectoris Pariſienſis teſtimonium de Theſſalo.

GVILLIELMO MONTVELLIO RECTORE, *neſcio quo genio malo irrumpente in Academiam, ingens facta eſt ſtudiorum omnium de repentè perturbatio, edito recens libello, cuius titulus erat Animaduerſiones Ariſtotelis, compoſito ad extinguendam in totum doctrinam vnius Ariſtotelis, omnium philoſophorum facilè principis. Cui ſanè morbo non leuiter graſſanti & mentibus puerorum ad quiduis quod nouum ſit & inauditum, facilè ſequacium, paulatim ſeſe inſinuanti, maturè & conſulto eſt occurſum. Partim decreto iudicum, qui prudenter librum illum ſtatim ſuppreſſerunt & ne diuenderetur publicè inhibuerũt: partim editis breui aliquot libris pro Ariſtotele, quibus authoris libelli iſtius calumniarum & mendaciorum pleni, intercluſæ ſunt furiæ. Poſtremò tandem Chriſtianiſſimi Regis conſilio, cum ſuperiora omnia non viderentur eſſe ſatis ad tantum ignem, qui quotidie magis flagrabat, reſtinguendum, delecti ſunt tres in omni linguarum & literarũ genere*

genere exercitatißimi. Qui cum libellum illum & alterum eiuſdem authoris, propius penitiúſque inſpexiſſent, & libellorum authorem iuxta Regis decretum præſentem, pro ſe dicentem, præſentes ipſi audiſſent: ex æquo & bono iudicantes, magnam incluſam eſſe libellis impudentiam & ignorantiam Regi declararunt. Qui pro ſua in academiam ſolita beneuolentia, confectis & regio ſigillo notatis literis, omnibus regni partibus fugiendam hanc peſtem, ſignificandum cenſuit. Vis etiam hoc loco in eandem ſententiam audire literas regias: quarum exemplar vt eſſet immortale, arcis publicis academiæ noſtrę eſt incluſum? Lubentiſſimè ſanè tibi, hac in parte præſertim, gratificabimur: vt omnes intelligant quanta cum ſua gloria potentiſſimus Rex literarũque amantiſſimus Franciſcus, profeſſionem tuam exiſtimauerit eſſe coniunctam. Hunc igitur ſuo ſermone (ne quid in eo latinè reddendo, à nobis immutatum criminari poſſis) de te tuáque doctrina ſtatuentem audiamus.

FRANCOIS PAR LA GRACE DE DIEV ROY DE FRANCE, A tous ceux qui ces preſentes lettres verrõt, ſalut: Cõme entre les autres ſolicitudes que nous auons touſiours eues de bien ordonner & eſtablir la choſe publicque de noſtre Royaulme, Nous auons mis toute la peine que poßible nous a eſté de l'accroiſtre & enrichir de toutes bonnes lettres & ſciences, à l'honneur & gloire de noſtre Seigneur, & au ſalut des hommes. Et puis n'agueres aduerty du trouble aduenu à noſtre chere & aymée fille L'vniuerſité de Paris, à cauſe de deux liures faictz par maiſtre Pierre Ramus, intitulez l'vn DIALECTICAE INSTITVTIONES. & l'autre ARISTOTELICAE ANIMADVERSIONES. & des proces & differens qui eſtoyent pendant en noſtre court de Parlement audict lieu, entre elle & ledict Ramus pour raiſons deſdictz liures, nous les euſſiõs euoquez à nous, pour ſommairement & promptement y pourueoir, A ceſte fin euſſions ordonné que maiſtre Anthoine de Gouea, qui ſ'eſtoit preſenté à impugner & debatre leſdictz liures, & ledict Ramus qui les ſouſtenoit & defendoit, eſliroyent & nommeroyent de chacun coſté, deux bons & notables perſonnages cognoiſſans les langues Grecques & Latines, ſçauantz & experimẽtez en philoſophie, & que nous eſlirions & nommerions vn cinquieſme pour viſiter leſdictz liures, oyr leſdictz de Gouea & Ramus en leurs diſputes & debatz, & ſur le tout nous donner leur aduis, Suyuant laquelle noſtre ordonnance euſt ledict de Gouea eſleu & nommé maiſtres Pierre Danes, & François à Vicomercato: & ledict Ramus maiſtres Iehan Quentin docteur en decret, & Iehan de Bomont docteur en medecine: & nous pour le cinquieſme euſſions nommé & ordonné noſtre cher & bien aymé maiſtre Iehan de Salignac docteur en theologie, par deuant leſquelz leſdictz de Gouea & Ramus euſſent eſté oys en leur diſpute & debatz, iuſques à ce que pour entrerompre l'affaire, iceluy Ramus ſe

ſeroit porté pour appellant deſdictz Cenſeurs, dont nous aduertis euſſions decerné noz lettres à noſtre Preuoſt de Paris ou à ſon Lieutenant, pour contraindre leſdictz de Gouea & Ramus à parfaire leur diſpute, à fin que par leſdictz Cenſeurs nous fuſt donne ledict aduis, nonobſtant ledict appel & autres appellatiõs quelconques. Suyuãt leſquelles noz lettres euſſent leſdictz de Gouea & Ramus de rechef comparu par deuant leſdictz Cenſeurs: & voyant que par iceluy Ramus leſdictz liures ne ſe pouuoyent ſouſtenir, euſt declaré n'en vouloir plus diſputer, & qu'il ſe ſubmettoit à la cenſure des deſſuſdictz: & comme l'on y vouloit proceder, leſdictz Quentin & Bomont l'vn apres l'autre, euſſent declaré ne s'en vouloir plus entremettre: Au moyen dequoy euſt iceluy Ramus eſté ſommé & requis d'en eſlire & nommer deux autres, ce qu'il n'euſt voulu faire, & ſe fuſt du tout ſubmis aux trois autres deſſuſnommez: leſquelz apres auoir le tout veu & conſideré euſſent eſté d'aduis que ledict RAMVS AVOIT ESTE TEMERAIRE, arrogant & impudent, d'auoir reprouué & condamné le traint & art de Logicque receu de toutes nations, que luy meſme ignoroit: & que par ce qu'en ſon liure des Animaduerſions il reprenoit Ariſtote, eſtoit euidemment cogneue & manifeſtée ſon ignorance, voire qu'il auoit mauuaiſe volonté, en tant qu'il blaſmoit pluſieurs choſes qui ſont bonnes & veritables, & qu'il mettoit ſus à Ariſtote pluſieurs choſes auſquelles il ne penſa oncques: & en ſomme ne contenoit ſondict liure des Animaduerſions que tous menſonges, & vne maniere de meſdire. Tellement qu'il leur ſembloit eſtre le grand bien & profict des lettres & ſciences que ledict liure fuſt du tout ſupprimé. Semblablement & l'autre deſſuſdict intitulé DIALECTICAE INSTITVTIONES, comme contenant auſsi pluſieurs choſes faulces & eſtranges.

SCAVOIR FAISONS, que veu par nous ledict aduis, & eu ſur ce autres aduis & deliberations de pluſieurs ſçauantz & notables perſonnages eſtants lez, nous auons condamné, ſupprimé & aboly, condamnons, ſupprimons & aboliſſons leſdictz deux liures, l'vn intitulé DIALECTICAE INSTITVTIONES, & l'autre ARISTOTELICAE ANIMADVERSIONES, & auons faict & faiſons inhibitions & defenſes à tous Imprimeurs & Libraires de noſtre Royaume, pays, terres & ſeigneuries, & à tous autres noz ſubiectz de quelque eſtat ou condition qu'ilz ſoyent, que ilz n'ayent plus à imprimer ou faire imprimer leſdictz liures, ne publier ne debiter en noſdictz Royaulme, pays, terres & ſeigneuries, ſur peine de confiſcation deſdictz liures & de punition corporelle. Soit qu'ilz ſoyent imprimez en iceux noz Royaulme, pays, terres, & ſeigneuries, ou autres lieux non eſtans de noſtre obeyſſance: Et ſemblablement audict Ramus, de ne plus lire leſdictz liures, ne les faire eſcripre ou copier, publier, ne ſemer en aucune maniere: ne lire en Dialectique, ne Philoſophie, en quelque maniere que ce ſoit, ſans noſtre expreſſe permiſsion. Auſsi de ne plus vſer de telles mediſances & inuectiues

contre Aristote ne autres autheurs anciens & approuuez: ne contre nostre dicte fille L'vniuersité & supposts d'icelle, soubz les peines que dessus. Si donnons en mandemẽt & commandons par ces presentes à nostre Preuost de Paris, ou à son Lieutenant Conseruateur des priuileges par nous & noz predecesseurs Roys dõnez & octroyez à nostre fille L'vniuersité, que nostre present iugement & ordonnance il mette ou face mettre à deue & entiere execution, selon sa forme & teneur: Et à ce faire souffrir & obeyr, contraigne & face contraindre, tous ceux qu'il appartiendra: & pour ce seront à contraindre par toutes voyes & manieres deues & raisonnables, nonobstant oppositions & appellations quelconques: pour lesquelles ne voulons estre differé. Et pour ce qu'il est besoin faire notifier noz dictes defences en plusieurs lieux de nostre Royaume, terres, & seigneuries, à fin de les faire obseruer, nous voulons que au vidimus d'icelles faict soubz seel Royal, ou signé par collation par l'vn de noz aymez & feaulx Notaires & Secretaires, soit adiouſtée foy comme au present original. Mandons en oultre à tous noz autres iusticiers & officiers, & à chacun d'eux si comme à luy appartiendra, que noz dictes defenses & inionctions ilz facent obseruer en procedãt par eulx cõtre les infracteurs d'icelles, si aucũs en y a, par les peines cy dessus indictes, & autres qu'ilz verrõt estre à faire par raison. Tesmoing de ce nous auõs faict mettre nostre seel à cesdictes presentes. Dõné à Paris le x. iour de Mars, l'an de grace 1543. & de nostre regne le 30. Ainsi signé sus le reply, Par le Roy, vous present, la Chesnaye, & seellé du grãd seel sur double queue de cire iaune.

I. nunc, Thessale, & dicito te tot annos, liberales artes tanta bonorum omnium vtilitate & lætitia, tanta regis tui non solum liberalitate, sed gloria profiteri. An etiam coges de senatusconsultis, quibus doctrina tua tam sæpe damnata est, hoc loco dicere? Vnum tibi indicabo, quod antecedentis actionis celebritate, atque præsentia illustrissimi Cardinalis & principis à Lotharingia, vsqueadeo nobilitatum est, vt adhuc eius memoria recens sit in animis hominum. Anno 1550. nobis Rectoribus, de Præleis, id est tuis philosophiæ professoribus & auditoribus, quæsitum est in philosophorum ordine primum, deinde in Academia. Quòd illi in docendo, contra nostras leges, pro Aristotele poëtas & oratores suis exposuissent. De quo cum quidam ex tuis (quem non necesse est nominari) à philosophicis censoribus interrogaretur, palam dicere ausus est (quod ab Actuario nostro ex eius ore fideliter exceptũ, adhuc habemus in manibus) toto illo tẽpore ab Academia ad philosophãdũ definito, sevt doctrinę Aristotelicę vsum, si diis placet, cõmodius illustrare posset, Aristotelis quidẽ libros in pauciſſima breuiſſimáq; capita cõtraxisse, ampliſſimas verò philosophiæ opes ostẽtasse in accurata interpretatione Elegiarum Ouidij de Ponto, Artis poëticæ Horatij: Itémq; in Virgilij Georgicis, Ciceronis actionibus in Verrẽ, eiusdémque Philippicis, libris de

Thessali doctrina à Senatu dãnata.

Oratore,de Officiis,& dialogo de amicitia,Qui cũ te auctore hoc etiam adiecisset, melius ex istiusmodi poëtis & Oratoribus, quàm ex ipso Aristotele,philosophiæ partes omnes posse repeti:factum damnatum est à philsophorum ordine primum, deinde ab Academia, ad quam cum tuis professoribus prouocaueras:atque ita damnatum, vt auditores,quorũ simplicitati scholæ tuæ fucus illuserat, philosophiæ magisterio,ad quod aspirabant, non excluderentur, sed tui doctores postea cogerẽtur,si Academiæ præmiis frui vellent,in Aristotele melioribus horis suos exercere. Humanissima profectò sententia, sed hoc ipso tibi grauissima,quòd eum philosophiæ principem à tuis haberi vellet,in cuius euersionẽ iampridẽ iuraueras. Itaque secuta est altera tua prouocatio ad senatũ, ad hancque instruendam à te edita illa præclara oratio, PRO PHILOSOPHICA PARISIENSIS ACADEMIÆ DISCIPLINA. Sic enim, quanquam verbis sophistas semper insectetis,tamen nescio quo sophismate, aut vano somnio, fingebas & intelligentissimis hominibus persuadere volebas,te eius Academiæ causam agere,à cuius sentẽtia prouocaueras:aut vmbrã esse Academiæ quæ te dãnauerat: germanã vero huius sapientiã in tuo cerebro residere. Imo verò ad perorandã causam,Academiæ patronos isto nomine tibi impetraueras. Quis ab eo tẽpore in variis contentionibus,quæ de religione sunt exortæ,videre nõ potuit ex quo ludo illæ argutiolæ essent profectæ? Et tamen nonnullis impudentiam tuam hoc ipso initio dãmnantibus,aliis stolidum acumen ridentibus,prius quam de prouocationis iure diceretur, disceptandum fuit, esset ne ea Parisiensis Academia quæ Thessalum damnasse dicebatur. An vero nos,qui cũ illius auctoritate & publica fide obsignatis literis aderamus,in Thessalo,qui Academiæ princeps videri volebat, sustinendo,contra Academiam ageremus. De eo senatores rogantur. Vna omnium sententia decretum est, tuo nomine cõtra Academiam, istã causam esse perorandã:tibique priuatim temerarię prouocationis periculũ esse subeundum. Atque quoniam Academiæ in illo amplissimo senatu versanti,locus honoris ergô ad dicendum semper fuit cõstitutus,is ex quo principum in Gallia patroni, si quãdo illi in iudicio versantur, causas perorare solent:cũ tu illum prior occupauisses nosque exclusisses (O singularem hominis impudentiam!) eadẽ sententia cedere es coactus,& cũ tuo patrono in aduersam partem abire. Quod tuæ victoriæ valdè glorioſum fuit exordium. Nobilis causa,ad quam factus erat concursus ex omnibus Academiæ partibus,vtrinque per nobilissimos patronos nobilissimè peroratur. Tuus,poëtas in cælum laudibus effert, atque efficere,conatur nullum esse locum in philosophia in quo pertractando,illi Aristotelem longo interuallo non su-

perauerint. Idē, in Aristotelis philosophiá inuehitur paulo acerbius. Non quòd eam odisset (quî enim odisse poterat,à qua ipse excultus & valdè ornatus, hodie cum maxima omnium admiratione vniuersi senatus quasi clauum tenet?) sed vt causæ seruiret & hanc natura deteriorem patribúsque parum gratam,leniret orationis suauitate, qua apud omnes plurimum poterat. Noster verò, contra,poëtarum musas non aspernatur:sed aliud esse docet cum iis amœnioribus velle ludere,aliud in Aristotele & Platone serio philosophari:recreandósque philosophorum animos poëtarū lectione, non ex poëtis philosophiā esse petendam. Atque etiam illud addit, de superioribus disciplinis actum esse: nisi hæc Thessalica philosophandi ratio, seueriore aliquo iudicio in magistro coerceatur, Præsertim cum omnis harum dignitas, Aristotelis philosophia censeatur: & quantum quisque ex hac ad illas capessendas adiumenti attulit, tantum in eisdem ornamēti postea sit consequutus. Quibus auditis,cum senatorum omnium animos in rem nostram propensos facilè animaduerteres: atque metueres ne illi ad ignominiosam doctrinæ tuæ damnationem,temerarię quoque prouocationis pœnam adiicerent, vt tui commiserationem aliquam excitares, ipse pro te inclinata voce dicere cepisti, atque causari,non Aristotelem à tuis omnino neglectum, sed eorum quæ hic de differendo multis libris præcepit, vsum in poëtis & oratoribus esse quæsitum. Ego verò cum pro eo quod mihi tum Rectoria dignitate nuper defuncto, vniuersa Academia commiserat,magna animi alacritate,quasi iam victoriam præsentiens, de artis differendi vsu in philosophis potius quam in poëtis quærendo, nonnulla dixissem,atque adiecissem duas partes esse exercitationis philosophicę,quas ab Arist. accepimus, vnam in dicendo de thesi perpetua oratione, alteram in concisa disputatione, quarum vtraque in philosophorum scriptis esset perfecta,in poëtis & oratoribus vix adumbrata: factum est senatusdecretum in hāc sententiam, Tibi tuísue ne posthac liceret in philosophia docenda quicquam innouare, vel ab Arist. (cuius scripta de puncto in pūctū explicari nostra lex iubet) recedere,aut pro illis,tuas nugas, imo neque poëtarū neque oratorū amœniores musas proponere: Quod esset verendum ne harum suauitate quasi Syrenū cantibus,plerique à solidiore philosophorum doctrina reuocati, ad easdē quasi ad saxa adhæresceren:denique ne philosophiæ professoribus in iis amplius quicquam liceret, quàm succisiuis temporibus nonnunquam ludere, & hoc totum ad doctrinæ peripateticæ illustrationem referre,non in eo philosophici studij partem vllam ponere. Qui contra faceret,is in legem peccare videretur, & hoc ipso omnibus Academiæ muneribus priuaretur. An num hæc grauissima tuæ doctrinæ

Senatusdecretum de Thessali doctrina.

damnatio? Quæ si verum fateri vis, tibi tã molesta fuit, vt ex eo tempore philosophię professionẽ, à tuo prælo relegare omnino malueris, quàm te istis legibus addicere. Quid ergo contra doctrinã tuam hac in parte dictum est, quod ab vlla animi immoderatione profectum videri possit? Pergis vero eodem ore, cum scribis non modestiam solum, sed communem penè sensum in eo mihi defuisse, quod ad senatus consulta ausus sum adiicere, commentis tuis omnino cõtrarias doctissimorum hominum sententias. Imo verò communis sensus omnino essem expers, nisi hoc de illis iampridem sensissem. Quid enim, Thessale, támne stupidus es vt hanc doctrinæ tuæ, vel potius fatuitatis, damnationem nondum senseris? Deum Immortalem! quid non auderes si contra alios tibi esset agendum: cum in eum tam sis impudens, quem non ignoras posse testibus infinitis istam tuam impudentiam reuincere? Doctissimorum hominum sententiis non es damnatus! Dic mihi, quatuor Academiæ nostræ ordines, num doctissimos viros continent? Si negas, patriæ es valdè iniurius. At illi vno consensu millies tuas nugas damnauerunt, & in illis venditandis, tuam insolẽtiam seueriore aliquo iudicio coërcendam existimauerũt: idque vt facere liceret, apud senatum, apud regem, apud primarios huius consiliarios, per literas, per legatos suos frequenter egerunt. Quod si posthac negaueris, atque mihi amplius stomachum moueris, dabitur aliquãdo ab actuariis nostris eruere exempla eorum quæ de tua doctrina decreta sunt, & literarum quæ contra te scriptę, illáque omnia edere: vt exteri atque posteri intelligant quo hìc apud omnes bonos & doctos semper fueris loco. Verum vt astutè nõnullos excipias, homines istos doctissimos intelligere me scribis mei similes, & logica mihi pares: id est, vt ais, sophistas. Atqui Thessale, in illis sunt nõ solum doctores theologi, quos scio tibi esse odiosos, sed etiam medici: quorum doctrinam in hac ipsa disputatione de methodo, merito admiraris. An igitur etiam hos, quia te damnarũt, sophistas fuisse clamabis? Ego profecto cum vtroque, ordine atque adeo cum vniuersa Academia, sophista haberi malo: quàm in Thessalica sapientia principatum obtinere. Sed age, Academiam nostram nihil nisi sophismata nosse fateamur: atque hoc etiam concedamus, nullos in ea sapientes de tua doctrina sentẽtiam tulisse: nec idcirco te doctissimorum hominum sententiis esse damnatum, quod illa ab omnibus Academiæ ordinibus iampridem sit explosa. Doctos, credo, fuisse non negabis eos quos Christianissimus & literarum amantiss. Rex, Franciscus ad cognitionẽ causæ tuæ ante annos viginti delegerat. Vis verò audire horũ de te tuísque libris præclarũ iudiciũ? Atqui ad sempiternã admirabilis doctrinæ tuæ memoriam, cum eiusmodi inscriptione ab illis est editum.

Academiæ sententia de Thessalo.

IVDICIVM LIBRORVM PETRI RAMI, à Iudicibus, tum à principe, tum à partibus delectis factum. Lutetiæ anno M. D. xliij. Calend. Mart.

Cum christianissimus rex noster, pro suo in philosophiam & recta studia animo, nobis id onerꝰ imposuerit, vt librum quendam P. Rami, quem is Animaduersionum Arist. nomine inscriptum, aduersus Aristotelem edidit, accuratè legeremus, & quæ de illo sententia nostra esset exponeremus: nos diligenter perlecto libro & singulis eius animaduersis & ponderatis sentẽtiis, ita cẽsuimus. Ramũ temerè, arroganter & impudenter fecisse: qui receptam apud omnes nationes logicæ artis rationem, quam ipse præsertim non teneret, damnare & improbare voluerit. Ea autẽ quæ in Arist. reprehendat eiusmodi esse, vt hominis cum ignorantiã & stupore, tum verò improbitatem & malitiã arguant: cum & multa quæ verissima sunt, criminetur, & plæraq; tribuat Aristoteli quæ is nunquã sensit: denicꝫ toto eo libro præter mera mendacia & scurrilem quandã maledicentiã nihil cõtineatur. Vt reip. literariæ plurimum, nostra sententia, interesse videatur, librum omni ratione supprimi, vnáq; librum alterũ Dialecticarum Institutionem: quod is quoq; aliena multa & falsa contineat. Quid hîc potes comminisci, Thessale? An doctorum virorum iudiciũ fuisse negabis? Id si feceris iam cum tribus ornatissimis & magnarũ artium cognitione clarissimis, Salignasseo, Danesio & Vicomercato, qui adhuc viuunt, nõ mecũ tibi res erit. Quid si tibi opponerẽ Ioachimũ Perioniũ, vel Antoniũ Goueanũ? Num horũ scripta, fatuitatis tuæ locupletissima testimonia suppeditare possent? Quorũ fides si fortè hac in re suspecta esse potest, audi iam alterum testẽ omni exceptione maiorẽ. Tu in tua oratione post reditum, P. Montaureũ eruditissimum prædicas, eiúsq; vigiliis decimũ librũ Euclidis præclarè explicatũ & illustratũ fateris, nec sane sine causa. Est enim ille doctissimus & viri melioris etiã dignus elogio. Atqui eo ipso libro, vis audire quid de te sentiat? *Ergo, inquit, repertus est, si diis, placet, qui cum bellũ nefariũ omnibus bonis artibus indixisset & sapientiæ fructũ iam planè maxima bonorũ omnium gratulatione renascẽtis, nobis inuideret, Lutetiæ in luce atq; oculis nõ modo Galliæ, sed totius Europæ, castra figeret ignorãtiæ: & vniuersæ philosophiæ vitæq; adeo è philosophia cõstituendæ auctorẽ Arist. oppugnatum, palam etiã accederet, nihilque in Dialecticis, nihil in physicis, nihil vsquã veri vidisse, aut tradidisse argueret. Audax negotium, dicerem & impudens, nisi verborum omniũ acerbitatem rei ipsius per se inauditæ, neque iam audiendæ, indignitas superaret. O Imperitos maiores nostros, qui nunquam quiuerũt istud intelligere! Quid est quod profectum esse dicam recenti sophistarum clade atque exilio, si sophistas alios ascisimus? Quasi verò nõ iam miserrimã rerũ omniũ ignorationẽ deprece-*

mur, sed mutationẽ tantũ in ipsis ignorãtiæ magistris expetamus. At certè totũ illud eiusmodi est, vt censoria magis animaduersione, quàm cuiusquam omnino contra disputantis oratione reprimẽdum sit. Neque verò de hac ipsa re verbum vllum facturus eram, si moderatius insaniendum sibi putasset: suáque ipse contentus, iuuentutis credulæ & rerum imperitæ non augeret ignauiam. Nam de ipso quidem leuior omnino iactura fuerat. Impune esse cuilibet debet, periculo suo insanire: sed cum ad aliorum perniciem morbus animi conuertitur, id verò ferendum non est. Huic certè malo nisi maturis consiliis obuiam eatur, atque audaciſsimos impetus, diligentia continuerit magistratuum, næ præclara illa studiorum nobis promissa compendia, permagno constiterint iuuentuti: cum grauissima mercede totius temporis iactura didicerit, nihil è nouis illis, sed non satis eruditis magistris, interea nisi arrogantis cuiusdam & confidentis ignorantiæ ignauiæque præcepta didicisse. Non sentis quam magnificè de te loquatur, & quos fructus polliceatur credulæ iuuentuti, arrogãtis nescio cuius fatuitatis magistrum sectanti? An non erunt hæc satis ad efficiendum vt intelligatur te doctorum virorum sententiis esse damnatum? Age, nolo adhuc his credatur: nec causam dico quin pœnam impostori debitam feram, nisi idipsum quod proposui luce clarius efficiatur. Iam verò de te tuáque doctrina collegas tuos, professores regios audiamus. Erunt fortasse hi in te humaniores, atque etiam si in illa quædam peccata sint, dissimulabunt tamen vel occultabunt, ne tu nobilissimo ordini dedecori fuisse videaris. A quo igitur vis incipiam? An à Francisco Vicomercato? Hic apud nos nunquam de te est locutus, nisi vt de homine in philosophia omnium indoctissimo, & in illius principes furente: nec dubito, quin vbicumque terrarum sit, nobis adsit fidelissimus testis fatuitatis tuæ. Vis à Leodegario à Quercu, viro suo ordine dignissimo, nec vnquã in quenquã nisi publico nomine, commoto? Is quodam loco in tuã laudem sic præfatur. *Cùm hisce tẽporibus in hac schola, vniuersi terrarũ orbis principe, infelix nescio quis Ramus extitisset, qui arbori matri suæ vim afferre cupiens, in eius paretti, Quintilianũ, Ciceronem & Aristotelem ita petulantur & propemodũ furiosè debacchatus esset vt non sẽminus ignorantem esse, quàm calumniatorem ostẽderet: cum doctis & probis viris quamplurimis sic cõmotus & concitatus sum, vt si me iudice tanta temeritas animaduertenda fuisset, culleum aliquem literarium, cui insutus perpetuo multaretur, ei paraturus fuerim.* Cætera tibi nota sunt. Vis post illos in P. Gallandij iudicio acquiescamus? Video te in illius nomine palleſcere, futuríumque vt exanimeris, si paulo vehementius vrgeam. Quid enim eius illa præclarissima oratio contra nouam tuã Academiam? Equidem vt ab illustrissimo Cardinali Bellaio, cum eam legisset, dictum memini,

Aperit Ramum qui veste latebat.

Vicomercati sententia de Thessalo.

Leod. à Quercu sententia de Thessalo.

P. Gallandij sententia de Thessalo.

Iam

Iã igitur quid dices, aut cauſaberis? Illos doctos fuiſſe negabis? Credo. Quî enim docti tibi eſſe poſſẽt, cuius palato Cicero, Fabius, Ariſt. Galenus, Euclides non ſapiunt ſatis? Sed bona fide dic mihi, Theſſale, de Adriano Turnebo modeſtiſſimo homine, & in bonis literis omniũ quos tulit noſtra ætas doctiſſimo, quid ſentis? Húncne in iſta cauſa teſtem recuſare audebis, aut eius fidem tibi ſuſpectam dicere? Vide quid agas, & caue ne hunc tibi aduerſarium reddas: quem non ignoras ad diſputationem de methodo, ſicut ad alias omnes, contra te eſſe inſtructiſſimum. Nam ſi is teſtis recuſatus, ad hanc cauſam mihi patronus acceſſerit, quas ruinas edet? hoc ſi fit, profecto de te actum eſt, periiſti. Quanquam nihil potes in eo teſte excipere, cuius integerrimos mores, cum ſolida doctrina, omnes boni & docti merito admirãtur, & quẽ ipſe alias ſæpe, atque nouiſſimè ĩn poſtrema tua oratione pleniſſimo ore laudaſti. Ergo huic credamus, & quod de tua doctrina ſtatuerit, id ratũ habeamus. Omitto cætera quibus ille in diſputatione de legibus & de fato, ſuis coloribus depingit Theſſalum, qui, vt ait, non ſolum logicus eſſe, ſed dialecticus haberi vult: locum vnum ex illo deſcribam, in quo pulchrè concludere & perorare videtur, quod antea Leodegarius à Quercu eſt præfatus. *Tantum admonebo te, inquit, ne poſthac tantum tibi in dialectica ſumas, vt rudem eius vetuſtatem, te prudentiſſimum cenſeas: hoc enim vnum mihi videris toto tuo commentario agere, hoc docere velle, te non modo Chryſippo & Diodoro, verum etiam Cicerone meliorem diſputatorem eſſe. Si enim quandocunque in eos diſſeris, ita pueriliter laberis, vt non modo non diſputandi ſcientiam, ſed ne intelligẽdi quidem mediocrem prudentiam præ te ferre videaris, ab illa præſtantia quam opinionis errore tibi finxiſti, ita longè profecto diſtas, vt non tam in dialectica tibi laus vlla expectanda ſit, quam veniæ deprecatio quærenda. Ne philoſophiam quidem & eloquentiam poſthac, ſi mihi credis, tibi arrogabis. Eſt inuidioſum, eſt ſuperbum: etiam vt vere dicam, ridiculum. Itaque homines vulgo diſſimulatorem tibi aliquem, qualis Socrates fuit, deſiderant, qui ſibi inſignes iſtos titulos detrahat, de induſtria tibi illudens tribuat: qui te ſummis laudibus in cœlum efferat, vt olim ille Protagoram, Hippiam, Prodicum, Gorgiam, reliquos ſophiſtas: quorum imaginem nullam haberemus, ſi te amiſiſſemus. Sed & nonnulli aiunt expectare te debuiſſe dum hominum iudicio & ſuffragiis iſto honore afficereris. Verecundi enim hominis fuiſſe non à ſe prædicari, ſed tanquam per præconẽ, vt qui in Olympicis ludis victores declarabantur, pronuntiari. Quanquam tu à victoria longiſſimè ſemper abfuiſti, in omni contentione & pugna ſemper ſuperatus atque triumphatus.*

Adriani Turnebi ſentẽtia de Theſſalo.

Ac quoties eſſes victus & à quibus, memorarem, niſi etiam nunc in hominum mente, triumphalium illorum memoria hæreret, ad quorum nomen ſemper exhorreſcere, ſemper expalleſcere ſoles. Sed tamen ſi tu toties victus, toties

ludibrio habitus verisque censorum animaduersionibus atque iudiciis notatus, audes ea de te prædicare, quæ illi quibus de te optima spolia parta sunt, nec agnoscerent & recusarent: quid feciſſes si eum aduersarium habuisses, qui aut imbecillitate ingenij, aut fraude præuaricationis, tibi in disputando cessisset? Cuius enim nunc velut militis glorioſi spiritus vix ferimus, victoris insolentis & exultantis insanam sine modo & modestia gloriam quomodo ferre possemus? Vtinam grauitatem sine arrogantia, dignitatem cum verecundia sequereris, exemplúmque nostræ iuuentuti proderes non stultæ ostentationis, sed modestiæ liberalis (hæc enim virtus illam ætatem potissimum commẽdat) non ambitioſæ leuitatis, sed grauis constantiæ. Me tibi inimicum esse quæri non debes: nihil ad cõtumeliam loquor: ab inanitate ad veritatem, ab ambitione fucata ad verã laudem, ab adumbrata specie ad expressam imaginẽ, à sophistarũ captione ad philosophorum disciplinam te reuoco. Itaque tuorũ familiarium nemo tibi melius vnquam voluit, nemo prolixius & magis ex animo fauit. Illi morbum volunt tuum & insaniam fouent: ego tibi semper mentem sanam optaui: quo nullũ a diis immortalibus maius precari bonũ possumus. Quod vtinam tibi tam facile esset ad te, quam ad tuos domũmque redire: non solum existimationi tuæ consuleres, ista arrogantia tollenda: negligenda enim tibi bonorũ & prudentium opinio non est, qui quid de te sentiant passim audimus: tu gloria impeditus nõ exaudis. Erubesceres enim. Verumetiã si quando in scriptoribus explicãdis, libriſq; scribendis errares, æquiora hominũ iudicia experireris. Nunc enim nulli tuo errori venia impetrari potest, cum pro Phidiæ quodã signo tanquã in arce Mineruæ, in augustissimo eloquentiæ & Philosophiæ templo, velut vtriusq; alumnus & cõtubernalis vnus post hominũ memoriã, tuo suffragio, tua tabella te cõsecraris. Nam cum homines tuis titulis commoti eam in te absolutionẽ requirant, qui in nullius vnquã artificis signo viderunt: pro eloquentia tamen inanem verborum profluentiã, pro philosophiæ modestia arrogantiã, superbiam, intolerantiam non ferendã: pro literarũ latinarum scientia, earũ ignorantiã: pro philosophiæ cognitione, inscitiam quadã leuitate sophistarũ, & ambitione insolescentem in scriptis tuis & cõmentariis pro eruditione, vberrimã errorum messem: cum denique in his nihil ingenij, nihil iudicij, nihil doctrinæ reperiant: nulli delicto tuo veniam dare possunt: insimulare procacitatẽ & intemperantiã tuam, mores & ignorantiã damnare possunt. Satis insanisti, satis pueriliter & iuueniliter lasciuisti: hæc tua ætas alios mores postulat. Sit illæ datus ætati tuæ superior ludus: omitte puerilem istam insaniam: desine etiam nobis verba dare, eloquentiámque & philosophiam, quam iuuenili ambitione tibi assumpsisti, aut vsurpare noli, aut etiam factis & exemplis vtranque præstato, vtranque in te esse comprobato. Quod si te tuo vitio indulgere iuuat, nihilq; mereas vt fastum & ambitionẽ deponas: vide tamen ne nomen & famã huius Academiæ ignominia & infamia cuius in gremio & sinu, vt prædicas, creuisti, quámq; pro matre charissima semper habuisti, tibi compares. Nam ei quam apud exteros

nationes ignominiosum futurum est, te in eum peruenisse locum in quo duabus amplissimis & nobilissimis artibus præsis, quem tamen neque dicendi facultate, neque copia scientiæ consecutus sis, sed procacibus in scriptores conuitiis, effrenata maledicendi libidine, cum impudentiæ & ignorantiæ vitio coniuncta, promeritus sis? Hoc fere triennio vir quidam doctissimus, qui amplissimo regis Lusitaniæ honorario Conimbricæ professor, in Galliam decedens, cum per Salmanticam iter haberet, homines eruditos qui in ea vrbe erant, salutauit: quibus cum se Lutetiam redire dixisset, si quid vellent ad notos & familiares, quos hîc fortè haberent, mirari se dixerunt quod primaria conditione & regia relicta, huius vrbis desiderio teneretur, ex qua literæ & eruditio exularent: quarum si quis esset in ea respectus, non tibi locum docendi vllum futurum, qui ad maledicta & ignorationem natus viderere. Quod vbi intellexi, etsi antea causæ tuæ non fauebam, tanto tamen tui odio tum flagrare cæpi, vt pro publico huius Academiæ opprobrio & dedecore odisse te cœperim. Cuius enim nomen olim vltimis in terris omni laude celebrabatur, nunc vile & contemptum tuo magisterio tuáq; professione vix hominum iniuriam & contumeliam à se deprecatur. Vt enim si parentem meum qui huic corpori vitam lucémque dedit, aliquo scelere violasses, iustissimam haberem offensionis & inimicitiarum aduersum te causam: sic cum hanc parentem, quæ quantulumcunque in me est ingenij tanquam procreauit & aluit, insania tua & auctores insectandi maledicēdique intemperantia acerbissimè vulneraris, ignorantia & inscientia apud exteros omni probro affeceris (quod enim tu peccas, in eius redundat vituperationem) vt desipientibus ætate patribus & male rem gerentibus bonis interdicitur: sic eam à disciplina maiorum & professione literarum remouere tentaueris, vt anum ætate delirantem, & nouam quandam docendi rationem præclarus auctor instituere conatus sis: nónne pro hoc sacrilegio & parricidio tuo quicquid odij possum, meritissimo in te expromere debeo? Hac ratione quam instituisti, admirationem, cui studes, aliquam consequi potes, sed cum publico bonarum omnium odio coniunctam. Sic monstra, quæ natura in suo opere labente gignuntur, pariter & admirari & auersari solemus. Sed nescio quo studio laudum tuarū ex fidelissimo Turnebi testimonio recitandarum, longius prouehor quàm fortasse deceat: nec tamen dubito quin pro ea voluptate quam ex illis cœpisti, mihi facile ignoscas. An verò etiam nondum agnoscis Thessale, melius tibi fuisse dissimulare quod de doctrinæ damnatione dixeram, quam per Ossatum tuum id impudenter negando, me ad eiusmodi probationem adigere? At, inquies, domestica sunt hæc testimonia nostrorum ciuium & æqualium, cum quibus mihi de professionis gloria frequens fuit contentio. De nobis autem exteri sine inuidia melius iudicant. Ecquem de iis doctum virum nominare potes, qui sine assentationis suspicione, philosophicam doctrinam quam in te insectamur, probauerit? Nos verò

Italorum & Germanorũ sententia de Thessalo.

tibi opponimus Germanos omnes & Italos qui serio philosophãtur, non in hoc genere studij leuia consectãtur, atque nominatim Anth. Bernardum Mirandulanum, à quo te læsum sensisti, ideóque eum Animaduersionibus tuis, in sophistarum numerum, sicut & nos, retulisti: & Bernardinũ Lauredanum, qui in Agrarias tuas tam seuere multis locis animaduertit: Philippum Melãcthonem, qui quia te indignũ arbitratur cum quo disputet, quodam loco ab omnibus eruditis postulat, vt istum Gallum in Aristotelem insanientem (sic enim te nominat) sinant suo frui somnio. Nicolaũ Hemingiũ, qui in disputatione de methodo, quã nuper edidit, te nominatim reprehendit quòd hanc vnicam esse velis. Cornelium Gemmam, qui libro 2. artis Cyclognomicæ, in eadẽ quæstione, tua opinione damnata, nobis id nominatim attribuit, quod vix audeo agnoscere. Quid? Iulium Cæsarem Scaligerum, principem philosophorum nostrę ætatis, nósti? Illum, inquam, Iulium Cæsarem qui tam subtiliter contra Cardani libros de subtilitate disputat, nosti? Scis quàm magnificè de te sentiat. Habeo apud me eius manu scriptam epistolam ad doctorem tuum in Mathematicis, Magnameum: quam tibi ostendam cum voles. Docta sanè est & animaduersiones multas in Arithmeticam tuam continet, quibus per me vti poteris, cum nouam eius editionem adornabis. In ea, scire vis, quomodo de te loquatur? Fideliter duos locos describam & ea lege vt per quósuis cum quibus ego illam, si opus sit, communicabo, possis in iis meam fidem experiri. Prior est eiusmodi: *Perlibaui, potius quam legi, Rami Arithmetica elemẽta, in quibus profecto non possum satis demirari hominis tum imperitiam, tum audaciam, denique sycophãtiam adolescentibus perniciosissimam. Quid enim aliud molitur hæc illa totius Academiæ pernicies, quam vt optimos quosque auctores vna cum suo cadauere Talæo, Harpyarum instar fœdent & corrumpant, & purioribus omnibus disciplinis internecionem afferre omni studio laborent? Profecto cum tu homine vtaris familiariter, non arbitror te ad eiusmodi scelera (sic enim appellare licet) conniuere. Videtur is nunquam Euclidis consilium intellexisse in scribenda στοιχειώσει. At quæso quomodo intelligeret, cum animo coniurato, ne dicam vlcerato, ad cuiusque optimi auctoris lectionem se paret, quo famam hinc captet nequissimus & inertissimus sycophanta: illius fortasse imitatus exemplum qui Dianæ Ephesiæ templũ deusßit. Sed hæc, dices, σωμαχικωτέρος quàm decet. At verò eo sum à natura ingenio comparatus, vt laruas eiusmodi nullo modo ferre possim quæ ex optimi cuiusque ruina sibi laudem & triumphum (sed illum quidem inanem, imò verò putidum, & qui magno tamen credulæ iuuentuti constet) moliuntur. Legisti opinor, præfationem infantiæ plenam (omitto solæcos qui Ciceronianum dedecent) atque adeo ipsum existimo nunquam percepisse veram demonstrandi methodum. Omitto quàm*

ineptißimè coagmentet Euclidis theoremata, nouo quodam ordine : quum tamen neſcio quem magnum methodi artificem ſe iactet apud ſuos . E quibus ſi qui huc aliquando videndi, ſeu potius rimandi, ridendi, ſatagendi, & calumniandi ſtudio aduolent, nullam vnquam maiorem peſtem agnouimus. Neque enim quicquam ſibi intactum relinquunt audaciſſimi & indoctiſſimi omnium nebulones. Atque adeò futurum ſpero vt Ramus iſte (niſi maturè in meliorem viam ſingulari dei beneficio reducatur) ne religionem quidem intactam prætereat, & venenum quod forte iam ab aliquot annis concoquit, tandē nolens euomat. Deus Opt. Max. faxit, non dicam vt mentis ſanitati reſtituatur, cum in eo nihil vnquam ὑγιὲς bene doctus vllus, ne dicam pius, offenderit : ſed vt ſe perniciem communem iuuentutis agnoſcat, & non modo (licet iam caneſcēs, vt de ſe idem ſcribit) ad meliora, verumetiā ad ſolidiora & vtiliora ſtudia ſe paret, & melioribus inſtitutis iudicium ſibi formet. Hic ſi quid eſt in te dictum paulo acerbius, de tua religione præſertim, mihi ignoſce, & Scaligerum, non Carpentarium ſic loqui exiſtima. Locum alterum videamus, erit fortaſſe in te humanior. Is poſtquam ignorationis tuæ in Mathematicis argumenta multa recenſuit, de methodo in qua rex quidam videri vis, ita concludit. *Denique ſui oblitus non perpetuo ſequitur egregius hic methodi artifex, naturæ illum ordinem quem tantopere affectat: neque intelligit, opinor, alium eſſe ordinem in tradendis principiis diſciplinarū & alium demonſtrationis. Profecto mihi videtur ἀναλφάβητος vel etiam in tenuiſſima philoſophiæ parte. vt me pigeat quicquam vnquam huius hominis legiſſe. Longum eſſet omnia recenſere quæ tibi vel notiſſima eſſe exiſtimo. Sed hæc ad te ſcribo vt intelligas me nullo modo probare huius Alazonis & Sycophantæ ingenium: qui meo iudicio bonis omnibus diſciplinis perniciem molitur, quo ſuæ nugæ & fumi in pretio tandem habeantur.* Vis etiam his exterorum & domeſticorum de tua doctrina teſtimoniis, nonnihil amplius adiiciam? Iacobus Schegkius inter Germanos noſtra ætate nobiliſſimus philoſophus, te toto opere ſuo de demonſtratione, Pariſienſis Academiæ ſophiſtam paſſim nominat. Ac libro 1. hæc laudis tuæ elogia ad verbum recenſet. *Studium deprauandi præcepta artis, inquit, ſummū in Petro Ramo fuiſſe animaduerto : qui veterem artem tanquam inutilem & obſoletam è medio remouens, totam propemodum innouauerit, vt vix eius artis agnoſcatur priſtina ſpecies & dignitas. Sed qua impudentia auſus ille fuit præſtantiſſima artis fundamenta conuellere, eadem fuit auſus etiam principem eius artis doctorem Ariſtotelem, ſummum philoſophum, homuncio inſcientiſſimus philoſophiæ, iniurioſißimis animaduerſionibus flagellare, ſummo ſuo dedecore, & Scholarum (ſi quæ ipſius nugis delectantur) maximo detrimento: vt qui non intellectum authorem illum, Scholis contemnendum, non diſcendum, vt par erat, propoſuerit. Quid autem aliud eſt reprehendere & exagitare non intellecta, quam ſuam inſcitiā cum impudentia coniunctam, cum ſumma leuitate*

& scurrilitate morum ridẽdam doctis & modestis exhibere? Nec verò idem hanc in te vehemẽtiam scriptis suis terminauit, sed superioribus bellis ciuilibus, cum propter ingenium tuum nõ minus in religione quã in philosophia turbulẽtum, ab Vrbe & patria (ne quid dicam grauius) abesse cogereris: hic qui fortasse tua calamitate literarum nomine nonnihil cõmoueri debuit, non modo te per Germaniam peregrinantem, nullis humanitatis officiis complexus est, sed rebus afflictis, in illa natione nouam docendi prouinciam affectantem, quibus modis potuit, prohibuit: imo hoc ipsum docendi munus in quibusdam eius partibus aggressum, ipsa cathedra statim tandémque vniuersa Germania expulit. Atque ex eo tempore ea contra te tuásque philosophicas nugas edidit, in quibus nullam testis fidem amplius afferre potest: quoniam personam induit grauissimi & potentissimi aduersarij. In qua sicut ille ad nostram causam multis partibus accedit, eóque gratissimus est quod perfecit vt Scholarum quę sunt in eadem Germania multæ & celeberrimæ, eadem fuerit sentẽtia de tua doctrina quæ fuit cõstans & perpetua Academię nostræ ab annis triginta: sic nos nostro Cõmentario in descriptionẽ artis disserẽdi, quẽ nunc habemus in manibus, ea diligentia tuas animaduersiones aliquando excutiemus, in qua idem fortasse sentiet apud nos nunquam defuisse qui istius fatuitatis tuæ fucos viderint atque oderint. Sed illũ omittamus hoc tempore. Vis vero de tua philosophica doctrina in eorum iudicio acquiescamus qui tibi multis de causis amiciores semper extiterunt, & tales se ipsi in suis scriptis profitentur? Simon Simonius Lucensis vbicunque terrarum sit, quam tibi amicus esse debeat omnes sciunt qui meminerunt eum à te in hanc Academiam allectum, Regiæque professionis expectatione lactatum, imo regiæ cathedræ vsura ad dies aliquot tuo beneficio ornatum: cum tu interea nescio quid monstri hîc aleres, quod ex eo tempore cœpit in apertum erumpere. At audi quid idem de te statuat, eo ipso loco quo se tibi amicum profitetur. Libro primo eorum quæ scripsit contra eundem Schegkium, dum se de eo purgare vult quod tecum in doctrina philosophica communicare diceretur, *Respondeo, inquit, primum me Petri Rami amici mei Animaduersiones in Aristotelica scripta, in plerisque & fere in omnibus non probare: quod aut seipsis leues sint, aut si quid ponderis habeant, non bene percepta mente, vel arte Aristotelis afferantur: aut etiam quod nulla ratione circunstantiarum habita, summo quodam iuris rigore, omnia persequi tum Ramus voluerit, cum non debuit.* Et paulo post.

Quo animo scripserit animaduersiones suas nouaq; etiam Logices author videri voluerit, nescio, neque etiam vt sciam laboro. Ille mihi scriptis primum,

deinde facie, tandem etiam consuetudine notus fuit. Admiror acutiem eius ingenij, eloquentiam, multiplicem eruditionem multáque alia dona quæ dominus in illo collocauit: probo eius mores, ac præter cæteros, comitatem ac in loquendo modestiam. Id non probo, quod dum in optimum quemque scriptorem ac præsertim Aristotelem, non bene illius mente ac philosophandi ratione percepta, inuehi se nescio quibus, argutis quidem, sed vanis rationibus, posse putauit, incautam & ineruditam iuuentutem, ab vtilissima planéque necessaria lectione auocare conatur. Nemo enim est qui de scriptis Aristotelis ac tota eius philosophia, optimè sentire ac loqui, summum eius ingenij acumen ac dexteritatem admirari, studium, Methodum, ordinem, summis laudibus celebrare, inuenta traditáque ab eo, studiosis omnibus cuiusuis generis disciplinarum quasi perneccssaria proponere, eosdémque ad vnius illius inter philosophos lectionem hortari, publicè priuatimque omnibus modis non debeat.

Vides opinor quò iure dicere potuerim te doctissimorum hominum sententiis esse damnatum: aut si nimius tui tuarúmque nugarũ amor impedit quò minus id videas, at certè qui de hac nostra contentione iudicaturi sunt, facilè intelligent, quantum sine vlla contumelia aut animi impotentia in eum mihi licuerit, qui omnibus solidiore aliqua doctrina imbutis, maximo suo merito est odiosus. Verum enimuero audiamus quo artificio hoc eleuari posse potes. *Quid*, inquis, *iudicium illud commemoras, cum te etiam consentiente ordines omnes Parisiẽsis Academiæ P. Ramo nouos honores decernendos censuerint, quòd primum in causa prati publici salutem, deinde in conseruandis priuilegiis dignitatem vniuersis procurasset. Et huius quidem honoris testimonium tandiu feretur, quandiu publicarum Academiæ tabularum memoria extabit.* Quasi verò in quæstione de prato nostra salus versaretur. Nobilis profecto ista est veteris naufragij tabula: quam si me audis, summa cura conseruabis, ne si quis eã de manibus eripiat, nullam posthac apud Academiæ patres tui commiserationem possis excitare. Quanquam quid dico conseruandam? iam tibi erepta est. Nescis cum exul literas ad Academiam scripsisses, in quibus hæc tua singularia penéque diuina in rem literariam merita commemorabas, qui risus in omnibus ordinibus excitati? Sed hæc, tamen, qualia sint expendamus. Tu olim P. Gallandij odio, sicut scis, quæstionem de prato nostro excitaueras, aut certè ea iam grassante, vt in effrenatam iuuentutem popularis videreris (hoc enim in omnibus dictis & factis soles imprimis expetere) quasi oleum igni addideras: & illum regiæ professionis collegam, concionibus tuis in grauissimum vitæ discrimen sæpe adduxeras, Res testata est, & adhuc versatur in recẽti hominũ memoria. Aequũ igitur erat te hominẽ humanissimũ scilicet, ei malo remediũ adhibere cuius auctor ipse extiteras.

De conſeruatione autem noſtrorum priuilegiorum (quod glorioſæ legationis tuæ caput erat alterum ſcis) quam gratiam tibi habeant Pariſienſes mercatores, Academiæ noſtrę nuncij? Præuaricatorem te appellant, & eius quod tutandum ſuſceperas, dum apud Illuſtriſſimum Cardinalem genio tuo magis quam cauſæ ſeruire vis, proditorem. Intelligis quid loquar. *At verò omnes ordines, inquis, nouos honores nobis decernendos cenſuerunt.* Erras Theſſale, non ſunt iſti honores noui: ſed tam frequentes in Academiã vt iam penè incipiat vileſcere. Quis enim vnquam vel in leuiſſimis, pro re literaria laborauit, de quo cum eſſet ad Patres relatum, non ſit ſtatim auditum eiuſmodi aliquod elogium? Tu Academiæ nomine ad regem eras profectus: ſumptus in ea legatione feceras: ad nos reuerſus re non infeliciter geſta, eos poteras tuo iure exigere: pro tua liberalitate Academiæ remiſiſti: omnes tibi gratiam habendam cẽſuimus. Quid minus tuo nomine potuimus? Equidem cum tu hos nouos honores appellas, videris in Muſtaceo magnã coronam quærere. Quanquam ego ipſe erro. Nam iſtiuſmodi honores tibi quidem certè, valde erant noui. Siquidem nouum erat & ante eum diem inauditum in Academia, Theſſalo gratiam haberi, qui ſemper in illa audiuerat peſſimè. Quid enim? neſcis quam multa proferre poſſim ex illis eiſdem tabulis, quas propter iſtã gloriolam ſempiternas expetis, monumenta temeritatis tuæ, arrogantiæ, ignorantiæ, ſtultitiæ? An verò in iſto prato ſumma doctrinæ tuæ verſabatur? Ridiculum eſt profecto hominem & logico artificio regem regum, ex eo concludere doctrinam ſuam ab Academia Pariſienſi non eſſe damnatam: quod ab eadem aliquando in procuratione huius negotij ad doctrinam nihil omnino pertinentis, bene audiuerit. Ecce verò crimen aliud enaſcitur. Tu me maledicum conuitiatorem nominas, quod te in antiquitatem contumelioſum in veterum iuratum hoſtem dixerim: atque contra audes opponere, te honorem & dignitatem Hippocratis, Platonis, Ariſtotelis imprimis, deinde reliquorum ſummis illis proximorum, omni ſtudio tueri. Hæc enim tua verba ſunt. O inſignem impudentiam, & mihi cum hæc ipſa lego, prorſus incredibilẽ! Tu fœtido ore tantum venenati puris in omnem antiquitatem, atque imprimis in Ariſtotelem tota tua vita euomuiſti, vt nemo bonus ſit, vel mediocriter literatus, qui à te non abhorreat: & tamen prædicare audes te huius imprimis illorúmque dignitatem & honorem tueri. O miſeros veteres eloquentiæ & ſapientiæ magiſtros, qui in immemores & ingratos ſua beneficia contulerunt! Quid enim de nobis bene merendo ſunt conſecuti? Nempe vt in ea Academia, in qua caſtra ſunt eloquentiæ & ſapientiæ, ſpectantibus nobis, neque iis ignorantibus qui reipub. clauum tenent, cũ vnius Theſſali faſtu conculcati ſint,

conqueri

conqueri tamen nõ liceat. Imo in ſummo ſqualore & ſordibus, audire cogantur ſe ab eo ornatos nouáq; dignitate auctos, à quo ſunt ſpoliati. Quis vnquam latro vel archipirata auſus eſt agere iſto modo? Et tu me maledicum conuitiatorem appellas, putidè, quòd te in antiquitatem contumelioſum & veterum iuratum hoſtem dixerim! Caue nè iuſtus dolor grauiora extorqueat, quæ ego verè poſſum de te dicere. Sed reprimam me, ne in huius ardoris ſpecie legitimam probationẽ videat eludere voluiſſe. Ego te in antiquitatem contumelioſum fuiſſe dixi, eiuſdémque iuratum hoſtem: addidi etiam veteris diſciplinæ cõtemptorem, inſolentem, nugatorem: fateor. Sed illud Theſſale non tã fuit tibi dolendum quòd iſta ex me audiueris, quàm quòd ea antea feceris & dixeris, propter quæ maximo tuo merito, iis etiam longè grauiora ab omnibus bonis poſſis audire. An maledicus conuitiator eſt, qui id obiicit quod tuo teſtimonio poteſt cõfirmare? Atqui è ſcriptis tuis infinita exẽpla proferre poſſum contumeliæ in antiquitatẽ, hoſtilis animi, inſolentiæ. Vis incipiam à primis & rem perducam ad extrema? Sic enim obſignatis quaſi tabulis, tecum agendum eſt quoniam niſi tuo teſtimonio vrgearis, negas quidlibet imò verò neque in hoc ſemper conquieſcis. Etiam ſi ipſe quodam loco ſcribas, nullum valentius argumentum eſſe ad conuincendum reum, rei ipſius teſtimonio & confeſſione. Age omittam diſtinctiones tuas in Oratorias Inſtitutiones, quibus Fabium artis dicendi præceptis magnam laudem apud omnes conſecutum, miſerè tractaſti. Non repræſentabo Brutina tua conuitia in Ciceronem, quem Romani in dicendo admirati, regẽ fori appellarunt: tu verò vt putidum Rhetorculum vel rabulam de foro, iuueniliter exagitaſti. De Ariſtotele tantum agam: quod hunc imprimis à te honore & dignitate auctum dicas. Ac ne quid tibi imponi videatur in his quæ primo aſpectu erunt incrẽdibilia, téque à nobis noua inuidia grauari calumnieris, non ſolum librum indicabo ex quo deprompta erunt pulchra ſcilicet, honoris & dignitatis in illum teſtimonia, ſed libri folium, paginam, lineam etiam ſi opus ſit. Primis Animaduerſionibus tuis fol. 3. pag. 2. vt in Ariſtotelem non odio, ſed veritatis ſtudio agere videaris, à Deo optimo maximo ita exorditis,

-O qui res hominúmqum deúmque
Aeternis regis imperiis, & fulmine terres, pacem ac veniam peto: precórque vt imaginem diuini cæleſtíſque luminis (quod in animis inſpiraſti atque accendiſti) à miſeris tenebris eripi liberarique patiare. Equidem vota hæc cum audio, facile mihi perſuadeo ab homine tam ſanctè & religioſè agente, nihil in Ariſtotelem eſſe dictum niſi ex animo: & eo quidem longè prõptiore ad excuſandam huius doctrinam,

quam ad insectandam: vt si quando in eam fueris paulo acerbior, credibile sit acerbitatem hanc ab ardente veritatis studio, non ab vllo odio esse profectam. Quid enim aliud vir bonus existimare possit ab eo qui initio Deum testem adhibet, id est rectam conscientiam? Ergo audiamus ea de Aristotele dicta, quæ tu Deo præsente sancta videri vis fol. 16. pag. 2. incipis ab amaruléta hac in illum acclamatione. *Dij veterator & impostor eradicent: nimium diu fefelliſti, induxiſti, nocuiſti.* Sanctissima sane oratio. Eadem sanctitate fol. 18. pag. 1. eum vocas *Archisophistam*, iteráque hoc fol. 19. & 33. Vt nobis amplius contumeliosum esse non debeat nomen sophistæ, quod tam sæpe in hac disputatione ex tuo ore audiuimus. Quoniam in eo, includimur nobili equo Troiano cuius principem Arist. videri voluisti. fol. 30. pag. 2. nominas *Deum amentium*. fol. 32. pag. 1. *callidum & vafrum sophistam*: & eodem loco, *literatorem planè bardum, sophistam litigiosum*. Duriora sunt quæ sequuntur, fo. 43. pag. 1. *hunc crudelem & immanẽ studiorum humanorũ carnificẽ esse ais*. fo. 46. pa. 1. *suorũ crudelẽ tortorẽ*. pag. 2. *prestigiatorem*. fo. 52. pag. 2. exclamas *fabulatorem esse, inauditæ fabulæ parentem*. Quem eadem pag. ita alloqueris. *Tu histrioniam nouam facis, tua ista spectacula qui ingrediuntur, sacris tuis prius initiati tanquã Galli Cybeles Enthei aut Bacchi Mzdiuntur, sacris tuis prius initiati tanquã Galli Cybeles Enthei aut Bacchi Mznades, è potestate mentis exeunt & protinus è quietis & moderatis, saltatriculæ quædam Dionysiæ, magistri videlicet persimiles efficiuntur, & protinus furore Aristoteleo correpti saltatoriũ orbem saltare incipiunt*. Hæccine oratio est hominis honorẽ & dignitatẽ Aristotelis tueri volẽtis? Age omitto hoc. Hæccine oratio hominis tã sanctè diuinũ numẽ appellãtis. Equidẽ quãdo ista lego, & cũ superiore tuo voto cõparo, soleo de te vereri nescio quid, quod nonnunquam aliis accidit, qui ore quidem diuinũ numen implorabant, animo vero tacitáque cogitatione, eius splendori obsistebant. Vt enim in iis cõmunis sensus omnino deprauatus est & animus ad omnem improbitatem proiectus, quod diuino numini, à quo rectæ cogitationes manant, illusissent: sic metuendum (quod profecto minimè velim) ne in te falsa religionis specie in antiquitatem furente, maledicentiæ spiritus pro diuino loquatur, & ista effundat, quæ sedato furore non audes agnoscere? Quid enim est de superioribus quod in Aristotelem humanitus dictum videri possit? Atqui alia sunt longe grauiora & in eius doctrinam dicta contumeliosius. fo. 34. pag. 1. quæstionem de enuntiationibus finitis & infinitis quæ explicatur libro de intepretatione, *depromptam esse ais ex Chimericis nominum verborúmque somniis: in quibus anilia, delira, errantia, vaga, cæca sunt omnia & hic collectas multorum dierum insanias ex rabie insanorum sophistarum*. fol. 37. pag. 1. toto libro de interpretatione contineri scribis *summam rerum confusionem, sophismata, ænigmata, Chimericas somnio-*

rum fascinationes quæ nobis rationem iudiciúmque eripuerunt: ex eóque cõclu-
dis pag.2.librum hunc de confusione potius quam de interpretatione debere inscribi. *In eo enim cõtortis & aculeatis sophismatis referta esse omnia ad fallendum, turbandum, impediẽdum ab improbissimo nequissimóque sophista composita.* fol.38.pag.1.eadem humanitate illius Analytica exagitas. *Analiticon*, inquis, *opus vniuersum appellatur: vnde? à verbo græco* ἀναλύειν *quod retexere & delere significat. Nempe quod hæc ars quasi Penelope telam retexens, tollat ad extremum & destruat omnia. Nomen certè operi conuenientissimum. Analytici itaque libri definiantur quibus hominis naturale iudicium corrumpitur atque hebetatur.* Deinde. fol.39.pa. 1. ais *primum librum habere hortos pretiosos, sed monstris immanibus circunseptos vallatósque: Secundũ prestigiis & incantationibus eludere. Tertium & Quartum summa & perfectissima insaniendi doctrina, captos iam mente instruere & exornare.* Amplius etiam fol.54.aggressurus Analytica posteriora, in eorum laudẽ sic præfaris, *Ad hanc sapientiam vota solemnia faciamus. Agite cereus accendatur: limina sacra pandantur. Dij deaq; omnes quænam sunt in iis sacris numina? Videre videor varios diuersorum generum dæmones ex animis sophistarum concretos, variis suppliciis & miseriis cruciantes eos quos ad se fraudibus & insidiis pellexerint.* Siccine quos amas, Thessale nouis auges honoribus? Quid vero quòd non modo in Aristotelis doctrinam sed etiam in vitã contumeliosus extitisti? Eodem enim ore scribis fol. 20. pag.2. *hi nc Hermiæ concubinam tam miserè deperisse, vt promissam sibi duceret vxorem, & ei cupiditatis ardore gestiens immolaret, vt Athenienses Eleusinæ Cereri immolare sunt soliti* ideóque fol.42. pa.1. vocas *idololatram & quidem meretricis* Quo confugeres si quis in te agendum putaret isto modo? Non possem exitum reperire si vellem persequi singula eiusmodi ornamenta, quibus Aristotelis doctrinam atque vitam decorasti. Et miraris Thessale, nos nonnunquã in te paulo esse vehemẽtiores quam vis! Ego vero miror qui homines cordati tandiu ferre possint hanc tuam in antiquitatem effrenatam audaciam. Legat qui volet vel cui tantum otij suppetet, Animaduersiones secũdas aut etiam tertias, & in fraterculi Talęi Dialecticarum Institutionum commẽtariis superbam huius Thessali cum Aristotele comparationem: tum intelliget de illius schola verissimè dici posse quod de Peripatetica mentitur quodam loco os impudens, Cynicam esse scholam omnis impudentiæ, in qua flagitium sit vllo loco modestum esse, pudentem, verecundum. Adeo vt mihi illa tua conuitiorum plaustra in antiquitatem recordanti, leuissima iam esse videantur quæ de nobis nostraque professione commemoras. Nam si quis arbitratur illa de Aristotele iure dici potuisse, quid fiet misero mihi? Sin immerito: glorioſum profecto nobis est cũ illo laudatissimo philosopho vel potius philosopho-

rum principe, ab isto illaudato male audire. Quodam loco me contumelioſe nominas medicinæ diſcipulum. Non eſt hoc ei iniurium qui ab aliquot annis talem ſe eſt profeſſus, tandiúque profitebitur quandiu viuet. Siquidem notum illud eſt ex Solone, Seneſcere nos oportere, multa quotidie diſcentes, in ea præſertim arte cui noſtrorũ ſtudiorum ſummam conſecrauimus. At certe eo te ſupero quod in illa tam fœlicibus auſpiciis omnia nobis inchoata ſunt, vt adhuc nihil ſit in quo me mei pœniteat. Tu in eius ſtudij candidatis nomen tuum nondum auderes profiteri: & cum inter eos conſenueris quos Socrates in Phedro λογοδιδάκτους appellat, vanúmque principatum in illis ſemper affectaueris: eo ipſo tamẽ te diſcipulum adhuc agnoſcis, quod ad excuſandum tuarum opinionum æſtum & in nemine antea auditam incõſtantiam, quotidie dicere ſoles poſteriores tuas cogitationes prioribus eſſe meliores. Addere etiam potuiſti (quod ex maledicentiæ tuæ copiæ cornu cum hæc adornares audiebam mihi apparari) Veſpillonem funerarium, Diaulum & cætera quæ in homines noſtri ordinis trita ſunt. His certe nihilo magis eſſem cõmotus quàm eo ipſo quod alio loco ſcribis, vereri te ne ego ignoratione iſtius tuæ artificioſæ methodi, pro ſalubri inſalubre medicamentum præſcribam, pro remedio venenum. Dictum profecto in eos qui cum maxima celebritate medicinam in hac vrbe faciunt, omnéſque iſtam tuam vnicam methodum vel aſpernantur vel oderunt, dignum Theſſali ſapientia. Sed in eo non cogitas me habere in quo par pari referam quod te remordeat. Nos corporum curam habemus: tu pro tua regia profeſſione & prælei gymnaſij præfectura, animorum & eorum quidem in quibus excolẽdum eſt, ſicut ſcis, Reip. ſeminarium. Nõ vides quid dicere potuerim in iſta cura nobis à te metuendum? Age omittam religionem, nec iſtam camarinam tibi commouebo: in qua tamen cogitare debebis quid ab aliis audire poſſis. Sed in artium liberalium profeſſione cum hac tua de vnica methodo, noua doctrina, quid hactenus perfeciſti? pro Theſauris carbones indicaſti: multorum animos ſic infeciſti, vt verendum ſit ne reliqua pars quæ adhuc ſincera eſt in hanc peſtẽ neſcio qua cõtagione trahatur. Quod vero eodẽ loco mihi exoptas ſenectutẽ in qua edomita iuuentus appareat: pro eo tibi magnam gratiam habeo. Quoniam hęc ea ipſa eſt quam in te iampridem deſidero: & mihi, niſi quid præter naturam acciderit, trãquillioré quã tibi, ex eo nõ incerta ſpe fortaſſe promitto, quod adoleſcẽtiæ & iuuenilis ætatis ſtudia ſedata, non in antiquitatẽ ardentia extiterũt. Quod vero ingenio aliquo naturã nos genuiſſe ſcribis, bene habet Theſſale. Verebar ne ſtupidũ omnino, vel etiã ſtipitem diceres. *Sed crudo, ais, & acerbo.* Hui quænã, eſt iſta cruditas? An quia doctrinæ tuæ, præſertim

in hac quæstione, suauissimas epulas percoquere adhuc non potui? Hæc mihi profecto cum multis doctissimis viris est communis. Ego vero metuo ne in ingenio tuo, nescio cuius gloriolæ flamma, omnia immoderatè assata sint atque vstulata. Sequitur. *Ambitio & æstus ad magistros turbulentos te contulit.* Tua verba sunt: nec ego quanquam sciã in dicendo esse frequens (conferre se) ausim tamen sine tua authoritate dicere, ambitio te contulit. Sed rem videamus. In qua dic mihi per deum immortalem Thessale, cum hęc scriberes, non cogitasti qua probabilitate eadem in te possent retorqueri? Etenim cui nõ est perspecta tua ab annis triginta in re literaria, ardens ambitio? Quis non sensit furoris tui in antiquitatem rapidos æstus? Nec verò dicam te ab illis ad turbulẽtos magistros esse delatum, sed turbarum omnium magistrum in Academia extitisse. *At comitia Mathurinensia, ais, multo sæpius quam græcorum vel mathematicorum auditoria frequẽtasti. Hinc morbus comitialis professioni philosophiæ vel etiam medicinæ valdè alienus & cõtrarius.* Pulchrè me Hercle dictum & sapienter. Perge. *Itaque vt in comitiis quantumlibet valentem mathematicum vel philosophum tuis suffragatoribus superare consueuisti, sperauisti quóque quæstionem de vnica artis instituendæ methodo obtineri posse.* Pape! Iugulasti hominem. Ego quidem verè prædicare possum me non modo Iulianensibus & Mathurinensibus comitiis, sed omnino omnibus siue Curiatis, siue Centuriatis, viris bonis & doctis sua sponte fauentibus fuisse gratissimum: Te verò tuo merito omnibus Academiæ ordinibus semper odiosum: atque illud etiam addere, eorum studia à nobis nunquam abhorruisse, sed ex eo tempore ad amplificationem rerum nostrarum prõptiora & paratiora fuisse, quo in Rectoratu agnouerunt qua fide & diligentia conarer doctrinæ tuæ fucum detegere. Sic adolescenti mihi, sicut scis, ad gloriam commendatio ex doctrinæ tuæ repræhensione prima parta est, eadémque ex eo accreuit quòd docendo in eo semper elaboraui vt contra tuas calumnias Aristoteles retineretur, vetúsque Academiæ disciplina, leuibus maculis repurgata, vilescentibus tuis nugis, suo splendore niteſceret. Neque verò vnquam dubitaui quin hæc suffragatorum omnium erga me beneuolẽtia tibi esset molesta. Quia eius memoria quandiu extabit, tandiu testabitur Thessalum eisdem valdè odiosum fuisse. Præsertim cum futurum sit vt ex ea intelligatur Carpentarium in sua professione, sicut vis, vix tolerabilem, eo ipso Academiæ Parisiensis omnibus ordinibus gratissimum fuisse, quod te tuáque sit insectatus. Ego in re literaria sine vlla vi, sine ambitu, modesta laborum commendatione, honoribus omnibus meo tempore gradatim sum ornatus: tu non modo nullum adhuc consequi potuisti, sed ne in ipsis quidem comitiis, propter publicum

doctrinæ tuæ odiũ, olim tuto versari. Et cum nuper nescio qua reconciliationis specie cum Patribus, in illa irrepsisses: in aliquot negotiis sæpe probasti quàm esses comitialis homo: atque ad extremum turbulento tuo ingenio, comitia omnia sic perturbasti, vt in illis amplius non habeas vbi pedem ponas. Sed de comitiis satis. Eiusdem fol. pag. 2. *ait me de industria, item prudentem & scientem sophistam esse.* Quasi verò quisquam sophista sit, qui non idem de industria prudénsque & sciens fallat. An te Arist. nondum docuit sophistam à philosopho differre non facultate decipiendi, sed voluntate & electione. Nam quod me sophistam vocas, nihil moror. Quoniam me totum comparo ad Aristotelem intelligendum & imitandum: quem tu Archisophistam soles nominare. Quanquam in te artis sophisticæ renascentis multa extant Montaurei tui, Adriani Turnebi, Iulij Scaligeri aliorúmque doctissimorum virorum solemnia præiudicia. Et si hoc loco disertus haberi vellem, facilè confirmarem in Thessalo reuixisse Protagoram, Gorgiam, Hippiam & reliquos veteres omniscios sophistas, in quos Socratis ætas inciderat. Iam quod me nouitiolum academicum contumelioſè nominas: mallem profecto Academicum nouum omnino negasses. Nec enim de eius sectæ principatu tecum contendo: quam etiam si in aliis aliquando probauissem, tamen propter eos fructus quos in te peperit, iam cane peius & angue odissem. Ego tibi sum ἀκωμίτρητος, ἀναλφάβητος: sit ita sane. Tu ipse eadẽ de te ex Scaligeri epistola antea audire potuisti. Nec putas, credo, scire nos quanto cum dedecore in docendis Mathematicis, de Cathedra regia ante tempus frequẽter descendere sis coactus, quòd ea tibi in via excidissent quæ à priuatis magistris paulo ante domi erant dictata: nec sæpe vidisse illam incredibilem scholæ tuæ solitudinem, quæ te ex regio gymnasio, in prelum superioribus annis relegauit: atque hoc ipso coegit ad repetendam Grammaticam, Rhetoricam, Dialecticam. Vt interea dum in iis Crambem tam sæpe recoctam, credulæ iuuentuti reponis, in illis discas, auctáque facultate, tandem aliquando tuo Marte, vt aiunt, in isto puluere ingenium exerceas. In græcis verò hac ipsa disputatione te valdè rudem, cum aliis locis multis, tum eo maximè probauisti, quòd cum venustè exclamasse tibi videreris fol. 7. pag. 1. homo ῥητορικώτατε non solum λογικώτατε, eadem forma etiam illud effinxisti fol. 9. pag. 2. ἀκωμιτρικώτατε: cum nos abecedarij, sciamus vt ἀκωμίτρητε sic ἀκωμιτρητότατε dicendũ fuisse. In cæteris cogita quàm præclarũ tyrociniũ facultatis tuæ in græcis, Epistolarum Platonis interpretatio tua complectatur. Quarum ne primã quidem periodũ intelligere potuisti: quanquam adiutus non solum versione Ficini, sed Tusani prælectionibus tuorúmque magistrorum dictatis. An quia græca multa

in latinis tuis disputationibus cum minimè necessarium est, describere potes, eorúmque nonnulla ex aliorum dictatis vix tolerabilitet interpretari, eo persuadere vis te in eius sermonis facultate alterum Platonem esse vel Demosthenem? Sic nos aliquando, maiore etiam fide, philosophica quædam de Elementis & animorum immortalitate, ex Italorum vernaculis Latina fecimus & Alcinoi interpretationem puriorem quam antea, cum nostris in eam commentariis quando visum erit edemus. Neque profecto nos ab ista cogitatione, tua tonitrua reuocabunt: & quãquam certo sciam te illis diri aliquid minitari, quòd intellexeris futurum vt Aristotelis cum Platone comparationem complectantur, in quam, si vera est tua oratio pro philosophica disciplina, ab annis multis incumbis: istis tamẽ non cedam, sed contra audẽtior ibo. Quoniam in potissimis illius nobilissimæ comparationis capitibus, intelligo quam leuiter sis instructus ad sustinendam grauem dimicationem. Vt pote qui nihil noris in philosophia nisi de præterita Dialecticæ definitione: de eiusdem diuisione in inuentionem & iudicium: de vnica methodo Analytica, quasi de tribus tuis capellis. In quibus,

Veterem in limo ranæ cecinere querelam.

Quare vt locum hunc de nobis tandem aliquando concludam, & ad institutam disputationem veniam: iam ego vt olim Diogenes, Thessali fastum pedibus conculcabo: maiore fortasse fastu, sed quid facerem? Contra impudentis scholæ principem nos oportet bene & gnauiter esse impudentes. Sum fateor medicinæ discipulus, atque addam si voles tyrunculus: nec enim de ratione eius artis docendæ vel faciendæ vlla mihi tecum contentio est: nec esse certè potest. Quoniã tu ne eius quidem adhuc es idoneus auditor: Ego quantumuis rudis, in ea tamen docenda plus habeo vitiũ ad retinendos auditores, quàm tu in mathematicis: in quibus superior omnibus vis videri. Quanquam, vt ingenuè fatear, in eadem facienda, non satis facultatis ad sanandũ inueteratum animi tui morbum. Sum ἀναλφάβητος ἀγεωμέτρητος. Agnosco hoc quoque & eo ipso te supero, quod in iis nihil magni vnquam de me sum professus. Tu eo ipso tempore quo primas literas primáque artium mathematicarum elementa discis, in eisdem de principatu cum omnibus decertas, atq; adeo cum tuis magistris. Qui de te non ita pridem, sicut Protagoras de Euathlo, apud omnes quærebantur. Mihi satis est quòd intelligis quid loquar. An non hoc proprium est Thessalicæ modestiæ? Meministi verò qua de re antea inter nos fuerit omnis contentio? nempe de philosophiæ professione. Huius finibus si voles, nos contineamus, atque experiamur quid in his possit vterque nostrum. Erat quidem Aristotelis doctrina digna me-

liore patrono, fateor. Sed te oppugnante, hic habet satis virium ad eam retinendam, tuúmque fucum omnibus detegendum. Desine, desine tandem aliquando Thessale, quiritare de tribus tuis capellis, atque aggredere superiores philosophiæ partes: eam præsertim quæ de natura est. Hęc enim, vt scis, locupletissima est & habet satis multa ad ingenium tuum reliquo vitæ cursu in animaduersionibus exercendũ. Sed tamen vide quid agas, & quanquam certo sciam te ad illam esse instructum fraterculi tui vigiliis (in quibus plagium tibi obiicerem, nisi scirem Pythagorica lege vobis fuisse communia omnia) memineris tamen quid de tua in illa imbecillitate mihi, ante annos quinque in aurem dixeris: & cum nuper inuentionis tuæ capita decem, in cathedra regia explicares, quam multa de causis & de Deo, quo modo in loco sit, tibi exciderint, non dico puerilia, sed quæ in pueris nostris essent flagitiosa. Atque horum cogitatione admonitus, etiam atque etiam caue, ne (quod in docendis mathematicis antea sæpe accidit) illa physica domi dictata, aut ex fraterculi commentariis descripta, tibi cathedram petenti excidant. Ne cum ad illam perueneris, obmutescere cogaris: aut sicut soles, frequenter horam eximere, dicẽdo de tribus tuis capellis. Quarum quoniam pulcherrima est & præstantissima hæc de vnica methodo, attente consideremus quo artificio tu qui ab annis quinque & viginti, in illa tuo pectine ornanda totus es, eandem in hac disputatione defenderis.

ANALYSEOS DISTINCTIO, ET IN ea quid Platonicum sit, quid Aristotelicum.

Cap. I.

MEministi, opinor, Thessale, cum ante annos quinque de constituendo rei literariæ statu ageretur, & ab illustrissimo Card. Lotaringo de eo ipso cogitante, nominatus esses, Petróque Gallandio adiunctus, ad vidẽdum quid de ea forma quam seruamus, retineri adhuc commodè posset, quid in melius immutari: ab vniuersa Academia mihi esse demãdatum vt cum Rectore, Cardinalem, omnium ordinum nomine salutarem, efficerémque vt ex oratione mea intelligeret quid ab vtroque vestrum, atque potissimum à te, tum, sicut antea semper, Academia metueret. Quod quasi Ouis lupo comitti videretur, cum reformandæ rei literariæ potestas in eum transferretur, quem omnem deformitatem in illam induxisse Sapientissimi Patres iudicabant. In hoc munere ita me gessi vt nihil in te dictum fuerit acerbius, & tamẽ impetra-

impetratum,non vt ista prouincia omnino decederes:sed vt in ea alij adiungerentur qui veterem formam,eam præsertim quæ in docenda philosophia seruabatur,tanto studio defenderent, quãto tu in ea,noua omnia facere conabaris. Sic enim futurum sperabatur, vt in contrariorum studiorum contentionibus, quædam sententiarum moderatio rei literariæ salutaris eluceret. In iis illustrissimus Cardinalis me vnum esse voluit:atque vt hoc sedulo curarem, philosophorum ordo postea imperauit. Cum verò ad id frequenter conueniremus, atque ego de liberalium artium professione tantum nobis quærendum esse dicerem, non attingendos superiores ordines: tu contra apertè significasti quo ardore ea in hos apparares,quæ anno superiore in tuo, elegãti sanè,proœmio reformandæ Academiæ euomuisti. Cætera prætermitto quæ tum inter nos modesta altercatione sunt agitata. Vnum dicam quod huius loci est,cum ad Aristotelis doctrinam esset ventũ, conuenisse quidem inter omnes, huius scripta eiusmodi esse,vt non solum complectantur germanam illius sententiam, sed cõtra aliorũ opinionem disputationes pleráque acutissimas quidem, sed prolixitate & obscuritate, hominibus etiam in philosophando constantissimis,plerúmque molestas. Quæ faciunt vt non modo permulti àuditores ab eius studio reuocentur:sed etiam doctores omnino labore frangantur, aut dum illis quantum possunt,indulgent, totum tempus ad philosophãdum nostris legibus definitum, in leuioribus partibus traducant: non attingant quæ omnium sunt præstantissimæ. Itaque sic à nobis est constitutum, si Illustrissimo Card. & Academiæ ita videretur, posse Aristotelem integrum priuatis cuiusque studiis, quasi in commentariis relinqui: ex illo verò, amputatis eiusmodi disputationibus, aut omnino, aut magna ex parte, per eruditos viros seligi, quæ rata esse vult, eáque viua magistrorum voce doceri. Laudatum hoc omnium eorum qui tum aderant vno consensu. Deinde verò cum esset quæsitum qua Methodo hoc videretur faciendum,ea, inquam ego, quæ ab Aristotele nobis est relicta, per singulas philosophiæ partes gradatim progrediendo, nec ab eo ordine recedendo quem libri ab eo conscripti, inter se seruant. Tum dicere incipis de tribus tuis capellis,aut certè ne mentiar,de hac vna omnium pulcherrima,atque tandem ad me cõuersus,Mittam verò ad te Carpentari,inquis, breuem & lepidum meum libellum de vnica methodo. Hunc lege, obsecro te, atque ex eo intelliges qua ratione faciendum sit quod conamur. Legi, inquam ego, neque probaui: de eóque iam tibi respondissem, si liberam aliquam cessationem & otiosam essem nactus. Tum enim impediebar cogitatione non leui de ingrediendo medicinæ curriculo, assidua eloquentiæ & philosophiæ

professione, atque gymnasij Burgundiani, cui eram præfectus, difficili cura. Hoc tempus est Thessale, in quo dixi me ante annos quinque ad legendas de ista quæstione tuas nugas, esse inuitatum. In eo autem ludis locis multis, quasi dixerim me toto quinquennio de illa sola quæstione cogitasse. Verum sit ita sanè. An mihi turpius in methodi cognitione annos quinq; elaborasse: quàm tibi in ea quæstione ætatem egisse? Ista tamen prætermittamus, atque id solum quod modo inter nos controuersum est, distinctè tractemus: vt quicunque tua nostráque lecturus est, quasi in rem præsentem venerit, sine errore iudicare possit, vter nostrum tantum temporis in hac quæstione melius collocarit. De qua cum attentè lego quæ tua expositio continet, eáque cum nostris sedulo comparo: facile animaduerto singulare tuum artificium in quibusdam prætereundis, aliis obruendis, vel quoad potes eleuandis. Quæ ego suo loco tibi reponam, vt eorum posthac memineris. Cætera in quibus apertè ita mecum disputas vt probabilitate aliqua niti videaris, sigillatim persequar: ídque tanta religione faciam, vt nihil à me relictum quæri possis. Malo enim, quoniam de veritate inter nos philosophorum more agendum est, victũ me rationibus tuis, si quando opus sit, fateri, quam errorem meum obstinatè defendere. Præsertim cum sine vlla infamia, à tua noua Academia videar impetrare posse ad aliquod tempus, vsuram eius libertatis, quam in hac disputatione contra me locis multis tibi vendicasti.

DVXERAM initium à distinctione vocũ earum, quæ cum de methodo agitur, frequenter in vsum venire solent. In quibus sunt Analysis, Genesis, Diæresis, Sinthesis. Deinde iis methodi definitionem subieceram, eámque ex tua doctrina arripueram: vt certius inter nos conueniret, quid esset illud de quo agitur. In quo quid reprehendas videamus: In analyseos vocabulo ita me premis, quasi cum de methodo quæritur, Platonicum esse dixerim. sic enim scribis fol. 4. pag. 1. *Qui Platonem græcè totum studiosè legerunt, & omnes eius de dialectica locos obseruarunt, Analyseos tamen verbum, quamuis geometricum, quamuis Platoni familiarissimum, in Platonis libris, cum de Dialectica aliquid philosophatur, animaduertere nondum potuerunt. Tu homo ἀναλφάβητος, qui vix Ficini qualemcunque versionem intelligis, dic obsecro vbi, in quo Platonis libro legisti?* Fateris, vt video, vocabulum hoc in alia quidem re Platoni esse familiare: sed in quæstione de methodo nunquam ab illo vsurpatum: atque me reprehendis quasi in hac etiam significatione Platonicum esse voluerim. Quod quanquam cum Proclo (sicut ex sequentibus intelliges) dicere potuerim: in eo tamen erras, pace dixerim tua. Siquidem prima pagina disputationis meæ, de hoc ipso

nomine tecum sentio: nisi quod verecundior est mea oratio: tu verò græculus esuriens, perinde loqueris quasi Platonis verba omnia habeas in numerato. Analyseos vocabulum (inquam ego, statim ab initio) cum de methodo agitur, doctrina Aristotelica magis quam Platonica nobilitatum est, & eadem pag. Platoni magis familiaris est Diæresis: cui ex altera parte Sinthesin opponit, sicut nonnulli apud Aristotelem Analysi Genesin. Iteratur hoc idem fol. 2. pag. 1. atque obseruatur Aristotelem etiam nonnunquam descensum à generalibus ad specialia, Platonis more Diæresin potius quam Analysin nominare. Quid habes quod hac in parte possis reprehendere? Distinctionem in illis quatuor vocibus sophisticam vocas: nec tamen doces quid in ea fallax sit, aut alienum. Addis etiam in Genesi cornutum meum esse sophisma, nec indicas quid in eo cornutum videri possit. Credo cornuto magistro, vocabulum hoc excidisse, nec satis eum animaduertisse quale esset veteribus cornutum sophisma, aut vnde eiusmodi nomen haberet. Mos iste sophistarum est, non philosophorum, ridendo eludere quod refutare non possunt. Atque ego iampridem obseruaui (quod etiam in hac disputatione magis confirmare voluisti) tibi odiosam esse distinctionem omnē, vt pote quæ, doctrinæ tuæ fucum detegit: atque nobis præstat vt facile contra tuas calumnias, Aristotelis doctrinam saluam retinere possimus. Sed age cætera videamus. *Analysis* (ais eadem pag.) *tibi ex Aristot. quem non intelligis, repetitur à Geometris. At tu nisi tā esses ἀγεωμέτρητος quam es ἀναλφάβητος, didicisses quibus in propositionibus Euclides & Archimedes, & quo modo ad syllogismum tantum, non ad istam de qua agitur methodum, analysi vtantur.* Quid est quod hoc loco calumniaris? An Aristoteli me in eo imposuisse dices, quod ex illo scripsi deliberationes nostras Geometrarum analysin in descriptionibus imitari? Atqui ego locum indicaui: neque impostoris pœnam deprecor, si in eo falsitatem vllam possis deregere. Iam quod scribis me non didicisse apud Euclidem & Archimedem analyseos nomen ad syllogismum tantum non ad methodum pertinere: falleris, nec ipse intelligis quam antea appellauerim analysin Geometricam: aut quomodo dixerim eam ad artem demonstrandi ab Aristotele esse translatam. Hæc enim de qua tam multa sunt in Analyticis, non pertinet tantum ad perpetuitatem doctrinæ vnius vel scientiæ, sed etiam ad modum quo singulæ propositiones in suas causas retexendæ. Quæ etiam si plures sint ordine quodam inter se constantes: postea tamen vna demonstratione, quæ syllogismus quidam est, colligantur. Quāquam huius non sit omnino vnicum mediū. Hoc ne tu antea noueris, vide: sed idipsum iāpridē scisse me & publicè docuisse, testari possunt qui ferè

ab annis quindecim, Analytica Posteriora aliquoties interpretantem audiuerunt. Cui etiam nunc illud addam, scientiam tribus extremis cõtineri, subiecto, affectionibus & causis: atque in singulis esse quiddam generale itémque speciale. In quibus explicandis à generali ad specialia descendere, perpetuitatis est doctrinæ siue scientiæ, quæ apud Platonem, atque etiam fortasse apud Aristotelem, ad diæresin pertinet: quam analysin vocas, minimè repugnante me. At in singulis huius perpetuitatis partibus affectiones quæ per se insunt, in suas causas retexere, in Aristotelis doctrina, analyseos est proprium: à quò potius quàm ab illo priore, hic artem demonstrandi Analyticam appellauit. Quod nescio an tu adhuc in eo videre potueris. At hoc, inquies, in superiore disputatione non fuit satis definitum. Mihi tecum de methodo quæstio erat instituta. Analysin tuo more, vt de eo facilius mihi tecũ cõueniret, spectaui in perpetua collocatione multorũ ad eandem rẽ pertinentiũ, quæ est methodi: alteram leuius attigi, & tamen intelligenti significaui qualem eam apud Geometras esse putarem. In eo quid commerui, aut peccaui Thessale? At tu Procli commentarium in Euclidem non legisti, vel certè valde oscitanter. Qui tamen duobus locis libri tertij, docere te potuit, methodum instituendis artibus atque scientiis accommodatam non esse vnicam, nec eam quam vocas Analyticam, ex Geometrarum, sententia progredi à natura prioribus ad posteriora. Quæ duo doctrinæ tuæ sunt omnino contraria. In iis verò ne me impostorem fuisse dicas, locum vtrúnque nominatim citabo & ea quidem lege, vt si quid improbes, tibi cum Proclo, non mecum rem esse memineris. Priore ita scribit. Traduntur methodi, optima quidem illa quæ per resolutionem ad exploratum principium reducit quæsitum. Quam Plato, vt aiunt, Laodamanti tradidit: ex qua ille quoque multorum in geometria inuentor fuisse dicitur. Secunda autem illa quæ diuidendi vim habet: quippe quæ in articulos quidem genus propositum diuidit, occasionem verò per ablationem à propositi constructione demonstrationi præbet. Quam etiam Plato laudibus extulit, tanquam eam quæ scientiis omnibus sit adiutrix. Tertia verò per deductionem ad impossibile, non id quod quæritur per se ostendit, sed oppositum confutat, & per accidens veritatem reperit. In quo, si voles, obseruabis, analyseos authorem, contra quam arbitraris, Platonem laudari, illámque à diæresi distingui: atque constitui in progrediendo à quæsito natura posteriore ad exploratum principium, quod natura primum est. Quod, vt vides, multa complectitur opinioni tuæ contraria. In altero, hoc idem manifestius. Omnino, inquit, sciendum est quod omnes mathematicæ probationes vel

à principiis sunt, vel ad principia, vt alicubi etiam Porphyrius dicit. Et quæ à principiis, duplices ipsæ sunt. Aut enim à cõmunibus notionibus à sola quæ euidentia per se fidem faciente, emanarunt: aut ab iis quæ præostensa fuêre. Quæ autem ad principia, vel ponendorum principiorum, vel destruendorum vim habent. Verum ponendi quidẽ principia vim habentes, resolutiones appellãtur, hísque compositiones opponuntur. Nam fieri potest vt à principiis illis ad quæsitum, ordine progrediamur: & hoc nihil aliud quã compositio est. Destruẽdi verò vim habentes, deductiones ad impossibile nuncupantur. In quo, meo iudicio, id à Proclo significatum est, quod quia nondum intellexisti, merito Iulius Scaliger te antea methodi omnino ignarum esse dixit. Iam verò in nostra distinctione Analyseos, quid exagites audiamus. Dixi fol. 2. pag. 1. analyseos primam vim in arte differendi, spectari in reuocatione quæstionis propositæ ad principia natura prima, per ea quæ sunt intermedia, indéque demonstrandi artem, Analyticam esse appellatam. Translatum verò nomen hoc cum aliqua similitudine à Geometris, indéque etiam nostris deliberationibus accommodatum, quæ à fine ad media descendunt. Quæ mihi in hac arte prima significatio est. Secunda autem, Generis vniuersi in species distributio: quam tamen moneo non solum apud Platonem, sed & apud Aristotelem diæresim potius quàm analysin nominari. Tertia, totius integri in particulas vltimas, per partes principes, aut alias quasuis intermedias. Quo in loco quid reprehendas audiamus. *Sequitur*, inquis, *sophisticum lexicon ex tua & tui similium sophistica: quod dicitur Analysis tripliciter, primò Geometrica ab vltimis ad prima, secundò Aristotelea à primis ad vltima, tertiò totius integri in particulas vltimas.* In quo mihi, sicut soles multa imponis. Non enim dixi absolutè primam significationem esse Geometricam: sed primam in differendo demonstrandi arti accommodatam, de geometris esse translatam: quod hi in demonstrando omnium exactissimi esse viderentur. Neque volui analysin (à qua demonstrandi ars nomen habet, quæque verè Aristotelea appellatur) à primis ad vltima progredi, sed potius ab vltimis ad prima. Quia in hac analysin facit qui à conclusione, quæ demonstranda est, descendit ad proximam causam: ab hac ad secundam, indéque ad tertiam, donec ad prima omnino peruenerit: in quibus animus conquiescit, nec amplius priorẽ causam inquirit. Hęc enim mea verba sunt pa. 2. fol. 1. Sin verò Aristoteleam analysin intelligi voluisti, quæ per diuisionem à genere ad species descendit, ideóque hanc à natura primis ad vltima proficisci arbitratus es: dicere profecto debuisti quo auctore in hoc descensu genus natura primum, speciem vltimam existimaueris: cum Aristoteli aliud videatur ca. 1. lib. 1. physicon. Et cur hanc analysin po-

tius quàm quæ ad demonstrandi artem pertinet, Aristoteleam nominaris: cum hic eam potius diæresin, alteram verò analysin semper soleat appellare. In illis verò tribus modis, quibus analysin dici volo, quid habes quod reprehendere possis: nisi omnino distinctionem omnem oderis? Nam quod dixi primo loco de Geometrica Analysi, déque eius translatione ad deliberationes nostras in vita & moribus, & ad rationem demonstrandi: hoc si peccatum est, ab Aristotele peccatum est, non solum capite. 3. libri tertij Ethicon, sed in tota demonstrandi arte, ab omnibúsque eius interpretibus, atque adeo ad ipsis Geometris. Quod verò à me eodem loco obseruatũ est, secundo modo analysin dici generis in species distributionem, vsque ad imas, magis est fortasse tuum quam Aristotelicum. Quid enim aliud quotidie clamas quàm analysin ista ratione progredi? Ergo in his duobus nihil adhùc habes quod possis reprehendere. In tertio, de dissolutione totius integri in partes, auctorẽ quoque Aristotelem sequor: qui cap. 1. lib. 1. Analyticon priorum, ratiocinationis analysin fieri primum vult in pronunciata, deinde horum in attributum & subiectum: quæ inde analyseos extrema nominat. Eodémque modo tertia libri eius parte, ratiocinationis analysin in figuras debere fieri docet. Quæ si non sufficiunt ad ea defendenda quæ vocas sophistica, te ipsum testem adhibebo: qui, vt ex sequentibus intelligetur, hanc totius integri in partes analysin, multis locis approbasti. Ridendum verò est potius quàm explicandum, quod quæris fol. 4. pag. 1. quò hæc totius analysis, quæ à nobis ad tertium modum est relata, à prima differat, in qua conclusio ad sua principia per ea quæ interiecta sunt, reuocatur. Quid enim in Analytica arte videre potes, si quo ista differant, non intelligis? Nec in eo minus aberras quod scribis me superioris disputationis fundamẽtum in ea analyseos distinctione posuisse, quam ex Alcinoo attuli. Quanquam enim hic in Platonica & Aristotelica doctrina mihi prorsus admirabilis sit, qui tibi in vtraque talpæ oculos habenti, cæcus esse viderur: tamen locis aliquot satis apertè indicaui me istam distinctionem vel non satis intelligere, vel non omnino probare. An mihi in illum scribenti non concedes modestè in nonnullis ab eodem deficere: tibi vero tantum arrogabis vt omnia in Aristotelem velis licere? Profecto regem te esse oportuit. Cur igitur, inquies, eam primo loco posuisti, si non omnino probasti? Quia digrediendi in istam quæstionem ex ea occasionem captaui. Sicut tu in disputatione tua de vnica methodo, primum posuisti locum Aristot. de distinctione priorum & notiorum: quem tamen captiosum & sophisticum esse dixisti.

DE INSCRIPTIONE SVPERIORIS disputationis, & ijs quæ in illa sunt reprehensa.

CAP. II.

CAput alterum est, & hoc quidem potissimum, quod disputationē contra te institutam, inscripsi de methodo quod vnica nō sit: nec adieci, artis ordinandæ & collocandæ: cum tamen, vt ais, nullo loco absolutè dixeris methodum esse vnicam. Quid? etiam ne in inscriptione (quam breuitas imprimis commendat) mihi imperabis vanam illā tautologiam tuam (*ordinandæ & collocandæ*) vel vt ais. pag. 1. *disponendę & ordinādæ?*) Esset alterum horū certè plus satis. Sed rem videamus. Ego tecum antea ita agebam, Thessale, vt primum efficere vellē methodi esse duo prima genera finibus inter se distincta: vnū quidē ad artiū inuestigationem, alterū ad earū iam inuentarum explicationem: deinde contenderem prius non fuisse tibi cum de dialectica perfectè tradenda ageres, prætermittendum, præsertim eo Aristotelis loco ex quo nascebatur tua digressio. Postremo etiam si inter nos conueniret de methodo artium explicandarum tantummodo nunc esse agēdum, hanc tamen neque veteribus, neque tibi, si consentanea dicere velles, omnino esse vnicam. Quoniam in hac cōplecti videbatis progressionem à fine ad media, à genere ad species, à causis ad res effectas, à partibus ad totum integrum, vel etiam pro tua singulari constantia, à toto ad partes: in quibus ordinis ratio omnino vnica notari non posset. His omnibus quo artificio te expedias videamus. Primum hoc loco agnoscis methodum alteram artibus inuestigandis accommodatam. Bene Hercle habet. Nam in eo animaduerto tibi magna ex parte cum veteribus Arist. & Galeni interpretibus conuenire: quorum scripta de quæstione hac, vna quasi linea ducta, antea omnino damnaueras: vel id ipsum sophistarum more affectare, vt cum nihil noui dicas, noua omnia facere videare. Quis enim illorum non posuit duas primas methodi differentias, vnam in inueniendis rebus, alteram in eisdem explicandis? Quanquam in eo ipso quod ais vnicam esse methodum doctrinæ instituendæ, video te ambiguitate decipi, vel de nobis ludos facere velle. Siquidem nonnunquam doctrinæ institutionem vocas, solam artium iam inuentarum & sigillatim iudicatarum methodicam collocationem. Ita enim loqueris pag. 2. fol. 5. Nonnunquam verò ea etiam appellatione complecteris primam earum originem: quam ex finis notione & intelligentia profectam Galenus συγάστος nomine expressit. Sic enim scribis lib. 9. Animaduersionum tuarum. *Hic igitur prima Galeni methodus est qua inueniuntur, vt ait, artes & consti-*

tuuntur, earum fine primũ animaduerſo & propoſito: deinde iis quæ ad finem ſecundo, tertio, quarto cæteriſque locis deinceps proximè pertinent. Et iſta nimirum fuit ex notione finis methodus, quam rurſus Galenus in libro de medicæ artis conſtitutione non ſolum præcepto, ſed etiam exemplo celebrat: cum medicam artem conſtituendam ſic eſſe iubet, vt finis primum noſcatur ac definitione comprehendatur, tum partes quæ fini proximæ ſunt, diuidantur & ſuis differentiis definiantur: deinde partium genera rurſus diſtribuantur, ac differentiis item ſuis definiantur, parteſque omnes ad vltimas particulas iſta via deducantur. Non vides quid ex his ſequatur? Nempe methodum omnino eſſe vnicam doctrinæ inſtituendæ, id eſt artium diſponendarum poſtquam iam ſunt inuentæ, non inueniendarum: & tamen illam in ſe complecti Galeni Analyſin, quæ artium eſt inueniendarum, nõ diſponendarum poſtquam iam ſunt inuentæ: Eadem vero excludi ſintheſin, quam ipſe Galenus vult valdè eſſe accommodatam artibus diſponendis & explicandis poſtquam iam ſunt inuentæ. Tu cum voles dabis operam vt nos rudes intelligamus quo modo hac in parte & tibi tecum & cum Galeno conueniat. Dixeram te hanc methodum artium inueſtigandarum non debuiſſe hoc loco prætermittere: audiamus quid reſpondeas fol. 6. pag. 1. *In illa diſputatione de methodo, ait, ſ quæras cur inuentionem, id eſt methodum inueniendarum artium (de hac enim iſto loco inter nos diſſeritur) omiſerim, quis te non derideat? Quid enim? Tu ipſe non ne tibi licere vis: in hoc tuo libello de hac quæſtione diſputare, vt interea tamen totam logicam non explices?* Equidem non video quomodo ridendo mihi ſatisfactum putes, præſertim cum viri docti, ſi qui forte in iis noſtris legendis otio abuti velint, intellecturi ſint ex pa. 1. fol. 5. me iſtam reſponſionem tuam occupaſſe: contráque, ea oppoſuiſſe in quibus obmuteſcis. Quibus omnibus, inquam ego, ſi te eo expediri arbitraris quod in Dialecticis Inſtitutionibus, vbi de exercitationis partibus agebatur, vtraque methodus diſtinguenda fuerit & explicanda, hic vero minimè, idque quoniam de collocandis artibus iam inuentis, non de earum prima origine quæratur: non ſatis animaduertis ex quo Ariſt. loco nata ſit hæc tua de methodo digreſſio, &c. Reponam verò tibi hunc, vt cum otium nactus fueris eundem diligentius excutias. Scribit Ariſt. ca. 2. li. 1. Analyti. Poſt. priora & notiora dici dupliciter. Non enim, inquit, idem eſt prius natura & nobis, neque notius ſecundum naturam, & nobis. Dico vero, nobis quidem priora & notiora, quæ ad ſenſum propius accedunt: abſolutè autem priora & notiora quæ longius à ſenſu remota ſunt. Remotiſſima vero ſunt quæ maximè vniuerſalia: proxima vero quæ ſunt ſingularia. Atque hæc inter ſe opponuntur. Tu in eum locum interpretem agens lib. 9. Animaduerſionum, obſeruas methodum

quan-

quandam ab Arist.informari. Nempe quoniam indicantur certi quidam progressionis gradus à generalibus ad singula,per ea intermedia quę sunt specialia. Hoc quanquam non omnino probemus,tibi tamē concedamus. Verum, Thessale, vt progressionis certi gradus significantur à generalibus ad singula: nonne, eadem ratione eo ipso loco expressa est contraria progressio à singulis ad generalia:hæcque illam in artium origine & notionum simplicium prima efformatione,in animis nostris antecedens?Cur igitur Aristoteli addictus(hoc enim fidelem interpretem,in iis præsertim quæ vera sunt, decuit) posteriorem methodum non solum eo loco obseruasti, sed tam longa digressione tractasti : alteram natura priorem,ne verbo quidē attigisti?Præsertim cum ipsa Analytica ars,quam cum Arist.profitebaris,non minus, vel etiam fortasse magis ad inuestigandum pertineat,quàm ad explicandum quod iam inuentum est?Licuit,Thessale,nobis nostro genio indulgentibus,seorsum methodum hanc,altera neglecta explicare: at tibi eo ipso loco prætermittere eam quam Aristo.illi contrariam esse ait,omnino non licuit. Quanquam etiam amplius considera quid agas.Ex eo loco colligis ordinem Analyticum, qui descensum habet à generalibus ad singula, in quo, vt opinor, generum notiones iam in animis efformatas esse oportet:Aristo.vero loquitur de prima earum efformatione.Adde quod hîc vult specialia generalibus esse nobis notiora,quando scilicet notiones adhuc in animis efformantur:at quando descendimus à generalibus ad specialia,notionibus efformatis rebúsque inuentis,idem cap.1.li.1. physic.scribit genus vniuersum,quia totum quoddam est,specie esse nobis notius.In quo tamen(vt antea monui)vis nos à natura prioribus,ad ea quæ posteriora sunt descendere.De quibus antea à nobis sæpe admonitus, docere debuisti qua ratione inter se conciliari possent.Sed age,pergamus & tandem aliquādo videamus in arte differendi quem locum tribuas ei methodo quā in inuestigandis artibus agnoscis & analyticæ contrariam fateris. In qua das mihi,opinor, quod superiore disputatione vsurpaui ex Galeno.cap.4. lib.1. Methodi, in inquirendis & inueniendis rebus viam esse& ordinem eiusmodi,vt in disquisitione aliquid primum sit,aliud secundum,itémque tertium & quartum,donec ad ipsum quod initio propositū est,perueniatur.Quod vt apertius intelligatur, iam in simplicibus animi notionibus exerceamus. Postquam singulorum hominum singulæ imagines in interiore sensu, ex iisque in intellectu notiones communes, hominis, animalis, corporis animati, corporis, substantiæ, efformatæ sunt:si de iis agendum sit, vis nos analyticè gradatim descendere à substantia ad corpus, ab hoc ad corpus animatum indéque ad animal, & ex animali ad hominem.

V

In quo Platonis consilium secuti, tanquam in specie ima conquiescemus, vel ex tua doctrina ad homines singulos, vt specie differentes descendemus: neque enim in hoc tibi nunc repugnabo, sicut nec in eo quod hunc ipsum descendendi modum, in posteriore parte artis disserendi explicandum arbitraris, & cum in ea de methodo quæritur, docēdum. Verum, Thessale, finge in tuam scholam puerum aliquem esse deductum, cuius animus tabula nuda sit, in qua nullæ adhuc eiusmodi notiones efformatæ, & sint tamen efformandæ: num illi imperabis vt in eis ordinem aliquem sequatur, progrediatúrque à singulis ad speciem imam, ab hac ad genera intermedia, tandémque ad ipsum genus summum? Nec enim dubium quin Arist. ita fieri voluerit: & tibi idipsum placere, videor ex eo colligere posse quod in hac disputatione de methodo, scribis lib. 9. tuarum Animaduersionum, artes omnes esse inuentas inductione singularium & specialium, per subalterna ad generalissimum ascendendo. Hæc enim tua verba sunt. In quibus memineris obsecro te, me non agere de vnius argumenti inuentione, sed de modo progrediendi in inuestigādo, per omnes eosdem gradus, per quos analysis tua in notionum iam efformatarum explicatione debet descendere. Adde etiam illud, quod non dubito quin mihi facilè concedas, hunc progrediendi modum rationis esse: & quia in eo inter homines vnus alium vel naturæ solius bonitate, vel præceptis adiutus, superare potest, eūdem arte aliqua explicari debere: nec vero alia ab arte disserendi, cuius præcepta ipse vis tam latè patere, quàm rationis vsum in natura. Hoc quanquam antea satis apertè fol. 4. & 5. contra te esset à nobis disputatum, tamen tuis artibus eludi posse putasti: quasi tibi cum eo res esset, qui non posset fucum tuum deprehendere, aut eum aliis detegere. *Methodus illa, ais, quam tu in inueniendis artibus somnias, est illa inductio de qua Ramus in loco distributionis: qua omnes artes inuentas esse & Plato & Aristoteles & cum vtroque P. Ramus profitetur.* Hæccine mea somnia appellas, quæ negare nō potes summorum philosophorum probata consensu? Sed age, quoniam docuisse videmur qualis sit ea methodus quæ rebus inuestigandis est accommodata: nunc apud te quid inductio significet, consideremus. Vt ex horum comparatione intelligatur, an eiusmodi methodus, quæ progressionē habet ab imo ad summum per intermedia, inductionis nomine in distributionis loco possit comprehendi. Sic enim contra te, non ex aliorum philosophorum placitis, sed ex doctrinæ tuæ fundamentis (si modo fundamenta vlla in tanta inconstantia dici possunt) nobis est disserendum. Tu, sicut alio loco à nobis est obseruatum, primis Animaduersionibus tuis inductionem & exemplum syllogismos quosdam esse voluisti: At septima editione tuarum Institutionum, hæc ea-

dem nomina argumentorum ex distributionis loco sumptorum, esse contendisti. Vis hoc posterius (quanquã meo iudicio falsum sit) quia posteriores tuas cogitationes prioribus meliores dicere soles, sequamur? Facilè, vt opinor, efficiam totam illam progrediendi rationem à singulis ad generalissima, per intermedia, argumento vno non posse contineri, imo ne vna quidem argumentatione, nisi eo modo quo Homeri Odysseam ex Aristotele, dicimus orationem coniunctione vnam. Verum etiam si de inductione tibi quiduis concedamus, quo tamen modo poteris illum ascensum à singulis ad generalia per intermedia, ad distributionis locum reuocare: cum in illo fere omnia sint distributioni contraria? Siquidem distributio quasi ex vno multa facit, quando vnum in multa distribuit: At ascensus hic ex multis facit vnum, quoniam multa dispersa, in vnam notionem colligit. Sic enim animaduertere potuisti à Porphirio dictum cap. de specie, ecs qui descendunt ad species imas, per genera multa delabi, partiendo: qui vero ascendunt ad genera suprema, iis multitudinem in vnum esse cogendam Quoniam species, multa in vnam naturam cogit, atque etiam genus id facit multo magis: res autem singulæ contra, vnum in multa partiuntur. Meliore iure, profecto, Analyticam tuam methodum ad distributionis locum potuisti reuocare. Quandoquidem hæc ipsa, sicut fateris, Platoni diæresis est: vt in huius doctrina minime tibi mirum sit, idem esse nomen loci & methodi. Quod in Galeni tertia methodo, definitionis, itémque in similitudine & dissimilitudine exagitasti. Quibus hoc etiam adiici potest, hunc ascensum quocunque nomine exprimamus, ex tua doctrina Analysi esse contrarium: contrariáque à te definiri, quæ sub eodem genere sunt posita. His enim videor posse concludere, in quo genere artis differendi Analysis est, ad idema scensum hunc fuisse referendum. At tu Analysin ad iudicium reuocas, ascensum inuentionis esse vis. Non cogitas quàm sint hæc inter se disparata? Vis etiam amplius te conuincam? Ascensus hic qui pertinet ad efformandas gradatim in animis notiones simplices, nullo modo potest includi ratione inuentionis eius quam tu primam Dialecticæ partem posuisti. Quoniam hæc à te ipso, in ea etiam Dialectica quæ superiore mense est edita, tota ad argumenta singula est relata: argumentúmque definitum, quod ad aliquid arguendum & explicandum est affectum. At in illo ascensu de quo iamdiu loquimur, neque argumenta quæruntur, neque ea colliguntur quæ adhuc ad aliquid arguendum pertineant, aut ad verum vel falsum confirmandum. Quid igitur est quod hoc loco somnias? Nec vero magis illud tuum commentum placet, quod fol. 9. pag. 2. Analysin ge-

neſi contrariam fateris,& tamen vtrámque ea methodo quæ tibi non ſolum ſpecie,ſed etiam numero vnica eſt,vis contineri. *Quoniam ais,ſiue Analyſim operis logici,ſiue geneſin inſtituas: vnica methodo & ſingulari in ambabus partibus vteris,deſcendendo à ſummo per media ad infima.* At Ariſt.prioribus Analyticis, vult ratiocinationis geneſin progredi ab attributo & ſubiecto tanquam extremis, ad pronunciata,& ab iis in ipſam ratiocinationem deſinere:eiuſdem verò Analyſin contra,incipere à tota ratiocinatione iam compoſita, indéque deſcendere ad pronũtiata duo,& ab iis rurſum,ad extrema tria,maius,minus & mediũ, ex quorũ comparatione intelligatur ad quã figuram pertineat ratiocinatio, quæ erat retexenda. In quo cum notare non poſſes illam tuam rationem vnicam progrediendi à ſummo ad infima, per intermedia, opere pretium eſt profectò, audire ſingularem tuam ſapientiam,lib.7.tuarum Animaduerſ.*Primum igitur,ais,poſiti ſyllogiſmi exemplum in propoſitiones reſoluitur,deinde in terminos.Quamobrem? quia facilius eſt,ait hic doctor,diuidere maiora. At, inquam, trium terminorum conſideratio maior & amplior,id eſt,generalior & antiquior & prior eſt natura. Problema enim ad quod duo termini referuntur,& argumentum, id eſt medius terminus,ante conſiſtant neceſſe eſt, quàm ex his propoſitiones efficiantur. Ratio hæc doctorem ad Analyſin terminorum prius adducere debuit.* Quis hic riſum continere poſſit? Græculus eſuriens Ariſtotelem docebit, quomodo Analyſeos græco vocabulo ſit vtendum : ex quo tamen primum didicit,qua ratione hoc ad methodum ſit tranſlatum. Atque illi imperabit dicendam potius, terminorum Analyſin in ratiocinationem per media pronunciata, quàm ratiocinationis,in terminos.Sicque miſcebit cœlum terræ, prius quàm fateatur ab Analytica methodo diſtinctam eſſe alteram, in qua veteres compoſitionem totius ex primis partibus notauerunt. Verum cum in Dialecticis tuis inſtitutionibus & Animaduerſionibus, in Analyſeos nomine tranſlationem quandam agnoſcas ab arte texendi,ſcire velim an arbitreris eundem prorſus ordinem eſſe in tela texenda & in hac Penelopes more retexenda?An potius quod in texendo primum fuit, idem ſit in retexendo vltimum ? Placet ne hac de re textores ipſos appellemus, eiſque credamus ? Eſt ita me deus amet, iſta tua ſapientia valdè infinita, Theſſale : ideóque non poteſt in ingenij mei anguſtias cadere. Sed tamen in ea ſcrupulus eſt alius qui me male habet : quem tibi modeſte indicabo, vt cum voles, eo me liberes. Quæcunque methodi ſpecies in arte diſſerendi notari poteſt, ſiue ad inſtituendas artes, ſiue, ad aliud quidlibet pertineat, ea, vt opinor, in aliquam exercitationis Dialecticæ partem cadit. Qualis enim methodus eſſet, ſi Dialecticæ exercitationis nihil omnino con-

tineret? At omnem Dialecticam exercitationem versari vis in Analysi & Genesi: atque nominatim scribis hac tua expositione, in iis duobus methodum esse vnicam atque indiuiduam, quæ semper à summo ad ima per intermedia descendat: quam Analyticam nominas. Ex quibus quid efficiatur vides, nempe omnẽ Dialecticam Methodum, siue ad instituendas artes, siue ad aliud quiduis referatur, tua sententia omnino esse vnicam, indiuiduam eandémque Analyticam. Cur igitur antea tãtopere commotus es, quod disputationem contra te inscripserim, de Methodo quod vnica non sit: nec adiecerim, artium instituẽdarum? Aut quorsum pagina prima monuisti te de qualibet Methodo non agere? An aliquam aliam esse putasti Dialecticæ exercitationis, quæ non descendat à natura primis, ad posteriora per intermedia? Tibi caue Thessale, ac cogita vt mendacem, sic te in istis quasi ægri somniis, oportere esse tui memorem. Atque hæc quidem satis de Methodo altera rebus inuestigandis accommodata: de qua quid sentias prorsus nescio: in eóque magnam ingenij mei tarditatẽ agnosco, quod ea capere nullo modo possum, quæ tu vel pueris naturæ lumine, sine doctore nota esse vis. Nũc verò prius quàm veniam ad disputationis caput alterum, in quo mihi differendum, de iis quæ Analysi tua es complexus: de eo etiam tibi respondendum est, quod fol. 6. pag. 2. improbitatis meæ atque malitiæ fuisse dicis, nempe quòd, vt ais, affirmauerim totius logicæ vsum ad veritatem & falsitatem quęstionis à te referri. In quo ipse mihi malitiosè imponis. Quoniam totus logicæ vsus non est, sicut scis, in inuentione positus. At eo loco qui in disputatione mea extat fol. 6. pag. 2. de sola inuentione sum loquutus. In eo autem quid tibi mecum rei esse potest? Verba tua nominatim citaui ex initio dialecticarum tuarum institutionum editionis septimæ, quæ velut Minerua Phidiæ tum in arce nobis erat posita, & fraterculi tui commentariis illustrata. Ea tibi reponam, in quibus nullam pœnam recuso si mentior. *Dialecticæ artis*, ais, *partes duæ sunt, inuentio & dispositio. Posita enim quæstione de qua differendum sit, argumenta quæruntur: deinde iis via & ordine expositis, quæstio ipsa explicatur. Tertia mentis actio in differendo nulla est. Inuentio est doctrina cogitandi & inueniendi argumenti, id est probationis ad explicandam quæstionem idoneæ.* Quis ista legens non agnoscit me summa fide ex tuis verbis collegisse totam inuentionem à te esse positam, in excogitandis singulis argumentis, per quæ singulæ quæstiones possint tractari? Quid ergo in eo improbitatem vel malitiam mihi obiicis? At ex eo tempore aliæ institutiones tuæ fortasse sunt editæ, in quibus hoc ipsum immutasti. Quid si eas (quod sanctè iurare possum) non legerim? Quid si alias à te esse editas omnino nesciuerim? Tibíne o-

mnes erunt improbi, qui in comparandis tam inconstantibus tuis scriptis, otio non abutentur? Quanquam hoc mihi iucundissimum esse debet, quod hac in parte nostris animaduersionibus admonitus, pleráque in inuẽtionis & iudicij, vel dispositionis distinctione explicationéque, immutãda putasti: sed profecto molestum est, quod tam multis opinionum fluctibus ab annis viginti & plus eo, agitatus, nõdum certum portum capere potuisti in quo quiescerem. Iam enim audiamus quid hoc loco scribas; non dico contra me, sed cõtra id ipsum quod alias ratum esse voluisti, Dialecticam scilicet inuentionem sitã esse in excogitandis singulis argumẽtis, per quæ singulæ quæstiones possint tractari. *P. Ramus*, ais, *in Logicis præceptis in quinquennio tuæ istius disputationis æditis, quinetiam in eo libro quem tu nunc oppugnas, docet vsum Logicæ, etiam sine vlla quæstione, magnum esse in tota inuentionis & enuntiationis per se manifestæ doctrina: in tota etiam Methodo, & quæstionis, id est enuntiationis dubiæ, logicam explicationem (quod ad iudicium eius pertinet) ad syllogismum referri.* In quo quod ex te & contra te de sola inuentione ad quæstionem accõmodata dictum est, tu malitiosè ad totius Dialecticæ vsum transtulisti. Deinde cum vlum Logicæ magnum esse ais in tota inuentionis doctrina, sine vlla quæstione, non cogitas Dialecticam inuentionem à te solummodo de argumẽtis esse institutam, & argumentum ad ipsam quæstionem esse relatum. Quod vt ex tua doctrina efficiam, non commemorabo alias institutionum tuarum editiones, sed superiore loco te vrgebo ex postrema artis differendi idea, quam superiore mense edidisti. In cuius pagina prima ita scribis. *Inuentio prima pars dialecticæ, de argumentis. Argumentum est quod ad aliquid arguendum affectum est. quales sunt rationes singulæ, quibus verum aut falsum esse aut non esse, nihil omnino constituitur.* Quid est illud, aliquid, ad quod argumentum affectum est? Non es ausus, credo, quæstionem nominare: ne quis (sicut de nobis audire potuisti) hoc loco eius definitionem à te exigeret, eo iure quo ipse in alios vti soles. Ergo vides Thessale, nihil in eo esse malitiæ quod dixi, totam inuentionem tuam esse sitam in excogitandis singulis argumentis ad quæstionem, vel vt iam loqueris, ad aliquid efficiendum accommodatis: sed in hoc ipso maximam esse somniorum tuorum perturbationem. De qua postea in considerandis tuorum scriptorum inconstantia differetur. Nunc ad ea veniamus quę Analyseos nomine es complexus: vt etiam si fictum pro arbitrio huius nominis vsum tibi concedamus, exquiramus tamen, An Analytica Methodus, quæ tam multa continet, omnino vnica dici possit?

DE IIS QVÆ ANALYSIS IN THESSALI doctrina cõtinet, vtrum vnica specie includi possint, eáque indiuidua. CAP. III.

COntendebam superiore disputatione, Analyticam Methodum in tua doctrina complecti, progrediẽdi modum à genere ad species, à causis ad res effectas, à fine ad media, à partibus ad totum: nunc etiã, sicut dixi, addam si vóles, à toto ad partes. Atque conabar efficere in illis methodum omnino vnicam dici non posse: etiam si in eis nomẽ vnum Analyseos concedamus: quod tamen sine vllius philosophi authoritate, rebus tam differentibus accommodasti. In illis verò quorum valdè diuersa habitudo, non posse dici rationem ordinis vel Methodi omnino vnicam, videbar probare partim Aristot. authoritate, partim etiam tua. Qui locus à me tractatus est à fol. 8. ad 11. Nunc quid cõtra afferas audiamus. *Vbinam*, ais, *ista Methodi distributio est, Carpentari? soles tu vel minima de causa, etiam contra te ipsum, locos ex libris P. Rami ad verbum citare: in hoc verò quod caput est, quod quæstionis summam vel potius rem omnem cõtinet, tu pro te ad istius diuisionis probationem ne verbum quidem citas.* Iucundissimum est profecto, quod eo rem omnem rediisse fateris. Quoniam hoc posito, iam facilè intelligitur, si istud probauero, rem esse confectam. Atqui ego constanter adhuc contendo te omnes hos progrediendi modos, Analysi nominatim esse complexum, eósque exemplis illustrasse: atque id adiicio, etiam si hoc à te nusquam expressum esset, tamen quia vnicam doctrinæ methodum esse vis analyticam, illa omnia analysi tibi esse comprehendenda, si consentanea dicere velis. Vnde verò vis exordiar? Credo ab eo quod de progressione à partibus ad totum, maiore animi securitate negasti. *Primum de methodo*, ais, *totius artis à partibus ad totum, nulla vsquam à P. Ramo facta mentio est.* Valde doctrinæ tuæ es immemor, Thessale, vel arbitraris fortasse, quo furore omnia scribis, eodem nos ad illa legenda accedere: ideóque vt non attendis quæ scriptorum tuorũ consensio sit, sic minimè speraſti nos in istis nugis inter se cõparãdis tam accuratos fore. Quid enim? Non mihi concedes in hac ipsa disputatione de methodo, tibi passim, sed potissimum lib. 9. Animaduersionum pag. 69. in Geometria lineam ex puncto, superficiem ex linea, corpus ex superficie tanquam ex elementis & partibus oriri? Quanquam non est necesse ad id extorquendum nos ad tuas Animaduersiones confugere. Siquidem in hac ipsa expositione fol. 9. pag. 2. hoc idem scribis, méque reprehẽdis (quo verò iure id facias, viderint omnes Peripatetici) quod Arist. sequutus, non essem ausus ex puncto li-

neam, ex linea ſuperficiem componere. In quo profecto maximam prodis ignorationem tuam, rerum nō modo phyſicarum, ſed & Geometricarum. Addo etiam illud ex eadem animaduerſionum tuarum pagina, literam dictionis eſſe partem, dictionem orationis. Quibus ex te poſitis, cedo in Geometricis & Grammaticis explicandis, quæ erit in iis gradibus ordinis ratio tenenda? Si negas ad totum integrum eſſe progrediendum ex iis quæ partium rationem habere vis, deſcribam locum ex pag. 71. lib. 9. Animaduerſionum, in quo rides eos qui aliter faciendum arbitrantur. *Si tres annos in grammaticis puer inſtituatur, ais, ad tuam iſtam Galenicam methodum, primum annum conſumes in regulis ſyntaxeos, vltimis primū, deinde mediis, tum primis: partiúmque orationis nondum cognitarum, mirificam ſtructuram inſtitues. Anno ſecundo cum docueris ſyntaxim, ad Etymologiam venies & partes orationis explicabis interiectiones, præpoſitiones, cōiunctiones, aduerbia, participia, verba, pronomina. Item ſyllabas & literas declarabis. Sic enim retrogradus, à natura poſterioribus ad natura priora conſcendes: atque in tenebris viatori lumen tutioris viæ gratia præferes, ſed pone vagantem & errantem, in vmbra corporis videlicet occultabis & quod omnino fieri non poteſt, vt ante partium (quas partes eſſe neſciat) puer ſyntaxim condiſcat, hoc iſta caligine nempe conficies. Qua ſtultitia quæſo te, quænam maior in artibus inſtituendis fingi cogitariue poteſt?* Ex quibus quis mecum non colliget, in perpetua methodo Grammaticę tradendæ, tibi placere à partibus ad totum Analyticam progreſſionem, quam hoc loco vſquam à te probatam negas? Pergamus & ad Geometriam veniamus. *Quid? in hac quid facies inquis? quomodo, γραμμικὰ ἀποδείξεις illæ tantam doctrinæ perturbationem ferent? Euclidis libri ſunt quindecim: decimus quintus tibi primus erit, decimus quartus erit ſecundus, & deinceps ſic inuertentur reliqui: ſolida primum, tum ſuperficies, tertio loco linea fuerit. At quas demonſtrationes hic ordo συνθετικῶς habebit? Ex antecedentibus theorematis & problematis conſequentia, analytica via demonſtrantur: An etiam contra, per hanc viam poterunt Euclidis priores propoſitiones, poſterioribus demonſtrari? An Geometras putamus iſtam methodum ſine riſu audituros? Non potius omnis ordinis ineptiſſimam & inſulſiſſimam peruerſionem iudicaturos? Quare ſecunda methodus Galeni, ſecūda τάξεως διδασκαλία nulla eſt.* Hic non dicam quam ignoranter, vel certe malitioſè, Galeni ſintheſin interpreteris, quamq; ſophiſtice in tua Analyſi hoc loco retineas, & laudes quod ille omnium doctorum iudicio, per ſintheſin ſignificauit: ſed hoc ſolum concludam, quod quantumnis impudens negare nullo modo potes, placere tibi in Grammatica & Geometria progreſſionem à partibus ad totū, eámque Analyſeos nomine comprehendi. An non igitur iam confecta res eſt? Quod ſi tibi non eſt ſatis, en profero locum alterum. Ariſtoteles ſicut dictū eſt cap. ſuperiore,

in prio-

in prioribus Analyticis fieri vult ratiocinationis Analysin in pronuntiata,& horum in terminos siue tria extrema.Tu verò contra.li.7.Animaduersionum fol. 273. contendis faciendam esse primum Analysin terminorum in pronuntiata, deinde horum in ratiocinationē : atque hoc Analytico ordine in docendo progrediendum à terminis ad pronuntiata,ab iis ad Ratiocinationem.Eóne efferetur tua impudentia,vt negare audeas,terminos pronuntiatorum,hæc ratiocinationum partes esse? Atque vt intelligas me hoc loco rationibus abundare,illud etiam adiiciam : tibi cum aliis locis multis, tum expositionis huius. fol.14.pag.2.materiam & formam corporis naturalis,quod constituunt, partes esse: minimè repugnante me, quanquam intelligam quantum inter partes quæ propriè totum integrum componunt (de quibus hic loqueris) & istiusmodi principia interfit,sed tamen materia & forma (tibi inquam) corporis naturalis partes sunt. Ergo si ex tua doctrina constiterit in Physiologia à materia & forma ad corpus naturale Analyticam esse progressionem:nónne eadem opera efficietur, analysi à te cōprehēdi ordinemeum qui à partibus ad totū deducit? Atqui hac ipsa disputatione de methodo,lib.scilicet 9.tuarū Animaduersionū, Analysin tuā in Arist.laudas atque mirificè amplecteris,quòd in Physiologia hūc ordinem tenuerit & ex antecedēte principiorum eiusmodi cognitione, nos ad corpora eorúmque affectiones deduxerit.In quo attendite obsecro, vos omnes qui hæc legitis, atque cōsiderate incredibilē hominis inconstantiam. Antea voluit Aristotelē in Physicis,analyticè esse progressum à materia & forma, ad corpus naturale,vt à natura prioribus ad ea quæ sunt posteriora, eiusque methodū hac in parte laudauit : At idē in hac expositione,ea ipsa pagina quam modo citauimus, scribit quādo ad Physica tractāda accesserit,se corpus naturale initio definiturum:Deinde distributurum, primum quidem in materiam & formā:quales,inquit,in omnibus artibus innumerabiles partitiones sunt integrorum in partes, postea in species:& tamē istā progressionē analyticam semper futurā,à generalibus ad specialia. Quid nō apud hunc analysis(quā tamen numero vnicā dicere audet)effectura:cum in ea licere velit progredi à causis ad corpus naturale,& à corpore ad eiusdē causas, itémque à partibus ad totū & à toto ad partes?Sed dic nobis tandē aliquando Thessale,quo auctore tam variis ordinibus, analyseos nomē accōmodes?Nec enim aliorū philosophorū loquendi consuetudo, præsertim cum de nomine quæritur,negligēda:aut si tibi hoc sine alterius exemplo licere arbitraris , cur saltem quando intelligere videmur quā sit multiplex apud te huius ratio , nobis non concedis vt distinctè loquamur? Sentis iam opinor,si modo sensus aliquid tibi relictū est,quàm verè à me

esset propositum, Analysi tua includi eum ordinem qui à partibus primis progressionem habet ad totum, quod integrum nominas, per ea quæ sunt intermedia. Nec verò id à te factum est sine iusta ratione. Quoniam analysis tua, sicut dicere soles, deducit à natura prioribus ad posteriora: tibi vero indubitatum est, partes toto integro natura esse priores. Vis hoc idem in reliquis tribus efficiam, atque etiam doceam huic tuæ reginæ Analysi, à te ipso subiici descensum à genere ad species, à causa ad res effectas, à fine ad media? Est quidem certè in hac tota disputatione istud tibi vsque adeo familiare, vt ridiculus labor meus in eo confirmãdo sit futurus. Atq; profecto prima fronte valde miratus sum hoc à te negari: deinde verò agnoui religionẽ tuã, & in animo proiecto in omnem impudentiam, magnam vim veritatis: cum paucis verbis interiectis ea recipis & ingeniosa sane excusatione lenire conaris, quæ paulo reiecisti. *Ergo, inquis, de quatuor illis generibus quartum istud, nempe à partibus ad totum, quia tuum commentum est, tibi habeto.* Verùm, si hunc ordinem mihi dederis & à te abdicaueris, quid sequeris in Geometricis & Grammaticis? aut quid erit faciendũ quando id quod doctrinæ alicui subiectum, totum quiddam erit integrum, partibúsque constabit, aliquot gradibus inter se distinctis? Nihil ne hic tua Analysis nobis suppeditabit quod sequamur? Vide quid agas & quomodo hoc meum commentum nomines, mihíque omnino relinquendum arbitreris. *Reliquis autem vocabulis, ait Ossatus de Thessalo, id est personatus* Thessalus *de seipso, vsus est ille quidem interdum, sed diuersis in locis, nec tam sponte sua quam necessario: quia primum ab iis vsurpata erant, pro quibus aut contra quos scribebat.* Callida profecto excusatio. Sed tamen cum illa omnia, siue tua sponte, siue ab ipsa veritate coactus, Analytico ordine complectaris, quomodo in iis habitudine vsque adeo inter se differẽtibus, methodum omnino vnicam & prorsus indistinctam dicere potes? Talem verò dicas necesse est, si numero, sicut vis, vna est, nec in varias species diuidua. *Si quando P. Ramus, ait Thessalus Ossatus, pro methodo ab vniuersalibus ad singularia, dixit à fine ad media, aut à causis ad effecta, tria propterea methodorum genera non fecit, aut intellexit: sed his verbis vnam semper & eandem methodum à generalibus ad specialia significauit: quia generalia sunt causæ specialiũ, vt dictũ est ex Arist.* Ergo methodum tuam omnino vnicam esse vis, quæ à genere ad species gradatim descendat: sub ea tamẽ contineri progressionem à causis ad res effectas: quoniam causa cum rebus effectis comparata, ad has videtur eo modo se habere, quo genus ad suam speciem. Hoc vero cõfirmas ex eo, quod Aristo. dicit, generalia specialium esse causas. In quo quid agis Thessale? aut quam in concludendo formam sequeris. Non enim, quia generalia specialium causæ sunt, efficitur in

docendi methodo descensum à causa, debere ad eum reuocari qui est à genere ad speciem: sed contra potius tibi dicendum videbatur, vnicam esse methodum doctrinæ instituendæ, eámque Analyticam à natura prioribus, vt à causis ad res effectas: hanc verò in se cõplecti progressionem à partibus ad totum (quoniam partes totius causæ sunt) à fine ad media (siquidem certum est finẽ cum mediis comparatum, vnius causæ eiusdémque nobilissimæ rationem obtinere) & à genere ad species, quia ex Arist. generalia specialium sunt causæ. Quod si diceres, tollerabile quidem esset, & si non omnino verum. Hoc tamen tibi adhuc esset explicandum, cur in hac posteriore Dialecticæ parte progressionem à genere, nõ distinguas ab ea quæ fit à causa ad res effectas: cum in priore, quæ est de inueniendo, locum à genere omnino diuersum esse velis ab eo qui causam continet. Quid enim? An in inueniendo minus quam in iudicando, verum esse putasti illud Aristotelis, generalia specialium esse causas? aut ipsa methodi præcepta minus quam inueniendi, exactam partium distinctionem postulare videbantur? At hoc profecto intolerabile est quod in tua expositione dicere ausus es, omnes particulas progressionis à natura priorib⁹ (quæ sanè variæ sunt & multiplices) vnicum quid facere, non modo specie, sed etiam numero. De quo pluribus hoc loco disputarem & facile meo quidẽ iudicio, errorem tuum omnibus Peripateticis probarem: nisi vererer ne ad illud quod scribis pag. 1. fol. 8. resilires, quisquilias esse has Aristotelis, à te iampridem refutatas, id est vt interpretor, contaminatas potius quam intellectas. Quanquam neque hac in parte id preterire vllo modo possum, quod tu, qui in Arist. contaminando magis quam intelligendo elaborasti, ineptè admodum docere voluisti quomodo mihi in illius schola esset loquendum. *Argumentum hoc tuum, inquis eodem loco, de vnitate numeri, speciei, generis valde ac vehementer tuam imperitiam vel in scholasticis ineptiis, quas solas didicisti, coarguit. Longè enim aliter apud Arist. Top. 1.* ταυτὸν τριχῶς διαιρεῖται, *vbi res diuersas comparatas inter se facit easdem numero, specie, genere. At tu sophisticæ huius etiã ignarus, miserè traducis Arist. Dum eius de comparatione doctrinam, transfers ad simplicem considerationem, & iratus quæris vtrum methodus artis sit vna numero, genere, specie?* In quo & ex Arist. falsum sumis & tuo more imponis. Nam quod ais tres illos modos quibus aliquid idem esse dicitur, apud illum pertinere tantum ad res diuersas inter se comparatas: in eius doctrina (quam impudentissimè sophisticam vocas) mendacium est. Quandoquidem ille eodem ca. lib. 1. Top. nominatim scribit, numero eadem esse quorum nomina plura & res omnino vna est. Deinde in hac disputatione, eo loco quem tu exagitas, ex te ipso sumpsi id de quo paulo ante agebã, Analytica scilicet metho-

do contineri rationem progrediendi à genere ad ſpeciem, à cauſa ad effectum, à fine ad media, à partibus ad totum: de iſſque inter ſe comparatis, quæſiui, pertineréntne ad methodum vnam genere tantum, an etiam ſpecie, atque adeo numero? Quis non videt iſtud in comparatione, non in rei ſimplicis cõſideratione verſari? At, inquies, loqueris tantum de methodo artis inſtituendæ, Fateor. Sed cum illa, omnia ea quæ modo enumerata ſunt, ex tua opinione contineri videantur, quero quomodo vniantur. Quid ſi de animali tantũ agerem, in eiuſque diuiſione ſumerem hominem & belluam: Deinde quærerẽ quomodo hæc in illo vnum faciant: nónne in rerum comparatione verſarer? Sed hæc obiter tantum, quoniam ad hanc rem fuſius explicãdam, locus alius mihi eſt inſtitutus, in Commentariis deſcriptionis logicæ. Quæ tum haud dubiè emittam, & in eo tibi roganti lubens patebo, cum intellexero Animaduerſionibus tuis & Dialecticis Inſtitutionibus extremam manum additam. Vt in hac, fluctuantis adhuc opinionis tuæ certa quædam definitáque capita habeamus: in quibus poſteritati indicare poſſimus, fædata Ariſtot. doctrina, quid Academiæ noſtræ præſtiteris, & quantum adiumenti ad philoſophandum attuleris. Prius verò quàm iſtud ex te ſit cognitum, oleum profecto & operam perdet, quicunque laborare volet in tuis reprehendendis. Quoniam nihil eſt omnino quod erubeſcas: nihil quod licere non arbitreris, pro ea libertate, vel potius impudente licentia, quam, tibi ab Academia tua noua, datam fingis. Sicut ex hac diſputatione facile intelligent quibus placebit in noſtris ſcriptis paulo attentius ea inter ſe comparare, quæ dum ad alia propero, leuiter tantum nunc indicabo. Dixeram fol. 4. pag. 1. Eum locum quem ex Platone commemorat Ariſt. cap. 4. lib. 1. Ethic. de duplici via, quarum vna ducit à principiis, altera ad principia, à Theſſalo appellari veræ methodi turbatorem alterum. Hic expoſitionis ſuæ fol. 9. pag. 1. negat ſe de Platone eſſe loquutũ: ſed voluiſſe locũ Ariſt. qui tamẽ ex Platone citatus eſt, peruerſe intellectũ, videri poſſe turbatorẽ. In quo vt de vtriuſq; noſtrum fide ſine errore iudicetur, atque intelligatur dum hîc in Platonem & Ariſtotelem, modeſtior quam antea videri vult, qua religione addiderit (peruerſe intellectũ) nec nũc abſolutè dixerit, videri turbatorẽ, ſed tantum videri poſſe: oro atque obſecro, vt æquus lector conſideret quæ ab illo ſcripta ſunt in Animaduerſionibus lib. 9. pag. 46. Diſputationis etiã noſtræ Fol. 5. pa. 2. notaueram hunc Dialecticarũ Inſtitutionũ lib. 3. exercitationis Dialecticæ duas partes feciſſe, eáſque inter ſe cõtrarias: vnã in geneſi, alteram in analyſi. Quem locum ſcio extare editionis ſeptimæ pa. 280. quæ fraterculi commentariis illuſtrata: atque exiſtimabã poſt tam multos annos, quibus diutius à ve-

ritate, quam Vlysses à patria aberrauit, hominis furorem efferbuisse, & pro rato in eius doctrina haberi posse, quod in ea editione placuisset. Hic fo. 9. pa. 2. negat iam vllum esse librum tertium Institutionum earum quæ ab annis quinque sunt editæ. In quo profecto, Thessale, si quid pudoris adhuc habuisses, errorem meum, si modo error est, dissimulasses: præsertim cum de exercitationis distinctione, in cuius confirmationē locum eum citauerā, mihi tecum conueniret: Et eandē opinionē à te expressam meminisses lib. 20. Animaduersionum postremarū. Quid enim? An à nobis postulas vt per dispositos homines, singulis mensibus inquiramus, quæ librorū tuorum editiones nouæ sint? Non est tantum à rebus nostris, quantum uis leuibus, otij, vt ista lōge leuiora tā cupide sectemur. Obseruauerā fo. 9. pa. 1. à Thessalo ineptè ex eo probari finem mediis natura priorē, quòd si finis sit, sint etiā ea quæ ad finē referuntur, non contra. Iā hic fatetur fo. 9. pa. 1. rationem hāc de finis antecessione, non satis esse idoneā. Sed hac in parte ne aliquid à nobis accepisse videatur: ait se de ea iāpridem in Logica quod verius esset, admonuisse. Sed cedo Thessale, in qua Logicæ parte? Non cogitas cum tuam Logicā dicis, in quā immensum mare nos reuoces? De ea Elenchticæ sunt Animaduersiones tuæ, harūque editiones tres omnino differētes: primæ liber vnicus, secūdæ libri viginti, tertiæ totidē, sed illis omni genere vanitatis lōge locupletiores. Sunt etiā Logicę institutiones, atq; in iis modo liber vnicus, modo tres, modo duo, rursúmque nouissimè vnicus. In hac tanta varietate logicorū scriptorū, vbi vis quæramus locū eum in quo hunc errorē agnouisti? Quanquam nullū prorsus esse existimo, nec dubito quin si aliquis extitisset, eum nominatim fueris expressurus: ne hac in parte vllū vulnus à nobis accepisse videreris. Vtq; id certò credā, facit quod video in postrema tuarū Animaduersionū editione lib. 9. fo. 49. eundem errorē tibi adhuc placuisse. Tu cū voles, facies vt huius nostræ admonitionis fructum hi sentiāt, qui fortasse in illa consecutione, tua auctoritate sunt decepti. Fol. 10. pa. 2. locū alium fideliter citaueram ex lib. 2. Institutionum Dialecticarum, in quo huic placet vt in Grammatica explicāda, à totius artis natura ad quatuor huius proximas partes. Orthographiam, Etimologiam, Syntaxim, Prosodiam, inde ad extremas particulas ab integris rebus progrediamur. Ex eoque concludebam in Analysi etiam huic placere descēsum à toto integro ad partes vltimas. Ille fol. eodem, de eiusmodi descensu, in quo maximè premebatur, nihil omnino respondet: negat tamen se in editionibus quæ sunt secutæ, has omnes Grāmaticæ partes retinuisse. Mos iste profecto sophistarum est, vt in omni disputatione momenta rationum eludere, vt cum victi sint, tamen vicisse velint videri. Cū verò eam Analysin qua

artes inuentas Galenus prædicat hic sophisticè exagitasset, tota pag. 7. lib. 9. Animaduersionum, quasi ille loquutus esset de descensu à generalibus ad specialia: atque illius sinthesim eodem artificio esset interpretatus, collectionem singulorum in specialem notionem, specialium in generalem, ex iisque, contra eiusdem Galeni doctrinam collegisset, artes non esse inuentas per Analysim: sed per hanc potius explicandas, nec esse docendas per sinthesim, sed potius per hanc obseruãdas & notandas: Ego contra, iis nominibus distinctis docueram. fol. 13. disputationis meæ, Analysim (quod nemo doctus vnquam negauit) eo loco apud Galenum significare descensum à fine, quo ad artiũ inuestigationem primi earum auctores sunt excitati, & sinthesim ascensum à primis medicinæ elementis ad id quod in eadem est summum. Hic quid respondet? De re omnino nihil. fol. 12. pag. 2. significat se omnem distinctionem odisse. Vocat cornutum elenchum, sicut antea cornutum sophisma, atque prędicat se Galeno tantas laudes attribuisse, quantę summo alioqui philosopho doctissimo & eloquentissimo attribui posse videbãtur. Sic olim Gracchus verbis ærarium defendebat, facto publicam dilapidabat pecuniam. Alio loco cum idem esset mentitus, Galenum initio artis paruæ, arroganter prædicare se analyticæ methodi inuentorem & auctorem. Fol. 18. pag. 1. Hunc, ni fallor, ista calumnia omnino liberaui: perfecíque vt re vera hac in parte Thessalus nihil omnino habeat in quo possit resistere. Quid igitur victum ne se fatebitur? Imo verò vicit, os impudens: etiam si de re nihil omnino respondeat. Sic enim scribit Fol. 17. pag. 2. *Ad extremũ excusare iterum vis Galenum vel potius in mentienda Galeni excusatione, P. Ramum accusare. Sed iam antea lectores admonui vt locos conferant, núncque iterum moneo, vt hoc tuum mendacium ex re ipsa deprehendant.* Quid? non verum est hoc à te ad verbum scriptum esse Fol. 67. lib. 7. postremarum Animaduersionum? *Galenus gloriatur illius analyticæ methodi se primum inuentorem atque auctorem esse. In quo Galeni non solum modestiã, sed memoriam, valde requiro. Qui antea* Platonem totius ὀδοιπορίας ὁδὸν καὶ ἀνοδὸν *scriptoñ & auctorem è* Phædro *&* Philebo *produxerit & appellarit, & in medicæ artis constitutione, veterum philosophorum documentum esse dixerit.* Non sentis verum esse quod tibi respondi, Galenum non prædicare se inuentorẽ methodi analyticæ, sed hoc tantum dicere, se eam quam à veteribus acceperat, primum ad artis medicæ constitutionem accommodasse, & in huius origine explicanda vsurpasse? Atqui tu huius disputationis iudices medicos expetis! Quos verò de illis fore arbitraris qui non intelligant quàm insignis sit prior tua impostura? quàm frigida posterior responsio? Tantùm ne virium habere credis tuam suadæ medulam, vt ea speres posse te non modo apud imperitam multitudinem,

sed apud eruditos, in quæstione præsertim philosophica, nigra dealbare & alba denigrare? Nec verò minus ridiculum est quod de hac editionum tuarum varietate causari soles: quódque præter priuilegium ab academia noua in rem tuam, sicut fingis, irrogatum, in hac ipsa disputatione, singulari vel potius incredibili sophistarum fuco, magnã gloriam ex eo captas quod de annuis ingenij tui fœtibus, iisque admodum inter se dissimilibus, atque adeo contrariis, sepe obiecimus. In quo tã frigida est, mihi crede Thessale, apud doctos nugarum tuarum defensio: vt dubitare non debeas quin omnibus, qui ista legent, futurus sis omnino ridiculus. Nos quidem antea sępe in Animaduersionibus dialecticis, atque in hac disputatione nonnunquam, in scriptorum tuorum comparatione, dedimus operam vt omnes intelligerent, Thessalum in antiquitatem omnium esse arrogantissimum, eundémque in doctrina sua omnium qui vnquam scripserunt, inconstantissimum: vt pote qui singulis annis mutat quadrata rotundis. De eo vero quid hoc loco respondes? Audite obsecro vos, viri boni, Archisophistæ triumphum verè sophisticum. *Tu iampridem calumnia nescio qua (ais fol. 9. pag. 2.) proposueras decem, aut nescio quot editiones logicorum P. Rami librorum. Postea animaduertisti eum abs te laudatum esse, eodem argumento, quo vituperare cogitabas.* Quid ita? An seueriſſimum cẽsorem antiquitatis, in suis scriptis omnium inconstantissimum docere, hominem laudare est? Ego profecto genus hoc laudis tibi tuísque non inuideo. Laudis verò rationem ex eodem audiamus. *Nam si tot annos, ais, tam sepe logica illa in hac vna vrbe edita est: tot millia sunt discipulorũ P. Rami, quot librorum millia iam inde empta fuerunt.* Pape! Quid hoc est, si non est, de libris tuis tam inconstanter editis, sophisticè respondere? Quasi id ego tibi vitio verterim quod sepe logica tua in hac vrbe sint edita: non quod in nouis illorum editionibus, sępius noua feceris omnia, repudiata repetieris, repetitáque rursum repudiaueris. Deinde cuius artificij argumẽtum hoc est, Thessale, colligere te habere discipulorum decem millia: quia librorum tuorum totidem exemplaria fortasse in hac vrbe sunt edita? De hac summa, si placet, detrahe primum eos quibus tu illos hostiatim obtrusisti: Deinde doctrinæ Peripateticæ studiosos, qui non ex illis aliquid discere, sed furorem tuum in Aristot. cognoscere voluerunt: Postremo omnes qui eosdem, vt ait P. Gallandius, non ad fructum aliquem capiendum, sed veluti vernaculos Pantagruelis libros ad lusum & animi oblectationem lectitãt. Tum quicunque erunt reliqui (qui sanè erunt perpauci) eos fortasse merito nugarum tuarum discipulos, vel potius nugiuendulos tuos appellabis. Recriminaris quoque fortiter, atque eandem inconstantiam mihi obiicis. *Tu ais, cum interrogareris de nescio quibus ineptiis abs te recoctis, cur*

primas tuas cogitationes retexeres, qui id in P. Ramo tam contumelioſe reprehẽderas, quid academice nouitiole, quid tum reſpondiſti? Potuiſſem Theſſale, ſi mihi notum fuiſſet tuum artificium, tecum reſpondere, me ad id coactum diſcipulorum meorum frequẽtia. Sed hoc per me tibi erit proprium: nec enim vnquam inuidebo. Verum ſcire vis quid reſponderem, ſi tu fortaſſe ita mecum ageres? Dicerem me nihil meorum vnquam magnopere admiratum, ideóque minime eo commoueri quod meas vigilias, ineptias appellas: cum ipſe Ariſt. ex cuius fontibus noſtros riuulos deriuare conamur, tibi in omnibus philoſophiæ partibus perpetuo ineptire videatur. Adderem etiam, tuorum ſcriptorum & noſtrorum, in eo de quo nunc agitur, conditionem eſſe valde diſſimilem. Horum enim ea eſt in antiquitatem modeſtia, quæ veniam fortaſſe mereri poſſit, ſi quid dictum ſit oſcitanter, in quo immutando poſtea laborandum. Tua, tantam præ ſe feruntarrogantiam, tantam in audendo contra omnem antiquitatem, animi tui ſecuritatem, vt in hac nulli delicto venia dari poſſit: & quæ in aliis eſſent leuiſſima, ea in tanta procacitate & intemperantia merito iudicentur grauiſſima. Quanquam neque iſtud mihi ad defenſionem eſt ſatis. At hoc verè videor eſſe dicturus, noſtra ſcripta de arte diſſerendi & de ipſa natura, ita eſſe aliquoties edita, vt in addendo detrahendóque, ſemper conatus ſim efficere quo poſteriores cogitationes prioribus eſſent meliores: interea tamen cauerem ne vlla ſententiarum contrarietas appareret. In tuis verò plerumque poſteriora prioribus ſunt deteriora: & in ſententiis tanta repugnantia, quantam vix vnquam quiſquam, in vllo ſcriptore notauit. Adeo vt ad euertendam Theſſali doctrinam, non alio auctore quam Theſſalo opus eſſe videatur. Sed de iis ſatis, nunc ad ea pergamus quæ in tua expoſitione ſequuntur.

METHODVS QVO MODO AD iudicium ſe habeat, qualis ſit in Poëtis & Oratoribus, quoque modo facilis & difficilis.

CAP. IIII.

LOcus eſt alter expoſitionis tuæ fol. 11. pag. 1. de methodo quomodo ſe habeat ad iudicium, & qualis ſit in Poëtis & Oratoribus. In quo tuo more, victus triumphum canis: & cum hac etiam in parte à nobis notatam ſentias tuam inconſtantiam, de hac nihil dicis: quoniá nihil omnino habes quo illam poſſis excuſare. Nec dubito quin iam cogites

cogites quam frigidum fuerit quod antea respondisti, discipulorum tuorum frequentiam te ad illam adegisse. Quæ duo considéremus paulò attentius. Obseruaueram disputationis meæ fol. 12. te in comparatione methodi cum iudicio, fluctuantem, olim in prima Dialecticarum Institutionum editione, methodum iudicio subiecisse, vt speciem suo generi: Deinde in altera editione, quam sæpe dixi fraterculi commentariis fuisse exornatam, eandem à iudicio separauisse, atque huic in diuisione dispositionis tanquam generis vnius, ex altera parte opposuisse: idque mirari me dixeram, quod primæ tuæ cogitationes postremis longè meliores esse viderentur. Tu quid respondes? De incõstantia, vt dixi, omnino nihil. Quod verò mirari me scripserã, id rides, nec sentis in quem ista cudatur faba. *Ecquid non mirariis etiam, inquis, quod natura cerebrum à capite separauerit. Par enim admiratio fuerit: cum P. Ramus methodum non modo iudicij logici partem, sed præstantißimam diuinißimámque, partem fecerit.* Ergo Thessale, methodum iudicij partem esse vis, in eóque repudiata repetis? Quoniam in prima Dialecticarum Institutionum editione, hæc tua fuit sententia. Verum quomodo hoc consentit cum libro secundo editionis alterius, quæ hanc multis annis est secuta, & vt dixi, fraterculi tui commentariis illustrata? In quo Dialecticæ dispositioni, cui antea inuentionem opposueras, syllogismum & methodum subiicis: Deinde scribis partem eam quæ est de syllogismo, id continere quod propriè iudiciu mnominatur. Aut qua tandem ratione saluum hoc retinere poteris, quod scribis lib. 1. Animaduersionum editionis secundæ. *Dispositio, ais, plenioris significationis est. Non enim tantum iudicium (quod syllogismo fit) sed etiam methodum complectitur. Iudicium autem & methodus, res variæ sunt ac diuersæ, vt Institutiones nostræ declarant.* Non licebit per impudentiam tuam, istam inconstantiam admirari, in ea re præsertim quam habes omniũ maximam maximéque meditatam? In loco altero de methodo poëtarum, tragicæ exclamans, impudentissimè tuam impudentiam mihi adscribis. Quod vt omnes intelligant, nihil amplius postulo quàm vt tua cum nostris sedulo conferantur. Scripseram fol. 12. pag. 1. hoc in scriptis tuis me valdè laudare & cupidissime amplecti, quod methopum duplicem esse velles, vnam doctrinæ exactioris, alteram communis prudentiæ per omnia fusæ, & in diligenti circunstantiarum omnium obseruatione sitæ. Quam tamen fateris artis nonnihil habere, in qua à priore longo interuallo superetur. Hæc mihi videbar fidelissimè descripsisse ex lib. 2. tuarum Institutionum. Nec dubito quin ita sint iudicaturi, qui volent hæc inter se comparare. Tu verò quid contra afferas, eadem pag. audiamus. *Quale, ais, tuum commentũ est, quod P. Ramus in oratoribus & poetis methodum artificiosam deesse fatetur?*

Etenim exempla artificiosæ methodi de Poetis & oratoribus deprompta, & ad eius illustrationem in logicis à P. Ramo adhibita, facilè hanc insignem impudentiam produnt & refellunt. Dij te eradicent, impostor. Dixi artis nõ nihil habere, sed in qua à priore, quæ propria philosophorum, longo interuallo superetur. Quæ ipsissima tua verba sunt lib. 2. tuarum Institutionum. *Methodus, ait, est multorum & variorum argumentorum dispositio. Ea duplex est, altera doctrinæ, altera prudentiæ: non quod vtraque prudentiæ nõ sit: sed quod altera doctrinæ & artis nihil fere habeat, sed ex hominibus naturali iudicio prudentiáque pendeat.* Vtinam verò hoc loco non calumniari, sed docere voluisses, quod nostra disputatio postulabat, cur cum exactissimam methodi partem in Poëtis & Oratoribus deesse fatearis, sicut certè deest, tamen vsum artis differendi omnino ad illos reuocare soleas, non in grauioribus philosophis quærere. Quod autem eadem pag. ex Platone & Arist. contendis, repugnante me, artem methodi non esse difficilẽ: de illa vere videor esse dicturus quod Aristot. de veritate lib. 1. minore Metaph. cognitionem eius partim esse difficilẽ, partim facilem: idque hinc intelligi posse, quòd nec pro dignitate quisquam eam adipisci potest. Nec omnes ab eadem aberrant, sed vnusquisque, aliquid de methodo dicit, singuli autem nihil aut parum in ea consequuntur. Verum ex omnibus in vnum collectis magnum quiddam fortasse existit. Itaque vt eo ipso vtar, quod ille eodem loco scribit, in hac quæstione facilè est quasi portam tangere. Quod autem de singulis ad hoc pertinentibus perfecta cognitio haberi non potest, id eius difficultatem arguit. Et certè cum Aristo. tibi rem totam vno verbo cõplexus videtur, quo vt ais, dixit natura prius debere præcedere, quanquam id ad confirmãdam vnicam methodum Analyticam à te confictum sit: quid tamen est aliud quàm portam tãgere? An eo ipso arbitraris definita omnia quæ de hac veterib⁹ quæsita sunt, & à nobis hoc tempore disputata? Nec verò ad istam difficultatem confirmandam, quam speciales de methodo quæstiones continent, aliis vtar iudicibus quam iis ipsis qui hæc nostra legentes fatebuntur, opinor, se nonnihil difficultatis in eorum explicatione sentire: nec alio teste quam Thessalo, qui ab annis viginti, & plus eo, in ista disputatione exercitatus, adhuc in porta hæret. Ideoque cum ante mẽses duos superba inscriptione, DIALECTICÆ, Idæam tandem aliquando daturum se esset professus, interea nostra disputatione cõmotus, quia in methodo, nobilissima iudicij parte, non satis sibi constat: ipse iam quasi suo iudicio orbatus, solam inuentionem edidit, & in hac quam esset perturbatus, eo omnibus indicauit quòd in publica & regia, si diis placet, huius explicatione, nullam paginam sine multis lituris adhuc potuit præterire. Dixeram eiusdem fol. pag. 2. Plato-

nem in Timæo primam methodi distributionem feciſſe in duas partes, cum rebus quæ tractantur quandam cognationem habẽtes, & Ariſt. in logico organo eandem partitionem eſſe ſecutum. Theſſalus eiuſdem quoque fol. pag. 2. negat illis locis quos indicauimus, eos de methodis quicquam cogitaſſe, ſed de ratione probabilium & neceſſariorum, déque generibus argumentorum, & diſpoſitione partium vnius ſyllogiſmi. Hæc enim eius verba ſunt. De Ariſt. primum dicam. Hunc ſemper exiſtimaui, (quod hoc loco aperte ſcripſi) Analyticis poſterioribus & libro octauo Top. non ſolum tradere voluiſſe collocationem vnius argumenti cum partibus quæſtionis vnius: ſed multorũ ad eandem rem pertinentium, in certos gradus diſtinctionem, in quibus aliquid eſſet primum, aliud vltimum, reliqua interiecta: Atque hunc ordinem in cauſis neceſſariis expoſuiſſe Poſt. Analyticis, in argumentis communibus & probabilibus tantum, libris octo Top. Vtrũque ſi mihi negas, ſicut certè negas, animaduerto te ſtudio reprehendendi omnino excæcatum. Si quidem de Analyticis id cõfirmare poſſum, non ſolum Ariſtotelis auctoritate & omnium eius interpretũ, ſed tuo teſtimonio. Quod, quia ad coercendam tuam impudentiam plus habet vitium quam ſuperiora, nunc tantum perſequar. Prima pa. lib. 9. Animaduerſionum poſtremarum, ita ſcribis. *Analyticæ prima pars eſt in enunciatione, de qua in interpretatione, ſecunda in ſyllogiſmo, de qua in prioribus Analyticis, tertia eſt in methodo, de qua in his poſterioribus Analyticis.* Quod ſi tibi non eſt ſatis, audiamus ea quæ ſequuntur eadem pag. *Ad confuſionem tollendam, ais, methodus artificioſa quæritur, de qua in Porphyrio & Cathegoriis diximus quæ γενικώτατα generaliſſima primo, ὑπάλληλα ſubalterna, medio εἰδικώτατα ſpecialiſſima, poſtremo loco diſponat. Cuius ſi qua in organo logico doctrina eſt, ea certè eſt in Analyticis poſt. pag. 3. Scribis te videre poſterioris Analyſeos libris faciendarum artium leges (licet obſcuriſſimè & cõfuſiſſimè) tamen comprehenſas eſſe.* An non hoc eſt exactiſſimam methodi partem in illis agnoſcere? Ego vero eadem pagina diſputationis meæ addidi, Analyticam artem non ſolum docere quis in ſingulis artibus partium ordo ſit, ſed in ipſa artium omniũ Encyclopedia, quid debeat eſſe primum, quid poſtremum, quid interiectum: quæque de ipſis artibus aliis inferiores ſint, quæ ſuperiores. Quod adhuc fortaſſe non vidiſti: aut certè in præceptis methodi omnino negligere non debuiſti, Iam verò libro octauo top. nõ exiſtimas opinor argumẽtorum inuẽtionem tradi, ſed diſpoſitionem interrogandíque ordinem. Hoc enim ipſe Ariſtot. initio eius libri apertiſſimè profitetur. In quo ſi vnius tantum ſyllogiſſimi collocationem explicari credis, id profecto confirmas quod à nobis ſæpe dictum eſt, te in diſtinctone organi logici, nihil prorſus videre. Quid enim apertius eſt quam Ari-

ſtotelem in eo docere voluiſſe, cum in perpetuitate diſputationis, ad eandem rem vel etiam ad plures, quarum aliæ ex aliis oriantur, varię propoſitiones nobis ſuppetũt & in iis quædam neceſſariæ, aliæ (vt loquitur) præter neceſſarias, quo ordine omnes hæ interrogandæ ſint: quę primæ eſſe debeant, quæ poſtremæ? quomodo nõnullæ exemplis illuſtrandæ, aliæ potius occultandæ? Scio quidem quam oderis in logico organo diſtinctionem neceſſariorum à probabilibus: ſed de ea alio loco tecum diſſereretur. Nunc tantum concludam duas illas artes Topicam & Analyticam, apud Ariſt. habere ſuam inuentionem ſingulorum argumentorum, eorundem collocationem cum quæſtionibus ſingulis, ſuámque in perpetuitate doctrinæ vel diſputationis philoſophicæ, methodum: cuius pars vna ad ſcientiam, altera ad opinionem referatur. Plato idem quoque ſecutus eſt, ſed paulò aliter elocutus in Timęo, eo loco quem ſuperiore diſputatione indicaui.

DE DVPLICI NATVRÆ ORDINE, & de vniuerſalibus, vtrum Analyſis ad confuſa, an potius à confuſis progrediatur.

CAP. V.

EGo profecto, Theſſale, in eo vim maximam agnoſco fucatæ tuæ eloquentiæ, quod quo loco mihi videor melius in hac diſputatione contra te philoſophatus, ſiue ſummorum virorum auctoritate, ſiue hac ſublata, ſolius rationis lumine iſta quæſtio terminanda ſit: in eo ita exultas, vt ſi res redierit ad homines in philoſophia minus exercitatos, de me meáque cauſa actum ſit. Sed, vt quidam ait, ſimplex eſſe debet veritatis oratio, eáque hoc loco nuda eorum de quibus igitur comparatione ſatis ſe defendet. De inuentione artium ſic diſſeueram fol. 13. pag. 1. Duo in ea eſſe notanda, vnum quidem quomodo ad rerum inquiſitionẽ excitemur, alterum cum iam ſumus excitati, qua via debeamus inſiſtere. In priore, dixi nos fine ab initio poſito, ad laborem erigi: deinde gradatim deſcendere per media fini proxima, ad ea quæ ſunt ab illo remotiſſima: in poſteriore, cum ad laborem ferendum ſumus excitati, tum in rebus colligendis nos contrario ordine in harum obſeruationem incumbere: in illóque priore manifeſtam eſſe Analyſin, per quam artes inuentas Galenus ſcribit, in poſteriore geneſin, quam pag. 2. monui ſyntheſin quoque poſſe nominari, ex ea harum vocum diſtinctione quam initio diſputationis poſueram.

Quibus positis fol.14. pag.1.non solũ tuis calumniis videor liberasse Arist.Interpretes, qui Analysin genesi priorem fecerũt, sed etiam explicasse aliquot tua sophismata, ex eo profecta quod illis vocibus, quarum variam & multiplicem significationem esse apud veteres negare non poteras, quasi simplicibus vtereris. Tu si verum fateri vis, illis omnibus commotus es: & tamen in posterioribus omnino obmutescis,in prioribus quanquam constrictus tenearis, exultas quasi victor, ne victus videaris. An putas nescire nos hunc morem esse sophistarum? Ad extremum das operam,vt nescio quo verborum artificio, lepido sanè & venusto, obscures ea quæ non poteras explicare. Audiamus verò salem qui in te est. *Analysis tua,ais fol.12.pag.1. inuenit artes omnes: deinde eas iam inuentas, genesis inuenit rursum modo contrario, nec ante incipit tuo iudicio inuenire quam per Analysin omnia inuenta sint.* Facete sanè. Sed qua fide ista omnia? Cur verba mea detorques, vel pro illis noua comminisceris? Neminem credo, fore putasti qui hac in parte nostra cum tuis sedulo compararet. Egregiam sanè laudem in eo es consequutus Thessale, & triumphum dignum sophistica victoria. Ego ne verò vsquam dixi artes Analysi inuentas, genesi rursum modoque contrario inueniri? Locum indica: victum me omnino fatebor. Dixi quidem (nec video cur mihi adhuc dicere non liceat) ad artium inuestigationem homines primum earum fine excitatos:deinde ab eodem gradatim Analyticè descendisse, hancque esse eam Analysin de qua Galenus initio artis paruæ est loquutus: eosdẽ verò postquam excitati sunt,singulas artis partes ex illa Analysi constituras,per genesin obseruasse,ad hancque obseruationem,inductionem assumpsisse: qua notiones vniuersæ præceptionésque, sunt collectæ:atque tandem in perpetuitate doctrinæ omnia ita exposuisse,vt per eandem genesin, vel si mauis,per Galeni syntheſin, à primis elementis ad id quod summum est gradatim ascenderint. Sic enim Arist. scripsit cap.1. lib. 1. Metap. vsu & exercitatione artem & scientiam comparari, Illámque tum existere cum ex multis experientiæ notionibus,vna quę ad vniuersum genus accommodetur,de rebus singulis nascitur præceptio: & eius Interpretes, in tradendis simúlque quasi constituendis artibus vel scientiis, quarum subiectum totum quoddam est integrum, eum ordinem tenendum existimauerunt, quem compositionis appellarũt. Ergo mecum dicito, si voles,ad artium inuestigationem (quæ posita est in notionum & præceptionum generalium obseruatione,in vnúmque collectione) homines per Analysin à fine descendentes, esse excitatos:eosdem verò postquam sic excitati sunt,per genesin vel sintheſin,notiones præceptionésque generales notasse,atque easdem in vnum collegisse & ad illum finẽ, à quo

Analysis antea inceperat, gradatim retulisse. Aut si id nobis non concedis, contrariæ opinionis tuæ rationem aliquam adfer: neque tãtum ardori tuo hac in parte indulgeas, vt quasi cum tua vmbra pugnes, licere credas verba nostra malitiosè detorquere ad tuam calumniam. Cur verò non potero duo hæc in artibus notare, quorum in moribus manifesta distinctio? An non est aliud deliberando à fine ad media descendere: aliud agẽdo à mediis ad finem ascendere? Ecce autem eadem pagina mendacium nouo mendacio locupletas, dum hoc modo mecum agis. *Tu hanc methodum (ais) de qua tibi differendum statueras, etiam subiicis inuẽtioni, & vltimam logicæ dispositionis partem, facis primam inuentionis partem.* Imo duobus verbis duplex mendacium complecteris. Quoniam Analysis per quam dixi homines ad artium inuestigationem excitari, ea non est de qua mihi contra te hoc tempore disputatio: neque ea à me vsquam inuentioni, quæ partem priorem dialecticæ continet, est subiecta: etiamsi inuestigandarum artium methodus esse dicatur. Siccine semper Analyseos multiplici significatione illudes? nec in ea vllam distinctionem admittes? Ego vtrámque progrediendi rationem in Analysi & genesi, dixi naturalem posse appellari, sed tamen ratione diuersa. Siquidem prior quæ à fine *descendit* ad media, naturæ est, inquam, res instituentis, aut de rerum procreatione quasi deliberantis: posterior eiusdem iam gignentis. In quo dicam apertius me significare voluisse finẽ natura priorem mediis, & media natura priora fine. Quod quoniam secundum eandem naturæ rationem non poterat intelligi, adhibui distinctionem meo iudicio necessariam. Tu verò qui omnem distinctionem semper odisti, de hac quid sentis? *Quo loco, ais, non enim amplius dissimulare possum, mirabile mihi fuit legenti & relegenti, somnium illud de duabus Inuentionis partibus, & de natura deliberante & gignente. Obstupui & miserabilem sophisticam istam, in hoc homine deploraui. Naturæ deliberantis facit, Analysin à fine summo, per media, ad infima: naturæ agentis, genesin contrariam ab infimis per media ad finem summum.* Hei! tamne monstrosa tibi est ista distinctio, vt eius solo aspectu obstupescas? Atqui Arist. familiaris est, & in eius doctrina omnino necessaria, atque à te ipso vsurpata & ex naturalis rationis lumine profecta. Hæc si docuero Thessale, nónne hac in parte obstupescentem animum tuum composuero? Atqui mihi videor argumentis prorsus necessariis, te ad id cõfitendum posse adigere. Arist. ca. 2. li. 1. Polit. scribit, ciuitatem esse natura priorem domo, totúmque omnino prius sua parte. Quoniam si totum sustuleris, non erit, inquit, neque pes neque manus: nisi fortè eo modo quo lapideã manum dicimus. Causamq; subiicit, quod partium ratio earum officio & facultate definita sit, quę duo illæ ex toto

capiũt: naturáque siue rei cuiusque perfectio, finis eius est. Quoniam qualis res omnis genita atque perfecta, talem dicimus illius esse naturam. At cap. 1. lib. eiusdem, vult domum priorem esse ciuitate, si quis hanc spectet vt nascitur & coalescit. Non sentis hic nostram distinctionem adumbratam. Idem apertius lib. 2. phys. ait naturam dici vt genesin & vt geneseos finem: prioréque modo in natura materiam antecedere, vt id ex quo aliquid gignitur, posteriore formam, à qua vnumquódque primam perfectionem capit. Sícque etiam capite 7. lib. 1. Metaphis. indicat, quod genesi posterius est, idem naturæ ordine esse prius. Quod etiam apertius est cap. 1. li. 2. de partibus animalium. Atque in hanc sententiam, ex lib. 1. Physic. & lib. 4. metaph. manifestum esse potest, materiam natura priorem esse forma, quoniam vt subiectum in nascendi ordine illa hanc antecedit: & formam natura priorem materia, quia hæc ab illa suæ naturæ & essentiæ perfectionem capit: omnéque quod alteri dat essentiam, eo ipso prius esse oportet. In iis omnibus animaduertere potes vnum & idem cum eodem comparatum, dici natura prius atque posterius, facile verò, sicut opinor, mihi concedes secundum eundem naturæ modum, id fieri omnino non posse. Cum ipse fatearis lib. 9. Animaduersionum tuarum, iisdem, eadem priora ac posteriora esse nullo modo posse. Ergo ad ista explicanda naturæ distinctione aliqua opus est. Nostra verò repudiata, qualem esse afferendam arbitraris? Eam profecto hoc loco indicare debuisti. Placuisset fortasse, pro illáque debitam gratiã tibi habuissemus. Sed video quid velis, Aristotelem damnabis prius quam istam distinctionem admittas: nec tibi erit religiosum, illum in eiusmodi locis, quos comparauimus, sibi contrarium fateri. Quid verò si ipse in tuis scriptis, hac naturæ distinctione vsus sis? An etiam in doctrina tua obstupescis? Atqui recognosce hæc ex lib. 1. Animaduersionum. *Alia (ais) docendi, alia nascendi natura est. Res enim primo rudes & inchoatæ nascuntur. Deinde verò suis vsæ progressionibus, paulatim augentur, tandem maturitatem suam quãdam & perfectionem assequuntur. Verum alia ratio est doctoris doctrinam instituentis, alia naturæ crescentis. Doctor enim ille consummatissima & perfectissima quæque primo loco adhibet, vniuersas quippe rerum definitiones, deinde genera & partes: secus enim doctrina non esset, nisi à clarioribus, absolutioribus, antiquioribus rebus instituatur.* Deinde paulo post progressionem à rudibus & inchoatis, ad perfecta, naturæ nascẽtis appellasti? Quo loco vides, si quid videre potes, te naturæ nascenti vel crescenti id nominatim attribuere: quod cum nos naturæ gignentis esse diximus, obstupescis, vt ais. Nunc adde Thessale,

erectæque comæ & vox faucibus hæsit.

Nam idem locus à te extorquebit ordinem alterum, quem naturæ

quasi deliberantis esse diximus. Etenim vis doctorem doctrinam instituentẽ, (sic enim loqueris) cõsummatissima & perfectissima quæque primo loco adhibere. Quod dum faciet, nónne progredietur à natura prioribus: si modo verè hunc ordinem vnicum esse vis doctrinæ instituendæ? Erunt igitur consummatissima hæc & perfectissima, natura prima (quoniam ab iis Analysis tua progredietur) eadémque cõtraria illis inchoatis & rũdibus, à quibus voluisti proficisci eam naturam, quam paulò antè crescentem vel nascentem appellasti. Quo igitur naturæ modo illa perfectissima, prima esse dicentur? Nempe eo, opinor, quẽ naturę quasi deliberãtis esse diximus. In quo si te fortasse offendit quod naturam quasi deliberantem dixi, cogita hoc ad eius prouidentiam pertinere: quam non potes nisi valdè flagitiosè tollere. Nec verò si, qua es pietate, id facere coneris: in ea contra te defendenda, rationibus superare possum Platonem in Phædone, aut Arist. 2. lib. phys. Sed hic tibi danda est venia: quoniam ista Physica tractas valdè insolens: nec in iis vlla est de tribus tuis capellis. Quanquá sine accuratiore Physiologiæ cognitione, in qua scio te valdè esse rudem, si voles naturam cum arte, cuius est exemplar, sedulo comparare, vt in hac non idem primum est hominibus de extruendo opere deliberantibus, & in eius extructionem incumbentibus: sic facilè hac rudi tua Minerua, intelliges naturam ex instituto fine, ad rudia initia descendere, & eandem ex primis initiis ad institutum finem aspirare. Sed tamẽ si sapis, hanc distinctionem semper fugies: quoniam ea posita dicere verè nõ poteris, vnicum omnino esse ordinem à partibus ad totum, & à fine ad media: Etiam si vtérque, à natura prioribus esse dicatur. Quod cum à me toto fol. 10. abunde esset disputatum, tu ne verbum quidem vnum respondisti, nisi te nunquam posuisse Analysin partium in totum. In quo tua impudentia, tuo testimonio, satis antea videtur esse reuicta. Nec minus frigidè paulo post, eo te expedire conaris, quod obieceram de progressione Analytica, à simplicibus ad confusa compositáque. Cum enim eo te vrgerem, quod Analysis tua non valdè commendabilis esset futura, si ad confusa duceret: quandoquidem proprium doctrinæ est non cõfundere, sed distinguere & enodare: tu cum in re nihil omnino haberes quod opponeres, tuo more, vno verbo (quo Arist. in rem tuam vsum esse ais, nec tamen locum indicas) id totum eluisti. Sed age, hoc quoque cõsideremus attẽtius. Negas ne Thessale, à te positam Analysin doctrinæ instituendæ, quę progrediatur à simplicibus ad confusa, compositáque? Tua verba sunt fol. 44. lib. 9. postremarum tuarum Animaduersionum. Negas ne Analyseos tuæ, quæ descensum habet à generalibus ad specialia, esse proprium non ad confusa, sed à confusis ad

enodata

enodata deducere? Nobis Arist. id confirmat cap. 1. lib. 1. phy. Et certè generum notiones cum specialibus comparatæ, confusæ sunt, atque vt Cicero ait in Top. enodationes indigent, quam accipiunt à formis in quas diuiduntur. Quod etiam Analyseos fructus à te extorquer. Quid igitur ais? aut quid opponis, quo minus concludam in tua doctrina, Analysin deducere ad confusa, & à confusis ad enodata: & tamen illam tibi, tibi inquam, vnicam esse non modo specie, sed etiam numero? Si ista nobis plebeis exciderent, quas tragedias in tuo theatro excitares? Sed tamen audiamus quid respondeas. *Neque id tibi satis est (ais pag. 1. fol. 10. à simplicibus ad confusa peruerse interpretaris & ex malitiosa interpretatione tua, infinitam calumniandi materiam trahis.* At nihil omnino interpretor, Thessale: vnicum confusionis vocabulum considerari postulo, & cum Analyseos fructu huius vim cõparari: in eaque cõparatione quantum possum voce contendo, intollerabilia esse hæc, Analyticã methodum esse vnicam doctrinæ instituendæ, & eam ad confusa deducere. Imo verò vsque adeo mihi absurda, vt ne Arist. quidẽ ista affirmanti, fidem sim habiturus. Quanquã in his quibus ex illo abuteris, noua tua impostura statim apparebit. *Verba illa (ais) Carpentari, nõ sunt P. Rami, sed Arist. qui per τὰ συγκεχυμένα (cui respondet hoc verbum confusa, siue composita) intelligit singularia. Itáque P. Ramus in Arist. explicando, Arist. more loquutus, pro eodem dixit, ab vniuersalibus ad singularia, & à simplicibus ad confusa.* Verum Thessale, cum in Arist. non solum interpretem agas, sed in eum, etiam in leuissimis, tam seuerè animaduertas: non vidisti hoc si Aristotelicum esset, animaduersione esse dignissimum? Sed certè Aristotelicũ non est: Imo Arist. sentẽtiæ omnino contrarium. Locus vero quem peruertis, est apud illum ca. 1. lib. 1. phy. quemquidem (etiam si de methodo quædã præclara cõtineat) tamen si me audis, nunquã posthac attinges. Est enim tibi, qui quæstionẽ hanc tam facilẽ videri vis, semper mali ominis. Age, omittam quanta cum ignoratione, Animaduersionibus tuis in eo notaueris cõclusiones duas contrarias de ratione ordinis, quoque modo de illis à nobis postea admonitus, errorem tuum postrema editione, aliqua ex parte agnoueris. Vnũ nũc dicam, si probare vellem Arist. auctoritate contra te, doctrinæ methodũ non debere progredi ad confusa: sed à cõfusis ad enodata: nullum locum occurrere posse aptiorem eo, quo ex isto capite valdè ignoranter vel malitioſè abuteris. In quo cũ multæ partes sint, has ego ordine persequar, paulo fortasse prolixius: sed impostura tua paucioribus verbis detegi non potest, & locus est eiusmodi, vt dignus videatur in quo explicãdo elaboremus. Cum physiologia, vt Arist. docet cap. 1. lib. 1. de cœlo, scientia sit corporum naturalium, affectionum quæ iis per se insunt, & principiorum ex quibus

illa constant: prima parte capitis huius concludit, à corporum naturalium affectionúmque principiis esse progrediendum. Quoniam, vt ait, tum denique nos aliquid cognoscere putamus, cum primas causas primáque principia, vsque ad elementa cognoscimus. In quo, sicut arbitramur, à natura prioribus proficiscitur, & tamen eum ordinem sequitur, quem compositionis potius quam Analyseos esse volumus. In secunda autem, rationem eius habens, quod cap. 1. lib. 1. de Anima & cap. 1. lib. 1. de partibus Animaliũ, quærit de Platonica diæresi & synthesi in Phedro, cõstituit in eorum quæ proposita sunt explicatione, à generalibus esse incipiendum. In quo est tua Analysis. Causam vero reddit, non, vt soles, quòd à natura prioribus sit progrediẽdum, ad ea quę sunt natura posteriora: sed contra, quòd via & ratio quam tenere in scientia debemus, ab illustrioribus rebus & nobis notioribus, ad eas quæ secundũ naturam illustriores clarioréque sunt, progredi soleat. In quo, cum voles considerabis, quomodo in hac Analyseos parte tibi cum illo conueniat. Quem in eadem re tibi quoque cõtrarium habes cap. 8. lib. 6. Metaph. Doctrina, inquit, omnes imbuuntur, si ex iis quæ secũdum naturam ac per se minus nota sunt, ad ea quæ clariora sunt & illustriora ducãtur. In eóque locum hunc improbas, fo. 46. lib. 9. Animaduersionum tuarum: qui tamẽ omnino idem est cum illo altero de descensu à genere ad speciem, quem semper probauisti: Quæ obiter tantum indicanda existimauimus: tu his admonitus si voles, dabis operam vt aliquando opinio tua magis intelligatur. Nunc redeo ad superiora. Quæ plenæ ratiocinationis propositionem continent: cui assumptio eiusmodi ab Arist. est subiecta. Nobis autem, inquit, primum clara & manifesta, confusa magis: postea ex iis principia atque elementa, his qui hæc ipsa possunt diuidere. Quibus positis eodem capite ita cõcluditur. Ex quo fit vt ab vniuersis ad singula progrediendum esse videatur. Quo loco, fateor, confusa vocat in assumptione τὰ συγκεχυμένα, in conclusione verò singularia τὰ καθέκαστα. Sed in eo valde erras quod συγκεχυμένα singularia interpretaris, eadémque esse vis composita: cũ hęc potius gręcis sint συγκείμενα. Neque minus in eo, quod existimas Arist. concludere ad συγκεχυμένα, id est cõfusa, esse progrediendum. Cum ille contra, in ea docendi ratione, quam instituit, primo loco poni velit τὰ συγκεχυμένα id est cõfusa, quæ postea vniuersalia interpretatur: in eodẽ vero descẽsu, postrema esse τὰ καθέκαστα, id est singularia. In quo ne postea, fortasse cum nonnullis interpretibus erres, disce (quoniam hoc primum tempus discendi nactus es) illum singularium appellatione species infimas esse complexum: eadem ratione qua has quoque in demonstrandi arte nõnunquam indiuiduas nominat. Nempe quod harum diuisionem nulla scientia persequa-

tur. Itaque vt rem in pauca contraham, sic ille statuit: in vniuersa Physiologia à generibus confusis, tanquam notioribus nobis, ad species imas (quas singulares vocat) descendendum. Esse verò genera confusa nobis notiora formis in quas diuiduntur, ex eo colligit: quod totum sensui notius sit. Genus autem vniuersum totum quiddam esse videatur: quippe quod multas species, quasi partes, complexu suo contineat. Iam sentis opinor, græculæ, quam multa hic sint tuis nugis contraria: quanque frigida fuerit defensio Analyseos ad confusa deducentis. De qua possem illud tuum in te conuertere. *O hominis vanitatem incredibilem. Quis enim hic se contineat. Téne Thessale, ita esse pudoris & omnis humanitatis oblitum, vt sic palam mentiri audeas? vt famæ & existimationis tuæ nullam rationem habeas? An neminem tui dissimilem hæc perlecturum putaſti?* Sed istiusmodi vermiculata emblemata, quibus tuæ disputationis philosophicæ exornari solent, lubens tibi concedo. Lectorem tantum rogo, vt si volet, de tota controuersia ex hac parte iudicet: modo tua cum nostris sedulo comparet: eáque ad illud Aristot. caput, quo vtérque nostrum nititur, tanquam ad certissimam regulam exigat.

DE DISTINCTIONE ORGANI Logici apud Arist. & eius interpretes.

CAP. VI.

IN secunda de tribus cappellis, quæ pertinet ad distinctionem artis disserendi in inuentionem & iudicium: scriptorum tuorum nuda comparatione facilè ostenderem, te qui aliis doctrinæ incõstantiam contumelioſè obiicere soles, omnium hominum inconstantissimum esse, nisi ad eam rem mihi locus alius in commentariis descriptionis logicæ, esset institutus. Nunc tantum priusquam de eo tibi respondeam, quod fol. 14. pag. 1. me mei valdè immemorem fuisse arbitraris in iudicando de eo, quod in ista quæstione Arist. interpretibus maximè familiare, vnum dicam quod aliquando attigi in Animaduersionibus tuarum Institutionum, nunquam mihi eorum opinionem probari potuisse, qui Topica & Analytica cum Categoriis & libro de interpretatione, ad vnius artis formam (siue eam logicam, siue dialecticam nomines) reuocare conatur. Quoniam Analytica à Topicis in scriptis atque sermonibus philosophorum, præceptis & vsu, ex Aristotelis mente non minus sunt distincta: quàm in ratione loquendi atque dicendi, Rhetorica à Grammatica. Vt enim in hac, orationis forma instruitur minus elaborata, & quasi sua sponte

fusa, in illa ornatior & sæpe versa atque mutata: sic Ars Topica apud Arist. simpliciorem rationis vsum explicat, Analytica exactiorem. Etiam si his quædam sint inter se communia, eáque ab illo Arti Analyticæ potius quam Topicæ, propter istius dignitatem, adiuncta. In quibus distinguendis, si cum veteribus nomine Organi vti vis, licebit per me Topicam artem & Analyticam ad organum rationis reuocare: sicut Grammaticam & Rhetoricam ad organum orationis. Quia vt hæ duæ orationem suis præceptis instruunt: sic illæ rationem. Sed ita tamen vt memineris non minus esse stultum vnam quasi vnius artis definitionem, Topicæ & Analyticæ communem apud Arist. requirere: quam apud te, Grammaticam & Rhetoricam vna ratione velle includere. Atque hoc ipsum vnum est in quo ab interpretibus constanter dissentio, & quod soleo dicere te adhuc in Arist. videre non potuisse. In illo verò si quid habes in quo me mei immemorem probare possis, mihi cum voles indicabis: pro eo gratiam habebo. Sed si hoc multis locis scripsi, etiam contra te: si ab annis quindecim & plus eo, idem constanter docui (sicut mihi permulti cõtra tuas calumnias, fideles testes esse possunt) quid tu homo omnium inconstantissimè, hac in parte constantiam meam desideras? *At paulò ante (ais) quatuor totis paginis errorem, interpretum Aristotelicorum, de methodo logici organi tam confusi, acerrime & in P. Ramum contumeliosissimè defendebas: quem nunc re ipsa coactus condemnasti.* Nunquam, credo, desines calumniari. Ego pro interpretibus antea disputaui Analysin à genesi, in methodo esse distinctam, atque contra tua sophismata efficere conatus sum, rectè illos Analysin, genesi priorem esse voluisse: & certè perfeci, vt iam ad illa omnia obmutescas. Nunc verò fol. 15. pag. 1. scribo mihi nentiquam probari distinctionem logici organi quam illi ad Analysin & Genesin accommodant: quoniam in hac continuatum vnum opus esse volunt, quod ego non probo: & ratiocinationem expositam prioribus Analyticis atque distributam in Apodicticam, Dialecticam & Sophisticam, aiunt postea suo ordine explicari in posterioribus Analyticis, Topicis & Elenchis, quod meo iudicio Aristoteles non est sequutus. An hæc cuiquam videri possunt dissentire, Analysin & genesin in methodi distinctione cum Aristot. interpretibus probari: Logici organi factam ab eisdem ad illa duo accommodationem improbari? Mihi ars Topica ab Analytica omnino distincta esse videtur, vt illa libros octo Topic. & vnum de Elenchis, opere continuato complectatur: hæc libros de ratiocinatione, qui Priorum, & totidem de demonstratione, qui Posteriorum esse dicuntur. Sic verò hæc duo opera esse distincta, ex eorum initiis atque finibus facilè si voles, intelliges. Nam in To-

picis ſtatim initio lib. 1. ita ſcribit. Hoc loco nobis propoſitum eſt viam atque rationem inuenire, qua & de omni quæſtione propoſita probabili argumentatione poterimus diſſerere: & nihil repugnans, ſi quid in diſputationibus defendamus, afferre. Et ad finem libr. de Reprehenſionibus ſophiſtarum, propoſitioni reſpondet eiuſmodi concluſio. Hoc igitur, inquit, à principio diximus fuiſſe noſtrum inſtitutum, vt inueniremus facultatem quandam diſſerendi de quacunque re propoſita, ex iis quæ eſſent in re quam maximè probabilia. Atque in Analyticis cap. 1. lib. 1. priorum, ita proponit. Initio dicendum videtur quid ſit in quo poſita eſt inſtituta diſputatio, quáque de re ſit ſuſcepta. Verſatur autem in demonſtratione, ac de demonſtrandi arte eſt inſtituta. Et cap. 17. lib. 2. Analyticon Poſt. propoſitioni ſimilis concluſio. Ac de ratiocinatione quidem, inquit, & demonſtratione quid ſint & quomodo conficiendæ, hactenus dictum eſt: ex quo quid qualíſque ſit ſcientia demonſtratiua intelligi- gitur. Hoc verò alterum eſt, quod verè prædicare poſſum te in præceptis de diſſerendo ab Ariſt. traditis, nondum vidiſſe: & cuius ignoratione in grauiſſimos errores incidiſti. De quibus hoc loco nonnullos leuiter tibi indicabo, vt ſi voles eos recognoſcas, prius quã in Animaduerſiones tuas ſeuerius inquiramus. Tu multis quidem locis, ſed ex inſtituto maxime, lib. 1. tuarum Animaduerſionum poſtremo editarum, id agis vt doceas falſo Ariſt. atque ambitioſe, pag. vltima lib. de Reprehenſionibus ſophiſtarum, prædicare ſe in colligendis artis diſſerendi pręceptis neminem omnino habuiſſe quem ſequeretur, aut cùius antecedente induſtria, ad hæc ipſa meliora efficienda iuuaretur- in eámque ſententiam toto illo libro, longa à te contexta eſt Philoſophorum hiſtoria, vt probes eos qui Ariſt. ætatem præceſſerunt, multa inueniſſe quæ ad diſſerendi rationẽ pertinebant: quibus Ariſt. poſtea pro ſuis vſus eſt, in eo quod tu organum logicũ nominas. Atqui Theſſale, nihil eo loco, quem tu exagitas, ille eſt loquutus de communi arte diſſerendi, ſed de arte locorum communium pertinentium ad popularem tantum, non ad exactam rerum omnium cognitionem: qua continetur facultas diſſerendi de quacunque quæſtione propoſita ex probabilibus tantum, quæ apud eundẽ Dialecticæ eſt propria. Hanc vero ille inſtituebat in Topicis, quæ inde nomen habent, rudiáque tantum eius initia fortaſſe poſuit. Operi vero ſummam qui imponeret, poſt illum nemo adhuc eſt inuentus. Vt non ſine ratione dubitaſſe videatur cap. 5. lib. 1. Top. vtrum eiuſmodi ars aliqua poſſet inueniri: & cum eſſet inuenta, nun obſcura futura, nec ad id quod quærebatur, magnum adiumentum allatura. In quo non poſſum profecto riſum tenere cum lego quod contra ſcribis, artem hanc iam eſſe inuẽ-

tam & ab ipso Arist. qui illam quærebat, in Prioribus Analyticis expositam, comprehensamque generalibus præceptis quæ de inuentione medij & de eiusdem varia collocatione, secundum trium figurarũ modos, traduntur. Sed his grauius peccatum alterum est, & à maxima temporum ignoratione profectum, quod vt confirmes à prioribus philosophis in artis disserendi explicatione, Arist. magna ex parte esse adiutum, eodem lib. multa commemoras ex Zenone Cittieo Stoicorum principe, quæ sunt huic cum Arist. communia: cum tamen sciamus Arist. in tractandis dialecticis, isto Zenone fuisse priorem: vt nõ ab hoc ille adiutus, sed huic potius quasi lampada cursu tradidisse videatur. Hæres in eodem luto lib. 8. Animaduersionum tuarum, quando ex eo quod Arist. scribit lib. 2. Analyt. Priorum, se de vitio in quo non causa, vt causa, argumentando ponitur, egisse in Topicis: quia locus hic extat in Elenchis, nescio quid in distinctione Organi Logici tibi suspectum esse ais. Cum tamẽ ars Topica (sicut modo dictum est) Elenchos complectatur: vt homini in huius doctrina bene exercitato, minime mirum sit, id ex Topicis citari, quod hodie legitur in Elenchis. Hæc vero obiter tantum isto loco indicare volui, non pluribus explicare. Quod in aliis ipsa necessitas me iam prolixiorem fecerit: nec propositum sit hoc tempore de omnibus tuis capellis disputare.

DE IIS QVÆ IN NOSTRO COMpendio Dialecticæ, à Thessalo Ossato sunt reprehensa. CAP. VII.

MAgnam vero pro eo tibi gratiam habeo, quod etiam Compendiolum nostrum de arte disserendi, dignum arbitratus es quem equo Troiano includeres: id est cum nobilissimis scriptoribus, linguę tuæ procacitate fœdares. Quanquam enim non dubitem quin valde molestum sit, quod audire potes illud, in quo adolescentes lusimus, potius quam seriò philosophati sumus, in celeberrimis huius Academiæ gymnasiis passim legi, atque etiam ab exteris probari, & aspirantibus ad Aristot. doctrinam initio explicari: tuas verò Institutiones à nemine omnino tractari, imo ne licere quidem nostri s legibus eas attingere, quæ apud exteros damnatæ, publicis ignibus cõsumptæ sunt: non poteram tamen sperare tantum laudis & gloriæ ab eo, qui non solet animaduertere nisi in principes dicendi atque sentiendi. De quo quanuis vno verbo tibi potuerim respondere, eo nomine mihi post hac futurum gratius quam vnquam antea, quod nunc intelligam tibi

non probari: quoniam ex eo ipso suspicor illud habere aliquid veteris disciplinæ, cui omnia mea studia deuoui, & cum quo errare malo quã tecum bene sentire: tamen ne tibi hac in parte plus, quam in cæteris sapere videare, animaduersionis tuæ singula capita breuiter excutiam & ea quidem lege, vt spondeam me de singulis, in Elencticis nostris dicturum aliquando exactius. In eo de definiendi diuidendique modo, pauca præcepta colligo ex Aristot. & Galeno: quod ea duo sint instrumenta accommodata quæstioni simplici, quæ coniunctam, sicut natura, sic tractatione antecedit. Illa ego iis subieci quæ de quinque vocibus ex Porphyrio breuiter sunt descripta, eadémque Categoriis anteposui. Tu in præceptis nihil tua censoria virgula notasti: in methodo hoc ipsum reprehendis. Quid mirum, cum in hac veteres omnes à te exagitentur vt putidi? *Definitionis & diuisionis doctrinam (ais fol. 16. pag. 1.) doctrinæ prædicamentorum anteponis, valde insciens & imperitè cum definitionis & diuisionis doctrinam putes è prædicamentis oriri.* In quo quod scribis putare me illorum doctrinam ex Categoris oriri, mentiris impudens, & hoc pace dicam tua. Nam nominatim scribo capite de Categoris, definiendi, diuidendique munera, Categoriarum cognitione maximè adiuuari, non ex illis oriri. Tu si hæc eadem esse putasti, tota via aberrasti. Quandoquidem sequentia, quæ antecedẽtium vsum continent, hæc ipsa illustrant, horúmque cognitionem adiuuãt, non tamen ex sequentibus antecedentia oriuntur. Et certè cum Categoria ordo sit vocum simplicium ad eandem naturam pertinentiũ, & in hac suis gradibus distinctarum, prout quædam generales sunt, aliæ speciales itémque intermediæ: nemo profecto hunc ordinem recte poterit instituere, nisi qui prius in communibus diuidendi præceptis erit versatus. Hæc verò cum didicerit, quomodo in singulis notionibus diuidendis exercenda sint, ex subsequente Categoriarum doctrina intelliget. Verum si methodicæ de iis agere volentibus, Categoriæ erant anteponendæ præceptis definiendi & diuidendi: Cedo Thessale, per quam methodi legem? Per illam tuam, opinor, qua natura priora vis præcedere, naturáque priora definis, sine quibus alia nõ possunt intelligi: hæc verò sine illis possunt. Hanc igitur sequamur. Communia præcepta de genere in suas species diuidendo, intelligi possunt, nondum cognita categoriarum singularum distributione: exerceri fortasse non item. At Categoriarum distributio, in qua à summis ad ima per intermedia descendimus, fieri nullo modo potest, nisi prius cognitis diuidendi præceptis. Non sentis quam frigida sit hæc prima, contra nostrum compendiolum, tua congressio? Secundam considerabimus: in hac fortasse eris alacrior. *Deinde (ais) post doctrinam enunciationis & syllogismi, quæ ad dispositionem pertinet, rursum inuentionem*

confundis, & quidem contra Arist. Organi ordinem. Quia Dialectici syllogismi tuam inuentionem, præponis syllogismi Apodictici tuæ inuentioni: cum in organo postponatur. Ita belli tui Compendij & initio & extremo collocasti inuentionem, quæ natura prima erat, & animal quoddam nobis pinxisti, cuius caput à pedibus nihil differret. Vt interim omittam inuentionem cum generalis sit, generaliter & semel docendam fuisse. Næ tu homo es valde ingeniosus! qui vt confirmes eam methodum quam sequimur, non esse rectã: nos ad tuam quasi ad regulam reuocas, quam omnino tortuosam esse arbitramur. Nun existimasti doctrinam nostram contra hæc omnia, Arist. clypeo esse tutam? At iisdem rationibus doctrinæ tuæ confusionem in Dialecticis Institutionibus arguimus: quia non consentiunt cum Aristotelis regula, quam sequimur. Fuerat igitur illud prius excutiendum Thessale, quæ vera methodus in arte disserendi, vel ratione vtendi, tenenda sit. Deinde illa posita, considerandum vter nostrũ propius ad eam accesserit. In qua si me ad tua reuoces: ego cõtra, mea tuis opponam. Quo iure tibi in me plura, quam mihi in te hac in parte licere arbitraris. Sin vterque nostrum in Arist. tanquam in iudicem consentiat: non vides si neuum aliquem notare possis, in quo meum Compẽdiolum ab illo defeciſse videatur: Institutiones tuas toto corpore fore monstrosas? Ab illo rationem disserendi duabus artibus esse distinctam, antea diximus, vna accommodata ad inuestigandam veritatem per probabilem disputationem in partes contrarias, quæ Topica appellatur: altera ad iudicandum de veritate per causam, quæ Analytica: Harúmque duarum communia esse quædam elementa de simplicium vocum ordinibus, de pronuntiatis, de generalibus ratiocinandi legibus, quæ Analyticæ, propter eius præstantiam & dignitatem, potius quam Topicæ sunt adiuncta. Si hoc probas, vtriusque artis primas lineas in hoc Compendiolo videmur esse complexi: & eo quidem ordine qui progressionem habet ab artium elementis ad ipsa artes, harúmque vitia: & in artibus duabus (Topicam dico & Analyticam) ab ea quæ natura & vsu prior est, ad Posteriorem, id est, à Topica ad Analyticam, quæ de demonstrando præcepta continet. Sin nos reuocare vis ad illam secundam de tribus tuis capellis, nempe ad distributionem artis disserendi, in communem inuentionem argumenti & eiusdem collocationem syllogisticam atque methodicam: ad háſque partes & eum ordinem quem habent inter se, tanquam ad definitam regulam, nostra exigas: dicemus te in ea re simulare cupressum: cæterum, postulare id tibi concedi quod inter nos potissimæ quæstionis est. De qua hoc loco te admonuisse satis est: vt intelligas posthac quomodo tibi mecum sit agẽdum: nempe vt cum eo qui tua legit fortasse attentius quam voluisti, vel certè quàm debuit, sed tamen

men adhuc adduci non potuit vt tuum commentum probaret. Quod autem addis me etiam contra ordinem organi Logici, præponere Dialectici syllogismi inuentionem, inuentioni apodictici: eo magis commouerer quam superioribus, si in Arist. de ordine artis Topicæ ad Analyticam inter nos constaret. Ego ex Top. prius descripsi Dialecticam ratiocinationem quam apodicticam ex Analyticis Post. Fateor, sed si contra ab Arist. in logico organo factum arbitraris, atque Analytica Post. Topicis ab illo præposita esse vis, fingis rursum tibi esse datum quod maximè est controuersum: & in quo, vt liberè dicam quod sentio, mihi adhuc non satis definita est sententia. At inquies, Arist. in Topicis citat Analytica vt antecedentia. Non nego, sed etiam contra in Analyticis nonnunquam ad Topica nos reuocat. Vt eo videatur indicare voluisse, has duas artes esse omnino distinctas, sed in quibusdam partibus inter se communicantes. Inter quas si ordo constituendus est, dignitate antecedit Analytica, vsu Topica. Quoniam in ipso vsu, prius exercendus est animus in probabili disputatione ad inuestigandã veritatem, quam de hac possit perfectè iudicare per causam. Quorum illud, propositum fuit arti Topicæ: hoc, Analyticæ. Tertium peccatum in compendiolo tibi esse videtur grauissimum, quod Methodi præcepta omnino prætermiserim. Atqui possum respondere Thessale, etiam si in hoc à nobis nihil omnino esset expositũ quod ad iudicium pertineret: graue quidem istud peccatum aliis videri posse, tibi verò in eo contra me nihil licere nisi prius ipse velis de tuo cõfiteri. Quoniam superiore proximo mense à te est edita DIALECTICA, DIALECTICARVM OMNIVM IDEA. quæ tamen, vt scis, solam inuentionem continet. Sed hoc causari nolo, ne errore tuo ad mei defensionem abuti videar. Vnum dicam quod mihi negare non poteris, aureum tibi esse Platonis locum de methodo, vnum in Phedro, alterum in Philebo, de descensu ab vno, cuius natura definitione concluſa sit, ad species imas, per intermedias: eóque omnem de illa quæstionem abunde explicatam videri. Atqui in illo nihil est, quod Compendioli nostri capite de definitione & diuisione non sit comprehensum. Addo etiam, Aristotelem, quem sequimur, de methodo nihil præcepisse quod illo eodem loco & altero in quo de demonstratione agitur, non sit adumbratum. An non ista satis poterunt rudes animos ad huius subtiliorem doctrinam præparare? Atqui hoc illud est quod nostro compendio præstare voluimus. Idque vt consequeremur, dedimus operã, vt in illo quasi vno aspectu, lector intueri posset artis differendi Analyticam cõstitutionem (non tuam, sed eã quam ex Galeno antea commemorauimus, quæ fit per descensum à fine ad media, quæ ad illum sunt destinata) & eiusdem genesin vel sin-

thesin, per compositionem quæ ex primis elementis ad ea ascendit quæ in re sunt summa. Quos ordines, quotiescunque in artium compendiis ita coniungere volumus, dixi in priore disputatione fo.16.pa.1.esse necessarium à definitione incipere: quoniam hæc finem continet, à quo proficisci necesse est istiusmodi Analysin, quæ sinthesin vel genesin antecedit. Qui locus tibi amplissimus visus est ad nouam calumniam: in qua ita exultas fo.16.pag.2. vt ipse tua legens cogar fateri magnam esse vim sophismatis tui: & mihi ab eo nonnihil esse metuendum, præsertim apud eos qui vel non satis erunt in iis exercitati, vel negligentius mea cum tuis comparabunt. *In compendiis (ais) quæ vtsciũ, rudibus proponi solent, necessario à definitione incipiendum esse vis, ad hominum studia excitanda. Deinde pag.proxima, quæ est 17. mentu & memoriæ impotentia nescio qua, clare & perspicue dicis cum volumus rudes instituere, nihil esse necesse à definitione incipere: quod verendum sit ne definitione initio posita deterreantur ac desperatione debilitentur.* Hæc summa fide ex te commemorata sunt. Vtinam vero eadem religione nostra vsurpasses. Quibus primum illud addis de tuo (*quæ vt sciũ rudibus proponi solent*) idque caute sanè, vt ei opponas quod altera pagina scripsi, cum rudes instituere volumus & ab elementis ad id quod summum est, quasi manu ducere, nihil esse necesse à definitione incipere. Ex quorum comparatione, tibi fingis illud ænigma Oedipo, sicut arbitraris, dignum, *definitio rudibus initio proponẽda: definitio rudibus initio non est proponenda.* Atqui ego Thessale, quanquam Carpentarius sim non Oedipus, videor tamen sophismatis tui periculum saluis rebus posse euadere. Nam quod de tuo adiicis, compendia rudibus proponi solere, id si ita intelligis, vt velis apud rudes tantum iis esse locũ, tota via aberras. Quoniam medicinæ compendium à Galeno scriptũ in arte quæ parua nominatur (de quo eo loco tecum disputo) non tã rudibus propositum est: quàm hominibus in huius artis quasi immenso mari, diu multúmque versatis, atque volentibus superioris nauigationis, multis annis confectæ, fructum in pauca contrahere, eúmque in breuissima tabella descriptum, ad excitandam memoriam, sibi spectandum proponere. Neque vero dico in omnibus compendiis à definitione esse incipiendum: sed iis tantum in quibus artis Analysin cũ eiusdem genesi vel syntheſi volumus explicare. Hæc enim mea verba sunt. Quam duplicis ordinis coniunctionem (inquam ego) nos in artis differendi compendio, non infeliciter seruasse videmur: & si tua consideras paulo attentius, eandem in tuis Dialecticis es sequutus. Hoc verò quicunque facere instituunt, ab earum artium quas tradere volunt, definitione incipiant est necesse. Tu hoc solum posterius arripuisti, & ex eo tibi omnino dari voluisti, in compendiis à definitione

necessario esse incipiendum. At eadem pag. paulo ante dixeram, accidere tantum posse, vt nonnunquam in eadem perpetuitate doctrinæ, analysis cum genesi coniungatur, háncque antecedat: præsertim in artium compendiis: túmque ab ipsa definitione, propter analysin esse incipiendum. An idcirco tibi videor in omnibus artium compendiis, primo loco definitionem necessariam dicere? Equidem si hoc affirmarem, haberem te, sat scio, sententiæ meæ collaudatorem: sed de eo isto loco profectò non cogitaui. Neque dubito quin etiam hoc videris: sed affingere aliis falsam sententiam, vt ex ea nascatur occasio calumniæ, sophistarum proprium est, & tibi in disputatione contra veteres valde familiare. Id vero in quo mentis & memoriæ impotentiam mihi obiicis (sic enim tu nescio cuius exemplo, obliuionem nominas) nihil amplius pertinet ad coniunctionem Analyseos cum genesi, de qua antea sum loquutus, sed ad solam artis genesin siue syntheſin: nihil ad artium compendia, sed ad earum fusam explicationem. Quid ergo miraris à me hoc loco dictum cum eiusmodi ordinem tenere volumus, nihil esse necesse à definitione incipere? Imo fortasse dicere potui, tum non licere totius artis definitionē primo loco ponere. Quoniam hæc rei summam continet. Ordo vero eiusmodi non à rei summa incipit, sed à primis eius elemētis perducit ad summam. In quo ne quis arbitretur me noui aliquid comminisci, aut adiicere ad ea quæ sunt antea contra te disputata, quo possim ænigmatis tui laqueos effugere, verba mea proferam ex ea pag. fol. 17. quam tu indicasti. At cū artem iam inuentam (inquam ego) & per Analysin constitutam, gradatim componere volumus, nec tam ad eam hominum studia excitare, quam rudes instituere, atque hos à primis elementis ad id quod illa habet summum, per genesin vel sintheſin, quasi manu ducere: tum vt ab eius definitione incipiamus nihil necesse, satísque est si cum ad partem principem summámque ventum fuerit, tum eius naturam definitione aliqua complectamur. Non sentis quam distinctè à me sint ea exposita quæ tu malitiosè confundis, vt monstrosum ænigma tibi fingas, ad ídque dissoluēdum Oedipo opus esse clamites? Atque quod hoc posteriore loco disseruimus, id ipsum est quod in Analytica arte (Topicam non complector) Aristotelem fecisse dicimus. Nam cū illi adiuncta sint ea quæ de simplicium vocum ordinibus, in Categoriis, & de pronunciatis libro de Interpretatione ab eodem traduntur: in iis sic nos exercet, vt nullam totius artis definitionem initio ponat, sed à primis elemētis per intermedia, ita manu ducat, vt ex illo adhuc nesciamus quæ instituti summa sit: verum hoc tum demum attingat, cum ad ipsam Analyticam artem est peruentum. At illud est, inquies, quod in Aristotele reprehendimus, quodque de prætermissa artis de-

finitione tam sæpe disputauimus. Scio Thessale, & hanc iampridem agnosco primam de tribus tuis capellis. Sed hoc ipsum est, quod pro Arist. cõtra te cõstanter defendimus: quódq; in fusa & copiosa medicinę explicatione Galenũ feciſſe animaduertimus, cũ ab elementis incepit, nulla antegressa totius artis definitione, indéque ascendit ad tẽperamenta, & reliquos medicinæ gradus eodem compositionis ordine est persequutus: hoc inquam est, quod grammaticos in sua arte ante te natum feciſſe dico, & quod nos in hac ipsa, sicut & in logica, discenda sequutos nunquam pudebit prædicare. Cur enim mihi turpe erit confiteri istas artes eo modo didiciſſe, quo veteres atque imprimis Aristo. docuerunt? Venio nunc ad locum alterum de Dialecticæ nomine, quo cum dixi apud Aristot. non significari vniuersam artem disserendi, sed eam quæ probabilia sectatur: reuocari te ais, pag. 2. fol. 17. ad ineptias tam multis ex Arist. ipso sumptis testimoniis, à P. Ramo explosas. In quo vide quid agas, Thessale. Nam de eo ipso nomine à nobis sæpe admonitus, tandem aliquando postremis tuis Animaduersionibus sententiam nostram probasti. Earum enim lib. 2. ita scribis. *Aristot. verbo rem turbauit cum Dialecticam vocauit eam probabilitatis artem: sicut persæpe etiam Logicam. Quoties enim in Organo, Logicæ aut Dialecticæ verbum vsurpauit (frequenter autem vsurpauit) ad illam probabilitatis artem accommodauit.* Hæ igitur si ineptiæ sunt, non meæ tantum sunt, sed etiam tuæ. At illa tibi propria est impostura, quod eadem pag. scribis illud de nomine Dialecticæ ex Aristotele obseruatum, à me Compendioli mei initio esse reiectum. Nam eo loco idem iterum breui scholio à me confirmatum, & quia non poteram generalem disserendi rationem Aristotelico vno nomine exprimere (quod tamen primis editionibus mihi exciderat) apertè significatum est, semper hoc apud Aristot. probabilitati esse addictum, à nobis tamen præter eius consuetudinẽ, demonstrandi arti etiam accommodatum. An non hoc est in Aristot. notare, semper Dialecticæ nomen, artis esse vel potius facultatis probabiliter disserendi de quacunque quæstione? Profecto magna vis est consuetudinis, præsertim cum se ad deteriorem partem applicat. Sic enim ea imponendo & calumniando animum tuum obfirmauit, vt etiam si velis, non possis, credo, inde te ad vllam modestiam recipere.

DISPVTATIONIS TOTIVS CAPITA colliguntur, eáque explicanda Theſſalo proponuntur. CAP. VIII.

IN perorando, vt firmius inhæreant omnium animis aculei ſingularis artificij tui, id eſt impoſturæ atque calumniæ, ita mecum agis quaſi omnino negauerim in docendi methodo vllum eſſe deſcenſum à genere ad ſpecies imas, per intermedias. In eóque vt me meo gladio iugulaſſe videaris (ſatis enim tibi eſt modo videaris) ex noſtra diſputatione profers locos duos, quibus hunc progrediendi modum ex Ariſt. confirmaui: atque tandē velut iratus Chremes, tumido dilitigas ore, ipſéque ad noſtros artis medicæ doctores conuerſus, *veſtram, ais,*

Clamo, poſtulo, obſecro, oro, ploro, imploro fidem.

Addere profecto debuiſti, non leuiſſima de re, vt quæritur ille fieri in ciuitate facinora capitalia,

Ab amico amante argentum accipere meretrix non vult.

Sed vt adſint, cognoſcant, animaduertant, quid in tertia de tuis capellis ſpei ſit reliquum. Atqui, Theſſale, nunquam de illo deſcenſu dubitaui: nunquam de eo tibi eripiendo cogitaui: hunc in Ariſt. & aliis philoſophis potius quam in poëtis & Oratoribus, qua potui diligentia meis ſemper indicaui, & ipſe in ſcribendo vel docēdo quoad potui, ſeruaui. Atque quanquam in vtroque tibi videar valdè perturbatus, ſum tamen eius obſeruatione (quod ſine inuidia, apud viros bonos dicere poſſum) nonnullam commendationem, perpetuo annorum viginti docendi munere, in Academia conſecutus. Verum aliud inter nos eſt controuerſum, & hoc quidem non vnum & ſimplex, ſed in aliquot capita diſtributum. Primum enim inueſtigandarum artium ſicut & inſtituendarum, poſtquam ſunt inuentæ, methodum aliquam eſſe volo, eámque pernego potuiſſe à te compræhēdi ſub inuentione, quæ tibi tantum ſingulorum argumentorum eſt: multo verò minus ſub diſtributione, cui eſt omnino contraria. Illúdque addo, eo ipſo loco ex quo orta eſt tua diſputatio, Ariſtotelem, ſi methodi vllam rationem habuit, illam quam prætermiſiſti potius indicaſſe, quam alteram in qua explicanda totus es. Secundò verò, etiam ſi de methodo artium & ſcientiarum inſtituendarum tantummodo inter nos agendum ſit: nego tamen hanc à natura prioribus ſemper proficiſci. Quia in pleriſque ſcientiis vel artibus, id neque poteſt, neque vult: ſed à poſterioribus natura, nobis verò notioribus, ad ea deducit quæ ſecundum naturam ſunt priora. Sic enim animaduerto Ariſtot. cum in aliis phyſicis locis multis feciſſe, tum in quæ-

ſtione de Anima (quæ vt opinor, methodi quadam perpetuitate tractatur) nominatim præcepiſſe, vt ex obiecto progrediamur ad actionem, ex actione ad facultatem, ex facultate ad aliquam capiendam coniecturam de ipſius animæ eſſentia. Sic quoque video medicos ex ſignis deducere ad cognitionem morborum, ex iis ad cauſas. Atque illud etiam conſidero, vt in ſimplicibus notionibus explicandis duplex modus eſt, vnus ex cauſis eſſentiæ per definitionē exactiſſimam, alter ex effectibus, per deſcriptionem: itémque in ratiocinatione nōnunquam per cauſam effectus concluditur demonſtratione exactiſſima, alias verò contra, cauſa per effectum, altera tollerabili tantùm, ſed tamen ad noſtram imbecillitatem valdè accommodata: ſic in argumenti perpetuitate collocationéque multorum ad rem vnam pertinentium, eandem varietatem poſſe contingere, quæ haud dubiè methodi diuerſitatem parit. Tertio, ſi illis omnibus prætermiſſis, tibi concedamus in omni doctrina inſtituenda progrediendum eſſe, ſicut vis, à natura prioribus: contendimus tamen adhuc, non eo effici methodum doctrinæ inſtituendæ omnino eſſe vnicam atque indiuiduam. Quoniam quod dicitur prius altero, etiam natura, non vnius modi eſt, ſed varium & multiplex. Quādoquidem finis natura *prior* eſt mediis, & media fine, Itémque totū natura prius partibus, & partes toto, addo etiam illud, quod fortaſſe miraberis, ſpeciem natura priorem eſſe genere, & genus ſpecie. Et tamen non idem modus omnino atque indiuiduus, progrediendi à fine ad media, & à mediis ad finem, à partibus ad totum, & à toto ad partes. Ex quibus intelligi videtur methodum doctrinæ inſtituendæ, numero vnicam dici nō poſſe, quæ à prioribus natura, ad poſteriora progrediatur: cū hoc ipſum, à prioribus natura progredi, nemo ſanæ mētis vnicum dicere poſſit: quod tamen à te nullo prorſus loco eſt diſtinctum. Quarto, cum Analyſi tua ſis complexus progreſſionem à genere ad ſpeciem, à cauſa ad effectum, à fine ad media, à partibus ad totum, & nonnunquam, pro tua inconſtantia, à toto ad partes: quoniam in ea varietate de vocabuli vi quæritur, ſæpe diximus, àte iampridem expectari vt doceas, quibus auctoribus, analyſeos nomine iſta omnia complectaris. Deſcenſum quidem à genere ad ſpeciem in tractando cuiuſque doctrinæ ſubiecto, ſcimus Ariſtoteli valdè eſſe familiarem: noſtráque diſputatione eum laudauimus: in quo tua peroratione nobis fucum facere voluiſti. ſed hanc ille diæreſin potius quam analyſin nominat. Tu ſi quos habes in promptu locos contrarios, eos audiemus non inuiti. Quanquam & in eiuſmodi deſcenſu id me malè habet, quod ais nos progredi à prioribus natura: Ariſt. cap. 1. lib. 1. phyſ. cōtra, à prioribus nobis ad priora natura: in quo illum cum poteris tibi conciliabis.

Progreſſionem à cauſa ad effectum, nuſquam quod ſciam, Ariſt. Analyſin appellauit: neque verò mathematici, in quorum ſinu dormitaſſe videris: ſed potius reuocationē effectus ad ſuam cauſam, hoc nomine ſunt complexi, ex quo ille demonſtrandi artem Analyticam inſcripſit. Nec verò magis ex eo docere poteris partium in totum Analyſin fieri: Quod ſi hæc omnia pro tua auctoritate vno Analyſeos nomine complecti potuiſti: licuit fortaſſe cœlum terrę permiſcēdo, methodum doctrinæ vnam nomine dicere, omnino vnicā & ſpecie, vel etiam numero indiuiduam, profectò non licuit. Cum iis omnibus ſi tuam perorationem conferas, ſentīes opinor quam frigidè reſponderis. Etſi ad eadem placet reuocare fundamētum diſputationis tuæ, quod prima pagina vna ratiocinatione cōcluſiſti: in eo quoque intelliges falſæ propoſitioni ſubiectam eſſe falſam aſſumptionem: vt ex illis minimè mirum ſit, falſum eſſe concluſum. Habes Theſſale, controuerſiæ inter nos non ignobilis, potiſſima capita, eáque, vt opinor, non indigna, in quorum explicationem tu, quanquam regius profeſſor, incumbas. Imo verò ſi tuam perſonam conſideras, ea cura tibi eſt neceſſario ſuſcipienda. Etenim cogitare debes (nec verò dubito quin ſæpe cogites) regio profeſſori non modo eſſe cauendum ne in philoſophando aberret, néue ipſe dedecoret ſuam auctoritatem & Regis maieſtatem, ſed danda etiam opera vt alios errore liberet: errantes in rectam viam reducat. Atqui ſi in hac opinione mea error eſt (quem certè grauem eſſe oportet, ſi verum eſt illud commentum tuum de vnica methodo) non ſolum is mihi pernicioſus, ſed rei literariæ maximéque philoſophorum ordini. In quo, vt ſcis, perſonam aliquam ſuſtineo, & in docendo, contra te nonnunquam diſputando, perficio fortaſſe, vt plærſque doctrinæ tuæ ſingularis lumen reſpuāt, & in eodem veterum luto adhuc hæreant. At, inquies, contra tuam vmbram diſputas, & tu Theſſale, tantum te exerces ad palum: non congrederis cum armato aduerſario. Cuius arma ſi leuia tibi eſſe videntur, facilior & certior erit victoria ſine ſudore & ſanguine: & quāquam minus gloriæ ea ſit habitura, in homine preſertim tam nobilibus ſpoliis onuſto, erit tamen adoleſcētibus philoſophiæ ſtudioſis, quos his noſtris ſcriptis in contrarias ſententias diſtrahimus, frugifera atque fructuoſa. Libri tui, quibus deeſt illa actio quæ te ætatis noſtræ Roſcium facit, me adhuc commouere non potuerunt. Viua vox magis afficiet, eáque fortaſſe nos in tuam opinionem rapiet. Ergo congrediamur cum voles & coram de iſta quæſtione agamus. Scin' verò quos iudices expetam? Ego profectò vt te ad hanc diſputationem alliciam, nullos prorſus recuſabo. Vis ſumma poteſtas ſit penes Illuſtriſs. Cardinalem & Principem Lotaringum, quem tu Mæcenatem tuum appel-

las, ego verò communem literatorum omnium patronum? Non refugio. Quoniam in iudice siue quæstionis cognitionem quærimus, siue in statuendo & cogendo auctoritatem: hic merito nobis erit instar omniũ. Sin, quia iis difficillimis Reipub. temporibus, aliis multis grauioribus occupatus, auocandus ab illis non videtur: rem omnem committamus collegis tuis professoribus regiis, & in eorum sententiam verbáque iuremus. Non potes pro eo vinculo quod tibi cum illis intercedit, nisi æquissimam sententiam ab eis expectare. Ego verò cum illi tua nostráque legerint, & (si modo tantum est otij) nos ipsos coram audiuerint, si pro te sententiam tulerint: sanctissimè iuro me posthac doctrinam tuam, quam antea sum insectatus, quibus potero rationibus exornaturum. Quoniam eorum iudicium plus apud me semper valebit, quàm priuata mea opinio. At tu fortasse huius vrbis medicos potius iudices expetes, quod eos tuæ expositionis extrema pagina plus quam reliquos in ista quæstione sapere arbitreris. Quod etiam si intelligam quo artificio feceris, tamen pro nostro ordine gratiam habeo, atque si ita vis, rem totam eius disceptationi iudicióque committo: siue in eo omnium sententias numerari, siue æstimari ponderaríque velis. Denique quanquam in aliis disputationibus de meo ingenio meáque facultate, sicut decet, cogitãs, soleam commoueri, & nonnunquam leuiores aduersarios, magis quam par sit, metuere: ad hanc tamen sic mihi videor esse instructus, vt vel iis audiẽtibus qui doctrinę tuæ sunt amiciores, sperem me obtinere posse, vt omnibus posthac persuasum sit te in quæstione de methodo, nobis plebeis philosophis tanto esse inferiorem, quanto veteribus omnibus in ea superior videri voluisti. Si verò istiusmodi cõditionibus, quas iustas esse negare non auderes, ad disputationem non potes pertrahi, & cum maximam veréque philosophicam quæstionem esse fatearis, in ea aduersarium Carpẽtario grauiorem expetis: hoc primum cogita Thessale, quod omnibus in hac Academia notum esse scis, in Carpentarij quantauis tenuitate, nihil esse, præsertim cum de philosophia quæritur, quod possis aut debeas contemnere. Deinde caue ne cum aliqua nostrorum approbatione dicere possim, te ante annos viginti, in prima congressione de tua doctrina tam infeliciter cum Antonio Goũeano esse versatum, vt ex eo tempore omnes armatos aduersarios reformidaueris. Cæterum si aliud impetrare non possim: ego auditores meos qua potero diligentia in vetere doctrina retinebo, Lectorem modo rogabo, ne se in hac quæstione, verborũ lenociniis, & orationis nescio quo artificio, demulceri finat: sed hoc semper meminerit, tua meáque opinione, rem de qua agitur esse maximam, quæ ornari ipsa non vult, contenta doceri.

Digressionis primæ de Methodo. Finis.

In

6 In obseruatione pulchrorũ, quo modo per varios gradus ad ipsum pulchrũ, id est ad ideam pulchrorum omnium debeamus ascendere, pluribus docet Plato in Symposio. Oportet, inquit, eum qui recto tramite sit progressurus, statim ab adolescentia pulchra corpora contemplari: & primum quidem si modo rectè ducatur, vnum corpus amare, ibíque rationes pulchras producere, cogitare deinde pulchritudinem quæ corpori cuilibet inest, alterius corporis esse germanam. Et si sequi decet quod in specie pulchrum, absurdum est credere eam, quę in omnibus corporibus inest, non vnam eandémque pulchritudinẽ esse. Et qui hoc aduertit omnium simpliciter pulchrorum corporum amator euadere debet: amoris autem erga vnum vehementiam hac ratione remittere, atque vnius speciem paruifacere. Posthæc pulchritudinem quæ animis inest, illa quæ in corpore, præstantiorem existimet, adeo vt si quis animi ingenui sit, quamuis forma corporis aliis quibusdam cædat, sufficere tamen arbitretur: & amet curétque, & rationes huiusmodi pariat, quærátque sermones omnes qui reddere meliores adolescentes possint. Vt hinc ad pulchritudinem quæ in officiis ac legibus reperitur, inspiciendam, ducatur, intelligat illam omnem sibi ipsi vniformem cognatámque existere, vt eam quæ circa corpus est, pulchritudinem paruifaciat. Post officia legésque, ad scientias transeat, vt scientiarum pulchritudinem contempletur: dúmque id quod ampla exuberat pulchritudine, contuetur, haud amplius tanquã mancipium, vnius puellæ speciem admiretur, neque vnius hominis, vel officij pulchritudine sit contentus. Nam quisquis in hoc delinquit, exilis & abiectus est seruus. Verum in profundum pulchritudinis pelagus se mergat, vbi ipso intuitu multas præclaras atque magnificas rationes intelligentiásque in philosophia abundè pariat: donec ibi confirmatus & roboratus, scientiam iam vnam talẽ intueatur, quæ pulchritudine talis existit. Aciẽ verò nunc mentis pro viribus adhibe. Quicunq; hucusque per amatoria gradatim deducitur, recto ordine pulchra intuitus, ad finem iam amatorij affectus peruenies, subito quãdam natura mirabilem inspiciet pulchritudinem: hoc illud cuius gratia labores omnes præcedentes subiuimus. Principio quidem semper est, nec fit, nec interit, nec crescit vnquam, nec decrescit: præterea non hac ex parte pulchrum, ex illa turpe, vel tum pulchrum, tum minimè. Neque ad hoc quidem pulchrum, turpe verò ad illud. Vel hic pulchrum, ibi turpe, vt quibusdam pulchrum sit, quibusdam vero nequaquam. Neque rursus imaginatione quadam ipsum pulchrum ita fingetur, quasi vultus pulcher, vel pulchræ manus, aut aliud quippiam cuius corpus est particeps. Neque vt oratio quædam, vel ratio, aut scientia quædam. Neque in alio iacere putabitur, vt in animali, vel terra, vel cælo aut alio quopiam, sed ipsum per seipsum, cum semetipso, vniforme semper existens. Cætera verò omnia quæ pulchra sunt, illius participatione pulchra: ea scilicet conditione: vt nascentibus & intereuntibus aliis, nihil subtrahatur illi, aut addatur, neque passionem vllam incurrat. Hæc quidem Plato in Symposio, ex quo locus hic Alcinoi manifestè videtur esse descriptus. Quanquam ferè eadem sententia, ab eodem pluribus explicatur in Hippia maiore & in Phædro. Quibus locis significat à sensilibus pulchris, per medios gradus discursus cogitationis humanæ, ascendẽdum esse ad ideam pulchri. Quæ, vt ex eodem Platone Cicero scribit, si oculis corporis cerneretur, mirabiles amores excitaret sui. Cernitur verò mente, isto corpore omnino soluta, vel ab eodem in vita hac, rapta per ecstasin: in cuius fruitione extremum summúmque philosophiæ beneficium ex eorundem Platonicorum sententia positum est. Cum autem per inferiores rerum pulchrarum gradus nostra cogitatione discurrimus, ab eisdem Platonicis similes esse dicimur

hominibus somniantibus: qui rerũ falsis imaginibus pro rebus ipsis fruuntur. Ad idem Analyseos, exemplum vide librum Plotini de pulchritudine, eiusdémque librum alterum de intelligibili pulchritudine. Exemplum autem secundi modi Analyseos pertinet ad quæstionem de animi immortalitate, ideóque commodius intelligetur ex capite 18. libri huius. In quo rationes colliguntur quæ valere possunt ad confirmandam immortalitatem, in eisdémque Platonici cum Peripateticis conferuntur.

7 Hic Alcinous inductionis nomine, Socraticam & Aristotelicam complectitur. Nam quæ à simili ad simile progreditur, vel etiam à multis similibus ad vnum simile, inductio est, qua Cicero ait in Topicis, plurimum in sermonibus Socratem esse vsum. Quam Aristoteles cap. 2. lib. 2. Rhetoricorum ad exemplum reuocat. Altera verò quæ ex singulis colligit vniuersum, Aristotelica est, eadémque in instrumentis Dialecticis plenæ ratiocinationi ex altera parte opponitur cap. 10. lib. 1. Top. Inductionum Platonicarum, aliam distinctionem vide apud Diogenem Laertium in vita Platonis.

8 Locus hic repetendus est ex Hippia Platonis. Vbi postquam constituit duo genera declarationum earum quę circa essentiam voce fiunt, vnum quidem nominum, verborum alterum: Verbúmque definiuit declarationem qua actiones significantur, nomen autem signum vocis agentibus ipsis impositum: docuitque neque ex solis nominibus ordine prolatis, orationem vnquam effici, neque rursus ex verbis absque nominibus, tandem concludit horum duorum complexionem orationem esse primam atque breuissimam: quæ declarat aliquid deiis quæ sunt, vel fiunt, aut fuerunt iam, aut erunt. Hanc autem aut veram esse, aut falsam. Veram quidem quando ea quæ sunt, vt sunt, prædicat: falsam autem quæ alia quam quæ sunt. Quod etiam ab eodem Platone dictum est in Cratylo & libr. 2. de Repub. Itémque in Parmenide, suppositione sexta. Eodem verò modo Aristoteles in Categoriis & libro de Interpretatione, vult veritatem & falsitatem orationis spectari debere ex comparatione cum re significata, sed negat orationem omnem significare verum vel falsum: hócque eius tantum esse ait quam enunciantem appellat. Porrò ea omnia quæ hoc capite ex Platone colliguntur, in vsu apud illum obseruata sunt, & ex variis exemplis collecta, non ad vnius artis formam ab illo reuocata, aut in huius præceptis posita. Quo fit vt cum Aristoteli magis propria sint quam Platoni, eorundem accuratior explicatio commodius reiici posse videatur in Commẽtarium nostrę descriptionis Logicæ, sicut paulò antè indicauimus in priore parte disputationis de methodo.

9 In Hyppotheticis enunciationibus primum eas complectitur quas Cicero libro de fato & in Topicis appellat connexas, vt si natus est Fabius oriente Canicula, non morietur in mari. Quæ solæ, si enunciandi formam spectes, propriè sunt Hyppotheticæ. Quoniam solæ Hyppothesin siue conditionem expressam habent. In quibus Alcinous ait consecutionem quandam declarari. Quia in iis ex conditione posita, vni parti, vt antecedenti, altera cõsequens adiicitur. Addit verò his alias quarum partes repugnantiam quandam habere dicit, quæ disiunctæ ab eodem Cicerone nominantur. In quibus conclusiones idcirco ratæ sunt, quod, vt hic ait in Topicis, in disiunctionis membris plus vno verum esse non possit. In connexis autem ille notat duas formulas argumentandi. Appellant enim Dialectici, inquit, eam conclusionem argumenti in qua cum primum sumpseris, consequitur id quod annexum est, primum conclusionis modum. Cum id quod annexum est negaris, vt id quoque cui annexum fuerit negandum sit, secundus appellatur concludendi modus. Qui duo quoque modi ab Arist. notati

sunt in Topicis, prior ex affirmatione antecedentis ad affirmationem cõsequentis, posterior autem ex euersione consequentis, ad euersionem antecedentis. Addit Thessalus methodicus lib. 2. Dialecticarum institutionum, duos esse reliquos modos firmos & constantes, quorum vnus, inquit, qui idem est tertius, tollit antecedens, vt tollat consequens: quartus retinet consequens, vt antecedens retineatur. At verò illi sunt omnium inconstantissimi. Et si quid habent virium (sicut habent in iis in quibus consequens cum antecedente reciprocatur) id habent non à formula argumentandi, quæ debet esse generalis & in omnibus eadem valere: sed ab exempli proprietate quæ argumenti est & inuentionis, non argumentationis, aut collocationis. In quo eiusdem Thessali inconstantia, aliorum locorum comparatione à nobis detecta est lib. 2. Dialecticarum Animaduersionum olim contra eundem editarum. Connexis enunciationibus, quas propriè Hypotheticas diximus nominari, addit Cicero in Topicis, Cisiunctas & Copulatas. In quibus obseruat alias quinque argumentandi formulas. Aut enim cum aliqua coniuncta negaris & his alia negatio tursus adiungetur, ex illísque primum sumpseris, quod relinquitur tollendum erit, qui tertius modus erit. Aut in eisdẽ disiunctionibus, in quibus plus vno verum esse non possit, priore parte disiunctionis affirmata, posterior tolletur: aut priore negata altera affirmabitur, vt, aut hoc, aut illud: hoc autem, nõ igitur illud. Itémque aut hoc, aut illud: non hoc autẽ: illud igitur. Quarum duarum cõclusionum prior ad quartum modũ pertinet, posterior ad quintum. Deinde, inquit, addunt coniunctionum negantiã, sic, Non & hoc est & illud: hoc autem, non igitur illud: hic modus est sextus. Septimus autem, non & hoc & illud: non autem hoc: illud igitur. At hic Alcinous Copulatarum enunciationum nullam mentionem facit, sicut neque Boetius lib. 1. ad hypotheticos Syllogismos. Siue quia in ratiocinandi forma à simplici, vel Categorica, illa nihil omnino differt, siue quoniam nonnunquam adiecta negatione, ad disiunctam facilè reuocatur, eiúsque vim habet, vt in superioribus Ciceronis exemplis facilè notari potest. Ex iis verò quæ à nostro authore subiiciuntur de ratiocinatione hypothetica & mixta, & de vtriusque figuris & modis, ratio intelligi potest, propter quam Aristoteles in prioribus Analyticis, cum generalẽ ratiocinandi artem traderet, nullam hypotheticarum enunciationum mentionẽ fecerit, aut formularum argumentandi quæ ad illas pertinebant: quod tamen idem fecit in enunciationibus modo affectis harúmque mixtionibus. Nempe quod in illis nullis præceptis nouis opus esse videretur: sed eandem legem subirent cum Categoricis enunciationibus: modo in eisdem partem cõnexionis vel disiunctionis antecedentem, intelligas rationem habere vnius extremi simplicis subiecti, partem verò consequentem, extremi alterius simplicis attributi. Quod in maxima varietate exemplorum per inductionem facilè potest obseruari. Porrò quod ab Alcinoo subiicitur differentias earum ratiocinationum quæ ex consecutione aliquid euertunt, considerandas esse in eo ipso exemplo, quod ab antecedentibus paulo antè propositum, videtur ad id referendum esse quod Cicero eodem loco scribit, in antecedentibus, consequentibus & repugnantibus locũ argumẽti, & eiusdem inuentionẽ simplicem esse, tractationem autem multiplicem. Nempe quoniam vnum & idem exemplũ, diuersa forma tractatum, valere potest in antecedentibus, consequentibus & repugnantibus. Quemadmodum in septẽ modis qui ex Cicerone paulo antè sunt enumerati, facilè potest obseruari.

10 In docendo, directa ratiocinatione Plato vti solet: in redarguendo, deductione ad incommodum. Quæ duo apud illum temperat Socrates pro varietate personarum cum quibus loquens inducitur. Nam cum amicis id agit vt recta

via veritatem doceat,& quoad poteſt,demonſtret. In Sophiſtis autem & eorum diſcipulis,opiniones falſas redarguit:veras ſignificat,potius quàm doceat. Præſertim in ipſis magiſtris,quorum arrogantiam omni ratione reprimere conabatur. Nam horum diſcipulos vbi redarguit,nonnunquam in rectam viam docendo reducit, vt in Menone obſeruari poteſt. Ex quo apud illum tria genera Dialogorum extiterunt:vnum dogmaticum, quod ſententiam huius in perſona Socratis explicatam continet: alterum ad eos coarguendos qui contra diſputant: tertium ex illis duobus mixtum. De quibus vide Fabium ca.18.lib.2.Horum vero diſtinctio diligenter obſeruanda eſt, cum in illis veram Platonis ſententiam quærimus. Quanquam enim eius ore Socrates loquatur:non tamẽ in illis quæcunque in Socratis perſona dicuntur,verè Socratica,aut Platonica exiſtimari debent. Quoniam pleráque proficiſcuntur ab ea Ironia quæ huic in ſermonibus fuit maximè familiaris. Quæ etiam varietas ſpectanda eſt in Dialogis Ciceronis tam Oratoriis,quam philoſophicis. Hic verò litigioſos ſiue contentioſos vocat eos,quorum omnis diſputatio inflammata eſt ſtudio vincendi quacunque ratione,non docendæ veritatis aut inueſtigandæ: quoſque Plato in Euthydemo & Hippia vtróque, oſtendit verborum aucupes eſſe ſolere: in grauiſſimis rebus facillimè decipi:in leuiſſimis ad vanam oſtentationem omnia referre. Quos hoc loco à communibus Sophiſtis diſtinguit. Quanquam Ariſtoteli cap.1.lib.1.Top. eadem eſt Sophiſtica ratiocinatio cum ea,quę contentioſa,ſiue litigioſa appellatur. At libro de redargutionibus Sophiſtarum ab eodem duo hæc ita diſtinguuntur. Vt in certaminibus, inquit,qui quauis ratione victores eſſe volunt,nihil non mouẽt, nihil non aggrediuntur: ita hic in diſputatione idem faciunt qui ſupra modum ſunt litigioſi. Atque ex iis quidem qui tantã adhibent contentionem,quicunque ſibi victoriam proponunt, illi ſunt qui propriè litigioſi & contentionis amatores cenſentur. Qui verò gloriam, ex qua quæſtum faciant,aucupantur,ſophiſtæ.

11 Neceſſaria hæc oratori,ad conſequendam facultatem docendi atque mouẽdi. Quæ quoniam ſine philoſophia cognita eſſe non poſſunt, Plato concludit in Phędro neminem ſine hac,bene dicendi facultatem eſſe conſecutum: eóque Periclem aliis oratoribus ſuperiorem extitiſſe, quòd Anaxagoræ phyſici, auditor fuiſſet,à quo mouendorum animorum rationem acceperat. Quod etiam apud Ciceronem eſt,in Bruto & in Oratore. Videtur autem hîc penè ad verbum eum locum ſecutus,quem ita explicat Socrates in Phędro. Poſtquam dicendi facultas, inquit, quædam animi tractio & oblectatio eſt,futurum oratorẽ neceſſe eſt quot ſpecies animus habet,cognoſcere. Hæ verò tot taléſque ſunt, vnde tales alij,alij tales efficiuntur. His ita diſtinctis, ſermonum quoque tot taléſque ſunt ſpecies. Tales igitur animi,talibus ſermonibus certa quadam de cauſa, ad talia quædam facilè perſuadentur:aliter verò affecti,aliquam ob cauſam minimè. Oportet itaque eum qui hæc ſatis perſpexerit, poſtea in ipſis negotiis animaduerſa deprehenſáque, poſſe ſignare & ſenſu conſequi: alioqui nondum quicquam plus quam verba ſibi quǒdam à doctoribus tradita habet. At cum ſufficienter poteſt dicere quis,quibus ſermonibus capiatur, preſentémque hominem acutè perſẽtit eo ingenio prædítum eſſe,de quo antea fuerit diſputatum, ſicque ipſum eſſe talibus ſermonibus,ad talia compellendum:is ita inſtructus tunc demum perfectè artem hanc erit conſecútus,cum ad ſuperiora hæc adiunxerit, vt oportunitatem loquẽdi tacendíque calleat,& vſum abuſúmve breuiloquij,commiſerationis,vehemẽtiæ acrioris, amplificationis, cæterarúmque partium orationis à præceptoribus traditarum,rectè cognoſcat,antè verò nequaquam. Eadem Ariſt. docet cap.

2.lib.1.Rhet.Patet,inquit,tria oratori esse capienda,vt scilicet facultatem ratiocinandi habeat,vt mores ac virtutes consideret, tertium vt de affectibus quid vnusquisque sit & quale quid & ex quibus nascitur & quo pacto. Vnde concludit rhetoricam quasi propaginem esse Dialecticæ & eius negotij quod circa mores versatur. Eáque occasione monendorum animorum rationem idem explicat toto lib.2.Rhetor.Sed quorsum hæc isto loco de Rhetorica ab Alcinoo notātur? Vt intelligamus prima philosophiæ parte contineri, artes omnes quæ orationis sunt cum ratione coniunctæ,quas logicas appellant:& in iis Dialecticæ ex altera parte rhetoricam respondere. Sic enim Cicero ex Platonicis scribit Academica 1.Dialecticam artem esse orationis ratione conclusæ,cui ex altera parte adhibetur oratoria vis dicendi,explicatrix orationis perpetuæ,ad persuadendum accōmodatæ.Probabile verò est in contextu Alcinoi, multa hoc loco desiderari,quæ monis de oratore & de rhetorica connexionem cum superioribus continebant.

12 Ex iis intelligi potest, quod antea indicauimus, Alcinoum in hac philosophiæ parte potissimum sequi eas distributiones quas ab Arist. accepimus: sed eis accommodare exempla quę in Platone notauerat, aut certè ea nobis accommodanda relinquere.Nam prēterquam quod Categoriarum distinctionem ait à Platone tantum adumbratam in Parmenide(cuius etiam rudimentum aliquod apparet initio Philebi) quam Arist.omnino expressit:hæc etiam Sophismatum siue fallacium reprehensionum diuisio,ab Arist.est profecta lib. de redargutionibus sophistarum:cuius exempla tātum ex Platonis Euthydemo, nec sine magna difficultate erui possunt.Diuisionem vero hanc sic Aristoteles exprimit.Reprehensionum,inquit,duo sunt generales modi,vnus in verbis,alter in rebus. Atque ille quidem modus,in quo vis captionis ex verbis oritur, in sex partes distribuitur: quæ sunt vocabuli multiplicitas,Orationis ambiguitas coniunctio,diuisio,accentus, forma dictionis, Aliter vero qui versatur in rebus, postea ab eodem sub diuiditur in genera septem: quorum primum est ex accidente: secundum,ex eo quod simpliciter aliquid dicitur,vel non simpliciter,sed cum aliqua adiunctione aut partis,aut loci,aut temporis,aut affectionis ad alterū:tertium est ex ignoratione reprehensionis:quartum ex consequenti:quintum ex eo quod sumitur illud ipsum,quod iam inde à principio in quęstione positum est: sextū ex eo quod pro causa ponitur quod minime est causa:septimum ex eo quod quę multę interrogationes sunt,pro vna accipiuntur.

13 Hęc Platonis laus eo maior est, quo definiendi ratio erat tum obscurior & paucioribus cognita.Siquidem hanc ante tempora Socratis maximè rudem extitisse,ex eo intelligi potest,quod apud Platonem quotiescunque Sophistę de natura rei alicuius interrogantur,respondent vt pueri: nec illam ad communionē vllam reuocant,sed exemplis tantum explicant, sicut obseruari potest in Menones itémque in Hippia maiore & minore. Quare Arist.1.ca.lib.1.de partibus animalium,scribit physicis sero admodum fuisse cognitā causam formalem: quod, vt ait,quid res esset,atque substantiæ definitionem ipsam explicare haudquaquā solerent.Sed democritus,inquit,hanc primus tetigit :non quod ad rerum naturalium studium putauerit necessariam, sed quod ab ipsa re traheretur. Socratis verò temporibus vsus definiendi increuit: sed indagatio rerum naturalium desiit,omnéque philosophandi studium ad vtilem virtutem ciuilémque vsum est translatum.Locus idem est cap.6.lib.1.& cap.4.lib.12.Metap.qui antea vsurpatus est,in quęstione de nomine dialecticæ.

14 Nobilissimus hic locus est de recta nominum impositione & significatione. In quo quanquam nonnulli arbitrentur Aristotelē Platoni omnino contrarium:

vtérque tamen illa ab homine instituta & ipsis rebus imposita esse vult: sed Plato adiicit, in illis imponendis dandã esse operam vt naturæ respondeant, eámque quoad fieri potest, representent. Vt quemadmodum in animo notio naturalem habet rei imaginem, per eámque apud omnes eodem modo significat (quod Arist. ait initio lib. de Interpretatione) sic in illis naturalis quædam sit eius rei quam significant, in ipso sono representatio. Qualis cernitur in singularum nationum communi pronunciatione: quæ idcirco communes patriæ mores dicitur indicare, vt in Germanis animositatem, in Gallis simplicitatem. Quare Agrippa cap. 69. lib. 1. de occulta philosophia, docet nominibus & verbis ipsique orationi, vim tantam inesse, vt ea spiritus alliciantur & vinciantur. Deferunt enim secum, inquit, non tantum conceptum, sed & virtutem loquentis, energia quadam trãsfusam in audientes & suscipientes, tanta sepe potẽtia, vt non eos tantum immutent, sed alia quædam corpora & res inanimatas. In quam sententiam multa alia dicuntur à Marsilio Ficino cap. 21. lib. 3. de vita studiosorum. Qua occasione, in hac quæstione Origenes lib. 5. cõtra Celsum, laudato Platone, Aristotelem (nescio an satis iustè) vt illi contrarium reprehendit. Nunc, inquit, ita decernimus, nominum ipsorum naturam, non imponentium leges esse, vt Aristoteles putat. Non enim ab hominibus principium habent mortalium linguæ: vt illis perspicuum est qui incumbendo, pernoscere naturam veneficiorum & Carminum possunt, quæ vtique pro loquendi varietate & nominum sono, linguarum inuentoribus accomodẽtur. De quibus nominibus breuiter supra nonnulla perstrinximus (lib. scilicet. 1.) affirmando in aliam linguam nomina ipsa traducta, quæ suapte natura & in propria lingua plurimum valeant, nihil vltra eorum efficere, quæ suo sono ante effecissent. Iã vero vel in ipsis hominibus aliquid eiusmodi inuenitur. Non enim eum qui ab ipso natali die græcum nomen sit sortitus: si vel in Aegiptiã, vel in Romanã, vel in aliã quamuis nuncupationẽ nomẽ id transtulerimus, cogere, vt aliquid patiatur siceret, vel vt ipse alios quoscúnque malo afficeret: quemadmodũ si suo & natiuo nomine, afficeretur. Ex quibus Celsum reprehẽdit qui nihil arbitrabatur interesse vtrũ Iouem quis altissimũ dixerit, siue Zena, siue Adoneum, siue Sabaoth, siue iuxta Aegiptios, Hammonẽ, siue vt Scythę, Pappæi. Vnde nata est alia quæstio, an sit homini sermo vllus naturalis quo sua spõte sibiusque naturæ impetu vtatur, etiam si à nemine omnino instituatur. De quo Psameticus Aegiptiorũ rex iudicare posset, dicitur ab Herodoto educati iussisse in syluis infantes duos vbi nullam humanam vocem audire possent. Vt quem illi grandiores facti, sermonem ederent: eum & omnium antiquissimum, & naturalem iudicaret. Hos post tres annos è syluis ad regem adductos, Bec, aliquoties protulisse: quæ vox cum lingua Phrygia panem significaret, ex eo illum collegisse, Phrygiorum linguam omnium primã & naturalem esse. Quanquam hoc illis acciderat, quod inter capras essent educati: à quibus hanc vocẽ acceperant, sicut scribit. D. August. lib. 9. in Genesin ad literã. Hic tamen cap. 11. lib. 16. de Dei Ciuitate, arbitratur ante confusionem linguarum, quæ exorta est in extructione turris Babilonicæ, natiuam fuisse linguam Hebraicam, nec postea defuisse domum ipsius Heber, in qua illa adhuc seruaretur. Ex quo Hebraicam vult appellatam, vt hoc nomine distingueretur à ceteris, quas cõfusio Babilonica pepererat. Etiam si idem libro de animæ quantitate doceat, omnem rationem loquendi ex auditu esse & imitatione constare. Quod videtur quoque efficere, vt quicunque surdi nati sunt, idẽ muti sint: sicut Arist. scribit cap. 1. lib. de sensu, & cap. 9. lib. 4. de historia animalium, nempe quod formandæ vocis ratio discenda sit, & auditu percipienda. Hoc enim longè probabilius est quam quod ex medicis scribit Ale-

An homo homini sit natiq.

xãder probl.133.lib.1. nẽpe par idẽ neruorũ esse,cuius pars vna ad linguã,altera ad aures vsq; porrigatur:atq; ita necesse esse cõmunem affectionẽ accidere. Non fieri tamen mutos eos qui ex morbo surdescunt,quòd pars altera tantum,ea scilicet quæ audiendi officio delegata est,suas vires amiserit: & mutos quoque,eadem ex causa non etiam surdos reddi, quod alterius nerui linguę accommodati lęsio sola sit. Vide quę de hac quæstione dicuntur à Lactantio. 11.lib.de Opificio dei. Ad probandum autem nomina & verba natura significare, scitum illud est quod ex P. Nigidio commemorat Gellius cap.4.lib.10.noctium Atticarum. Vos, inquit,cum dicimus,motu quodam oris conueniente cum ipsis verbis, demonstratione vtimur & labias sensim primores emouemus,ac spiritum atque animã porro versum, & ad eos quibus cum sermocinamur, intendimus. At contra, cum dicimus, nos, neque profuso intenróque flatu vocis: neque proiectis labiis pronunciamus, sed & spiritum & labias,quasi intra nosmetipsos, coercemus. Hoc idem fit & in eo quod dicimus,Tu & Ego, Tibi, & Mihi. Nam sicuti cum adnuimus & abnuimus motus quidem ille vel capitis, vel oculorum, à natura rei quem significat, non abhorret:ita & in iis quasi gestus quidam oris& spiritus,naturalis est. Eadem ratio in Gręcis quoque vocibus quam in nostris animaduertimus,in quo, Galenus lib.2.dẽ decretis Hipp. & Platonis, Chrysippum reprehendit,quod ex huius vocis, Ego,naturali pronunciatione,argumẽto haud dissimili,probare conaretur, animę sedem & principatum in corde existere.

15 Hanc similitudinem ita Plato exprimit in Cratylo. S O C. Radius porro,rextorum est instrumentum. H E R. quid ni? S O C. Textor itaque radio ac pectine recte vtetur:rectè,inquam,secundum texendi rationem. Ille vero qui docet, nomine vtetur & rectè,rectè videlicet secundum docendi propriam rationẽ. H E R. Certè. Deinde verbis aliquot interiectis,ostendit eiusdem esse artificij de nominibus,& verbis iudicare,& illis rectè vti:ipsíque legislatori ad eam rem,dialecticum in consilium esse adhibendum. Quis,inquit,S O C. nominum conditoris operi optime præsidebit & expletũ diiudicabit & apud Gręcos & apud barbaros? nonne & qui vtetur? H E R. Is certè. S O C. An Nũ is est qui interrogare scit? H E R. Iste. S O C. idẽ quóq; respõdere. H E R. nẽpe. S O C. Eũ vero qui interrogare scit atq; respondere,aliũ vocas quàm dialecticum? H E R. Dialecticũ profecto. S O C. Fabri ita opus est temonẽ facere gubernatore præcipiente,si bonus futurus est temo. H E R. apparet. S O C. nominum quoque authoris,nomen,monente dialectico viro,si modo recte ponenda sunt nomina. Sic Arist. scribit cap. 7.lib.3. Politic. de quibusdam rebus non solum eum optimè iudicare qui eas fecit,sed etiam qui vtitur. Nam temonem,inquit, melius cognoscit gubernator, quam faber,& dapes,conuiua quam coquus. Ad Platonis autem sententiam pertinet quod ex Mose scribit Philo Iudæus lib.de mundi Opificio. Omnes animãtes inquit,à deo adducte ad hominem,vt videret quas hic appellationes singulis inderet. Non quod dubitaret (ignotum enim deo nihil) sed sibi conscius quam rationalem in mortali naturam facerat,suapte vi mobilem, ne ipse esset vitij particeps. Itaque periculum faciebat iam noti,tanquam pręceptor, insitum ei habitum excitans & ad contemplationem operum suorum prouocans: vt eis ex tempore nomina imponeret,nec impropria,nec inconuenientia, sed diserte rerum proprietates exprimentia. Cum enim rationalis natura,etiam tum, pura maneret in anima,nullo turbante languore,aut morbo,aut affectu, purísque vteretur tam corporum quam rerum imaginationibus,non abeirrabat à verò dum eis nomina inderet,appositis significatis applicando: vt ad primum vocabuli sonum, mox natura cuiusque intelligeretur. Quod verò hic adiicitur de Dialectico vt

nominum impositorum iudice: de eo intelligendum est quem Theologum vel Metaphysicum solemus appellare. Idque secundum eã loquendi consuetudinẽ quã in Platone ex Plotino & Marsilio Ficino antea obseruauimus ca.3. de qua etiam ampliusdisseretur capite proximo. Locum autem superiorem de comparatione orationis cum instrumento, obiter Arist. reprehendere videtur libro de interpretatione, cum ita scribit, Est omnis oratio significans, inquit, non vt instrumentum, sed quemadmodum dixi, ex instituto.

AGGREDITVR SECVNDAM PHILOSOPHIÆ partem, quæ in veritatis contemplatione consistit. Cuius cum tres aliæ particulæ sint, eam primo loco ex Platone describit, quæ artes Mathematicas continet.

CAP. 6.

1 *Deinceps autem de ea parte agamus quæ ad contemplationem pertinet.* 2 *In qua quiddam est Theologicum, aliud Physicum, aliud Mathematicum.* 3 *Theologici finis est, cognitio primarum causarum, & earum quæ sunt supremæ ac principes.* 4 *Physici, discere quæ vniuersi natura sit, & quale quid animal, homo: quem locum in Vniuerso habeat:* 5 *Num deus omnibus prouideat, an etiã huic Dij quidam alij sint subiecti: aut quo modo homines ad deos affecti. Mathematici verò finis est, planam & in tres dimẽsiones porrectam naturam cognoscere, & lationes quo modo se habeant exquirere. Mathematici autem studij speculatio summatim subiiciatur. Hæc à Platone assumpta est ad cogitationis discurrentis aciem, qua animus acuitur, & ad contẽplationem eorum quæ sunt, accuratam subtilitatem præbet.* 6 *Cuius pars ea quæ circa numeros versatur, non vulgarem facilitatem parit ad ascensum ad id quod est: sed propemodum liberat errore & ignorãtia quæ circa hæc sensilia versantur & adiumentum affert ad essentiæ cognitionem. Atque ad bella gerenda promptum reddit, per eam peritiã quæ*

ad

ad instruendam aciem est necessaria. Quod autẽ Geometriæ est, idem ad ipsius boni cognitionem accommodatissimum. Cum quis non actionis causa hanc persequitur, sed vt ad id quod est, semper ascendat: non vt in iis quæ oriuntur, & intereunt, versetur. Vtilissima etiam est ad actionem & effectionem, si quis eius principia ad hæc accommodare velit. Post accretionem secundam consequens eius contemplatio, quod tertiam suscipit. Vtilis præterea vt quarta quædam disciplina, Astronomia est: per quam in cælo, huius astrorúmque motus contemplabimur, & diei ac noctis opificem, mẽsium item & annorum. Ex quibus secundum familiarem viam, vniuersorum opificem inquiremus: ab iis disciplinis tãquam ab aliquo fundamento, quasíque ab elemẽtis ascendentes. Musicæ quoque rationem habebimus, ad ea ipsa auditum adhibentes. Vt enim ad Astronomiam oculi dati sunt, sic auditus ad concentum. Vtque in Astronomiam incumbẽtes, ab iis quæ oculis percipiuntur, ad inaspectabilem & intelligibilẽ essentiam deducimur: sic concinnã vocem audientes, ad ea quæ intellectu percipiuntur, per hæc ipsa quæ in sensum aurium cadunt, ascendimus. Vt nisi hoc animo istas disciplinas persequamur, in iis vanum nostrũ studium, & inutilis labor sit futurus. Oportet enim acutè ab iis quæ videntur & audiuntur, ad illa progredi quæ intelligentia cernuntur. Si quidem harum disciplinarum speculatio, ad contemplationem eorum quæ sunt, præludium quoddam est. Geometria quippe & Arithmetica, & qui eas colunt, ad eius quod est cognitionem viam affectant: sed circa id somniantibus sunt similes, nec in eo reuera quicquam consequi possunt. Quoniam ignorant ipsa principa, & quæ ex iis or-

ta sunt. Maximum tamen ad id quod dictum est, adiumentum afferunt. Ideóque nec eiusmodi disciplinas Plato scientias esse dixit. 7 *Dialectica quidem Methodus, ita comparata est, vt per Geometricas Hypotheses, ad prima potissimáque principia, quæ ex Hypothesi non sumuntur, assurgat: eóque dialecticam scientiam appellauit. Mathematica verò neque opinione contineri voluit, quòd illa clariora sunt iis rebus quæ in sensum cadunt: neque verò scientia, quia obscuriora sunt primis intelligibilibus. Sed opinionem corporum esse dicit: scientiam primorum: cogitationis discursum, eorum quæ mathematicis sunt subiecta. Ponit autem fidem & imaginationem: illam quidem sensilium, hanc verò imaginum & visorum. Quoniam verò Dialectica disciplinarum omnium potentissima est, quod circa diuina constátiáque versetur: idcirco illa mathematicis superior statuitur, velut lorica & reliquarum custodia.*

Ia. Carpentarij Commentarius in Cap. 6.

1 Si in Alcinoo nostro satis esset authoritatis contra Thessali Methodici inomnem antiquitatem furentis, incredibilem impudentiam, locus hic per se sufficeret ad defendendam nostram sententiam in quæstione de fine & vsu artium Mathematicarũ. In qua ab illo, proœmio Mathematico, sic quõdam sumus exagitativt proper hanc maximè in regia professione iniquissimè vexaremur. Qua hoc ipso nomine, indigni dicebamur: & procul dubio explosi fuissemus, si tantũ hic potuisset quantum velle se, magna animi impotentia apud omnes profitebatur. Pro quo ex illo tempore idem nobis satis dedit pœnarum: modo in iis exercitatus, tandem aliquando ad meliorem mentem redeundo, nostræ Academiæ & vniuersæ rei literariæ possit satisfacere. Sed quid eum Alcinoi authoritate cõmoueas cui in eadem quæstione Pythagoras, Plato, Aristoteles omnino vilescunt? De qua quanquam contra eundem abundè à nobis disputatum sit cap. 1. nostrarum prælectionum in Spheram, ea tamen diligenter obseruanda sunt quæ de quatuor artium Mathematicarum potissimo nobilissimóque vsu, hoc loco dicũtur & cum Platonicis, ex quorum fontibus deriuantur sedulnconferenda: vt à germanis philosophis intelligatur (hos enim, non istos nugiuendulos, iudices expeto) id in quo ab illo exagitabamur & propter quod olim regia professione prohibebamur, Pythagoreorum omnium veterúmque Academicorum & Peri-

pateticorum ſummo conſenſu eſſe probatum. Dixeram in artibus Mathematicis non eſſe quærendum externum finem in dirigendis mechanicis, ſed earum dignitatem ingenua contemplatione contineri: quæ ſe ipſa terminatur aut ſi ad aliud referenda ſit, ad mechanica minimè ſe abiiciat, ſed potiùs erigat ad contẽplationem eius quod eſt, in qua ſumma eſt futuri philoſophi perfectio. Ad hanc verò mathematica hoc ipſo animum erigere: quod hunc exercent in abſtractionibus: in quibus conſiſtit præludium quoddam ad philoſophicam ſolutionem animi à corpore, per quam hic fruitur primorum intelligibilium aſpectu. Quam ego ſcio veram eſſe ſententiam Platonicorum omnium & facilè animaduerto eandem Alcinoum toto hoc capite in ſingulis artibus mathematicis apertiſſimè eſſe ſequutum. Mathematici ſtudij ſpeculatio, inquit, à Platone aſſumpta eſt ad cogitationis diſcurrentis aciem, qua animus acuitur & ad contemplationem eorum quæ ſunt, accuratam ſubtilitatẽ præbet. Atque hoc quidem de vniuerſo ſtudio mathematico. De ſingulis autẽ eius partibus videamus quid ſequatur. Pars ea, inquit, quę circa numeros verſatur, non vulgarem facilitatem præbet ad aſcenſum ad id quod eſt: ſed propemodum, liberat errore & ignorantia quę circa hæc ſenſilia verſantur, & adiumẽtum affert ad eſſentiæ cognitionem. Atque hoc quidem de Arihmetica. De Geometria idem paulò poſt. Quod autem Geometriæ eſt, inquit, idem ad ipſius boni cognitionem accomodatiſſimum: cum quis non actionis cauſa hanc perſequitur, ſed vt ad id qnod eſt, ſemper aſcendat. Non vt in iis quæ oriuntur & intereunt, ſemper verſetur. Sequitur idem de Aſtronomia & muſica. Vt in Aſtronomiam incumbentes, inquit, ab iis quæ oculis percipiuntur ad inaſpectabilem & intelligibilem eſſentiam deducimur: ſic concinnã vocẽ audiẽtes ad ea quæ intellectu percipiũtur per hæc ipſa quæ in ſenſum auriũ cadunt, aſcendimus. Audiamus vero eiuſdem concluſionem. Niſi hoc animo, inquit, iſtas diſciplinas perſequimur, in iis vanum noſtrum ſtudium & inutilis labor ſit futurus. Oportet enim acutè ab iis quæ videntur & audiuntur, ad illa progredi quæ intelligentia cernuntur. Si quidem harum diſciplinarum ſpeculatio ad contemplationem, eorum quæ ſunt, præludium qnoddam eſt. An non hæc noſtram de mathematicorum fine ſententiam apertè confirmant Theſſalique vanitatem detegunt in eiſdem ad mechanica referendis? Atqui eadem omnia penè ad verbum ab Alcinoo deſcripta ſunt ex Platone lib. 7. de rep. In quibus ſequendis artes mathematicas Theſſalo videmur irridere: ipſe verò, ſcilicet valdè eaſdem nobilitat, cum ad mechanica accommodat, in quibus illę opere faciendo contaminantur atque fœdantur. At idem Plato, ſicut & Alcinous hoc capitè, nõnihil indulgens aliquando noſtræ imbecillitati: quoniam, vt idem ait in Timęo, non omnes participes ſumus eius mentis, quæ ad diuinorum contemplationẽm per mathematicas abſtractiones poteſt erigi, mathematica refert ad popularem aliquem vſum & ad dirigenda mechanica: non in iis earum dignitatem, quę fine continetur, inquirens, ſed parti morboſæ ſuorum ciuium accommodans, quæ ſine hoc artes mathematicas vidĕbatur omnino repudiatura. Sic enim Romani, vt Cicero ait prima Tuſculana, earum vtilitate eiuſmodi quęſita, terminauerunt modum. Itaque ille quotieſcunque in ſchola philoſophica, idoneis auditoribus artes illas commendat, vnicam in eiſdẽ celebrat exercitationem in abſtrahendo per quã mẽs excitatur ad diuina. Ac in populari concione & apud rudes, efficere conatur ex illis poſſe aliquid colligi quod ad vitę vſum commodiſſimè trãsferatur. Quale eſt quod de promptitudine ad bella gerenda peritiáque ad inſtruendam aciem ex eodem Platone hoc loco Alcinous commemorat. Quare ſi Theſſalo animus ſua impuritate eſtuat adhuc in ſenſilibus, nec poteſt ſupra hęc ſe co-

gitatione erigere, sicut ex eo colligo quod scribit in proœmio mathematico, cæcã Platonis ambitionẽ in inducẽda abstractione, artes mathematicas perdidisse, quódque idẽ dicere audet (quid enim est quòd non audeat istius hominis os impudẽs?) celeberrimam Pythagoreorũ, imo verò philosophorũ omnium, ἀφαίρεσιν, phantasticam esse & sophisticam, nescio cuius fabulæ vmbram (pro qua contra hunc à nobis disputatum est cap. 4. nostrarum prælectionum in Spheram) si, inquam, tanta est in hoc cogitationis impuritas, vt propter hanc, in religione inter suos ne infimo quidẽ ministerio dignus, nuper sit habitus: hoc illi quidem non inuiti concedamus, vt ad mechanica, quibus dignissimus est, suis mathematicis abutatur (nec enim in eo magnam iacturã res literaria patietur) dum modo tamen cõtra eiusdem impudentiã, sartam tectam retineamus eam in illis dignitatem, quæ omnium veterũ philosophorum probata cõsensu. De quo postulo attentè considerari quæ à nobis collecta sunt duobus illis capitibus. 1. & 4 nostrarũ prælectionũ in Spheram. Quoniam nõ placet rẽ eandẽ pluribus locis repetere.

2 Alcinous mathematica docendi ordine physicis anteponit, credo quod Platonicorum imitatione, physica cum metaphysicis & Thologicis vellet coniungere: ad quæ ipsa mathematica viam parant. Quanquam hoc non sine dubitatione est. Nam cum in tribus formarum differentiis, ad quas refertur contemplatio veritatis, mathematicæ mediæ sint inter physicas & metaphysicas (sicut ex Arist. colligi potest lib. 2. physi.) artes quoque, quæ ad has pertinent, medio loco videbantur explicandæ: vt scilicet physiologia contempletur formas, quæ cum materia communicant: mathematicæ artes eas, quę etsi reuera cum materia coniunctæ sint, ab hac tamen cogitatione abstrahuntur: metaphysica, alias quæ *omnino* materiæ sunt expertes, in quas tãquam in finem philosophica contemplatio desinit. At duabus aliis de causis iisque ad nostrum captum accommodatis, in mathematicis primus gradus contemplationis philosophicæ positus esse videtur. Priore quidem, quod hæc etiam si abstrahant à materia in sensum cadente, in iis tamen formis versentur, quarum ratio magna ex parte minus fortasse recondita quam naturalium. Quis enim non faciliùs cognoscit triãguli, vel quadrati formam, quã in homine vel animali eam quæ interior primáque perfectio, & causa essentiæ, vel potiùs ipsa essentia? Posteriore verò, quod circa mathematica animus, vt paulò antè dictum est, perpetuò exercetur in abstractionibus: sine quibus ne in physicis quidem generalibus sermonibus versari potest. Quoniam & in iis generum formarúmque rationes à rebus singulis cogitatione nostra quodammodo abstrahuntur. Quod etiam amplius capite proximo intelligetur in materia prima: cum huius ratio ab omnibus formis erit abstrahenda. Neque verò negligendum illud est, quod propter singularem mathematicorum diligentiam in ordinis obseruatione, artes hæ omnium maximè accommodatæ, iudicatæ sunt à Platonicis, ad excitandam vitæ superioris recordationem: in qua iidem omnem discendi laborem situm esse voluerunt. Sicut obseruari potest in eo puero qui de dimensione quadrati à Socrate interrogatur in Menone. Itaque vt hæc pars per quandam excellentiam μάθησις, id est, disciplina est appellata, sic meritò reliquis omnibus superioribus philosophiæ partibus præposita: quasi futuri philosophi vniuersam pædiam in se complexa. Ad hanc rem vide quod Aristoteles scribit libro 12. Metaphysicorum, itémque Proclus cap. 15. Commentarij in Euclidem: & quod à nobis copiosius disputatum est contra Thessalum cap. 3. prælectionum nostrarum in Spheram.

3 Primas causas supremásque ac omnino principes, eas intelligere oportet, quæ in vniuerso entis genere, non tantum in aliqua huius parte, supremæ sunt. Sin-

gulæ enim scientiæ, quæ particulares nominantur, demõstrant per causas in suo genere primas: sola vero metaphysica siue Theologia per causas omnino primas. Hæ verò sunt apud Platonicos, in genere quidem subiecti materia prima: in exemplaribus, idea: in efficientibus vero Deus. Theologia enim duce, animus diuinæ pulchritudinis amator, vt Plato ait in Symposio, quando repurgatus, diuinas rationes attigit, tunc non ampliùs simulachra rerum, sed res ipsas in se cõcipit: conceptas fouet, atque ita cum Deo familiariter versatur: aut quod de Minoe & Numa fabulata est antiquitas, Dei colloquio fruitur. Idem in Phædro, ait diuinorum contemplatorem à reliquis segregari, prorsus purgari, Deo adhærere, eo impleri. Et 7. de Rep. hunc certis gradibus ad principium vniuersi ascendere, ipsum tangere atque tenere, adhærentem semper his, quæ adhærent principio. Quippe cum nullis sensibilium rerum corporeis gradibus ad id contendat: sed ipsis formis, per ipsas, ad ipsas potius inuitatur: quousq; ad speciem, finémque vniuersi perueniat. Quem locum sic explicat Marsilius Ficinus ca. 3. lib. 12. Theologiæ Platonicæ. Theologus tum agendo, tum disputando, inquit, purgat à corporeis affectibus animam: segregat rationem à fallacibus rerum sensibilium coniecturis: inuitat mentem, vt ad veritatem huiusmodi gradibus se conferat, speciebus, id est insitis ab origine formulis: per species, id est per formationem quæ nobis prouenit ab ideis: ad species, id est ad ipsas ideas & rerum naturalium species considerandas. Quas species idem ait adhærere Deo Vniuersi principio. Quoniam fons est idearum. Theologi verò mentem illis adhærere, id est illis se informandam insinuare. Per quam insinuationem dicitur Deum tangere, id est diuina mente informari. Adiunxit & tenere Deum, duabus vt puto, de causis. Tum, quia vbi mens semel ita cæpit, forte nunquam talis vitæ statum intermittit: tum quia postquam mente diuina multis ex partibus iam mens nostra formata est, diutius contemplando, incipit vsque adeo, supra hominem sapere, vt se per Deum, & Deum, & in Deo contemplari nõ ignoret. Sed quoniam, vt idem Marsilius docet in Apologiam Platonis, non omnium ad cælestia aspirantium eadé fuit de Deo, huiusque prouidentia & cultu sententia apud veteres, Theologi in tres sectas sunt diuisi. Alij Dæmonibus solis sacrificabant, metuentes fortasse ne homnium vota ad cælestes Deos non peruenirent: alij cælestia corpora colebãt, existimãtes illa non viuere solum atque intelligere, sed etiam radiis suis circunspicere cuncta atque audire: veruntamen animorum in iis corporibus viuẽtium vota ad superiores Deos, qui nullum cum corporibus commercium habent, peruenire non posse: Alij denique hos ipsos Deos imprimis venerabantur, iudicantes à summis rerum causis effectus omnes, etiam humanos, tam cognitione quã virtute perfectissimè contineri.

4 Hoc rerum naturalium studium Plato 7. de Rep. tum demùm probat in suis ciuibus, cum ad cælestia refertur: & eo animus ipse in aliquam Dei cognitionem erigitur. Quare testatur Socrates in Phædone, se ea mente aliquando cupidè arripuisse libros Anaxagoræ Physici. Cum audissem, inquit, ex libro, vt ille aiebat, Anaxagoræ legentem quendam hanc ipsius Anaxagoræ sententiam, videlicet mentem omnia exornare, omniúmque causam esse: hoc vtique causæ genere magnopere sum oblectatus: existimans quodammodo consentaneum mentem esse omnium causam, putabámque si id ita esset, vt mens omnia exornaret, singula per hanc vitam ita esse disposita, vt optimè disponi potuerant. Propterea si quis vellet causam inuenire qua singula fiant & pereant, aut sint, hoc ipsum esse inueniendum: qua videlicet ratione optimum sit vnicuique aut esse, aut quoduis aliud agere, vel pati. Atque hoc pacto nihil aliud considerandum homini vel de

se ipso, vel de aliis, nisi quod potissimum sit & optimum. Necesse verò est eum qui id nouit, illud quoque quod deterius est, cognouisse. Quippe cum eadem horum scientia sit. Hæc vtique ipse mecum reputans gaudebam, inuenisse ratus Anaxagoram magistrum qui me, id quod tãtopere expetebam, causas rerum doceret. Hac igitur mirabili spe ductus cum legere pergo, video hominem mente nullo modo vtentem, nec causam vllam ad ipsum rerum ornatum referentem, sed Aereas naturas & Aetheras aqueasque, & talia multa incredibilia pro rerum causis assignantem. Quo errore in Anaxagora notato à Socrate, admonitus Plato, videtur in explicanda naturæ vniuersitate in Timæo, Pythagoram potiùs quàm Democritum, aut quàm hunc ipsum Anaxagoram, secutus: quòd ille in mathematicis exercitatum, animum à naturalibus ad diuina erigeret: hi in materiæ absoluta necessitate (quã Arist. exagitat cap. 9. lib. 2. phys. & cap. 1. lib. 1. de partibus Animalium) omnia ponentes, vanis quæstionibus à diuinis auertebant, potius quàm ad illa inuitarent. Hic verò Alcinous videtur breuiter indicare, quod illo Dialogo pluribus à Plat. explicatur. Si quidem in eo statim initio, de Rep. quædam præfatus, institutum de vniuersitate sermonem in partes tres distribuit: quarum prima agit de mundo, qui sola intelligẽtia percipitur: secunda, de hoc, quem incolimus, tertia de homine: vt intelligatur quem locum in vniuersitate obtineat, quoque modo minor quidam mundus esse dicatur.

5 Locum hunc de diuina prouidentia eiusque gradibus sic explicat Iamblichus lib. de mysteriis Aegyptiorum. Deorum prouidentia vniuersalis est, inquit, Demonum verò particularis. Deus primus dat omnibus omnia: dij sequentes omnibus aliqua largiuntur. Dæmones atque animæ aliquibus solum & aliqua tantum. Et amplius eodem libro, Quando dij, inquit, varias mundi partes, vrbes, ædes, statuas propriè sortiri dicuntur, intellige essentiam potentiámque illorum vbique in se vigentem, hoc aut illud potissimum illustrare, atque sicut lumen in se manens, sine mixtione diuisionéque sui, diuersa passim illuminat: ita dij. Sicut lumen solis idem totum cõtinuum est vbique, neque potest in partes diuidi, neque alicubi claudi, neque à fonte proprio separari, neque miscetur aëri, licet adsit, quippe cum nihil relinquat luminis, calore tamen à calefaciente relicto: ita cuiusque Dei lumen totum indiuiduè toti mundo penitus adest, licet parti cuidam præcipuè vim suam maximè sibi accommodatè concedat. Interea tamen quodam modo implet omnia, ob potẽtiam perfectam & excessum causalẽ protsus immensum. Plato in Timæo, scribit animalium mortalium procreationem à Deo patre, filiis esse demandatam: ne hæc ab eodem procreata, essent quoque futura immortalia. Quæ sententia postea exactiùs tractabitur cap. 14. lib. huius. Et quanquam in hac quæstione Aristoteles à nonnullis contumelioſè, ἄθεος nominetur, opinionem tamen haud dissimilem secutus videtur libro de mundo ad Alexandrum. Cum diuinum numen, inquit, natura sua ita sit comparatum, vt quoquouersus permeet: nimirum ea in quibus ipsi versamur, ac nobis superiora, pro eo quantus est accessus ad Deum vel abscessus ab eo, eius opitulationem quoque sentiunt. Proinde id præstabilius esse censemus Deóque tum decentius, tum magis consentaneum, ita de eo opinari vt dicamus potestatem illam in cælo sedes suas habentem, incolumitatis causam rebus vniuersis præstare, iis quoque quæ longiùs ab ea remota sunt. Nec illis assentiri, qui eam ipsam potestatem per omnia pertendentem, & ventitantem ad ea quoque quæ nec adire ipsam honestum est, nec dictu speciosum, sua illic opera efficere contendunt, réſque terrenas administrare. Coniunctum illud quoque est, quod idem scribit lib. 12. Metaphys. de intelligentiis perpetuis, immobilibus & magnitudinis expertibus,

quæ celestibus orbibus præfectæ, hos mouent & regunt: sed ita tamen vt vnius Dei imperio & numine teneantur. Quia, vt eodem libro concludit, Rerum natura malè administrari nō vult: nec multorum principatus est vtilis: Ideo vnum principē esse oportet. Sed de hac quæstione postea accuratiùs cap. 9. vbi de Deo diuináque prouidentia Platonis & Arist. sententiæ inter se conferentur.

6 Pythagorei, vt scribit Proclus cap. 12. lib. 1. in Euclidem, artes mathematicas subiectis ita distinxerunt, vt de iis duas Geometriam & Astrologiam, in quantitate coniuncta versari dixerint: illam quidem in hac vt quiescit, alteram in eadē vt mouetur: reliquas verò Arithmeticam & musicam in numero vt quantitate disiuncta, sed ratione dissimili. Quoniam in Arithmetica numeri ratio absoluta est in musica, eadē refertur ad aurium suauitatem. Ex quo intelligi potest Geometriam & Arithmeticam magis propriè quam Astrologiam & musicam in mathematicis haberi. Quia illæ à motu & sensu magis abstrahunt. Quod maximè proprium est Mathematicorum, quod etiam Aristoteles scribit lib. 1. Analy. Post. Atque ipsa Geometria primo contemplatur figuras in planis, quorum duæ dimensiones tantum sunt, vno longitudinis, altera latitudinis. Quibus cum adiecta est crassitudo corpus existit ternarióque numero dimensionum tanquam perfectissimo absoluitur: quod idem Arist. scribit cap. 1. lib. 1. de Cęlo. Cum autem etiam in solidis mathematicus versari possit (cur enim non licebit dimensionum in iis sicut & in planis, figuras, harúmque differentias cogitatione à sensu abstrahere?) quæstio hoc loco existit ad quam artium mathematicarum partem, eorum contemplatio debeat referri. Proclus cap. 11. lib. eiusdem, Geometrię partem facit Stereometriam, cuius propria sit hæc solidorum contemplatio, de qua loquimur. Eadem erit Alcinoi sententia, si eam lectionem retinemus, quam hoc loco sumus secuti, & Geometrię quoque subiici intelligimus vt partē quandam, contemplationem eius quod secundùm tertiam dimensionem incrementum capit. Sed fortasse potiùs hoc de Stereometria à Geometria separata, est intelligendum. Quoniam proximè in artibus Mathematicis Astronomiam quartam numerat. Quarta verò videri non potest si duæ tantum antea, Arithmetica & Geometria, sint numeratæ. Et certè id ita explicat Marsilius Ficinus, in epistola quadam de Platonica philosophi natura, lib. 4. Epistolarum. Qui locus vt sine errore intelligatur attentè considerare oportet, quæ pluribus dicūtur. 7. de Rep. ex quo hæc sunt descripta. In eo primam Arithmeticam, secundam Geometriam sicut & in Timæo statuit, duplicémque vtriúsque vtilitatē facit: vnam in vitæ vsu, alteram in excitanda & dirigenda contemplatione ad prima diuináque. Deinde de Astronomia ita quærit. An tertio loco ponemus Astronomiam? Quid censes? Ponendam equidem. Nam mutationes opportunitatésque temporum præsentire, non minus rei militari quam agriculturæ nauigationique conuenit. Deinde verbis aliquot interiectis sententiam mutat, & Astronomiæ hanc solidorum contemplationem anteponit: quam cōqueritur tum non satis fuisse cognitam. Age, inquit, retrogredere: nam nunc haud rectè quod Geometriæ succedit, accepimus. Quare? Quia post planum, solidum illud quod circunfertur, accepimus, antequam ipsum secundum seipsum comprehenderemus. Decet autem statim post augmētum secundum, tertium capere: est autem hoc circa cuborum augmentum, atque id quòd profunditatis est particeps. Est certè. Sed hæc ô Socrates nondum reperta videntur. Huius duæ sunt causæ, quia videlicet nulla in ciuitate hæc honorantur: & cum inuentu difficilia sint, haud ardenter quæruntur, & qui ista perquirunt, duce indigent, sine quo minimè reperient. Quem esse primo difficilè est: deinde etiam si sit, dum tamen ita se habent vt nunc qui hæc

indaget, fastu elati nequaquam parerent. Sin autem ciuitas tota huic operi præsideat, honorificè hæc ducens, & isti obtemperabunt quidem, & hæc sedulò studioséque discussa, clariùs emicabunt. Quippe etiam nunc, quanquam & vulgus hæc contemnit & prohibet, & qui hæc perscrutãtur, qua ratione vtilia sint, ignorant, tamen vi gratiæ cuiusdã valent. Neque mirum si hæc ita apparuerint. Nempe quod gratum est, id præcipuum. Sed mihi quæ nũc dicebas explana. Studium quod circa planum versatur, Geometriam vocabas. ¶Equidem. post Geometriam continuo Astronomiam ponebas: sed paulò post retro retulisti pedem. Enimuerò quò magis propero, eò peruenio serior. Nam cum mox illi succederet facultas illa quæ de augmento in profundum agit, quia ridicula eius habetur inuestigatio, eam transgressus, post Geometriam Astrologiam protinus attigi: quæ in profundi agitatione consistit. Probè loqueris. Ergo quarto loco ponamus Astronomiam, tanquam adsit ea facultas quæ nunc fuerat prætermissa, si modo in ciuitate suscipiatur. Tandem de comparatione Astronomiæ cum Musica alium locum subiicit ex Pythagoreis, qui Alcinoi verba valdè illustrat. Quemadmodum, inquit, ad Astronomiam oculi, sic ad harmonicum motum aures videntur fabricatæ. Vnde & has inuicem esse germanas scientias & Pythagorei putant, & nos Glauco assentimur. Pertinet etiam ad hunc locũ quod Plato scribit in Hippia maiore, ex quinque sensibus duos esse, aspectum scilicet & auditum, quibus ad ipsius pulchri cognitionem præparemur: reliquos impuriores esse, & minus pertinentes ad naturæ humanæ propriam excellentiam.

7 Antea, capite tertio, obseruauimus quo modo in artificio differendi Aristoteles & Stoici Dialecticæ nomen soleant vsurpare. Nunc verò Platonica *loquẽ*di consuetudine, quæ eodem loco notata est, ipsa Metaphysica primá que sapientia, Dialectica nominatur: atque idcirco concluditur hanc scientiarum omnium esse potentissimam, quòd circa diuina constantiá que versetur: eandémque Mathematicis superiorem velut loricam, & reliquarum custodiam. Sic enim etiam Aristoteles Metaphysicam Architectonicam appellat, quòd prima omnino fidei fundamenta ex hac repetenda sint: adeo vt in singulis scientiis nulla fides sit absoluta, nisi ad prima omnino illius axiomata omnia sint reuocata: quod in encyclopedia scientiarum idem Aristoteles nos docuit lib. 1. Analyt. Post. Sicque de Dialectica hoc loco dictum est, eam per Geometricas hyppotheses, ad prima potissimá que principia, quæ ex hyppothesi non sumuntur, assurgere. Atque hæc quidem Dialecticæ Platonicæ & Arist. Metaphysicæ authoritas ac principatus, in regno fidei spectandus est ex legibus demonstrandi, & ex ordine quem secundum has, omnes scientiæ inter se obtinent. Aliter verò doctrinam politicam reliquarum principem ac dominam Aristoteles vocat cap. 2. lib. 1. Ethic. quod ab illa pẽdeat inter ciues omnium artium & scientiarum æstimatio. Nempe quoniam harum vnaquæque in ciuitate tantum obtinet prætij, quantum ab ipsa ciuili disciplina conceditur: pro cuius scilicet arbitrio quædam in nouo honore sunt, aliæ de antiquæ dignitatis gradu deiiciuntur. Est verò locus hic penè ad verbum desumptus ex 7. de Rep. In quo cognitionis nostrę (sicut antea significatum est) tres differentias constituit, vnam supremam in scientia, alteram in cogitationis discursu, tertiam in opinione. In quibus pro varietate obiectorum distinguendis sic eiusdem sententiam interpretatur Proclus cap. 1. lib. 1. in Euclidem. Quapropter Plato, vt arbitror, inquit, eorum quæ sunt cognitiones primis, mediis & postremis subsiantiis diuidebat: & impartilibus quidem intellectilem tribuebat, quæ collectim & simplici quadam via diuidit quæ mente percipiuntur: & cum sine materia sit, & summa quadam puritate prædita, & quadam vnius formæ

formæ ratione se contineat, réſque ipſas apprehendat, cæteris cognitionibus excellit: Partibilibus autem postremámque naturam sortitis & sensilibus omnibus, opinionem, quæ obscuram veritatem nacta est: mediis verò (cuiusmodi sanè Mathematicæ formæ sunt) & impartibili natura inferioribus, partibilique superioribus, cogitationem. Hæc enim mente quidem supremáque scientia inferior est: opinione autē perfectiore & magis certa atque pura. Nam progreditur quidem mentisque impartibilitatem explicat, & intelligentis apprænsionis quod conuolutum erat, euoluit: colligit autem rursum quæ diuisa sunt ad mentémque refert. In quibus Proclus inter tres differentias formarum philosophicæ contemplationi propositarum, eum ordinem exprimit, quem ex Arist. lib. 2. physic. paulò antè indicauimus. Sed Platonem eo ipso loco, (nempe 7. de Rep.) ex quo hæc descripta sunt, audiamus. Opinionem postquam statuit infimo gradu cognitionis nostræ ad hánc que retulit fidem & imaginationem, sicut ad intelligentiam, ipsam scientiam & cogitationem: & opinionem quidem circa generationem, intelligentiam verò circa essentiam versari dixit: his positis de Dialectico hæc subiicit. An non Dialecticum vocas eum, qui rationem cuiuslibet capit essentiæ? Illum verò qui hanc rationem nō habet, quatenus nec sibi, nec alteri potest reddere rationem, eatenus intelligentiam circa hoc habere negabis? Certè non aliter est docendum. De bono etiam similiter iudicandum. Nam quicunque boni ideam ratione definire non potest, à cæteris omnibus eam distinguens, & tanquā in prælio per omnia penetrando, cætera cuncta reiicere, non secundum opinionem, sed secundum subſtantiam arguens & refellens, pérque hæc omnia stabili & inconcussa progredi ratione, hunc ita affectum, neque bonum ipsum dices cognoscere, neque aliud quicquam bonum: Verum si quod fortè simulachrum attigerit, opinione potius quam scientia illud attingere: atque ita in vita insomniis dormitantem illudi, & antequam expergiscatur, ad inferos descendentem extremo tandem occupari sopore. Per quem omnia hæc prorsus asseuerabo. Cæterum liberos tuos quos nunc oratione instruis, si quando reipsa erudires, vt arbitror, non permitteres maximarum rerum in ciuitate potestatem habere, dum linearum instar, non possent cuiúsque rationem reddere. Non certè. Legem itaque feres qua iubeamur eam potissimum disciplinam capessere, ex qua ad interrogandum & respondendum, vt scientem decet, aptissimi sint. Tecum vna istud præcipiam. An ergo tibi videtur doctrinis omnibus, Dialectica velut apex esse præposita, nec vlla doctrina vlterius, ac eminentior reperiri: sed hic iam doctrinarum omnium esse finis? Mihi quidem videtur. Reliqua parte Dialogi eiusdem, hanc primam sapientiam, quam Dialecticam nominat, tāti facit vt eam primum nolit attingi, nisi ab iis quibus à natura, suppeditata sunt abundè ea ornamenta, quæ in futuro philosopho necessaria descripsimus cap. 1. libri huius. Deinde negat quenquam huius auditorem idoneum fore antè annum ætatis tricesimum. Illa verò quæ ad Arithmeticam & Geometriam pertinent, quæ Dialecticam antecedere debent, pueris tradenda esse velit: ab iisque eum docendi modum accipiendum, quo minimè coacti ad discendum esse videantur. Quorum omnium rationem ita concludit. Non te latet, inquit, quod cum primum adolescentuli disputationis artificium gustant, eo protinus quasi ludo quodam ad refellendum vtuntur, eósque qui confutant alios, studioſè sectantes, & ipsi quoque alios redarguunt, ac distrahendis lacerandísque proximis, Catulorum more assiduè delectantur. Mirum in modum. Cum verò plures conuicerint, & à pluribus ipsi conuicti fuerint, eò confestim deueniunt, vt ex pristinis opinionibus ratam nullam habeant. Atque ex his & ipsi, & omnis philosophia apud alios calumniā

reportarunt. Vera refers. At vir natu grandior ab hac insania diligentius declinabit, ac hominem inuestigandæ veritatis gratia differentem imitabitur potiùs quàm eum, qui iocandi causa versutiis captiunculisque iucũbit. Quin & ipse modestiùs sese geret, & disputãdi studium ex infami reddet illustrius. Addit eodem loco, si quis in hãc Dialecticam seriò ita iucumbat vt nihil agat aliud, nisi quod vicissim quandóque gymnasiis corpus exerceat, ad huius perceptionem viros moderatos & graues esse adhibendos. Deinde ab anno ætatis tricesimo quinto ad quinquagesimum, philosophos, ad antrum illud deducendos in quo cogantur principatus eos assumere qui ad bellum spectant, & si qui sunt iuuenum principatus: ne vsu rerum ab aliis superentur. Quum verò ad quinquagesimum peruenerint, inquit, quicunque integri inter eos rebúsque gestis & scientiis præcellentes apparent, ad finem iam perducendi sunt, cogendíque vt animi radium ad supera dirigentes, ipsum quod omnibus lumen præbet suspiciant: quumque ipsum bonum nouerint, exemplo illius fræti ciuitatem, priuatos, séque ipsos per omnem sequentem vitam & singula vicissim exornent. Ac plurimum quidem in philosophia versentur: cum verò ad magistratus accersentur, in ciuilibus negociis inuigilent sigillatimque gubernent, Reipub. gratia, ita vt non tanquam bonum aliquid & optandum ministerium, sed necessarium potiùs exequi videãtur. Atque cum ita alios similiter ipsi instruxerint, eos vicissim reipublicæ custodes relinquent, ipsi verò in beatorum insulas transmittentur. Monumenta verò illis & sacra, tanquam dæmonibus, si Pythias oraculo confirmauerit, publicè dabuntur: sin minus, saltem vt beatis atque diuinis. Hæc Plato de sua Dialectica. Quæ paulò pluribus commemorare placuit, quòd in illis huius philosophi máxima diuinitas appareat. Illa verò omnia, sicut & ea quę ab Aristotele de Metaphysica dici solent, cum passim Thessalus Methodicus de artificio disserendi interpretatur, ancilla fruitur loco dominæ: & cõmuni ministræ ineptè attribuit, quæ ad eam tantum scientiam pertinent, quę in reliquas summum principatum obtinet. Cuius errore Logodædalus quoque in huius loci interpretatione deceptus est, sicut in sequentibus obseruabimus.

DE TRIBVS VNIVERSÆ NATVRÆ principiis materia primo loco explicatur, ex Platonis Timæo: variáque similitudine ostenditur quo modo ea se habeat ad omnes rerum naturalium formas.

CAP. 7.

1 *Sequitur vt de principiis & de his quæ sunt Theologicæ speculationis, disseramus, à primis ducto initio, & ab iis ad ortum Vniuersi descendentes: tandémque desinentes in hominum procreationem atque naturam. Ac primum de materia dicamus.* 2 *Hanc fictioni subiectam, omnium rerũ*

capacem, matrem ac locum nominat: [3] *atque subiectum sine sensu tractabile adulterinâque ratione compræhensibile. Eius autem proprium esse vult, vt omnes rerum ortus excipiat ac nutricis instar foueat: omnes item formas recipiat, cum suapte natura omnis formæ & qualitatis ac speciei sit expers. Talia verò in ea tanquam in tabula effingi, ab eisdémque hãc informari, cum nullius propriæ figuræ qualitatísve sit particeps.* [4] *Neque enim esset ad varias rerum formas & impressiones commodè præparata, nisi qualitatis esset expers, & omnium earum formarum, quas debet excipere. Si quidem videmus eos qui ex oleo vnguenta parant odore suauia, oleum quærere quòd maximè omnis odoris sit expers: vel qui in cæra aut argilla rerum formas volunt effingere, illa præmollire atque sine vlla figura exhibere. Conuenit igitur materiæ omnium capaci, vt si modo formas omnes susceptura sit, nullam earum naturam habeat: sed qualitatis & formæ omnis expers, formis omnibus subiiciatur. Hæc itaque cum sit eiusmodi, neque corpus erit, neque quid incorporeum: sed sua facultate corpus, quemadmodum æs facultate statua. Quoniam tum statua efficietur, cum huius formam excipiet.*

Iac. Carpentarij Commentarius in Cap. 7.

1 Platonis imitatione Physica cum Metaphysicis coniungit: imò ipsa physica ex deo repetit & ad eundem refert. In physicis autem explicandis, desinit in hominem, quemadmodum & Plato in Timæo & Aristoteles in vniuersa physiologia. Qua occasione fortasse de tribus principibus partibus philosophiæ eam postremo loco exposuit quę ad vitam & mores pertinet. Vt ab hominis natura, quę partim corpore, partim animo continetur, ad eiusdem vitam & mores transiret. Quanquam alia ratione pars hęc de vita & moribus, ei quę ad contemplationem veritatis pertinebat, potuit anteponi: prout scilicet in vniuersa philosophia actio contemplatione inferior est, & ad ipsam contemplationem (sicut testantur

omnium Platonicorum libri) via paranda antecedente animorum purgatione, quæ philosophiæ moralis est propria. Quoniam in ipsarum perturbationum regno, philosophica contemplatio non potest consistere: perturbationes autem reprimuntur, & ad rationis regulam reuocantur per virtutes, quæ morales nominantur, quæ inde purgantes, ab ipsis Platonicis sunt appellatæ. Sed in hac ordinis varietate idcirco nobis minus laborandum est, quòd non hi sumus, qui rerum omnium docendarum vnicum ordinem esse velimus. Quam sapientiam Thessalo Academiæ nostræ methodico non inuidemus. Vt vero in instituta comparatione Platonis cum Arist. permaneamus, obseruandum hoc loco nobis est, In principiis vniuersæ naturæ, de quibus proximis capitibus est agendum, his esse commune quod vtérque tria ponit. Sed in eorum enumeratione hoc solo conueniunt quod in illis materiam agnoscunt: quam Alcinous ex Timæo his modis exprimit, quos Aristoteles in illo magis probasse videtur. Quãquam Plato Pythagoreos sequutus, eam nonnunquàm ponit in puncto, linea, superficie, aut in dualitate infinita: quæ Aristoteles passim exagitat in Metaphysicis. In reliquis duobus principiis maxime differunt. Siquidem materiæ Plato adiicit opificem deum & Ideam vt exemplarem causam: Aristoteles formam & priuationem. Deum autem, etiamsi pro causa efficiente principe Aristoteles agnouerit, apertissimè quidem vt capite nono demonstrabitur, libro de mundo ad Alexãdrum, & in Metaphysicis: obscurius vero in sermonibus de natura libro 8. Physic. cum eum rationem habere vult primi mouentis immoti manentis, & lib. 1. de Cœlo cum ait deum & naturam nihil frustra facere: non tamen inter naturæ principia retulit. Quoniam naturæ contemplationem ad deum quidem vt natura superiorem referre voluit. At fortasse veritus est, ne eum naturę lege includere videretur, si in naturæ principiis numeraret. Itaque pro principiis ea tantum vsurpauit, quæ sunt in ipsis rebus naturalibus, háque mouent & simul cum eisdem mouentur. Ab his verò nos quasi manu duxit ad causam primam, quæ extra res naturales, vel potius supra has, easdem mouet cum tamen maneat immota. At Plato diuinus, eiusdem naturæ contemplationem ab ipso deo tanquam à principio reuocauit & ad eundẽ vt ad finem retulit. Qui ex subiecta materia res procreet, in hácque formanda propositam habeat imitationem ideæ, id est vt Platonici loquuntur, sui ipsius tanquam exemplaris causę, de qua proximo cap. disseretur. Aristoteles repudiata idea ad perfectionem rei naturalis in principiis contentus est ea forma quæ in materia est, & ex Platonis sententia, ideæ imago tantum, non primum principium. Amplius vero priuationem à materia ratione distinguit, quàm cum illa re eandem esse fatetur lib. 1. Physic. sicque tria principia colligit: ex quibus duo rem constituunt, materia & forma. Rémque iam constitutam, naturalibus motibus ipsa forma mouet, materia obsequente, vel etiam suis qualitatibus vt instrumentis, adiuuante. Priuatio vero in simplici rerum ortu, mutationis in materia causa est efficiens. Quę omnia si in illis attentè consideramus, facilè animaduertemus in proposita quæstione de principiis sententiarum diuersitatem maximam, ex varia philosophandi consuetudine profectã: contrarietatem fortasse omnino nullam existere.

2 Materia prima Aristoteli nihil aliud esse videtur quam maximè communis subiecti ratio, quæ, quoad intellectus potest, ab omnis formæ proprietate aut ad eam præparatione, cogitatione ipsa abstrahitur. Nusquam tamen sit, neque vnquam fuerit, nisi informata & numerabilis facta. Quemadmodum animal commune nullum per se prorsus est, quod non sit rationis particeps aut expers: & tamen eius natura ab iis omnibus sua ratione est separata. Vt enim ille in Physicis

& Metaphysicis prima contraria nominat, quæ in natura nusquam sunt nisi vt aliqua speciali contrarietate continentur, sed ab hac in cõmunibus de natura sermonibus cogitatione abstrahuntur, vt (quod idem in primis principiis postulat cap. 4. lib. 1. physic) semper eadem manere possint: sic de generali ratione primæ materiæ nobis hoc loco videtur statuendum. Quanquam neque hanc notione, sua, omnis formæ prorsus expertem esse, Io. Grammaticus arbitratur cap. 11. lib. de mundi æternitate contra Proclum, sed sub ratione corporis triplicisque in illo dimensionis intelligendam esse. Nam si materię nomen, inquit, non est inane sed res est aliqua naturalis, quæ sit & constet, rationem quoque habeat necesse est per quam sit. Vniuscuiusque autem rei ratio, forma eius est & substantia. Non igitur fieri potest vt modis omnibus forma vacet materia. Hoc enim ipsum est perinde ac si prorsus ipsa non esset. Nã quod suæ essentię nullam rationẽ habet, id in iis quæ sunt omnino nõ est. Quare nihil vetabit quin quod tria habet interualla, prima sit materia: etsi ipsum specie aliqua insignitum sit, & non informe. Sed hoc ille fortasse in Aristotelis doctrina falso sibi concedi postulat, materiam primam sua ratione rem esse aliquam naturalem, quæ sit & constet. Vt enim hæc alicuius corporis sit, quia ad illud refertur (quod etiam Alcinous ad finem capitis huius manifestè indicat) non tamen necessario in ipso corpore intelligitur: sed ab illius forma, quæcunque illa sit, cogitatione abstrahitur. De qua sic Arist. cap. 3. lib. 6. Metaphy si. materiam eam intelligo, inquit, quæ per se nec aliquid, nec quãtum, nec quicquam aliud est, eorum quibus id quod est, definitione aperitur. Quod quia difficillimum est nisi per analogiam comprehendere, idcirco ab eodem dictum est capite septimo libro primo physicorum, hanc omnino neque in intelligentiam, neque in sensum, aut numerum cadere: In alterum autem horum absolutè caderet, si suapte natura corporis forma trinâque dimensione constaret: Sicut disputat Plotinus capit. 8. & 9. lib. de materia prima. At Plato in Timæo, etiam si materiam primam agnoscat, in eâque multa habeat cum Arist. communia: in hac tamen, quã non tempore sed, natura mundo priorem esse vult, ponere aliquando videtur non nudam priuationem, sed rerum omnium confusa principia: quæ postea singula in mundi origine dicantur in suum ordinem esse adducta. Sic enim ille loquitur. Vniuersi quod genitum est & sensibus omnibus manifestum, matrem ipsam receptaculũmque, neque terram, neque aërem, neque aquam esse dicamus, neque rursus aliquid ex iis constitutum, aut aliqua ex quibus hæc ipsa propriè subsistunt, sed inuisibilem potius speciem quandam, & informem sinum, omnium capacem: qui modo quodam ambiguo & vix explicabili, diuinæ & intelligibilis naturæ sit particeps. Et apertius paulò post. Sic illa tunc, inquit, quatuor genera (quatuor verò elementa intelligit) ab ipso eorum receptaculo instrumenti illius pistorij instar tumultuante & discernente, commota, dissimilia quæque à dissimillimis longè separabantur, simillima verò rursus coibant: atque idcirco etiam antè mundi exornationem sedibus diuisa erant, sed neque his ratio inerat, neque modus. At vero vbi cuncta redigi ad modum placuit, deus ignem primo, ac terram aërémque & aquam (quæ quidem elementorum præferebant vestigia, sed ita erant affecta vt par est illa à quibus deus abest) distinctis figuris, speciebus & numeris exornauit. Ea vero apud nos sententia semper rata indubitâque præ cæteris habeatur, quod deus illa cum talia non essent, quam pulcherrimè optiméque fieri poterat, ordinauit. De quo eiusdem Platonis sententiam apertius explicat Plutarchus libro de animi procreatione. Idque est fortasse quod in illo Aristoteles notat lib. 4. Physic. receptaculũ siue locũ, quia pars rei quę recipitur, non est, materiã esse non posse.

Et tamen Sebastiano Foxio cap.5.lib.1.de consensione Platonis & Arist.de eiusmodi primo principio videtur omnino eadem horum duorum philosophorum sententia. Quod etiam Bessario Cardinalis contra Trapezuntium conatur efficere cap.5.lib.2. Quanquam hic cap.6. lib. eiusdem id inter illos interesse arbitratur, quod materiam, vt rationem habet subiecti manentis. Plato in Timęo appellat hoc aliquid. Aristoteles autem lib.1.Physic. fatetur magis quidem hoc aliquid significare quàm priuationem: sed id absolutè solius esse formę, à qua proficiscitur omnis naturę determinatio. Hoc verò pertinet ad superiorem quęstionẽ quę cõtra Io.Grammaticum disputata est, an illa scilicet necessariò intelligenda sit vt triplici dimẽsione affecta. Secundũ quam relationẽ ad formas omnes, quarum nullã habet, apta verò est ad quaslibet vicissim recipiendas, quanquam materia prima non solum in potestate esse, sed potestas ipsa dicatur vt sępe in Metaphysicis, assentior tamen Iulio Scaligero philosopho nostra ętate acutissimo, eam sua essentia verè vnum esse naturę principium, partémque quodammodo compositę rei naturalis, formarum fundamentum & subiectum substantiarum quę sunt cum materia coniunctę. De qua, ex Platonicorum sententia, déque his quę in hac aliqua ex parte sunt coniuncta cũ nostra religione, vide plura apud D. Augustinum lib.1.de Genesi contra Manichęos.

3 Materia prima, sicut modo dictum est, hoc ipso quod est eiusmodi, in sensum cadere non potest. Quia hoc aliquid non est, nec vllius qualitatis particeps. Omne autẽ quod sensum mouet, hoc aliquid est, & per aliquam qualitatem sensum mouet, vt Arist.docet cap.6. lib. 2.de Animo. Tangitur tamen quodam modo: quia rationem habet subiecti, quod etsi reipsa corporeum non sit, ad corpus tamen refertur: cuius proprium est vt tactu, tanquam sensu omnium primo maximéque communi, percipiatur. Vel, quod Calchidio magis placet, vt illa quæ suapte natura omnino informis est, in secunda materia cui inest informatur, sic in eiusdem tactu, ipsa quoque quodam modo tactu percipitur. Nec tam eius sensus est, quam in ipsis materiatis, quibus subest, quidam quasi consensus. Quemadmodum apud Arist. rerum singularum in sensum cadentium & fluentium, genera vniuersa in his ipsis quodam modo sentiuntur & fluunt, cum tamen vt sua ratione abstrahuntur ab illis, & à sensu omnino separata sint, & omnis mutationis expertia. Nec dissimilis est causa propter quam adulterina ratione eadem dicitur à Platone comprehendi. Quoniam enim quod propriè in intelligentiam cadit, per aliquam speciem & formam intelligitur: ea certè absolutè intelligi non potest, cuius nulla prorsus forma est. Quare reliquum vt adulterino quodam modo intelligatur, sicut & adulterina ratione sentitur. Itaque cum omnia à nobis aut sensu, aut ratione cognoscantur, materia prima quodammodo vtriusque cognitionis particeps & expers esse dicetur. Id verò esse videtur quod Aristoteles scribit.cap.7.lib.1.Physic. hanc per similitudinem tantum cognosci. Quoniam, inquit, quam rationem habet æs ad statuam, vel lignum ad lectum, vel ad aliquid eorum quę formam habent, materia & id quod forma caret, antequam formam acceperit: eandem hęc habet ad omnem essentiam & quicquid est rerum singularum.

4 Quo modo materia ad potestatem affecta sit, per eámque perpetua vicissitudine rerum formas recipiat, nec tamen vnquam ab illa potestate omnino recedat, sic Plato docet in Timęo. Si quis cunctas figuras, inquit, ex vna eadémque materia auri fictas, continuè in alias & alias reformet, déque vna quadam illarum pręsens aliquis, quid sit quærat, verè admodum & tutissimè respondere possumus aurum illud esse: triangulum verò aut aliam figuram earum quę impressę in eo

sunt, & continuò permutantur, quasi reuera sint, non licet dicere. Sola quippe illa responsione tanquam tutissima, contenti esse debemus. Eadem de illa materia quę cuncta recipit corpora, ratio est. Idem semper esse dicenda est: si quidem ex propria potentia recedit nunquam. Suscipit enim semper omnia, nec vllam vnquam iis similem vllo pacto sibi formam contrahit. Omnis sanè natura fictioni subiecta est, agitatáque ab ingredientibus & figurata quodam modo, alias aliter se habere videtur. Quę verò ingrediuntur & exeunt, verè ac semper existentium simulachra sunt, mirò & vix explicabili modo ab ipsis rebus, quę verè sunt, figurata, quemadmodũ deinceps narrabimus. Tria in præsenti genera sumenda sunt: vnum quod gignitur: aliud à quo gignitur: aliud à quo similitudinẽ trahit quod nascitur. Idcirco comparare hæc ita decet. Quod recipit, matri: vnde recipit, patri: naturam istorum mediam, proli. Sed ita intelligendum est, quod cum esse debeat effigies rerum omni formarum varietate distincta, nunquam illud ipsum formationis huius gremium benè erit præparatum, nisi informè sit, & suaptè natura omnibus formis quas recepturum est, careat. Nam si erit alicuius eorum quę in se recipit, simile, cum cõtrariam eius cuius simile est naturam, aut aliam prorsus suscipiet, nequaquã eius similitudinem & effigiem exprimet: cum præ se tulerit suam. Quo fit vt nullam sibi propriam habeat speciem, quod est omnia genera susceptorum. Ex quibus intelligi potest cur apud Platonem ideę tantum adũbrata quędam imago, nunquam vero summa perfectio, in rebus singulis, quarũ formę cum materia sunt coniunctę, possit exprimi. Quoniam cum illa etiam in corpore naturali, adhuc aliquam potestatem retineat, vel ad nouam formam recipiendam, vel ad eam quam iam excepit amittendam potestátque omnis eiusmodi, imperfectionem quandam & deformitatem habeat adiunctam, necesse est omnium rerum naturalium formas, hoc ipso idea esse imperfectiores quòd sunt cum materia coniunctę. Sicque Aristoteles ipse naturales formas cum diuinis cõparatas, impuras appellat: & cap. vltimo lib. 1. Phys. scribit à materia formam appeti, vt à fœmina marem, & à re turpi pulchritudinem. Et Plotinus lib. de malis, quę & vnde sint, in rebus naturalibus ostendit materiam omnis mali causam esse. An igitur in corpore cœlesti materia istam potestatem adhuc retinet? aut si ita est, num efficitur illud quod eiusmodi materia constat, caducum esse oportere? Apud Platonem cęlestes orbes naturę lege dissolubiles sunt: sed, vt ex cap. 13. libri huius intelligetur amplius, dei voluntate conseruantur. Quia vt dicitur in Timęo, diuina voluntas, vniuersa natura superior est, hácque lõgè maiorem vim habet. At apud Aristotelem cęlestia corpora, etiam suapte natura, ortus interitúsque sunt omnino expertia: vt colligi potest ex cap. 3. lib. 1. de Cœlo & ex cap. 1. lib. 2. Quare in huius doctrina nonnulli quęsiuerunt an in his materia quędam sit: & si sit, an eorum horúmque corporũ inferiorum sit eiusdem generis. Quam quidem quęstionem Platonici nonnulli magis eludunt, quam explicant, cum aiunt quemadmodum forma quędam valde materialis est, qualis in materia prima, quæ vix forma est (hęc verò ea est quę forma corporeitatis à nonnullis appellatur, de qua paulò ante dictum est) sic materiam esse quandam, quę vix materia est, qualis ea quę cœlo inest. Nec vero magis, meo quidem iudicio, satisfaciũt nonnulli Peripatetici qui dicunt in cœlo subiectum quidem esse, materiam vero minime. Qui iidẽ subiectũ à materia hoc ipso distinguunt quod illud significet, id quod actu aliquid est & iam informatum, sine annexa priuatione: hęc vero adhuc non sit hoc aliquid, sed coniuncta cum potentia, quę priuatione continetur. Nam cum Aristoteles in primis de natura sermonibus omnium corporum naturalium, tam eorum quæ ęterna esse vult, quam quę caduca, principia explicet

eaque duo ſtatuat quę materiam & formam nominat, ſi cœlum naturale corpus eſt (quale certè illi eſt & vnum de quinque ſimplicibus, quod aſtreum elementũ, vel quintum appellat lib. 1. Meteor. & cap. 3. lib. 2. de animalium ortu) non video cur quod in illo à forma perficitur, non poſſit, vt ſubiecti, ſic materiæ nomen obtinere. Preſertim cum eo loco prædicet ſe ea principia quærere quę ſemper maneant: & ſecundũ ſuas generales rationes, in rebus omnibus conſtituendis atque mouendis eadem retineantur. Neque vero hoc in eius doctrina concedendum eſt, in omnium rerum materia, cum iam informata eſt, poteſtatẽ manere ad exuendam eam formam quę iam ineſt: ſed id ſolum cõuenit corporibus lunę ſubiectis. In quibus quoniam materia dum ſuę formę in agendo obſequitur (agunt enim ſemper hęc per materię qualitatem organicam, quę repatiendo, cum tempore neceſſario elangueſcit) perpetuo fluit: accidit vt ſpoliata his vinculis quibus cum preſente forma connectebatur, iam nouam appetat, & eius inexplebili deſiderio teneatur. In cœlo autem fluxus eiuſmodi ex Ariſtotelis mente omnino nullus eſt. Quia in eo forma aut omnino per ſe agit, aut certè non per eam materię qualitatem quę à contraria patiatur. Quare in illius materia ea ſola poteſtas retineri dicitur, quę actum perpetui motus in orbem reſpicit. Quo modo enim cęlum, aut ab aſſiſtente intelligentia, aut à propria forma (neque enim de eo hoc loco quærimus) ſemper in orbẽ moueretur, niſi ad hanc perpetuitatẽ motus ſuſtinendam eiuſdem materia haberet poteſtatem? Ex quibus omnibus intelligi poteſt, quo modo horum inferiorum & cœleſtium corporum materia ſit eadẽ, aut diuerſa. Nam mea quidem opinione, eadem eſt ſecundum eã generalem primorum principiorum rationem, quę lib. 1. Phyſic. explicatur. Diuerſa vero quia in iis corporibus & in cęleſtibus non eodem modo ad poteſtatem, aut ad priuationem, quę hanc continet, eſt affecta. In cęleſtibus enim ſic ea forma ſubſtantię, quę adeſt, materia fruitur, vt aliam non expetat, quę priuata eſſe dicatur: in his vero nunquam eſt ſine alicuius formę quam expetit, priuatione. Eadémque ratione illa cum cęli ęternitate conſiſtit: hęc cum corporũ fluxu atque mutatione. Sed quia in Phyſicis æternum à caduco genere diſtinctum eſt, efficitur in cęleſtibus & iis inferioribus corporibus materiam quodammodo genere eſſe diuerſam. Sicque intelligenda ſunt quę ex Metaphyſicis commemorari poſſunt, primum quidem quod ſcribit lib. 8. non cuiuſlibet materiam eſſe, ſed eorum quorum eſt generatio mutua mutatióve. Quæ vero ſine mutatione ſunt, aut non ſunt, ea materiã non habere. Deinde quod amplius idẽ adiicit lib. 9. Neque motus is eſt potentia inquit, qui ſempiternus eſt. Neque ſi quid perpetuo mouetur potentia motu cietur: niſi ea ratione qua ex hoc in hunc terminum proficiſcitur. Huiuſce verò nihil prohibet materiã eſſe. Quocirca Sol atq; aſtra ſemper operantur atque mouentur, totúmque cęlũ. Atq; non eſt pertimeſcendũ ne tandẽ ſtent, moueriq; deſinãt quod quidã naturales philoſophi pertimeſcũt. Neque id agentia defatigantur. Motus enim ipſis non vti rebus caducis atque mortalibus circa contradictionis potentiam competit, vt laborioſa ſit ipſa continuatio motus. Huius enim cauſa ſubſtantia eſt ea quę materia eſt, atque potentia non actu. Quæ ſequutus Auerroes capite 1. & 6. lib. de ſubſtantia orbis, contẽdit cęleſtia corpora nõ componi ex materia & forma. At idem Ariſt. cap. 2. lib. 12. Metaph. ſcribit quęcunque mutantur materiam habere, ſed diuerſam. Nam ęterna, quę ortum non habent & tamen loco mouentur, materiam habere, nõ tamen generabilem, ſed ad motum ſecundum locum aptam, Lodouicus Viues lib. 1. de prima philoſophia, arbitratur in religione noſtra omnium corporum duplicem materiam eſſe ponendam. Idque ſignificatum à Moſe in libro Originum cum

ſic

sic exorditur: In principio creauit Deus cęlum & terram. In hoc enim, inquit ille, duę materiatum rationes ac notæ videntur designatæ, non duę corporum essentię Cum verò additur, terram fuisse vastam atque incompositam & operram tenebris, quid potuit significatius dici de hac nostra materia, eorum quę generationes ac interitus accipiunt?

IN PRINCIPIIS IDEAM NVMERAT, ET quam variam rationem habeat apud Platonicos, ostendit: deinde aliquot argumenta colligit quibus hi ideas esse, confirmare solent.

CAP. 8.

[1] *Cum verò materia principij rationem obtineat, in principiis alia quoque ille admittit. Vnum quidem vt exemplar, quod idearum est: alterum quod est patris & authoris rerũ omnium dei.* [2] *Est autem idea quo ad deum, eius notio: ad nos verò, primum intelligibile: ad materiam, modus: ad seipsam autem, essentia. Omnino enim quicquid fit animi iudicio, ad aliquid fieri necesse est. Quemadmodum si quid ab alio fiat (vt à me ipso, mei imago) eius exemplar præsupponi oportet. Atque etiam si externum nullum sit, vnusquisque tamen artifex in se illud conceptum habens, eius formam in materia exprimit.* [3] *Definiunt autem ideam, exemplar æternum eorum quæ secundum naturam. Multis enim Platonicis minimè placet eorum quæ arte constant, ideas esse, vt Clypei, vel lyræ: neque eorum quæ præter naturam sunt, vt fœbris ac bilis non naturalis: neque etiam singulorum, vt Socratis & Platonis: neque vilium vel abiectorum, vt sordiũ atque festucæ: neque relatorum, vt maioris & excedentis.* [4] *Esse nãque ideas dei notiones æternas, & seipsis perfectas. Quod autem sint ideæ his rationibus suadent., Siue intellectus deus ipse sit, siue intelligẽs, intelligibilia illi insunt: hæc-*

que æterna atque immobilia. Si autem hoc, sunt ideæ. Etenim si materia ipsa per se mensuræ est expers, ab alio meliore & immateriato modum mensurámque accipiat est necesse. Verum autem est antecedens. Verum igitur consequens. Si autem hoc, sunt ideæ: cum modi quidam sint materiæ expertes. Accedit ad hæc quod si mundus non à se, aut quodam casu talis est, non solum ex aliquo ortus est, verum etiam ab aliquo. Neque solùm hoc, sed ad aliquid etiam conformatus. Id verò ad cuius imitationem conformatus est, quid aliud esse potest quàm idæa? Quare sunt ideæ. Atque si intellectus à vera opinione differt: differt etiam quòd intelligibile ab opinabili. Si autem hoc, sunt intelligibilia ab opinabilibus distincta. Quare sunt prima intelligibilia, quemadmodum & prima sensilia. Si verò hoc, sunt ideæ. At differt intellectus ab opinione vera. Efficitur itaque ideas esse oportere.

O. V. PETRO BRV-
LARDO, IN AMPLISSIMO
Senatu Parisiensi, classis tertiæ inquisitionum principi, in iure dicendo integer. & peritiß.

Iacobus Carpentarius. S.

NON dicam, O. V. beatam eam supremi Senatus classem in qua regenda semper cum Platone philosopharis, ne hoc non satis probetur plerísque, qui ciuilibus vndis inuoluti, philosophicas delicias pro tribulis habent: sed certè beatißimum te, qui in summis perturbationibus, quibus nostra ætas iactatur, in sinu philosophiæ, Endymionis somnum dormiens, Reipubl. sic inuigilas vt in hac tibi nihil amplius concupiscas, nullius priuatæ calamitatis metu commouearis. Etenim profecto, vt hodie tempora sunt, nescio quid in vestra vita possit esse beatius. Quo animo semper fuisse te cum antea sæpe ex multis audiuissem, nuper verò ipse tua humanitate fruẽdo, & de philosophia colloquendo reipsa sensissem, sperare ausus sum opus hoc philosophicum, beneuolentiæ, vel etiam gratiæ, aliquid apud te esse inuenturum, si in eiusdem partẽ aliquam vocareris. In cuius varietate nihil equidem potuit videri aptius quam vt de ideis Platonicis ad eum scriberem qui in Reipubl. administratione semper philosophando, in

iusti ideam perpetua cogitatione defixus est, & in iure dicendo, ex summa lege, quæ nihil est aliud quàm ipsa recta ratio, omnia moderatur & regit. In quo vtinam Rex noster Christianissimus permultos tibi haberet pares. A Platonica humanæ societatis regendæ idea, profecto non tam longo interuallo essemus seiuncti. Sed reprimam me: tantúmque optabo, vt his nostris nugis nonnihil indulgeas, & Reipub. diu viuas ac valeas.

DE COMPARATIONE
PLATONIS ET ARIST. IN
quæstione de Ideis & vniuersalibus,

Iacobi Carpentarij disputatio,

QVAE DISGRESSIO EST SECVNDA.

MAgna quæstio est apud Platonem de Ideis, sicut & apud Arist. de vniuersalibus: eadémque propter horum comparationem, quam ab initio instituimus, nobilissima. In qua explicanda, quoniam non solum non possumus cum grauissimis veteribus philosophis inter se dissidentibus, omni ex parte cõuenire, sed neque cum quibusdam recentioribus, eius tractatio in certa capita nobis est distinguenda: vt in singulis constituamus quid Platonicum, quid Aristotelicum esse videatur: deinde his quæ contra afferri possunt, occurramus. Primũ verò de Ideis quæramus, an sint, deinde quæ sint, & quales, propter quid, & vbi à Platone positæ. Secundo loco, quorũ illæ sint, & quorum non sint: vtrum vniuersorum tantùm, an etiam singulorum: Postremo, in rebus quæ ad eandem ideam referuntur, quis participandi modus. Quæ cum erunt exposita, & in Aristotelis vniuersalibus eodem ordine simúlque cum illis considerata, facile erit quæ hoc capite ab Alcinoo dicuntur intelligere, & in instituta Aristotelis cum Platone comparatione, videre quid nos sequamur, quoque iure à nonnullis in hac quæstione exagitemur. Idea, non est Platonis aut Socratis inuentum: sed ea multis seculis ante hos, Mercurio Trismegisto cognita, & ab eodem frequenter vsupata. Siquidem hic initio Pimandri, fatetur per conuersam Dei patris ideam, se in mente sensisse lucem viribus innumeris præditam. Et eodem dialogo ad finem sermonis primi, cum vniuersam naturam Dei imaginem nominat, agnoscit quod postea ex Platone efficere conabimur, in eodem rerum opifice, vel in eius filio, omnium quæ natura cõstant, exemplar ines-

se & ideam. Atque sermone 2. Deum vnicum appellat ipsum bonum: quæ etiam Platoni boni idea est. Sermone 8. Plenus ideis omnibus Deus pater, inquit, qualitates inserens in spheram (sic autem ipsam materiam eo loco nominat) velut in gyrum, omni qualitate circunscripsit. Sermone 9. ait Deum omnium authorem, efficientem omnia, hæc sibi consimilia reddidisse. Hoc verò quid aliud est, quam in eodem rerum omnium ideam prædicare? Et Sermone 12. non solum in Deo rerum omnium ideam agnoscit, sed apertè vult præter hunc mundum in sensum cadentem, alterum exemplarem esse, & intelligibilem, in quo huius idea consistit. Beatus Deus, inquit, dæmō bonus, animam esse in corpore, mentem in anima, in mente verbum pronūtiauit. Deum autem horum patrem asseruit. Verbum itaque imago ac mens Dei est: est corpus quidem ideæ, idea verò anima est, purissimáque portio materiæ aër, aëris anima, animæ mens, mentis denique Deus. Mens circa animam, anima circa aërem, aër circa materiam. Necessitas autem prouidentiáque & natura, organa mundi sunt ordiníque materiæ. Etenim intelligibilium vnumquódque essentia: essentia verò illorum ipsorum idem. Ac eorum quæ mundo insunt corporum vnumquódque est multitudo. Corpora composita ipsum idē habentia, atque inuicem mutuo transeuntia, immortalitatem ipsius eiusdem perpetuò seruant. In cæteris corporibus quæ cōposita sunt, corporis cuiusque numerus est. Absque numero constitutionem, vel compositionem, vel dissolutionē fieri impossibile est. Vnitates quippe gignunt, atque augent numerum, rursúsque solutæ, se in numerum retrahunt. Materia quidem vna totúsque hic mundus, magnus est Deus, imago maioris, vnitus illi, patris ordinem & voluntatem seruās, vitæ totius integra plenitudo. Idem in Asclepio, Dei vt exemplaris vel ideæ imaginem constituit duplicem, vnam in mundo, alteram in homine. Atque de ipsa mente alio loco ita scribit. Quid igitur est incorporeum? Mens, inquit, & verbum: quæ se ipsam ex vniuerso ab omni corpore liberam sustinet, & continet inerrabilis, impassibilis à corpore & intangibilis: ipsa seipsa stans, capax omnium seruatríque rerum. Cuius radij sunt bonitas, veritas, lux exemplaris, exemplar. Atque hæc quidem ex Mercurio, cuius hac in parte, sicut in aliis permultis, admirabilis diuinitas. Platonem verò Aristoteles scribit Metaphysic. lib. 1. & 12. à puero cum Cratylo versatum imburúmque Heracliti opinionibus, quæ volunt ea semper fluere quæ sub sensum cadunt, neque eorum perceptionem & scientiam esse, ideas posuisse: quibus semper se eodem modo habentibus, scientiæ definitionésque accommodarentur. Quanquam ille neque in Theæteto, neq; in Cratylo, Heracliti opinioni omnino assentitur: neque etiam si hāc

repudiaret, idearum necessitatem minus agnosceret. Quoniam etiam si res in totum secundum substantiam quotidie non mutetur (quod Heraclitus arbitrabatur) tamen quia oriuntur & intereunt numeróque infinitæ sunt, illi idea necessaria esse videtur: sicut & Aristoteli ipsum genus vniuersum, cuius scientia esse dicatur. Ille verò in Timæo ideas esse probat ea ratione quam Alcinous ad finem huius capitis sequutus est. Si intellectus & vera opinio, inquit, duo genera sunt, necesse est huiusmodi species esse, quæ per se ipsæ sint, & intelligentia potiùs quàm sensibus comprehendantur. Sin autem, vt quibusdam videtur, vera opinio ab intellectu nihil differt: omnia quæ corporis sensus attingit, certa habenda sunt. Quippe, quorum alterum doctrina nobis insinuat, alterum persuasio, & illud quidem semper cum ratione vera, hoc autem sine ratione. Illud nulla persuasione mutabile: hoc verò contra, huic mutationi subiectum. Veræ quidem opinionis, vir quilibet est particeps: intelligentiæ verò, dij quidem omnes, homines vero pauci admodũ participes sunt. Quæ cum ita se habeant, fateri oportet esse speciem quæ semper eadem, sine ortu atque interitu: quæ nec in se accipiat quicquam, nec aliunde: nec ipsa procedat ad aliud quicquam, sensúque corporis nullo percipiatur. Atque hoc est quod ad solam intelligentiam pertiner, eiusque intentionis est proprium. In Phedone duæ aliæ rationes sunt, quæ pluribus ab illo expositę in pauciora sic possunt contrahi. Prior quidem, quod quæcunque appellantur æqualia, ea secundum substantiam eadẽ manentia, possunt etiam fieri inæqualia. Æqualitas verò ipsa, nunquam inæqualitas fieri, aut videri possit. Posterior, quod quæ dicuntur æqualia, ea vt imperfecta, inæqualitate quadã participent. Æqualitas verò ipsa ab omni inæqualitate sit separata. Platonici vt hoc idem apertiùs confirmẽt, his alia multa adiiciunt: quæ breuiter tantum indicabimus, ne primæ quæstionis explicatio longior sit quam volumus. Vniuersi opifex, aiunt, Deus est: qui suo esse facit omnia. Quicunque vero suo esse facit, sui imaginem facit. Qui igitur vniuersi est opifex, sui imaginem in mundo expressit. Quod si verum est, habet ille in se exemplares causas vniuersi: quæ sunt ideæ. Itémque, si mens & natura plenæ formarũ sunt, pérque illas agunt (quod in naturalibus artificiísque apparet) merito & Deus qui naturæ mentísque formator est, informis esse non debet. Per formas igitur agit, quas appellamus ideas. In quo, quanquam apud illos frequentissima sit Dei opificis cum nostris artificibus comparatio, hoc tamen interest, quod formæ exemplares in animis artificum partæ sunt, Deo naturaliter insunt: quódque in artificibus, & à seinuicem & ab illorũ mente sunt distinctæ: in Deo verò minimè. Has Proculus non solum ex-

Ideas esse quibus rationibus probẽt Platonici.

emplares, sed etiam essentiales formas esse voluit. Plotinus eo libro quo inquirit vnde idearum multitudo extitit, docet primum ideam rei cuiusque, quantumlibet compositæ motibúsque distractæ, in Deo simplicem esse, omnia præsentia in se cõtinere, quæ apud nos temporibus distinguũtur: deinde intellectum primum summa lucis suæ fœcunditate in quamplurimos redundante, se ipsum intus idearúmque radios propagare, & ex hac propagatione, naturales rerum formas, tanquam lumina, profluere. Idem libro de intellectu & ideis, declarat formas quæ sunt in materia, dependere à formis quæ sunt in anima mundi, tanquam in fonte: has verò rursum à formis quæ sunt in mente prima, tanquam in fonte formarum animæ. Quid? quod etiam nostri, hãc Platonis sentẽtiam vt cùm religione Christiana maximè coniunctam, sunt amplexati? Antiquissimus philosophus & eorum qui nostram religionem fundauerunt penè æqualis, Dionysius Areopagita, libro de diuinis nominibus ita loquitur. Exẽplaria esse dicimus, inquit, in Deo rationes substantificas rerum, & singulariter antè subsistentes, quas prædestinationes Theologia vocat, & bonas diuinásque voluntates, eorum quæ sunt definitrices & effectrices: secundum quas ipse super essentiam Deus, quæ sunt, omnia prædestinauit, atque produxit. Scio quid in eum locum scriptum à D. Thoma commemoret Bessario Cardinalis cap. 3. lib. 3. contra Trapezuntium. Considerandum, inquit Thomas, difficultatem esse in libris Dionysij propter multa, sed maximè quia vtitur modo loquendi quo Platonici vsi sunt: qui apud iuniores consuetus non est. Cum enim reducere vellent composita, & materialia in simplicia, principia posuerunt species separatas: vnde hominem singularem sensibilem, non esse ipsum hominem, sed participatione illius primi hominis separati, singularem hunc esse dicebant. Quod vt in speciebus ponebant, ita etiam in maximè communibus vnum primum, quod esset ipsa essentia bonitatis, vnitatis & esse, quòd Deum dicimus, ponendum censebant. Vnde illud primum nominabant ipsum bonum. Quæ Platonicorũ opinio, inquit D. Thomas, non consonat veritati, aut fidei, quãtum ad hoc quod de speciciebus naturaliter separatis statuit: sed quãtum ad id quod de primo principio dicebant, verissima est, & fidei Christianæ consona. Hoc, inquam, scio quale sit, & quam accommodatum ad defendendam Aristotelis disputationem contra Platonem: sed quia nondum quæro quo modo ideæ separatę sint (de quo postea disputabitur) verum id ago tãtùm, vt intelligatur quibus de causis hę ab illo sint positæ, idcirco illud omittamus hoc tempore, & cætera persequamur. D. Augustinus cap. 15. lib. 5. de Genesi ad literam, explicans illud D. Ioannis, Quòd factum est in ipso, vita erat, de ideis Platonicis

Christiani philosophi ideas probauerunt.

tonicis sic philosophatur. Id quod per ipsum factum est, inquit, vita esse in illo intelligatur. In qua vita vidit omnia quando fecit,& sicut vidit ea,ita fecit: non propter se ipsum videns, sed in se ipso, ita enumerauit omnia quæ fecit. Nec alia visio ipsius & Patris: sed vna, sicut vna substantia. Nam & in libro Iob, ipsa sapientia, per quam facta sunt omnia, sic prædicatur: Sapientia vnde inuenta est, vel quis locus scientiæ? Ignorat mortalis viam eius, nec inuenietur in hominibus. Et paulò post, Audiuimus eius gloriam:dominus commendauit viam eius. Ipse enim omne quod est sub cælo perfecit, & nouit quæ sunt in terra omniáque fecit:ventorum libramenta, atque mensuras quando fecit, sicut vidit, enumerauit. Quibus omnibus, inquit Augustinus, probatur quod hæc omnia priusquam fierent, erãt in notitia facientis & vtique ibi meliora, vbi veriora, vbi æterna & incommutabilia. Quanquam sufficere debeat, vt quisque nouerit & inconcussè credat, quod Deus hæc omnia fecerit. Non opinor quenquam esse tam excordem, vt Deum, quæ nõ nouerat, fecisse arbitretur. Porrò si nouerat ea priusquam faceret, profecto priusquam fierent, apud illum erant eo modo nota quo sempiternæ atque incommutabiliter viuunt & vita sunt. Facta autem eo modo quo vnaquæque creatura in genere suo est. Idem D. Augustinus cum aliis locis multis hanc Platonicorum sententiam approbet. ca. 28. lib. 7. de Dei Ciuitate scribit Varronem voluisse ideam Mineruæ nomine à poëtis philosophiã suo more inuoluentibus significatam. Quod hæc Iouis sapientia sit & ex eius cerebro nata. Atque in quęstionibus 83. quęstione 46. postquam distinxit ideas in Deo, & in humana mente valdè repurgata, hæc subiicit. Quis religiosus aut vera præditus religione, tales ideas negabit? aut illas non profitebitur? Certè nullus. Nisi dicere velit quæ sunt, à Deo non habere vt sint, aut ab illo non regi, neque gubernari: aut si hoc dederit, affirmare velit id sine cognitione ac ratione fieri. Quod esset velle Deum agere, quæ agit, temerè. Quæ omnia cũ sint absurdissima, necesse est vt ideas ponamus. Iam quis earum vsus sit videamus. De hoc quidem multa sunt apud Platonem libr. 6. de Rep. potissimúmque de idea boni, quam Aristoteles exagitat cap. 6. lib. 1. Ethic. Sed illa omnia eo pertinent, vt intelligamus ad rerũ procreationem, ne temeraria & fortuita videatur, ideas esse ponendas, vt exemplaria primi opificis. Cur enim hic non quauis mutatione quiduis procreatur, sed determinatæ mutationes, & discursus apparent: nisi in naturæ & opificis huius rationibus ordo quidam præexistat? De quo ita apud Platonem Socrates disputat cum Hippia. SOC. Omnium qui rem aliquam operantur, Hippia (vt mihi quidem viderur) ea est conditio, vt aut sciant quæ agunt, aut nesciãt. Num idem

Idea Mineruæ nomine à poetis significata.

Idearum quis vsus.

videtur & tibi? HIPP. Videtur. SOC. Nónne qui sciunt, periti: qui verò nesciunt, rudes atque imperiti nominantur? HIPP. Nominantur. SOC. Quem intelligemus peritum Hippia, nónne qui eius rei quam facturus est, certam & rationem & speciem habet? HIP. Eum ipsum. SOC. Annulum igitur illum tuum, quem in Olympicis à te mira arte elaboratum ostentasti, num effecisses si & sculpendi rationem & annuli speciem non habuisses? HIPP. Non profecto. SOC. Et Phidias cum Mineruam quæ in arce est, faceret. HIPP. Minimè. SOC. Eia age, bone vir, illum qui à nobis δημιουργὸς, à poetis rerum opifex dicitur, qualem credis? HIPP. Maximum. SOC. Putásne eum certa ratione agere, quemadmodum periti sculptores solent: an potius cæco ac fortuito euentu, quemadmodum rudes & inexperti? HIPP. Certa ratione, ô Socrates, quemadmodum periti. SOC. Dicésne eum irrationabili potentia ignoranter agere, veluti naturam? HIPP. nequaquam SOC. fatendúmne præsciri ab eo quæ fiunt: vt si hominem faciat, cognoscere se facturum hominem: si equum, equum? HIPP. Fatendum. SOC. Nónne quemadmodum in te erat species annuli, & in Phidia species Mineruæ, erũt similiter in eo species hominis & equi? HIPP. Erunt. SOC. Habebit igitur is rerum quas facit, omnium in se species. HIPP. Habebit. Quibus etiam hæc vtilitas adiici potest, quod vt per has ideas cognoscit opifex omnia: sic ad easdem nostra cognitio refertur, ad illásque aspirat, tanquam ad finem. Ad quas eò propius accedit, quo magis noster animus à rerum quæ in sensum cadunt, falsis imaginibus est repurgatus. Ex quo dictũ ab eodem Platone in Symposio, animum diuinę pulchritudinis amatorem, quando diuinas rationes attingit, tunc nõ amplius simulachra rerum, sed res veras parere in se ipso, partásque nutrire: familiarẽ Deo fieri, ac præ cæteris immortalem. Ideóque existimauit per ideas res habere, vt & verè sint, & perfectè non modo à Deo opifice, sed etiam à nobis cognoscantur. Neque verò ista de ideis secunda opinio est (quod quidam arbitratur) nec in hac ex rerum singularum diligenti obseruatione illæ tanquam notiones, in animis nostris imprimi & efformari apud Platonem dici possunt: verum per recordationem excitari: quæ ingenitæ sunt, sed corporis contagione obscuratæ. Quod verò de hac cognitionis nostræ perfectione per ideas à Platone dictum est, id Aristoteles occupans eodem capite 6. lib. 1. Ethic. sic reprehẽdit. Fortasse, inquit, cuipiam videatur vtilius cognoscere ipsum (nempe ideam boni) propter-ea quæ aguntur & possidentur bona. Quoniam ipsum tanquam exemplar nobis proponentes, facilius etiam agnoscemus nostra bona, & cum cognouerimus assequemur. Atque hæc ratio probabilitate quadam nititur: sed videtur à scientiis

dissentire. Nam cum omnes bonum aliquod expetãt, & quod opus est, inquirant, tamen huius boni cognitionem prætermittunt. Atqui non est verisimile omnes tantum adiumentum ignorare, nec inquirere. Ac illud quæri potest ecquid textori, aut fabro ad artem adiumenti, si ipsum bonum intelligant? aut quo modo peritior medicus, aut præstantior dux belli sit futurus is, qui ideam ipsam fuerit contemplatus? Non enim sic valetudinem medicus spectare videtur: sed hominis, aut certè potius singulorum. Etenim singulis medetur. Ex quibus omnibus iam de ideis intelligitur quæ qualésque sint, & cur à Platone positæ. Quarum verò rerum sint, quarum non sint (quod erat secundo loco propositum) commodius postea in Alcinoi contextu exquiretur. Nunc sequitur vt de hoc disseramus, vbi illæ sint, & vtrum à diuina mente separatæ. Id enim vnum est veteribus philosophis, atque recentioribus maximè controuersum: & in quo exagitamur à nõnullis, qui nos hoc loco prolixiores esse cogunt. Ego quidem in philosophando Aristoteli tantum tribuo, quantum hominem homini tribuere fas est: nec ita tamen sum addictus, vt cum in aliis rebus multis, tum verò maximè in frequentissimis huius disputationibus contra alios philosophos, non illud arripiam ex eodem, amicum esse Platonem, amicum Aristotelem, sed sanctum esse vtrique anteferre veritatem. Quo confirmatus & in philosophando liberior factus, quanquam animaduertam aliud placuisse D. Thomæ, Alberto, Trapezuntio, & acutissimo nostræ ætatis philosopho Iulio Scaligero aliisque permultis: sic tamen mihi persuadeo, nunquam Platonem ideas secundum perfectionem suam alibi quam in diuina mente posuisse: nec de hac sententia vllam in eius doctrina contrarietatem verè notari posse: Aristotelem verò non ignorasse quidem hoc, sed eiusmodi philosophandi genus, quod rerum essentiam ab ipsis rebus separaret, nunquam probauisse: & si separatas ideas, ex Platone vllo loco esse dixit (sicut certè pleríque dixit) id de alia separatione quàm à diuina mente esse accipiendum. Quæ eadem si in disputatione contra has ideas instituta, intelligatur, rationes tamen Aristotelis magnã adhuc probabilitatem esse habituras. Sin verò ad illam exemplarium officinam à Deo distinctam, atque reipsa separatam, quam isti in Platone comminiscuntur, referatur: non modo non veram futuram tam nobilem disputationem, at ne probabilem quidem, sed fallacem, & in discipulo, si magistri odio id facit, intolerabilem: sin eum (sicut antea in præfatione dictum est) qua debuit obseruantia viuum mortuúmque coluit, incredibilem. Quod vt mihi concedatur ab his qui eandem in philosophando libertatem adhibere volent, contendam hanc vnam fuisse Plotini, Porphirij, Procli, Proculi, Iamblichi, Pselli,

Ideæ an à Deo separatæ.

D. Augustini, Marsilij Ficini, Io. Pici Mirandulæ, Augustini Ægubini, Bessarionis Cardinalis omnium Platonicorum de Ideis opinionem. In quorum testimoniis commemorandis, ne in immensum crescat oratio, locum vnum atque alterum tantum nunc proferam ex Marsilio Ficinio. Reliqua persequetur accuratiùs qui (quod nos sedulo fecimus) in illis omnibus Platonicis euoluēdis suam operam volet ponere. Neque verò Marsilius id tantum arbitratur quod nunc contendo, ideas scilicet secundum suam perfectionem non esse nisi in mente diuina, sed eos qui aliud Platoni ascribunt, calumniæ arguit. Sic enim ille scribit Commenrario in librum D. Dionysij de diuinis nominibus. Platonici nunquam voluerunt, inquit, ideas esse ab intellectu, vel Deo separatas: vt falso Peripatetici calumniantur. Sed in quodam intellectu diuino extra controuersiam posuerunt illas, absoluta quadam ratione formaliter inter se distinctas. Intellectum verò eiusmodi Platonici quidem diuinum, nostri Angelicum nominãt. Nam in ipso Deo ideas vtrique ponunt, non tamen absolutè prorsus, sed quadam relatione distinctas: quatenus Deus ipse virtutis suæ cõscius, quot quantísque modis sit extra communicabilis, non ignorat. Modi verò hi definiti penes Deum plurimi quidem, sed sub vnica natura formáque compræhensi, in rerum natura, ideæ sunt omnium. Inde rursus in diuinam siue Angelicam mentem primo descriptæ: deinde per sequentia gradibus vsque suis participatæ. Et eodem commentario. Quemadmodum Sol, inquit, per lucem suam vnicam simplicémque omnia sensibilia facit atque declarat: ita Deus per vnicã sui simplicissimámque formam, cunctorum causam, cuncta facit pariter & cognoscit. Cum igitur diuina cognitio non à rebus cognoscẽdis dependeat, modúmve accipiat, sed ex vnica sui forma merito & intuitu quodam immobili mobilia, & immateriali materialia, indiuiduo diuidua vnico multa simul efficit & cognoscit. Eiusdem apertior est sententia in epistola quadam lib. 1. in qua eos qui in cõtraria opinione sunt, irridendos potius esse ait quam grauibus rationibus oppugnandos. Atque etiam Tertullianus lib. de Anima, in eo quidem Platonicos variis rationibus exagitat, quod ideas vt exemplares causas à rebus singulis tanquam ab imaginibus separarent scribítque in eiusmodi opinione relucere hęretica semina Gnosticorum & Valentinorum. Sed illis hanc earundem à Deo separationem non ascribit. Durissimum tamen est quod ad extremum concludit, neque præferendum sensui intellectum (per quod enim quid constat, inquit, inferius ipso est) neque separandum à sensu. Per quod enim quid est in ipso est. Quod in illo non magis probandum est, quam quod eodem loco contendit, viuentibus omnibus & animatis, (quorum nu-

Tertulliani error.

mero plantas non excludit) intellectum ineſſe: quo illa omnia vt aiunt sapiunt, & ſua naturæ opera intelligunt. Sed ne ſuperiores illi omnes Platonici quos enumerauimus, magiſtri ſententiam occultaſſe, aut meliorem facere voluiſſe videantur amplius etiam poſtulabo vt attentè conſiderentur loci omnes in quibus Plato ipſe de ideis eſt loquutus. Atque in his niſi de eo quod diſputo, ideas in deo eſſe, ſumma doctrinæ conſenſio in illo deprehendatur, cauſam non dico quin & Ariſtoteles merito ideas exagitaſſe & nos in huius Platoniſque philoſophia decepti videamur. Quid enim? Num iſti concedent apud Platonem in Timæo, ideam eſſe primum intelligibile? Quis verò tam rudis & in huius ſcriptis tam inexercitatus, vt neſciat intelligibile primum eſſe ipſum deum patrem vel dei filium eundémque deũ: nempe primam mentem rerũ omnium procreatricẽ? Quid? in epiſtolis & aliis locis multis cum deum patrem eſſe ait ipſum bonum, nonne boni ideam ſignificat? Si verò deus pater boni idea eſt, an ab eo reipſa ſeparatum erit id quod ipſe eſt? Quid porrò apertius iis quæ paulò ante ex Socratis ſermone cum Hippia ſunt commemorata? In quibus cæcus eſt omnino in philoſophando, qui nõ videt ideas in deo non poni: ad quem pertinet rerum procreatio & præſcientia. Lege Timæum, Phedonem, Phedrum, Sextum de Repub. ſenties illũ hoc idem ſemper probauiſſe. Quòd verò ex Parmenide in oppoſitam partem nonnulli afferunt hoc ad eius quod contendunt confirmationem omnino eſt ineptum. Tres in eo dialogo diſputantes obſeruãt, primum Zenonem, de rebus naturalibus: ſecundum Socratem, de ideis: tertium Parmenidem, de vno rerum omnium principio. Atque hactenus illi quidem rectè & ex Marſilio Ficino: ſicut & illud quod aiunt ideas inter res natura conſtantes & deum qui ſolus verè eſt, tãquam genus medium à Platone conſtitui. Sed ex hoc profecto non efficitur quod volunt illas in deo, non eſſe. Quoniam rerum quæ arte efficiuntur ſpecies, vel artes etiam ipſæ, in mentibus artificum ſunt & tamen eædem inter ipſos artifices horúmque opera mediæ. Et quanquam eodem dialogo nominatim ſcribit ideas eſſe ſeparatas ipſe tamen poſtea ſe explicãs ſubiicit has ſeparatas eſſe à rebus ſingulis quæ eiſdem participant. Quòd ego omnibus non inuitus concedo: & penes huius ſeparationis modum eaſdem ideas ab Ariſto. vniuerſalibus potiſſimum diſtinguo. Sed illud etiam addo, non ſatis cautè ab iſtis, Platonis ſententiam de ideis ex Parmenide colligi. Quoniam dialogus hic, ſicut Io. Picus Mirandula obſeruauit, non tam ad docendum quid Plato ſentiat, inſtitutus eſt, quàm ad aliorum opiniones notandas, ſub ea ironia quæ Socrati valdè familiaris. At hi fortaſſe contra quos agimus hoc tempore, non dubitant quin multa ſint apud Plato-

nem quæ confirmare possint eum in deo nonnunquam ideas esse voluisse: sed arbitrantur eiusmodi opinionem in illius doctrina esse inconstantem: satis verò esse vt meritò à discipulo Aristotele exagitata videatur, si ex locis aliquot doceri possit, illum ita has separatas affirmauisse, vt easdem extra deum esse voluerit. Itaque vt exactius hæc quæstio tractetur, attentè considerandæ sunt singula quæ ad huius partis confirmationem ab eisdem solent afferri. Quæ si explicari possint, in priore sententia permaneamus: sin minus, non inuiti iustam Platonicarum idearum reprehensionē Aristoteli concedamus. Exordiamur verò à Iulio Scaligero, cuius authoritate magis cōmouemur. Is in disputatione contra Cardanum ita agit. Si sunt in mente diuina formæ rerū harum, vt informent: deus hæc omnia informabit. Quod quàm sit absurdum satis patet. Quod si non informant, iam nihil noui dicet Plato. Nemo enim negauit vnquam deum esse omnia. Nam Epicurus ipse quoque, qui fortè quadam, corpuscula illa coire atque dissolui scribit, ad omnia cōficienda reficiendáve fortem ipsam hanc pro deo suo cognoscere cogetur necessario. In quo vt in cæteris acutissimè solet philosophari, ita mihi videtur attigisse rationē eam qua potissimum Aristoteles Platonem pręmit: quòd scilicet absurdum arbitretur rerum earum quæ sunt, essentiam in ipsis rebus non ponere, sed essentiæ imaginem tātum & in materia adumbratam imitationē. Quanquam hæc ipsa imago, materiata quædam est essentia, sed ab illa quæ est in deo, vel quæ potius est ipse deus, tanquā à fonte profluens. Quo modo non magis mirum est, deum omnia informare, etiam si rerum singularum propria forma non sit, quam Solem dei filium, sicut Plato appellat lib. 6 de Repub. animare inferiora hæc eisdémque vitam dare: qui tamen singulorum neque anima est propriè, neque vita. De qua si placet, audiamus Platonicorum sententiam, quam sic explicat Marsilius Ficinus cap. 11. lib. 2. Theologiæ Platonicæ. Cum effectus dei in se ipsi substantiæ sint, inquit, ideo nullo modo in eo tanquam accidentia esse debent. Non tamen illic multæ sunt substantiæ. Itaque sunt illic vna quædam, id est ipsamet dei substantia. Quandoquidem oportet in deo cuncta modo quam perfectissimo iuueniri, atque vniri illi sibíque inuicem perfectissimè. Nequeunt autem sublimiore modo in deo esse, atque sublimius vniri tum deo, tum sibi ipsis, quam si in deo sint ipse deus. Neque tamen absolutè idea, diuina est essentia: sed quatenus huius vel illius speciei est exemplar. Quocirca vt rationes ex vna essentia plures intelliguntur: sic plures dicuntur ideæ. Respectúsq; eiusmodi quibus ideæ multiplicantur, nō à rebus ipsis efficiuntur, sed ab intellectu diuino suam cum rebus essentiam comparante. Eadem est opinio Plotini cap. 6. & 8. libri de

Scaligeri ratio contra Plat. ideas.

intellectu & ideis,& cap.4.lib.de idearum multitudine.Ex quibus omnibus facilè est ea dissoluere,quibus Iulius Scaliger videtur nimiũ tribuere.Nunc verò cætera quæ contra sententiam quam tuemur, ex ipso Platone afferri solent,videamus. Hic scribit libro 10.de Republ. multos quidem esse lectos multásque mensas : at ideas huius suppellectilis duas esse,vnam lecti,alteram mensæ. Itaque dicere consueuimus,inquit,vtriusque supellectilis artifices,sic opus suum absoluere, si in ideam illam intueantur, vnum quidem lectos, alterum mensas quibus vtimur cæteráque similiter.Nullus enim artifex ideam ipsam facit.Hoc loco Ia. Lodoicus Strebeus commentario in Arist. Ethica, valde commouetur, atque Platonẽ ita præmi arbitratur. Si ideæ sunt in mente diuina, inquit, quo modo potest illas artifex intueri? Quo modo Plato ait lectum à deo factum esse?Si in humanis animis, quo modo illæ neque gignuntur,neque intereunt?In quo pace dicã Strebei,multa profecto mihi inepta esse videntur. Quoniam primum illud ridiculum est quod fingit, Platonem eo loco velle lectum à deo factum esse.Si quidem lectus & mensa ab illo ponũtur vt nostrorum artificum opera: cum quibus comparãtur ea omnia quæ in vniuersitate naturæ à deo opifice sunt effecta. Deinde non minus absurdum quod quærit,si lecti & mensæ ideæ in mente diuina sunt, quo modo artifex cum mensam vel lectum parat,illas possit intueri?Quid enim? an apud Aristotelem in Metaphysicis & apud Alcinoum hoc loco nõ legerat,quod postea explicabitur,rerum arte constantium ideas à Platone non esse positas?aut si id meminerat, cur quærit quo modo humanus artifex in diuina mente lecti vel mensæ ideam possit intueri? Hoc verò discamus,artificum exemplaria per quandam similitudinẽ à Platone eo loco ideas appellari:sicut & à Cicerone in Oratore, ideã eloquentiæ : etiam si propriè sint rerum tantum naturalium , neque harũ quidem omnium. Atque vt in nostrorum artificum mente, eorum quæ arte conantur efficere , exemplaria sunt : sic rerum omnium ideas poni in deo earum opifice. Quod qui attentè considerauerit, is vt spero, agnoscet superiorem Platonis locum valere potius ad confirmandum,quam ad euertendum:quod nunc ex huius sententia defendimus, ideas esse in mente diuina. Sequitur locus alter ex Epistola Platonis ad amicos Dionis. Tria sunt, inquit Plato,ex quibus sciẽtiam fieri necesse est : quartum ipsa scientia : quintum verò oportet ponere quo quid est cognoscibile, id est quod agnosci potest , atque verè existit.Deinde tria priora ita distinguit. Horũ vnum est,inquit, nomen:secundum ratio quædam : tertium simulachrum siue imago. Atque post modum illa quinque exemplis ita illustrat. Circulus, inquit, aliquid dicitur cui nomen id est quod modo pronunciabamus.

Strebei error circa ideas.

Sequitur eius ratio quædam ex nominibus & verbis compoſita. Tertiũ verò eſt quod pictus circulus ſit, vel deletus, aut torno factus, vel deſtructus. Quorũ nihil ipſe circulus circa quem ſingula ſunt, patitur: vt pote aliud quiddam exiſtens. Quartũ autem ſcientia eſt & intellectus atque circa hæc vera opinio. Hoc rurſus totum tanquam vnum eſt ponendum, quod nec in vocibus, nec in corporum figuris eſt, ſed in animis. Ideóque manifeſtũ eſt aliud eſſe, quàm ſit ipſa circuli natura rurſus aliud quàm tria illa quæ ſupra diximus. Horum verò ex numero, intellectus cognatione ſimilitudinéque quinto proximus hæret: cætera remotiora ſunt. In quem locum, obſcuriſſimum profecto, interprete vtamur Marſilio Ficino: qui eius ſententiam ſic exprimit cap. 1. lib. 12. Theologiæ Platonicæ. Animus noſter ad ſcientiam circuli commouetur, inquit, ſepenumerò per auditum, quando auditum nomen hoc circulus, tum circuli deſcriptionem eiuſmodi, circulus eſt figura reflexa, quæ æquis interuallis vndique diſtat à medio. Admouetur quoque per viſum, quando circulum vel torno factum ex ligno videt, vel in pariete ſignatum, qui non verus eſt circulus: quoniam non perfectus, ſed veri idolum & ſimulachrum. Per hæc commonitus animus, auidus veritatis, eruit in actũ ingenitam circuli formam: per quam velut characterem, ad ipſam circuli ideam in mente diuina vigentem, aciem dirigit: Quæ quidem directio eſt ſcientia circuli. Oſtendit autem ea epiſtola Plato animum corpore clauſum non poſſe ad ideam abſque quatuor illis gradibus ſurgere. Quia oportet illum iamdiu infra ſe lapſum, primum per illa tria in ſe reuerti: deinde per formulam quam in ſe habet ſuprà ſe ipſum aſcendere ad ideam. Quibus Marſilij verbis hoc adiiciamus, humanam notionem (cuius eſſe ſcientiam, intellectum & veram opinionem, Plato ait) non eſſe ipſam ideam, ſed ad hanc in hominibus qui mẽtis & intelligentiæ participes ſunt (quales ille paucos eſſe vult) cognatione quadam & ſimilitudine accedere: idque ſuperioribus verbis manifeſtè indicari. Ad eam verò aſpirare, nihil eſſe aliud in vita hac, quam animum humanum philoſophiæ ſupremò munere mortem eam meditantem de qua primò capite dictum eſt, ad deum conuerti. Quod quàm difficile ſit, accõmodatè ad ſuperiorem Platonis locum indicare poteſt quod ſcribit Io. Picus Mirandula in ſuis concluſionibus, non eſſe credendum in doctrina Platonis animum quicquam intelligere per conuerſionem, aut inſpectionem ad ideas, niſi peruenerit ad illum ſtatum qui eſt ſupremus gradus contemplatiuæ perfectionis: quodque idem ſubiicit modum cognoſcendi per ideas eum eſſe cuius in Timæo dij quidem omnes participes eſſe dicuntur, homines autem pauci. Quare Plato in vita hac quantumuis repurgata, cognitionem noſtram vix audet in ea epiſtola

Ideas aſſequi in vita hac difficillimũ.

epistola cuius mentionem fecimus, perfectam omnino scientiam, sed veram tantum opinionem nominare. Veritas enim rei creatæ, vt ait Marsilius Ficinus eodem capite, in hoc versatur vt ideæ respondeat vndique: scientia verò, vt mens congruat veritati. Non potest autē rei ipsius veritati quadrare, nisi ideæ quoque quadret: in cuius congruitate sita est veritas. Si quidem vera scientia est per causam cognitio. Quid quæritur amplius? An, si idea in mente diuina sit, quo modo id esse dicatur quod in scientiam cadit, quodque verè existit? Idea in deo deus ipse est: quoniam quicquid in deo est, deus est. Quis verò ignorat apud Platonicos, sicut & apud nos, vni deo omnino conuenire vt verè dicatur existere? De quo solo verè affirmari potest quod de quinto eadem epistola Plato scripsit: nempe id esse quo quid est cognoscibile & quod verè agnosci potest. Quoniam animus benè institutus, in quatuor prioribus ita exercetur, vt omnem laborē ad quinti, id est, dei tanquam ideæ idearum omnium, cognitionem referat: nec possit non modo hunc, sed ne illa quidem priora quatuor, sine huius lumine cognoscere. Sed non omnes ista capiunt: neque hæc Plato cum omnibus communicanda arbitratur. Dicam verò ex Platone eadem epistola cur difficile sit huius quinti naturam perspicere. Maximū omnium, inquit, quod cum duo sint, essentia & qualitas, quando animus non quale, sed quid sit quærit, nisi quodlibet horum quatuor quæsitū prius ab anima-tam ratione quàm affectu, denique sensibus benè discussum, per omnia quæ dicuntur atque ostenduntur, euaserit, omni ambiguitate & obscuritate, vt ita dixerim, omnes implebit. In quibus igitur haud quaquam consueti sumus, ob prauam educationem, verū perquirere: sed satis nobis factum putamus si appositā simulachra attigerimus: minimè derisui sumus inuicem interrogantibus, potentibus duntaxat quatuor illa discutere & arguere. Vbi verò necessitas cogit quintum ostendere, quiuis eorum qui possint subuertere atque retractare, peruincit: facitque vt qui exponit sermonibus, vel literis, vel disputationibus, apud audientium multos nihil eorum quæ vel dicere vel scribere aggreditur, intelligere videatur. Qua in re sæpe ignoratur non animum dicentis, vel scribentis redargui, sed naturam potius cuiuslibet illorum quatuor se male habentis. Traductio verò per omnia illa sursum deorsúmque in vnumquodque discurrendo perueniens, vix tandem scientiam parit intrinsecus: scientiā, inquam, ipsius quod naturaliter bene affectum est, in animo ad ipsum quoque naturaliter bene affecto. Ergo neque locus hic ex superiore Platonis epistola, pertinet ad probandum ideas ab illo extra diuinam mentem esse positas. Sed tantum hoc ex eo probabile videri, quod etiam aliis locis idem docuit, ideas per se esse & præter res singulas &

Quid Arist. potißimũ in ideis improbet.

seorsum ab his. Atque hoc certè est quod Aristoteles in illis potissimũ videtur improbasse. Non videtur fieri posse, inquit Metaphys. 12. vt seorsum sit substantia & id cuius est substantia. Ex quo natus est non leuis locus lib. 6. Top. Spectandum est, inquit, ex idea, sit ne vera & propria quæ data est definitio: quandoquidem in quibusdam id non reperiri cernitur. Quemadmodum Plato definit, adiungens animantium definitioni, mortale. Si enim idea est, certè mortalis non est: velut ipse homo. Ita ideæ minimè conueniet definitio. Omnino necesse est si addatur id quod efficiens est, aut patibile, in idea discrepare definitionem. Impatibiles enim & immutabiles videntur ideæ his qui eas defendunt. Quales definitiones contra eos valent. Et certè in eandem sententiam cap. 6. lib. 6. Metaphy. reprehendit eos qui rerum essentias, ab ipsis rebus separarunt. Si eius quod est ratio, inquit, non est in iis quæ sunt, ne cæterorum quidem vlla erit. Præterea cui boni ratio non conuenit, id non est bonum. Necesse est igiur bonum vnum esse bonsque rationem, honestum & honesti rationem, quæque non de alio dicuntur, sed prima & per se sunt. Etenim hoc satis magnam vim habet si adsit, etiam si species nullæ sint: aut potius fortasse, si extent species. Simul autem hoc perspicuum est, si sunt species quas nõnulli esse dicunt, id quod subiicitur, non esse essentiam. Nam has quidem essentias esse necesse est, non tamen dici de eo quod subiicitur. Hoc enim pacto communicabuntur. Ex his igitur rationibus perspicuum est vnum atque idem esse non per accidens, vnámque rem eiusque essentiam, ac scire vnumquodque, hoc esse eius rationẽ & essentiam cognitam habere. Et cap. 7. lib. eiusdem, Perspicuum est, inquit, species (sicuti species quidam soliti sunt dicere) si sint aliquæ res præter singulas, nihil ad ortus rerum & essentias conducere: nec iis quidem de causis per se atque seiunctas esse naturas & essentias. Idem ca. 14. Ex iis ipsis etiam perspicuum est, inquit, quod incõmodum suscipiant hi qui species simul & essentias esse, & seiunctas separatásque ponunt, simúlque species ex genere ac differentiis faciunt. Si enim species sunt & animal in homine & equo, aut vnum & idem numero sunt, aut aliud atque diuersum. Ratione enim vnum esse constat: quoniam eandem rationem in vtroque qui definit explicabit. Si igitur homo aliquid, quod ipsum per se atque seiũctum, necesse est etiã ea ex quibus constat, vt animal & bipes, aliquid significare & seiuncta esse, & essentias. Itémque cap. 4. lib. 12. Socrates quidem, inquit, ea quæ vniuersè dicuntur, non seiungebat à rebus singulis, nec definitiones: illi autem, nempe Platonici, seiunxerunt, eásque res ideas, id est species nuncupauerunt. Quæ omnia partim in Aristotele, partim in ipso Platone, à nonnullis obseruata, non dubito quin ei opinioni, quã

nunc oppugnamus, initium dederint. Sed aliud est velle ideas ab ipso deo rerum omnium opifice esse separatas, atque seorsum existere, aliud has secundum perfectionē suam exemplarē, à rebus singulis esse seiunctas, quarū tamen essentiam in se dicantur continere. Posterius verè Platonis est, & tamen ab Aristotele aliud philosophandi genus sequuto, sicut antea dictum est, cum magna probabilitate locis variis reprehensum. Prius, neque Platonis est, neque vllo loco, quòd sciam, ab Arist. illi attributum. Idémque certè video placuisse Cardinali Cōtareno lib. 7. primę philosophię. Platonici existimasse vidētur, inquit, eo modo res existere quo ab intellectu cōcipiuntur. Quamobrem cū intellectus concipiat species à singularibus abstractas: sic etiam censuere ideas substātias quasdam esse abstractasab indiuiduis omnibus, quæ singularium horū quæ sensu percipiuntur, species sint, ac de eis prædicentur. Hanc Platonis sententiam Aristoteles pluribus locis reprehendit: sed pręcipuè in 7. lib. primæ philosophię, multásque affert rationes quarum non ignarus videtur fuisse Plato, cum earum complures recitet in Parmenide. Sed proculdubio fieri non posse iure quicunque arbitrabitur, vt vna quædam substantia per se existens prædicetur de pluribus substantiis distinctis numero, ea prædicatione qua hoc dicitur esse hoc, sicuti Socrates homo, ac item Plato homo. Idcirco existimauerim ego Platonem posuisse ideas esse rationes rerum inferiorum, quæ sunt in primo intellectu quem etiam appellat mūdum intelligibilem, ac causam exemplarem constituit, quemadmodum supra pluribus ostendi: ac intellectum nostrum à sensu ac phantasmatibus inferiorum sensiliū excitari, vt ad rationē rerū conuertatur, quæ sunt in superioribus intellectibus. Nunc quoniam de ideis ea abundè disputata sunt quę ad institutæ cōparationis primū caput, videbantur pertinere: ad Aristotelis vniuersalia veniamus. Quę esse, quoniam inter philosophos constat, quem vsum habeant & vbi sint, primo loco quęramus. Aristoteles voluit his, sicut & Plato suis ideis, scientiarum omnium descriptiones accommodari, & omnem contemplationem à rebus singulis abstractam, ad hæc ipsa referri. Quare cum ille cap. 8. lib. 1. Analytic. Post. scientiam quę demonstratione paratur, æternorū esse docuisset, Neque, inquit, ideas esse, neque communem aliquam naturam à rebus singulis separatam, vt demonstratio sit, necesse est: sed illud tantum, vt communis aliqua ratio sit, quæ in rebus singulis consistat. Nam si id non sit, ne vllum quidem genus vniuersum esse poterit: quo sublato non erit medium ad sciendum accommodatum. Quare nec vlla demonstratio relinquetur. Ex quo efficitur vt sit necesse communem quandam ac minimè ambiguam esse naturam, quæ ita in multis cernatur, vt ab iis seiuncta esse non possit. Quibus ex eo-

Vniuersalia Arist. quem vsum habeāt & vbi sint.

dem, sicut & ex Galeno, addi potest, vt duo sunt quæ ad omnem cognitionem nobis natura dedit, sensus & intellectus: sic duo esse horũ obiecta, sensus quidem id quod singulum est, intellectus verò quod vniuersale. Atque vt sensus qui interior est, non res ipsas singulas in se recipit, sed earum præsentiũ & sensibus exterius obiectarum, imagines, quæ phantasmata appellantur: sic nec intellectum rerum communes essentias continere, sed notiones tantum, per quas illæ absentes nihilo minus quam præsentes, nobis contẽplantibus obuersantur. Ex quo accidit quod idem Arist. scribit lib. 3. de Animo, vt scilicet contemplemur quando volumus, quia contemplationis obiectum semper habemus in promptu: non sentiamus tamen quando volumus. Quoniam id quod sensuũ instrumenta mouere primum debet, externum est, nec in nostra potestate omnino situm. Quibus positis, de eisdem vniuersalibus alterum explicari potest: nempe vbi sint, & quo modo se habeant ad res singulas, quas sub se continent: itémque ad humanum intellectum, cuius cognitione comprehenduntur. De quo ita semper in Aristotelis doctrina existimaui, idque etiam alio loco scripsi, existere substantias singulas à se inuicem separatas, omnéque quod hoc modo existit, singulum quoque esse oportere: sed in hac rerum singularum existentia, duo inesse, nempe proprietatem naturæ, siue quandam huius circumscriptionem ab aliis separatam, per quam vnumquódque, vt Aristoteles ait, hoc aliquid est & numerabile. Atque in illa proprietate ita circumscripta, eiusdem naturæ quandam communionem inesse, quæ apud eundem in Categoria substantiæ quale quiddam est. Vt in hominibus, singuli à se inuicem separati existunt, nec ita existunt nisi singuli: sed in illis sic existentibus, naturæ quædam communio verè inest, quæ speciei definitione explicatur. In animo verò duobus illis alia duo respondere, singulo quidem circumscripto & ab aliis separato, imaginem quoque singulam in interiore sensu receptam: naturæ verò communioni, notionem vniuersalem ex comparatione singularum imaginum, quæ sunt in interiore sensu, vel in ipsa imaginatione, excitatam. Atque hoc semper addidi, priora duo substantias esse, posteriora animo accidere: ideóque cum vnum & idé (etiã si cum diuersis conferatur) substantia & accidens esse non possit, hæc in substãtiis verè haberi nullo modo posse, repræsentare tamé animo illam duplicem substantiam, atque idcirco nonnunquam ab iis qui minus accuratè ista expendunt, pro substantiis vsurpari: eo scilicet modo, quo Socratis imaginem aliquãdo Socratem ipsum esse dicimus. Qua loquẽdi cõsuetudine nõnulli fortasse decepti, notiones communes in intellectu substantias vniuersas esse voluerunt. Quorũ

error à nobis refutatus est li. 4. prioris nostræ descriptionis physicæ. Sed longè absurdior, mea quidem opinione, alter est, eorum qui naturæ communionem de rebus singulis omnino tollunt, solàque, vt aiunt, nomina communia esse volunt: nullas his subiectas substantias vniuersas. Quid enim hoc aliud quam vana hæc ipsa nomina vniuersa dicere, si illis in natura nulla res subiecta est: vanámque omnino demonstrandi & definiendi rationem, si quidem his accommodatur quæ nulla sunt? Scio huic opinioni occasionem dedisse Auerroen cum aliis locis multis tum maximè Commentario in 7. Metaphysi. itémque D. Thomam libello vno de sensu & intellectu, alteróque de vniuersalibus. Atque etiam agnosco meritò, ab Aristotele in Metaphysicis & à nostra schola, Christianáque religione semper esse damnatas substantias vniuersas à rebus singulis separatas: ne his positis Arist. ipse ideas admittere, aut nos aliqua ex parte probare videremur illum intellectum externum vnicum communem & immortalem ad cuius confirmationem idem Auerroes multis locis Aristotelicis est abusus. Sed quanquam satis accuratè quæ de hac quæstione ab aliis disputata sunt, considerauerim, in hísque inter se comparandis multum opere posuerim, nullius tamen rationibus persuaderi adhuc potuit, nullas apud Arist. substantias esse vniuersas (nisi fortè separatas, de quibus hic non disputo) nullam naturæ communionem in rebus singulis. Nec, vt spero, persuadebitur his qui mecum attentè considerabunt, quid ea de re multis locis Arist. scripserit: quámque puerilis, vel etiam putida tota philosophandi ratio futura sit, si naturæ communio è rebus ipsis omnino tollatur: vniuersaliáque in solo intellectu, vel etiam nulla omnino esse dicantur. Nam vt à primo exordiar, cum ante Categorias in diuisione eorum quæ sunt, vnum genus constituitur eorum quæ de subiecto dicuntur, in subiecto vero non sunt, manifestum est, opinor, hoc ad substantias vniuersas pertinere. Has igitur ille esse vult, quia in partibus eorum quæ sunt enumerat: sicut & lib. 1. Analyt. Priorum, cum viam atque rationem in medio deligendo ex eisdem Categoriis repetit. Itaque si substãtiæ vniuersæ quædam sunt, necessarium est vt illæ aut separatæ ponantur, quod in huius doctrina merito semper absurdissimum est habitum, aut in communione naturæ rerum singularum esse dicantur. Quoniam in intellectu notiones tantum sunt, quæ substantiarum sunt imagines, non ipsæ substantiæ: sicut à nobis ex Aristotele confirmatum cap. 4. lib. 4. prioris descriptionis physicæ. Porrò quid erit frigidius distributione substantiæ in primam & secundam, aut eo quod ab illo dicitur secundam significare quale aliquid, non tamen accidentium more, nisi vniuersalem quandam substantiam esse cõcedamus: quæ in nostra co-

gnitione secunda sit, quia à nobis intelligitur ex rerum singularum antecedente obseruatione, & tamen in earundem communione verè existens, his natura prior esse dicatur? Omitto quod eo ipso loco Aristoteles ait, sublatis primis substãtiis secundas tolli oportere. Quãquam hoc eius quod quærimus non leuem significationem habet. Quis enim Aristotele dignum existimauerit quærere, an secũdæ substantiæ cum primis tollantur, si illæ omnino nullæ sunt? aut si aliquæ sunt, cur cum primis necessario tollũtur, nisi quia in harum communione existunt? Sed quoniam locus hic in varias sententias interpretum opinionibus est distractus, contra repugnantes fortasse non satis haberet virium ad efficiendum quod volumus. Quare ea quæ clariora sunt persequamur. Sunt autem inter alia multa, quædam in Analyticis post. quæ tam manifestam eius quod disputo, confirmationem habent, vt his positis, de vniuersalibus & naturæ communione in rebus singulis, adhuc dubitare, nihil aliud sit quam in medio solerca ligare. Primum enim quis non videt conditiones eas quæ ab illo colliguntur cap. 4. lib. 1. vt proprietas quæ de aliqua specie per demonstrationem concludenda est, de omni dicatur, per se insit, & primo, atque ad vniuersum genus pertineat, ægrorum somniis similes prorsus futuras, si ipsius speciei nulla est essentia, nulla naturæ communio in rebus singulis? Quo modo enim proprietas prius speciei, quam rebus singulis conueniet, aut illi hoc ipso quod talis, si species ipsa in se nulla est nullámque omnino habet essentiam? Nec verò minus apertum videri potest, quod ex cap. 8. lib. eiusdem paulo antè commemorauimus. Quibus & illud adde quod scriptum est ca. 24. ipsum genus vniuersum quod in omnibus rebus singulis continetur, sensu percipi nullo modo posse: quandoquidem nõ est certo quodam loco ac tempore definitum: aut certè vniuersam rem non futuram. Nam quod semper est & vbique, inquit, hoc est quod vniuersum genus appellamus. Quibus etiam apertius est quod capite vltimo lib. 2. notionem vniuersam à substantia distinguit: illámque in intellectu, hanc in cõmunione rerum singularum esse vult. Oritur, inquit, ex sensu memoria: tum ex hac aliquoties repetita nascitur experiẽtia (si quidem hæc nihil est quàm multæ, vt sic dicam, memoriæ) postremo ab ipsa experientia, omnium artium, atque scientiarum principia proficiscuntur: illa verò tum est, cum infixa animo de toto genere pronunciatio, aut vnius cuiusdam rei notio. Quæ sit ipsa quidem præter res singulas, in illis tamen omnibus vna eadémque cohereat. Neque vero de ista sententia decedemus si interpretum opiniones vel numerãdæ solum, non etiam ponderandæ. Nam Simplicius Commẽtario in cap. 5. lib. 2. de anima, Vniuersalia, inquit, reperiuntur in animo, non ea quæ de

singularibus dicuntur. Námque hæc in ipsis singularibus existunt, & sola mentis apprehensione separãtur. Sentit idem Ammonius itémque Ioan. Grammaticus Commentario in cap. 8. lib. 1. Analytic. post. & in cap. vltimum lib. 2. Quo loco vsurpat tritam vniuersalium distinctionem in ea quæ antè multa sunt, quæ in multis, quæ post multa. Quid vero est esse in multis, nisi in communione naturæ rerum singularum existere? Contarenus Cardinalis quanquam in plerísque aliis quæstionibus Platonicus magis quam Peripatericus, de hac tamen idem statuit cum superioribus lib. 7. Compendij Metaphysici. Species rerum inferiorum, inquit, non habent esse extra intellectum eo modo quo ab intellectu concipiuntur, sed præter mentem singularia sunt, non abstracta à singularibus vniuersalia: nec tamen ob id figmenta quædam sunt, aut entia rationis, quoniã mentis conceptus eiusmodi originem habet ab ipsa re. Vbi concludit formam per se ad certum locum, & tempus minimè determinatam, sed communicabilem multis, vel potius communicatam, principium esse naturæ vniuersalis: sicut materiam, singularum: ídque quod de eadem natura vniuersali intelligitur, esse in re, vt hominem, equum, asinum: modum verò esse ab intellectu, qui tamen originem ducit à re, id est à natura formæ. Sed neglectis aliorum opinionibus rem ipsam ex sua natura expendamus, atque inquiramus num, exempli causa, inter omnes homines verè communio quædam intercedat, eáque non affectionum tantum sed substantiæ. Quæ si nulla est, quid igitur hominis definitione explicatur? An nomen commune tantum, nulla nomini subiecta substantia? Ridiculũ hoc profecto, & omnino contrarium his quę de exactissima definitione ab Aristotele scripta sunt lib. 2. Analytic. post. & cap. 2. li. 2. de anima. Si verò illa, animal rationis particeps mortale, vniuersæ speciei definitio est, eiusdémque essentiam complectitur, in qua singuli homines reuera conueniunt, quis non animaduertit tam necessario effici essentiæ quandam communionem in rebus singulis verè existere, vt non minus in philosophiam peccare videantur qui hanc negant, quam qui, vt aiunt, ipsum Solem de medio tollunt? Consideremus quoque hoc idem alia ratione paulò attentius. Res quædã eædẽ specie, aliæ genere esse dicuntur. Ergo necesse est eas secundũ speciem & genus, quiddam habere commune in quo consentiant. Neque verò satis est inter illas accidentium communionem aliquam intercedere: sed eam essentiæ esse oportet, quæ speciei vel generi sit propria: alioqui illæ eædem accidente tantum, non specie, vel genere esse dicentur. Quo modo vero inter res singulas essentiæ speciei, vel generis communio intercedet, si nulla prorsus est, sicut istis volunt, in rebus singulis naturæ communio? Quid porrò hac su-

blata vanius est futurum ea enunciandi ratione qua species de rebus singulis dicitur? Etenim cum Socratem hominem esse dicimus, aliquid opinor, Socrati attribuimus quod illi reuera inest: idque non accidens. Quoniam genus hoc enunciandi valdè ab illo differre volumus quo Socratem album esse dicimus. Si verò Socrati substantiæ cuiusdam fit attributio, cædo, an indiuiduæ? Minimè, opinor. Alioqui homo de Socrate vt maius de minore non enunciabitur: & affirmare Socratem esse hominem, perinde erit ac si Socratem, Socratem esse dicas. Quo quid absurdius in philosophia cogitari potest? Si verò homo de Socrate vt communior essentia de indiuidua verè dicitur, illam igitur essentiam Socrati cum aliis communē, in ipso Socrate & in aliis esse oportebit. Quoniam vt ab Arist. locis multis scriptum est, enunciatio ex eo vera dicitur quia in ea cum re subiecta id consentit, quod ipsa oratione exprimitur. An num igitur ex his efficitur humanæ essentiæ communionem quandam in Socrate & Platone esse oportere, cum de vtroque secundum essentiam homo verè enunciari dicatur? Sciens alia multa prætereo. Quoniam nec ad confirmandum quod volumus, nec ad redarguendam opinionem contrariam, hac in parte rationes nobis deesse possunt. Sed eis qui modestè veritatem inuestigant, non ad vanam contentionem omnia referunt, ista poterunt esse satis. Quare veniam ad institutam comparationem idearum cum vniuersalibus, si prius hoc vnum addidero, obstinatum studium superioris opinionis defendendæ, alium errorem peperisse, eorum qui vniuersalia non omnino quidem tollunt, sed ea tantum esse volunt quando intelliguntur: nihil verò habere in natura quod mentis notioni respondeat. Sic enim ex Boetho scripsit D. Thomas lib. de vniuersalibus, in natura nihil esse actu vniuersale, sed tale tantum fieri per operationem intellectus. Quod mihi sanè perinde est, ac si ille diceret colores in natura nihil actu esse: sed tales effici quando reipsa videntur. Quæ etiam opinio suos assertores habuit, sed ab Arist. est damnata, sicut à nobis postea suo loco pluribus explicabitur. Atqui vt sensus rerum obiectarum essentiam nō immutat, sed ab illa potius immutatur, nec ille reipsa sentiendo facit vt res singularis esse incipiat, quæ antea nulla erat, sed tantum hanc per mediam imaginem, quæ etiam singularis est, in se concipit: sic neque intellectus intelligēdo facit id quod vniuersale dicimus (alioqui hoc in nobis, singulis ferè temporum momentis nouum oriretur ac interiret quod Arist. ortus ac interitus expers esse vult) sed hoc in communione naturæ rerum singularum semper existit, etiamsi à nemine adhuc reipsa intelligatur: quemadmodum Aristoteles quædā reipsa scibilia & numerabilia esse ait, quæ reipsa neque sciuntur adhuc, neque numerātur. Per

notionem

notionem autem communem, de rerum singularum imaginibus excitatam, illud intellectus comprehendit, & absentia nihilominus quam præsentia quotiescúnque vult cõtemplatur & intelligit. Itaque sic videtur esse constituendum: in animo nostro duo esse genera imaginum, res eas quæ in natura sunt, repræsentantium: vnum earum quę singulares sunt, & ad interiorem sensum vel ad phantasiam pertinẽt: alterum notionum communium, quæ in humano intellectu ex singularum imaginum comparatione efformantur. De quo mihi (quanquam repugnantibus permultis) dictum esse videtur cap. 1. lib. 1. de animo, animal vniuersale, aut nihil esse, aut esse posterius. Vt verò neutra imago vana sit, sed in rebus quæ extra animum sunt habeat distinctum aliquid quod ipsa quoque animo distinctè repræsentet, in illis duplicem esse naturam, vnam singularem, numerabilẽ & hoc aliquid, per se ac separatim existẽtem (sic enim Aristoteles de ea loqui solet) quam interior sensus per hanc singularem imaginem percipit: alteram, quę sit quale aliquid, vt idem loquitur in Categoriis, non ab aliis separata, & tamen in communione rerum singularum verè existens: quam intellectus ab ipsarum rerum sensilium proprietatibus abstrahens, per notionem contemplatur. Atque sicut in interiore sensu, nõ est ipsa substantia, vt Socrates, sed huius imago tantum: sic neque in intellectu substantiam vniuersalem esse, quæ naturæ communio est in multis, sed eius solam notionem. Quo modo dictum videtur ab Arist. cap. 5. lib. 2. de anima, sciẽtiam rerum esse vniuersarum, quæ quodammodo in animo sitæ sunt. Et apertius cap. 8. lib. 3. necesse est, inquit, aut res ipsas esse in animo, aut certè earum species ac imagines. Non ipsæ quidem certè. Neque enim lapis in animo est, sed eius species. Sed de hac quæstione satis: nunc vt erat propositum, ad comparationem idearum cum vniuersalibus veniamus. In qua ridiculum omnino est & à doctrinæ Platonicæ atq; Peripateticæ maxima ignoratione profectum, quod scribit Thessalus methodicus lib. 3. suarum Animaduersionum, Platonis ideam nihil esse aliud quam genus logicum, quod à Porphirio definitũ: vel quod idem contendit lib. 6. scholarum Metaphysicarum, nullam ideam à Platone positam, quæ secundum essentiam sit à rerum singularum communione separata. Nobísque potius tenendum est, hanc à generibus & vniuersalibus Aristotelicis differre, quod idea secundum suam perfectionem summam, in sola mente diuina sit, in rebus verò singulis, tantum per adumbratam quandam imitationem, sicut exemplar in suis imaginibus: vniuersalia autem, sicut modo dictum est, vt substantiæ perfectę, sint in communione rerum singularum: in intellectu, per notionem tantum, tanquã per imaginem, quæ huic illam naturæ communionem represẽtat.

Idearum cum vniuersalibus comparatio.

Thessali opinio puerilis de Ideis.

Ex quo etiam intelligi potest (quod fortasse in hac quæstione Thessalum decepit) in Aristotelis doctrina res quidem singulas vniuersis & apud Platonem easdem ideis participare: sed tamen participationis modo omnino dissimili. Siquidem vniuersalia tota atque perfecta apud Arist. in singulis sunt, per séque omnino talia, quales suapte natura res singulæ. Adeo vt per se caduca esse dicantur, si sint in communione rerum singularum suapte natura caducarum: eadémque æterna tantum, quia in illarum rerum perpetua successione per ortum conseruantur. Vt exempli gratia, homo apud Arist. per se mortalis est, quoniam singuli homines suapte natura mortales, & quia hoc ipsum in eius definitione, quæ vniuersalium est, vsurpatur: omnésque definitionis partes definito per se inesse oportet, vt idem docet cap. 4. lib. 1. Analyt. post. Hic verò æternus tantùm, quia dum homo perpetuo circulo hominem gignit, in eo hominis natura communis perpetuatur. At hominis idea per se immortalis est, etiam si eius imagines in fluente materia expressæ, caducæ sint & mortales. Indéque natus est contra ideas locus ille nobilis quem ex lib. 6. Top. paulo antè commemorauimus. Adde quod Aristoteli omnia quæ eadem specie essentiæ participant, in hac ex æquo conueniunt. Quoniam ratio cuiúsque speciei, in indiuiduo, táquam in pũcto, est posita: ideóque in Metaphysicis ea dicitur similis numeris atque figuris: quibus si minimú addideris, vel detraxeris, speciem ipsam immutari est necesse. Platoni verò gradibus variis distinctę sunt eiusdẽ ideę imagines, neq;, in harũ vllã tota ipsius ideæ natura, siue perfectio, potest cadere. De quo Platonem initio Parmenidis loquentem audiamus. Hoc igitur mihi dic, inquit Parmenides, videntur ne tibi, vt aiebas, species quædam existere & ea quę illis participant illarum cognomenta sortiri? Veluti similitudine participãtia, similia, magnitudine magna, pulchritudine & iustitia, pulchra & iusta vocari? Et maximè quidem, inquit Socrates. Nónne quodcúnque speciei particeps fit, vel totam speciem, vel partem participat? An est alius præter istos participandi modos? Et quis alius? Socrates ait. Vtrum videtur tibi tota species in vnoquóq; multorum esse vna existens? an aliter? Quid prohibet esse vnam? Vnum ergo & idem in multis seorsum positis, totum simul vnum erit, atque ita ipsum à se ipso seorsum existet. Nequaquam, inquit Socrates. Verum sicut dies vnus, idémq; vbíque simul adest, nec ipse tamé à se ipso secernitur: ita nihil prohibet quamlibet speciem vnam & eádem simul multis adesse, nec tamen à se ipsam secerni. Quibus expositis iam expendamus in Porphirij præfatione tres illas quæstiones, quæ huius controuersiæ inter Platonem & Aristotelem potissima capita continent. Ego, inquit, prætermissis obscurioribus quæstionibus

Tres quæstiones Porph. de ideis & vniuersalibus.

eas interim tractabo quæ ad sensum popularem accommodantur. Ac primum ne longè abeam, de generibus ac formis consistant ne ipsa, an in solis animis sint: & si consistant, vtrum corpora sint, an ne corporis expertia: & num separari possint, an in sensilibus & circa hæc consistentia, dicere prætermittam: quod arduum sit eiusmodi negotium maioréque egeat inquisitione. Hîc tres quæstiones sunt: quæ quanquam academiæ nostræ Thessalo methodico, facillimæ visæ sint (quid enim, inquit ille, facilius est quam dicere vocabulorum significationes & notiones animo contineri, res autem significatas extra esse?) difficilem tamen habent, nec eandem in Platonis & Aristotelis doctrina explicationem. Quoniam istam nobilem de ideis & vniuersalibus controuersiam quodammodo cõtinent. Quam Porphirius Platonicus, Chrysaorio discipulo ad Aristotelem viam parans, hoc loco voluit indicare. Earum ~~prima est vtrum~~ genera ac formæ consistant: an in solis nudísque notionibus sint posita. In qua, consistere, significat in rerum natura existere: ideóque ei quod in sola nudáque notione versatur, ex altera parte opponitur. Cum verò nihil separatim existat, nisi singulare & hoc aliquid, vtraque, vniuersalia inquam & ideæ, consistunt vel existunt, non separatim, sed in singularum rerum communione. Nec tamen in hac eodem modo. Nam Aristotelis vniuersalia, vt opinor, secundum perfectionem essentiæ existunt tantum in communione rerum singularum: non tanquam in alio, ne quis cogatur fateri eas in illis esse, vt in subiectis, accidentium more, sed tanquam in se ipsis. In intellectu vero esse dicuntur quodam modo per aliud, hoc ipso scilicet quod eorum essentia in communione rerum singularum verè existens, intellectui repræsentatur per notionem tanquam per imaginem. Platonicæ verò ideæ, secundum suam perfectionem summã, sunt in sola mente primi opificis Dei: nec hoc modo cadunt in existentiam rerum, sed in hac tantum deprehenduntur per imaginem quæ partibus materiæ communicatur, & in his adumbrata, res singulas efficit numero differentes: quarum est proprium consistere vel existere. De quo legere oportet quæ vno libro ex Platonicorum doctrina disputat Plotinus, intelligibilia scilicet non esse extra intellectum. Quibus ita positis, reliquarum duarum quæstionum quæ ab eodem Porphirio subiiciuntur, explicatio facilior esse videtur: modo in eis semper attendamus quid Platonicum sit, quid Aristotelicum. Nam quod secundo loco proponitur, Si ipsa consistunt, vtrum corpora sint, an ne corporis expertia, in ideis ita accipiẽdum est, vt omnes hæ per se omnino corporis expertes esse dicãtur: etiã si de his quędã sint rerũ corporearũ. Per imagines aũt in reb⁹ singulis expressas, partim corporeę,

partim corporis expertes. Vniuersales verò substantiæ apud Aristot. per se tales sunt, quales res singulæ, in quarum communione existũt: rerum scilicet corporearum corporeæ, incorporearum incorporeæ. Quanquam omnes harum notiones in intellectu, corporis sunt expertes. Vt vniuersalis substãtia animalis, per se corporea est: quoniam singula animalia suapte natura corporea. At ea notio quæ intellectui talem naturam representat, non nisi corporis expers esse potest. In tertia quæstione, num hæc separari possint, an in sensilibus & circa hæc consistentia? repetendum est quod pluribus antea disputatum de vniuersalibus & ideis, quo modo in ipsa mente sint, & in rebus singulis. Idearum enim summa perfectio à rebus singulis separata est: earundem imago his inhæret, vel potius in his consistit. Vniuersalis autem substantia non est, vel non consistit, nisi in rebus singulis: nec tamen vt antea dictum est, accidentium more, sed vt ea quæ rerum singularum essentiam constituit & continet. Notio ab his cogitatione abstrahitur, & in intellectu, vt affectio in suo subiecto, recipitur. Nunc sequitur vt quoniam idea apud Platonicos, vnum est vniuersæ naturæ principium, de comparatione huius cum physicis principiis ab Aristot. positis, moneamus non satis aptè à nonnullis illam conferri cum priuatione Aristotelica. In intelligentia, aiunt illi, fons est idearum, siue exemplaris causa. Quam longè melius introduxit ab antiquis sanctísque edoctus Plato, quam eius discipulus Aristot. suæ priuationis somnium. Nam priuatio illa quæ semper est cum informi materia, ea est perinde ad quoduis incertum, sicut ad quoduis determinatum. Cum autem Deus faciat semper determinata ex determinatis & nunquam incerta ex incertis, est omnino necessarium, vt causa illa exemplaris non tantum generalis, sed specialis & indiuidua ponatur, & vt illa priuatio, quæ nihil planè conducit, exsibiletur & repudietur. Quadrarent autem Peripatetica dogmata cum Academicis non dubiis, sed affirmandis veríque, si loco illius priuationis frustra inter causas positæ, ponerent Aristotelei speciariam illã causam omnificã, quæ est in intellectu agente. Quia causa exẽplaris illa est mouens omnia & singula vt in finẽ, &c. Melius, vt opinor, cũ Aristotelica forma, quã cum priuatione potuit comparari: ad quã quo modo se habeat à nobis dictum est Cõmentario in li. 1. prioris nostræ descriptionis, physicæ. Quo etiã loco quædã adducta sunt ad defensionẽ priuationis quã ille in primis principiis numerauit. Aliter Io. Reuchlin, nec scio an maiore probabilitate, lib. 2. artis cabalisticæ, in principiis Arist. priuationis vsum cum opifice rerũ omnium deo à Platone posito, comparauit. Cum oporteret tertiũ aliquid ponere, inquit, quo vniantur materia & forma (nec enim spõ-

Ideæ comparatio cum priuatione & forma Arist.

te confluunt,nec contingit fortuitus quarumlibet formarum cõcursus in materiam : neque vnius rei materia contingenter rei alterius formam recipit)neceſſe eſt principium aliud quam priuationem Ariſtotelicam adducere,quo moueatur forma ad materiæ deſiderium:ita vt ceſſante hac & hac forma, introducatur viciſſim iſta quædã & iſta. Nam priuatio & potentia,nihil ſubſtantiu è agunt , cum ſint nullius actiuitatis realis,ob ſdque minimè entitatis. Quantò magis certam formam alicui materiæ iungere aut vnire nequaquam poſſunt? Vnde inuenti ſunt qui dicerent loco priuationis motum eſſe tertium principium.Qui cum ſit accidens, quo modo erit principium ſubſtantiæ? aut quis eius motus erit motor? Quare ſapientius contemplati Athenienſes ambo Socrates Sophroniſci & Plato Ariſtonis,pro motu ſeu priuatione,agillimorum actiuorum poſuerunt deum,dicẽtes tria eſſe rerum principia ideam , deum & materiam. Pro quibus Pythagoras poſuit infinitum,vnum & duo:infinito deum,ideam vno, duobus autem ipſam materiam ſignificans. Sed de comparatione idearum cum vniuerſalibus cúmque Ariſtotelicis vniuerſæ naturæ principiis , ſatis dictum eſt:nunc ex his quæ initio propoſita, reliquum vt in hoc Alcinoi contextu expendamus quarum rerum ideæ ſint, aut non ſint à Platone poſitæ.Multis Platonicis,inquit Alcinous,minimè placet eorum quæ arte cõſtant ideas eſſe,vt clypei,vel lyræ:neque eorum quæ præter naturam,vt febris,ac bilis non naturalis:neque etiam ſingulorum,vt Socratis & Platonis: Neque vilium vel abiectorum , vt ſordium,atque feſtucæ: neque relatorum , vt maioris & excedentis. In quibus cum quinque enumerentur quorum ideas eſſe Platonici noluerunt,de ſingulis ſuo ordine differendum.Primùmverò eorum quę arte conſtant non ſunt ideæ , niſi per quandam rationis ſimilitudinẽ, hoc ipſo ſcilicet quod artifices in rebus ſingulis efficiendis, dei in natura prouidentiam imitãtur. Sic enim,(quod paulò antè obſeruatum eſt)Cicero Platonica imitatione, eloquentiæ ideam ponit in Oratore,& ipſe Plato initio lib.10. de Republ.menſæ & lecti ideam agnoſcit.Nam vt naturæ opera dei ſunt opificis & in illis diuinæ intelligẽtiæ(quæ ipſa dicitur eſſentia & idea) quædam eſt imago: ſic artificia quæ vel ſola rerum naturalium imitatione conſtant, vel ab ingenio naturali- arte tamẽ exculto,elaborantur,quanquam propriè ideas nõ habeant,ratione tamen hominis in his opificem deum imitantis,illas quodammodo habere videntur:vt docet Plotinus cap.11.lib.de intellectu & ideis.Quod etiam in Platonicorum doctrina Ariſt.obſeruat lib.12.Metaph.Multa quoque alia fiunt,inquit,quorum ideas Platonici non dicunt,vt domus & annulus. In quem locum ſic ſcribit Syrianus.Ideas opificias,inquit,eorum quæ nec ſunt in natura,nec à na-

Ideæ quarũ rerũ non ſint à Plat.poſitæ.

tura fiunt,non reliquerunt Platonici: nec artificialium ideas esse putabant intelligibiles & diuinas:sed rationes exemplares operatorum artificiales,non illis tantum placuit animis artificum inesse,sed ab Aristot.idē multis locis est existimatū.Deinde cum Arist.in artificialibus exemplaria admittat,in naturalibus verò hæc respuat, ab eodem Syriano in eo sic exagitatur. Quo pacto,inquit, res artificiosas per exēpla accuratè fieri concedens,& in his non renuens exemplarem causam,naturæ opera,quæ certè ars imitatur, absque intentione perfici dicit,cum ad nullam determinatam causam naturalis actio referatur? Etsi ipse quoque Aristoteles alicubi dicat à natura formam appeti: sed rationem non explicat. Quam enim formam appetit ? inquit Syrianus.Illam ne quæ in motu fertur & materialem? Sed hanc nondū fecit & est natura ipsa posterior, & informi subiecto coniungitur. Absurdum verò est naturam quod nondum est, concupiscere,quódque posterius est & vna cum priuatione defertur : & ob hoc turpe quiddam fit ac inamabile. At si eius quæ separabilis est,formam diligit, quæ & vera est & prior ipsa & diuina & reuera forma, necesse est hanc esse intellectualem & immaterialem & semper in eisdem & eodem modo se habere, vt & naturæ desiderium inextinctum sit & indeficiens actio. Ex quibus etiam intelligi potest quod secundo loco Alcinous, ait eorum quæ præter naturā sunt, ideas non esse à Platonicis positas. Nam si hæ exemplaria sunt diuina & intelligibilia dei,naturam instituentis & moderantis, eorum quæ sunt præter naturam,esse nullomodo possunt. Sed quænam præter naturam à Platonicis esse dicantur, quæque talia reuera sint existimanda, quæstio est. Omnia quæ præter naturam sunt,illi in malis numerant:malorúmque deum causam esse negant. Ex quo est consequens, neque eorum ideam esse. Quoniam hæc ab illis definita est,dei ipsius res procreantis, intelligentia. At verò cum malum dicatur & de vitioso,quòd culpæ à Theologis tribuitur, & de eo quod in corpore atque fortunis in deteriorem partem homines exercet, quòd ijdem pœnæ esse volunt, de vtroque non est eodem modo statuendum. Culpæ enim siue peccati deus neque apud nos, neque apud Platonem, vllo modo author est.Quare neque eius vlla omnino idea.Pœnæ autem quæ numerantur in malis,hoc ipso bonæ sunt,quòd à peccatis homines auocant. Quo modo illarum apud Platonem deus causa est, & quod est consequens , earundem idea. De quibus extat nobilissimus locus libro.2.de Republ. Si quis,inquit, iambica inducat in quibus passiones Niobes referantur, vel Pelopidarum , vel Troianorum,aut aliquid eiusmodi, vel sinendum non est eum dicere hæc dei esse opera, vel si dei sunt , educenda est in his ea quam nunc

Rerum quæ præter naturam cur non sint ideæ.

Malorū an deus causa sit

quęrimus ratio, dicendúmque deum quidem bona iustáque egisse, atque eos puniendo iuuisse. Quod verò miseri sint qui pœnas pędunt, sitque deus qui sic affligit, poëtam dicere non est permittendum. Sed si diceret malos homines, vt pote miseros, pœnis egere, eásque soluętes à deo iuuari, permittendum. Malorum autem alicui causam esse ipsum deum, cum bonus sit, refellendum est omnino, neque permittendum hoc quemquam dicere in sua ciuitate, si bonis institui legibus ciuitas debet: neque insuper quemquã audire, siue sit ille iunior, siue senior: siue carminibus hæc inserantur, siue soluta oratione narrętur: tanquã neque dictu sancta sint, neque nobis vtilia, neque inter se consona. Hinc verò existit eiusmodi dubitatio. Si mala ea quæ culpæ diximus nominari, neque à deo sunt, neque ad aliud principium referri possunt (ne cum Manichęis cogamur cõminisci duo contraria prima principia vniuersi, vnum boni, alterum mali) vnde igitur hæc extiterunt? aut quo modo poterunt cognosci? D. Dionysius Areopag. priorem quæstionem fusissimè tractat lib. de diuinis nominibus, atque omnino negat malũ eiusmodi debere numerari inter ea quę sunt. Quoniã, inquit, si omnia quę existũt, ex bono sunt, omnibúsque bonũ inest continętq; omnia: certè in his malũ esse non potest. At forsan in bono malũ erit? Minimè. Nã nec in igne est frigidũ, nec malum vllũ in se admittere potest, quod malum etiam reddit bonũ. Deinde quod de duobus Manichæorum principiis paulò ante dicebatur, idem ita euertit. Neque rursus possibile est, inquit, duo esse rerum principia & inuicem & in vniuerso contraria atque repugnantia. Si enim id concedatur, nec deus ipse à detrimento molestiáque procul aberit. Si quidem non desit quod ipsum quoque perturbet. Ex quibus tandem concludit, malum sola boni priuatione contineri: cuius sibi causæ sunt res ipsæ natura constantes, cum errore aliquo à sua integritate recedunt. Scitum est quod in eandem sententiam dicitur à Mercurio Trismegisto cap. vltimo Pimandri. A deo factore, inquit, nihil malum nihílque turpe. Hæ si quidem passiones sunt, creata opera sequentes, quemadmodum æs rubigo, animata corpora limus. At neque faber ferrarius induxit rubiginem, neque animati corporis genitor, cœnum & sordes. Eodémque modo nec deus etiam malum. Generationis autem perseueratio, malum surrepere cogit. Eáque de causa mutationem deus rebus instituit, ceu quandam ipsius generationis purgationem. Similis est sententia Athanasij in oratione contra idola. Nullum malum, inquit, nec à deo, nec in deo, nec ab initio extitit, nec vlla est eius substantia. Sed homines per priuationem imaginandi cogitandíque boni, sibi illud quod malum est, comminisci cœperũt, effinxerúntque

pro libidine ea quæ non erant. Vt enim si quis sole præsente & vniuersa terrarum suo iubare illustrante, conniueat clausis oculis, ac inde tenebras, quæ nullæ sunt, animo fingat, ac postmodum quasi in tenebris ambulans, oberret, vt nunc labante gradu procidat, nunc ad præcipitia se incitet, arbitratus non lucem sed tenebras esse, séque intueri, cum nihil videat: ita quoque mens humana clausis oculis, quibus deum contemplari poterat, effictis sua imaginatione, malis, in his sese agitat ac mouet, nesciens interim se nihil agere, dum se maximè negocioſam præbet. Et quæ natura non subsistunt, animo comminiscitur. Non enim qualis à principio fuit condita, talis permanet: sed qualem se ipsam contaminando reddit. Condita enim est vt deum spectet, & ab eo illustretur: ipsa verò pro deo, mortalia & tenebras exquisiuit: vt alicubi spiritus scripto prodidit, Deus hominem rectum fecit: ipsi autem exquisiuerunt multiplicia commenta. Malitiæ igitur inuentio & excogitatio, hominibus ab initio ita excita & confícta est.

Malum quo modo cognoscatur.

De cognitione verò mali (quæ erat altera quæstio) quo modo parari possit, si eius nulla est idea, sic scribit Plotinus eo libro quo inquirit de malis quæ, & vnde sint. Cæterùm dubium est, inquit, quanam potissimum ex viribus quæ nobis insunt, mali naturam percipiamus. Quippe cum cognitio singulorum per similitudinem quandam perficiatur. Intellectus namque & anima cum species quædam sint, species quoque cognoscunt, eásque naturaliter appetunt. At verò malũ nemo sub speciei ratione potest effingere: cũ in quadam boni totius absentia cogitetur. Quòd si quia contrariorum eadem scientia est & bono contrarium est malum, ideo eadem boni malíque notitia erit, profecto necessarium est cognituros mala, discernere bonum. Quandoquidem præstantiora ritè præcedunt, ac species antecedunt ea quę non species, sed priuationes potius iudicantur. De qua quæstione vide plura apud. D. Thomam cap. 71. lib. 1. contra Gẽtiles. Locus est tertius in contextu Alcinoi de singularibus: quod horum non sint ideæ nisi per speciem in qua vniuntur. Quoniam idearũ diuersitas in imaginibus quæ respondẽt, speciei distinctionem parit: res autem singulæ solo numero differentes, solius materiæ partitione, non specie distinguuntur. Itaque sicut Socratem à Callia specie differre, omnino à philosophia alienum est (in quo Thessalus Methodicus ex suis poëtis & iureconsultis suo more nugatur) sic apud Platonem absurdum est Socratis & Calliæ differentes ideas ponere. An igitur ex Platonicorũ sententia deus singularia nõ cognoscet, si eorũ idea non est per quam hic res omnes dicitur ab illis intelligere? Absit. Nam Proclus libro de decem dubitationibus contra prouidentiam, de vno rerum omnium principio ita loquitur: Illud cum in vno maneat, inquit, spatio carens

An singulariũ sint ideæ.

In deo qualis singularium cognitio.

&

& omnis diuisionis expers, omnia eodem modo intelligit: nec hominem solũ & Solem & quod est eiusmodi: sed etiam rem quamque sigillatim. Nihil enim est quod illud vnũ effugiat, seu esse, seu cognosci dicas. Quo igitur modo ille singula cognoscet? Vt hæc vniuntur. Prouidentiæ enim, vt idem ait eodem loco, in vnitate cognitio, in eodem impartibili omnium est quæ diuiduntur cognitio: tum earum rerum quæ maximè sunt indiuiduæ, tum earũ quæ totius naturam retinent. Et quemadmodum sua vnitate rem quamque produxit, ita & vnitate vnamquamque cognoscit. Obscurior est Plotinus cap. 1. lib. eius quo inquirit an singulorum sint etiam ideæ, nec satis definitè de eo suam sententiam exprimit. Nunquid vniuscuiusque, inquit, est idea? Forsitan si ego & vnusquisque ad intelligibilem redigimur ordinem, ibi quoque est vniuscuiusque principium. Forsan etiam si semper est Socrates & Socratis anima, ipse Socrates erit, quatenus anima singulatim, sic ibi Socrates & quilibet singulatim. Sin autem non semper est Socrates, sed alias alia quodammodo euadit anima, adeò vt animus qui nunc est Socrates, prius Pythagoras aliúsve fuerit, futurusque sit alius, non amplius vnusquisque eorum qui hic sunt, est & ibi. Veruntamen si vniuscuiúsque anima seminarias rationes habet omnium quæ exequitur, atque explet: rursus ibi sunt omnes. Nam fatemur quot mundus rationes habet, totidem quoque singulas animas possidere. Quare si mundus non hominis tantum, sed singulorum etiam animalium, complectitur rationes, anima quoque rationes continet singulorum. Quamobrem sequetur infinitus numerus rationum: nisi certis temporum cursibus in idem restitutio fiat. Ita profecto infinitas ipsa finita demum erit, quando eadem mundo reddẽtur. Cęterum si quæ fiunt omninò plura sunt quam exemplar, cur nam oportet omnium quæ in vna mundi reuolutione fiunt, rationes exemplariáque extare? Videtur enim sufficere homo vnus ad omnes homines, quemadmodum & animæ numeratæ ad innumerabiles homines effingendos. Sed enim non potest vna esse ratio differentium. Neque sufficit homo ad exemplar multorũ hominum differentiũ, non materia tantum, sed quãplurimis insuper propriis differentiis. Nõ enim hęc ita se habẽt vt imagines Socratis ad exẽplar: sed differentẽ effectionẽ necessariũ ex differẽtibus rationibus proficisci. Vniuersa verò reuolutio, omnes cõplectitur rationes. Eademq; rursus per easdẽ rationes regenerãtur. Neq; verò suspicandũ est ne hinc in mundo intelligibili infinita multitudo sequatur. Tota enim illic multitudo in quodam indiuisibili cõtinetur & quasi illinc prodeũt singula, quãdo agit. Hactenus Plotin⁹. Ex cuius verbis nõ est facile de quæstione proposita statuere. Itaque de hac nostros potius, ad quos etiam

ea pertinet, audiamus. Deũ non cognoscere singularia, sentẽtia est ab Academia parisiensi merito iãpridem dãnata. Quo verò modo hęc distinctè cognoscat, conatur explicare D. Thomas ca. 50. li. 1. cõtra Gẽtiles. De eóq; idẽ ita scribit Articulo 11. quest. 14. Sũmæ. 1. Cũ deus, inquit, causa sit rerum per suam essentiam, in tantum se extendit scientia dei, in quantum se extendit eius causalitas. Vnde cum virtus actiua dei se extendat nõ solum ad formas à quibus accipitur ratio vniuersalis, sed etiam vsque ad materiam, necesse est quod scientia dei vsque ad singularia se extendat, quæ per materiam indiuiduãtur. Cum enim sciat alia à se per essentiam suam, in quantum est similitudo rerum, vel vt principium actiuum earum: necesse est quod essentia sit principium sufficiens cognoscendi omnia quæ per ipsum fiunt, non solum in vniuersali, sed etiam in singulari. Quartum erat de rebus vilibus & abiectis quod earum ideæ non sint à Platonicis positæ. Id verò non sine magna dubitatione est. Quid enim? an rerum eiusmodi deus opifex non erit? Hoc Platonici videntur arbitrati: quod eas diuina maiestate indignas iudicarent. De quibus sic apud Platonẽ Parmenides. Vtrum de iis, inquit, etiã dubitasti ô Socrates, quæ ridicula forte quis putet, sicut de pilis lutóve & macula & aliis ignobilissimis rebus atque vilissimis? Num ambigis vtrum ponenda sit horum cuiusque separata species aliud quiddam ab illis existens quæ nos pertractamus, an nõ? Nullo pacto, inquit Socrates, sed quæ videmus hæc & sunt, speciem verò quandam illorum esse putare forte nimis ridiculum esset. Apertiora sunt quæ de eadem quæstione scribit Plotinus capite vltimo libri de intellectu, ideis & ente. Quod quæritur, inquit, nunquid sit species eorum etiam quæ ex putrefactione fiunt, difficiliúmque & admodum molestorum, item sordium atque cœni, dicendum est quodcunque mens ducit à primò, omnia esse optima, in quibus vtique speciebus hæc non insunt. Neque ex his mentem accipere, sed animam à mente quidem accipere, admittere insuper à materia plurima, in quibus hæc accidunt. Verum de his apertius explanabitur si ad dubitationem illam regrediamur, qua quæritur quo modo ex vno profluat multitudo. Iam verò constat illa composita quæ frustra temereque fiunt, nec mente, sed suo quodam impetu in hoc sensilium genere confluunt, speciebus ipsis minimè contineri. Præterea quæ putrefactione fiunt, ex quadam animæ sorte contingere, tunc forsan aliud non potentis. Alioquin feciſſet procul dubio aliquid naturæ potius consentaneum. In quibus sentire videntur Platonici de istis vilibus rebus omnibus idem quod Aristoteles de mõstris, errores scilicet esse ipsius naturæ, materiæ vitio magna ex parte enascentes, ideóque illarum causas exemplares in opifice deo

Rerũ viliũ an sit idea.

non quærẽdas:quando earũ opifex eſſe nõ videtur.Quanto melius D. Hieronymus commentario in Ioëlem. Vt potentia dei in Ægyptiis plagis oſtenſa eſt per parua animalia & præcipuè Cyniphes (qui tam parui ſunt culices vt vix cernantur oculis) ſic & nunc,ait,in paruo tardóque vermiculo qui vix moueri poteſt & leui tactu conteritur, dei potentiam & humanam imbecillitatem demõſtrari. Non quod deus ad nutum ſuum,inquit,& potentiæ maieſtate nequeat terras ſubuertere & operire cuncta diluuio,vel fulmine concremare, ſed per parua & vt ita dicam,puncta corporum, oſtendit humanam fragilitatem.

Hæc quidem D. Hieronymus de animalibus quæ vilia eſſe putantur. Quibus illud adiicio, acuto & diligenti rerum Phyſicarum obſeruatori non minus admirandam videri naturæ vim, vel dei naturam regentis prouidentiam, in ſpontanea generatione animalium ex materia putreſcente,quam in aliis quæ ex ſimilium ſeminibus naſcuntur. Amplius verò ſi à deo cognoſcuntur omnia per ideam ingenitam, ex his quæ à noſtris Theologis diſputantur, efficietur vilium ideas eſſe ponendas.Quoniam D.Thomas cap.70.lib.1. contra Gentiles, contendit hæc à deo cognoſci: nec verò horum cognitione diuinam maieſtatem imminui:etiam ſi contra dictum ab Ariſt.videatur li.12. Metaph.vilia melius ignorari,quàm cognoſci.Quintum eſt & poſtremũ de relatis,quorum ex Platonicorum ſententia ideas eſſe negat.In quo Ariſtoteles cap.4.lib.12.Metaph. inconſtantiæ eos arguit:quod rationum earum quibus vtebantur ad probandas ideas,exactiſſimè, etiam relatorum ideas eſſe confirmarent.Hoc verò Syrianus Platonicus conatus eſt diſſoluere facta relationum diſtinctione, iſto modo. Habitudinũ non ſubſtantialiũ,inquit,ideas eſſe non dicimus, aut earũ quæ ſunt in motibus, aut quæ ſecundum aliquem ſitum non naturalem perficiuntur,vt ſuperioris,inferioris,dextri, ſiniſtri, vicini & aliorum huiuſmodi. Quæcunque verò per alicuius ideæ participationem ad aliquid facta ſunt,vt ſimilia, aut æqualia, aut diuerſa,hæc cum aliquo genere entis participẽt,altera verò minimè: omnino aliqua vna idearum coordinationem inter ſe recipiunt.Et quid mirandum eſt ſi eorũ quædam quæ apud nos ſunt, per illa dicimus ad aliquid fieri,cum etiam ibi hanc relinquamus habitudinem. Subſtantialem verò non nos tantum ſed & ipſe Ariſtoteles? Cum enim hoc cauſam aut principium eſſe dicimus,aut primum,aut continens,alterum verò cauſatum ex principio,aut ſecundum,aut contentum,quid aliud facimus quam quod ordinem quem habent diuina inter ſe,enitimur oſtendere? Placet autem ipſi quoque Ariſtoteli ſeparabilium formarũ quibus ſpheras vniuerſi deuincit, has quidem eſſe primas,illas medias, quaſdam vltimas, & illas quidem maioris ambitus eſſe, has verò minoris: ſi

An relatorũ ſint ideæ.

quidem hunc habent etiam inter se ordinem quem & ætheris sphæræ inter se ostendunt. Atque hæc quidem quinque quorum non esse ideas ex Platonicorum sententia hoc loco obseruat Alcinous. Addit verò Aristoteles cap. 6. lib. 1. Ethic. Illos non posuisse ideas eorum in quibus prius posteriúsque dixissent: atque idcirco numerorum ideas esse noluisse. Quod de sensilibus numeris apud eos intelligendum. Aliter enim Pythagoras formarum & idearum dominum esse dixit numerum, eundémque rerum omnium constitutorem & procreatorẽ. Sicut & Hippasus eo contineri voluit instrumentum dei, mundum fabricantis ac eiusdem exemplar. Hæc isti referentes ad numerum separabilem, vel potius ab ipsis sensilibus separatũ. Neque verò partiũ, vt capitis vel manus, ideas esse volebant: siue quia harũ essentia toto posterior est, vt Aristoteles scribit lib. 1. Metaphys. siue quod earũ ratio non est absoluta, sed posita in quadã relatione ad totũ. Ex quo idẽ dicere solet partes à toto separatas nõ manere nisi homonymos. Vel vt ait Syrianus Platonicus, quod integræ existentes rerũ causæ, totas species & formas producant, non diuisæ sint circa harum partes, velut naturæ rationes. Illis autẽ omnibus idẽ Syrianus hæc adiicit, nec Platonicos priorum corporibus accidentiũ in intellectu determinatas causas posuisse, vt dulcedinis, albedinis. Sufficere enim putabant naturales rationes ad actionẽ accidentiũ corporib⁹. Sed nec compositorũ, vt hominis sapiẽtis. Cũ enim simplices sint ideę, inquit simplicẽ cuiusque substantiã exponunt. Participare verò diuersis speciebus, mouet intellectũ nostrum ad componendum hoc huic, aut diuidendum hoc ab hoc. Circa quod igitur est affirmatio & negatio, circa hoc & compositio est & diuisio. Ideæ verò & ideis coordinata intellectio, ab his omnibus exemptæ sunt, ob simplicitatis exuperantiam. Neque eorũ quæ ex cõplexione dissimilium generũ habent originem, vt mulorũ. Neque eorum quæ ex diuersis arboribus conascuntur. Sunt enim hæc omnia posterius genita & aduentitia, & non solius naturæ opera, nec omnino secundum suas rationes procedentis, sed veluti iniuria affectæ & frustratæ, vel laborare coactæ. Neque eorum operum quæ ab animæ proposito pendent. Ex quibus relinquitur vniuersalium & perfectarum substantiarum esse ideas, & eorum quæ conferunt ad naturalem harum substantiarum dispositionem: vt hominis & eius quod hominem potest perficere, vt sapientiæ & virtutis. Sed hæc de ideis satis multa: nunc ad Alcinoi contextum reuertamur.

An numerorum ideæ.

Partiũ quare non sint ideæ.

a νόησις, quæ hoc loco de idea cum Deo comparata dicitur, siue intellectio, pro actu scilicet intelligendi, siue notio pro illius actus obiecto vsurpetur, in re parum interest. Quanquam cap. proximo, ideam vocat Dei energiam & actum in intelligendo. Quoniam idea in Deo vtrúmque horum est. Atque duo hæc quã-

quam à seinuicem ratione sint distincta, reipsa tamẽ cum Deo eadem sunt. Quia Dei essentia in perpetuo intelligendi actu posita est, & eius actus obiectum, ipsa est Dei essentia. Si quidem hic in se ipso semper intelligendo, sempiternam habet & incommutabilem essentiam. Quo modo idea in Deo nihil aliud esse videtur, quam Dei patris sempiterna & omnino immutabilis sapientia. Hæc vero ad nos relata, primum est intelligibile, sicut solis lumen primum aspectabile. Quoniã illa præstat nobis vt possimus intelligere, & rebus omnibus vt possint intelligi, nostrum intellectum illustrando & veritatem quæ in obiectis est recõdita, detegendo: quemadmodum lumen Solis oculo nostro præstat, vt videre possit, & rebus obiectis vt possint videri. Eadem Dei patris Sapientia, suæ perfectionis radios effundens in materiæ gremium, rebus singulis natura constantibus præstat originem: quarum idcirco prima summáque perfectio esse dicitur, cuius radij sunt in formis naturalibus ipsi materiæ communicatis. Quos quidẽ radios materiæ iam communicatos, Aristoteles naturæ genius primas corporũ naturalium perfectiones appellauit: in natura nihil iliis perfectius agnoscens. Plato autem diuinus perfectionem hanc materiæ communicatam quoniam existimauit ab idea, vt imaginem à suo exemplari, emanare, idcirco materiæ perfectionem omnino primã, quam hoc μέτριον Alcinous nominat, ideæ attribuit, secundam verò formis ipsis naturalibus, quas idcirco in primis naturæ principiis non numerat. Sicut à nobis obseruatum est Commnentario in lib. 1. prioris nostræ descriptionis physicæ. Quod perinde est ac si diceres causam primam fœcunditatis eorum omnium quæ terra oriuntur, non esse positam in Solis radiis terra exceptis, sed in ipso sole à quo radij emanant. Cuius quidem exemplaris formę siue idealis, confessionem nonnulli ab Aristotele volunt extorquere ex eo quod dixit li. 1. Physic. formam à matetia appeti, sicut à deformi ipsum pulchrũ: & libr. 2. naturam quæ vt ortus dicitur, ad formam tendere tanquam ad finem. Nam, inquit Syrianus Cõmentiario in 12. Metaph. quam formam natura appetit? Illámne quæ in motu fertur & materialem? At hæc nondum est, & ipsa natura est posterior, & cum informi subiecto coniungitur: & absurdum est naturam id quod nondum est, concupiscere: quódque posterius est & vna cum priuatione defertur, & ob hoc turpe sit & inamabile. At si eius quæ separabilis est, formam diligit, quæ & reuera est & prior ipsa, & diuina & reuera forma, necesse est hanc esse intellectualem & immaterialem & semper in eisdem & eodem modo se habere. Vt & naturæ desiderium inextinctum sit, & indeficiens actio. Hæc vero ipsa Platonica idea esse videtur. Ideam vero sicut hoc loco Alcinous μέτριον nominauit, cũ ad materiam refertur: sic ab aliis Platonicis eiusdem materiæ ἄρισμος dicitur. Quoniam vt per communes numeros omnia ad certum ordinem reducuntur, sub quo à nobis compræhenduntur: sic per ideæ participationem sibi similia redduntur & in speciem, ordinem, pulchritudinem & vnitatem per eiusdẽ communicationem, adducuntur. Ex quo numerus vocatur quasi mensurãs omnia, componens & amica faciens. Quod ipsius ideæ apud Platonicos maximè est proprium.

3 Etiam si mundus hic apud Platonicos habuerit originem, non eam quæ rationis est tantum, sed quæ rei: idest reuera aliquando esse incœperit, de quo postea suo loco disputabitur, eius tamen exemplar fuit æternum. Quia ab æterno in Deo patre opifice, conceptæ rationes eorum omnium quæ mundo hoc continentur: sicut ipsum Verbum conceptum, apud eũdem ab æterno fuisse dicitur ab ipsis Theologis. Porro hic attentè considerãdum est quænam secundum naturam esse dicantur, vt intelligatur quorum à Platonicis ideæ sint positæ. A-

ristoteli secundum naturam sunt ea sola quę continentur communi ordine causarum earum quæ secundæ appellantur. Quæ verò supra, vel præter hunc ordinem diuina voluntate contingunt, ea à naturalibus separantur & per quandam excellentiam Deo attribuuntur: vt cum idem dixit lib.1.de Cœlo, Deum & naturam nihil frustra facere. An igitur talium apud Platonicos idea non erit, si exemplar est tantum eorum quæ secundum naturam contingunt? Absit. Sed hic intelligamus potius his quæ secundum naturam sunt, opponi tantum ab illis ex altera parte, ea quæ infra naturam, vel etiam naturæ contraria: non ea quæ à Peripateticis præter naturam vel supra eandem esse dicerentur. Quorũ Deus causa est, quare & eorundem idea. Illorum verò quæ infra naturam sunt, vt sordium, vel eorum quæ naturæ contraria, vt monstrorum & malorum, quia originem diuina maiestate indignam existimauerunt, neque ideas ponendas esse putauerunt.

4 Ratio hæc est superiorum. Nam si ideæ notiones Dei sunt æternæ & seipsis perfectæ, habent igitur essentiam absolutam, non pendentem ex relatione ad alterum, aut ex hominum commentis, & vario apprehendendi modo pro diuersa rerum inter se comparatione. Cuiusmodi sunt ea quæ in relatis numerãtur. Hæc enim definiuntur quæ id ipsum quod sunt aliorum esse dicuntur, aut alio quouis modo ad aliud referuntur. Argumenta autem varia quæ ex Platonicis subiiciuntur ad confirmandum ideas esse ponendas, petita sunt à varia earundem consideratione quæ initio capitis huius exposita. Formula verò argumentandi, ab affirmatione antecedentis ad affirmationem consequentis, quæ Alcinoo hoc libro maximè familiaris.

5 Prima hæc ratio ad confirmandas ideas, ducta ab earundem prima consideratione in Deo, est eiusmodi. Deus aut simplicissima mens est, habẽs suam essentiam in perpetuo intelligendi actu, aut substantia quædam cui hic intelligendi actus inesse dicatur: hoc autem magis quam illud, cum quadam concretione videtur esse coniunctum. Siue autem hoc, siue illud Deo attribuimus, non potest esse sine perpetuo intelligẽdi munere: nullum verò intelligendi munus, sine intelligibili: quoniam hoc illius obiectum est. Ergo apud Deum semper & ab æterno intelligentem, oportet sempiterna quædam esse intelligibilia: quæ prima sint, sicut & ipse primum est intelligens. Eadémque æterna & immobilia: ne si hæc mutentur, secundum ea Deus mutationem subeat, aut simul cum tempore nouam perfectionem acquirat. Quorum vtrúmque in ipso Deo parem absurditatem continet.

DEVM ESSE, PRIMVM OSTENDIT, deinde quam difficilis huius cognitio, quæque difficultatis causa sit, & quam variè homines ad eam soleant aspirare: postremò illum simplicissimum esse, & omnis concretionis expertem.

CAP. 9.

1 *Deinceps de tertio principio disseramus, quod penè ineffabile Plato ponit. De ipso autem ad hunc modum infera-*

mus.[2] *Si sunt intelligibilia: hæc autem nec sensilia, nec sensilibus participãtia, sed primis quibusdam intelligibilibus: sunt prima intelligibilia, quemadmodum & prima sensilia. Verum autem est quod antecedit. Verũ ergo quod sequitur. Homines quidem perturbatione sensuum occupati, quoties intelligibile quiddam contemplari volunt, in phantasia rei sensilis imagine implentur. Quo fit vt magnitudinem, figuram & colorem cum illo sape animo comprehendant. Dij vero vt secreti à sensilibus, purè, sincerè & impermixtè.*[3] *At quoniam intellectus animo est melior: intellectu autem eo qui in potestate est, is qui re ipsa omnia intelligit & simul ac semper: hoc verò pulchrior is qui huius est author & qui etiam his superior est, hic Deus primus est idémque causa vt mundi intellectus semper agat. Agit autem ille immobilis, in hunc, quemadmodum &*[4] *Sol in aspectum, cum illum hic intuetur. Atque vt appetẽdi principium appetitionem mouet, cum ipsum immobile maneat: sic & hic intellectus cæli vniuersi intellectum mouebit. Quoniam verò primus intellectus pulcherrimus est, pulcherrimum quoque intelligibile illi oportet subiici. Nihil autem ipso pulchrius. Se ipsum igitur suique notiones semper intelligit. Hicque eius actus, idea est.*[5] *Quinetiam Deus primus æternus est, ineffabilis,* αὐτοτελὴς *se ipso perfectus,* ἀϊτελὴς, *id est semper perfectus,* παντελὴς, *id est omni ex parte perfectus, Diuinitas, Essentialitas, Veritas, Commensuratio, Bonum.*[6] *Dico autem hæc nõ vt separans, sed vt per omia vnum intelligens.*[7] *Atque bonum quidem est, quoniam in omnia, pro cuiusque facultate, sua beneficia confert, cum omnis boni causa sit. Pulchrum verò, quoniam ipsa natura amplius quiddam est, &*

commẽsuratum. Veritas, quia omnis veritatis principium est, vt Sol luminis. Pater verò est, quia causa omnium: cælestémque intellectum & mundi animum ad se ipsum suíq; notiones exornat. Nam secundum suam voluntatem omnia se ipso compleuit, mundi animum excitans & ad se conuertens. Quippe qui eius intellectus causa sit, qui à patre ornatus, in mundo hoc naturam vniuersam exornat. Ineffabilis autem est, & vt antea dictum, solo intellectu perceptibilis. 8 Quia neque genus est, neque species, neque differentia: imo neque accidit illi quicquam. Nam nec malum, nefas enim dictu id esset: neque etiam bonum, siquidem participatione alicuius & maximè, bonitatis, talis existeret. Neque differentia, non enim secundum eius notionem fieri potest: neque quale, non enim qualitate affectum est. Quia quodeiusmodi est, id à qualitate est perfectum. Neque verò qualitatis est expers. Quoniam nulla qualitate ad se pertinente est priuatus. Neque pars est cuiusquam: 9 neque vt totum ex partibus constitutum. Neque idem, vel diuersum. Quoniam in eum nihil cadit quo ab aliis secerni possit. 10 Neque vero mouet, neque mouetur. Erit igitur prima in eo intelligendo ratio per abstractionem horum. Quia & punctũ intelligimus à sensilibus abstrahendo: primo quidem superficiem cogitatione comprehendentes, deinde lineam, postremo ipsum punctum. Secunda verò, in quadam rationis similitudine, hoc modo. Quam rationem Sol habet ad aspectum, & ad ea quæ aspectabilia sunt, cum ipse aspectus non sit, huic autem præstet vt videat, illis vt videantur: eandem profecto intellectus primus ad intellectionem quæ in animo est, & ad ea quæ intelliguntur. Neque enim est ipsa intelle-

ctio, perficit tamen in hac intelligendi actum, illis verò præstat vt intelligantur, veritatem quæ eis ineſt, illuſtrans. Tertia eiuſdem intelligendi ratio, talis quædam erit. [11] Contemplans aliquis pulchrum quod corporibus ineſt, ex eo progreditur ad animi pulchritudinem: hinc ad alteram, quæ in inſtitutis ac legibus: deinde ad immenſum pelagus ipſius pulchri. Ex quo ipſum bonum intelligit, & hoc amabile ac expetendum, velut ſplendorem in animum qui per hos gradus aſcendit, refulgentem. Cum hoc autem cúmque ipſo Deo, intelligit, propter eam quæ in honorando eſt excellentiam. Partis quoque expertem intelligit. Quoniam illo nihil prius eſt. Pars autem omnis, & id ex quo aliud conſtituitur, id ipſum antecedit cuius pars eſt. Etenim planum prius eſt corpore, & linea plano. Cum verò ſit partium expers, neque loco moueri poteſt, neque qualitatibus cõmutari. Quoniam ſi commutetur, vel à ſeipſo, vel ab alio commutabitur. Si ab alio, illud certè Deo potentius eſſe oportebit. Sin à ſe ipſo, aut in deterius, aut in melius eiuſmodi commutatio fiet. At vtrúmque horum in iis eſt quæ fieri nullo modo poſſunt. Ex quibus omnibus perſpicuum eſt ipſum quoque corpore carere. Quod etiã ex iis demonſtrabitur. Si enim Deus corpus eſt, ex materia formáque conſtat. Quoniam corpus omne concretum quiddam eſt ex materia, formáque cum illo coniuncta. Quod quidem ideis ſimiles efficitur & earum particeps, ratione quadam inexplicabili. Abſurdum autem eſt Deum ex materia formáque conſtare. Simplex enim non eſſet, nec cauſæ principalis rationem retineret. Quamobrẽ incorporeum quiddam Deus eſt. Idémque ex eo intelligitur, quod ſi corpus eſt, ex materia conſtat. Quare vel Ignis, vel

Aqua, vel Terra, vel Aër, aut aliquid ex his. Nullum autẽ horum principale est. Erit etiam sua materia posterior, si ex materia est. Quæ quoniã absurda sunt, incorporeũ esse Deũ necesse est. Corrumpi enim posset, si corpus esset: ortúsque esset & mutationi obnoxius. Quorum quodlibet in Deo est absurdum. [12] *Porro qualitates etiam incorporeas esse, hoc modo demõstretur. Omne corpus subiectũ est. Qualitas verò non subiectum est, sed accidens: Qualitas ergo corpus esse non potest. Omnis qualitas in subiecto. Nullum autem corpus in subiecto. Qualitas ergo corpus non est. Deinde qualitas qualitati cõtraria est: non autem corpus corpori. Quoniam corpus à corpore hoc ipso quod corpus est, nulla re, sed qualitate distinguitur. Quare corpora qualitates non sunt.* [13] *Quinetiam rationi maximè consentaneũ est, vt quemadmodum materia qualitatis est expers: ita qualitas immateriata esse dicatur. At si immateriata est, eandem incorporeã esse necesse est. Etenim si qualitates corpora sunt, duo triáue corpora simul erunt. Hoc autẽ absurdissimum.* [14] *Atqui positis qualitatibus incorporeis, opificem quoque earum incorporeum esse necesse est. Deinde efficientia non alia quàm incorporea esse possunt. Sunt enim corpora suapte natura patibilia atque fluẽtia, neque semper secundum se ipsa eadem, nec eodem modo se habentia, neque constantia, neque firma. Quæque in iis aliquid videntur agere, ea multo antè patiẽtia deprehenduntur. Quare vt est aliquid omnino patibile: ita necesse est aliquid quod verè agat, existere. Hoc vero aliud ab incorporeo reperiri nullo modo potest. Sit igitur principiorum explicatio Theologica eiusmodi: nũc ad Physicum progrediendum, hinc ducto initio.*

NOBILISS. ET HV-

MANISS. V. GVLIELMO RV-

Zéo, Doctori Theologo, Andium Præ-

suli vigilantiß.

Iac. Carpentarius. S.

SVmma tua dignitas & apud Christianiß. noſtrum Regem authoritas, Præſul Ornatiß. eorum quæ in te elucent veneration-nem maiorem in ſcribendo, à me ſuo iure exigerent, niſi per humanitatem tuam illis omnibus lõgè ſuperiorem, qua vtriuſque noſtrum ætate ferè adhuc, ineunte frui cæpi, ex eóque tempore perpetua vitæ conſuetudine in dies magis ac magis recreatus ſum, apud te tantum mihi liceret, quantum vix cuiquam in hac fortunarum noſtrarum inæqualitate, poteſt eſſe credibile. In qua, ſi cui nunc fortè ineptus eſſe videor, aut ſi ipſe aliter pro tua dignitate faciendum exiſtimes, ego ad eandem humanitatem tuam prouocabo, vel hanc potius meo nomine iudicio ſiſtam: vt quæ hac in parte peccandi occaſionem dedit, ea quoque de meo peccato apud omnes reſpondeat. Quanquam quid ago? aut ſatíſne ſanus ſum, qui de hac tua erga me humanitate dubito? Equidem certò ſcio, prius omnem dignitatem & authoritatem depones, quam in tuum Car-

pentarium humanus esse desinas. Qui te spectatore addenté-que, cohortationibus tuis, magnam animo alacritatem, annos quatuor & viginti in philosophica exercitatione nõ omnino infæliciter sudauit & alsit. Nunc verò quoniam hoc opere (quod vtinam aliis vtilitati sit tam variæ & multiplici, quam mihi multarum vigiliarum extitit) eius studij arma vult deponere, non ad Herculis postem, vt ille Veianius, sed ad aliquam commoditatem Academiæ, quæ vtrumque nostrum excepit & aluit, te verò maximis laudibus exornauit, huícque eadem cõsecrare: hoc etiam te spectatore perficiendum existimauit, æquúmque vt in eiusdem operis partem aliquam venires. Ecquam verò potius quam in hanc, quæ de Deo Platonica & Peripatetica continet, ac in Peripateticis, Aristotelis defensionem contra Præleam Thessalicámque sectam, iampridem tibi valdè suspectam: vel ex eo tempore, quo vterque nostrum antè octo & viginti in schola Bellouaca, bonorum artium professione cæpit efflorescere? Hanc igitur disputationem excipe, Præsul Ornatiss. ac bene vale, & qua soles humanitate Carpentarium tuum semper complectere.

DE DEO DISGRESSIO TERTIA,

IN QVA QVÆRITVR QVID veteres philosophi, maximéque Plato & Aristoteles in eo videre potuerint: doctrináque Aristotelis contra Thessali Methodici calumnias defenditur.

DE Deo quærendum est, quid veteribus philosophis placuerit, & quousque in eius inuestigatione potuerint progredi: deinde in eadem quæstione Plato cum Aristotele conferendus: vt intelligatur, quod antea significatum est, in illo diuiniora esse pleráque, in hoc ad naturæ leges magis accommodata omnia. Dei cognitionem esse difficillimam, & quod in ea sis adeptus, periculosum esse cum omnibus communicare, Plato primum confirmauit in Timæo, deinde Epistola 2. ad Dionysium. Nam in Timęo, Opificem quidem & Patrem mũdi inuenire, inquit, difficilè est, & cum iam inueneris prædicare, eloqui vulgo, impossibile. Epistola verò ad Dionysium, cum de deo quædam vellet colligere, ea dicenda esse ait per ænigmata: vt si quid ei tabellæ in qua illa describebantur, vel mari, vel terra cõtingeret, qui eam legerit, intelligere non possit. Quibus hæc subiicit, Caue, inquit, ne ista excidant vnquam in aures hominum disciplinæ eruditionísque expertium. Nulla enim sunt, vt mea fert opinio, quæ dicta ad populum magis ridicula videantur: neque quæ apud ingenuos prolata, magis admirabilia & diuina. Quo etiam modo Mercurius Trisn egistus initio Asclepij, scribit irreligiosæ esse mentis, tractatum de deo tota numinis maiestate pleniſſimum, multorum conscientiæ publicare. Difficultatem verò in deo cognoscendo, confirmauit Simonides, qui vt est apud Cice-

ronem libro 1.de natura deorum, ab Hierone Tyranno interrogatus quid esset deus,ad deliberandum sibi vnum diem postulauit:cum idē ex eo postridie quæreret,biduum petiuit : cúmque sæpius duplicaret numerum dierum,admiransque Hiero requireret cur ita faceret,quia quanto diutius considero, inquit, tanto mihi res videtur obscurior. Idem Mercurius Trismegistus cap.5.lib.de potestate & sapientia dei, deum latere docet & maximè patere. Hunc sermonem, inquit Trismegistus,apud te transigam ô Tati, ne præcipuum nomen tibi desit, néve ignores id quod plurimis occultum videtur, esse perspicuum. Nam si nusquam pateat,nihil vtique erit. Quodcúque se offert aspectui,genitum est:quod verò latet, sempiternum. Neque enim opus est vt appareat, quandoquidem esse nunquam desinit. Ante oculos quidem id reliqua ponit. Ipsum verò secretum manet, vtpote quod vita fruitur sempiterna. Etenim phantasia solum circa ea quæ genita sunt, versatur.In qua præter generationem nihil existit. At vnicum id ingenitum, incomprehensibile phantasiæ. Cum verò per ipsum cuncta clarescant,per omnia rursus atque in omnibus fulget,hísque præsertim apparet quibus ipse notitiam communicare voluit.Deus sanè totius expers inuidię,per singulas mundi particulas vbique splendet, atque se notum præstat,vt non intelligere modo, sed manibus etiam ipsis(vt ita dixerim)liceat attrectare. Nā vndique oculis nostris eius obuersatur séque obiicit imago.Et cap.11.lib.eiusdē. Deus,inquit,omnia ob eam causam fabricauit,vt eum per singula cerneres. Hæc dei bonitas, hæc eius virtus est,illum fulgere per omnia. Nihil est vel in incorporeis inuisibile.Mens ipsa intellectione videtur:deus autem in operatione conspicitur.Simile est quod Cicero scribit lib. 2.de natura deorum , nihil esse tam apertum támque perspicuum cum cœlum suspeximus, cæléstiáque contemplati sumus , quam esse aliquod numen præstantissimæ mentis,quo hæc omnia regantur.Quod ni itaesset,inquit,quî potuit assensu omnium dicere Ennius,

Aspice hoc sublime candens,quem inuocant omnes, Iouem.Illum verò & Iouem & dominatorem rerum & omnia nutu regentem,& vt idem Ennius ait, —— Patrem diuûmque hominúmque.

& præsentem & præpotētem deum.Quod qui dubitet,haud sanè intelligo cur non idem Sol sit, an nullus sit, dubitare possit. Sic nostri Theologi de deo cum omnibus eodem modo agere nefas esse putauerunt & in eius cognitione eandem difficultatem agnouerūt: atque contra hanc, idem subsidium nostrę limbecillitati accommodauerūt. Caue , inquit Dionysius Areopagita libro de Trinitate, ne quis prophanus hæc audiat. Eos autem sic appello , qui occupati duntaxat in iis quæ,sunt atque entia nominantur, nihil istis excelsius supereſſen-

tialiter esse putant. Sed arbitrantur cognitione sibi propria illum apprehendere, qui tenebras posuit latibulum suum. De difficultate verò sic Origenes cap. 1. lib. 1. de Principiis. Sicut si videamus, inquit, aliquē vix posse scintillam luminis, aut breuissimæ lucernæ lumen aspicere, & eum cuius acies oculorum plus de lumine capere quam suprà diximus, non valet: si velimus de claritate & splēdore solis docere, nónne oportebit nos ei dicere, quia omni hoc lumine quod vides, ineffabiliter & inæstimabiliter melior ac præstantior est Solis splendor? Ita mens nostra cum intra carnis & sanguinis claustra concluditur, & pro tali materiæ participatione hebetior atque obtusior redditur, licet pro comparatione naturæ corporeæ, longè præcellens habeatur, tamen dum ad corporea nititur, atque eorum intentionem rimatur, tum scintillam alicuius lucernæ vix obtinet. Quid autem in omnibus intellectualibus, id est incorporeis, tam præstans omnibus, tam ineffabilitet atque inæstimabiliter præcellens quam deus? At vt interdum oculi nostri cum ipsam naturam lucis, id est substantiam Solis, intueri non possunt, splendorem eius & radios fenestris fortè & quibusuis aliis receptaculis breuibus infusos intuentes, considerare possumus fomes ipse ac fons quantus sit corporei luminis: ita quasi radij quidam sint dei, naturæ opera, diuinæ prouidentiæ & vniuersitatis huius, ad comparationem substantiæ ac naturæ. Quia ergo mens nostra ipsum per se deum sicut est, non potest intueri, ex pulchritudine operum & decore creaturarum parentem vniuersitatis intelligit. Similis est sententia Tertulliani in Apologetico contra Gentes. Quod colimus, inquit, deus vnus est, qui totam molem istam cum omni instrumento elementorum, corporum, spirituum, verbo quo iussit, ratione qua disposuit, virtute qua potuit, de nihilo expressit in ornamentum maiestatis suæ: vnde & græci nomen mundo, κόσμον accommodauerunt. Inuisibilis est, etsi videatur: incomprehensibilis, etsi per gratiam repræsentetur: inæstimabilis, etsi humanis sensibus æstimetur, adeò verus & tantus est. Cæterùm quòd videri communiter, quod comprehendi, quod æstimari potest, minus est & oculis quibus occupatur, & manibus quibus contaminatur, & sensibus quibus inuenitur. Quod verò immensum est, soli sibi notum est: hoc quod est, deum æstimari facit, dum æstimari non capit. Ita enim vis magnitudinis & notum hominibus obiecit & ignotum. De quo scitum est illud Athanasij in Oratione contra idola, Quemadmodum, inquit, de statuario Phidia referunt quem sua opera ex commensuratione & proportione partium inter se, etiam absentem repręsentarunt: ita quoque ex mundi ordine opifex & conditor deus est intelligēdus. In cuius cognitio-

ne quousque homo possit, progredi sic docet Marsilius Ficinus in lib. D. Dionisij de diuinis nominibus. Intellectus, inquit, lumine naturali potest certis rationibus intelligere primò quidem esse deum: deinde quid nõ sit ipse deus: Tertiò quid & quẽadmodũ efficiat atque regat, Quartò qua conditione res omnes ad deum sese habeant. Scire quid proprie sit ipsa natura dei, nec intellectus noster, nec Angelicus, naturali lumine potest. Est enim natura illa longo interuallo super essentiam & intelligentiam quantumuis perfectam. Sed solæ beatæ mentes intelligunt quid sit deus, sub lumine quodam plusquam naturali. Quando deus ipse se menti cõiungit, tanquàm formam quam videat & per quam videat. Ideóque diuinitùs à Plotino dictum est. Animum perfectè purgatum, prius per vnionem diuinam deum effici, quam cognoscat quid sit ipse deus: sed comprehendere deum, naturámque eius sub cunctis rationibus suis apprehendere, nullum intellectum nullo lumine valere. Ex quibus potest intelligi veteribus omnibus hac in parte veniam esse dandam si cum naturę solo lumine dirigerẽtur, nec piè, nec satis sanctè de deo sunt loquuti: imo potius mirari nos debere in iis non modò philosophos, sed etiam poëtas, tam multa támque diuina in deo vidisse, quæ ab eisdem literarum monumentis mandata ad nos peruenerunt. Quid enim in naturæ lumine eo maius esse potest quod pluribus cõfirmare conatur Plato li. 10. de Rep. deos esse eósque omnium curam habere, nec præter iustum præcibus vllis flecti posse? Quid quod idem deum patrem à prima mẽte separat & ab his, mundi animam eiusdem motricem & gubernatricem? Quæ profectò sunt eiusmodi vt perpaucis mutatis summa videri possint Christianorum mysteria. De poëtis verò prætermittam hoc tempore quæ ex Parmenide & Melisso (hi enim versibus philosophiam suam explicarunt) cõmemorat Bessario Cardinalis cap. 11. lib. 2. contra Trapezuntium: eáque persequar quæ ex Orpheo citat Theodoretus li. 1. de curatione græcarum affectionum,

Perfectus deus est, inquit, qui perficit omnia solus,
Ipse eadem lustrans: oculis nec cernere cuiquam
Hunc hominum liceat, tamen idem cuncta tuetur,
Conspectus nulli. Quoniam caliginis atræ
Obsistunt nebulæ, & mortalia lumina nobis
Et puppæ tenues, caro circum atque ossa resistunt.
Idémque alio loco
Ipse autem magnum super est innixus Olympum
Aurato residens solio pedibúsque sub ipsis
Pressatur tellus, dextram vsque ad littora tendit
Oceani. Montes imis radicibus acti

Contrepidant

Contrepidant nec ferre queunt ea lumina dorſo
In cælo reſidens, imis tamen omnia terris
Perficit. Hic caput, hic medium finéſque tuetur.

Quibus non minus diuina ſunt illa Sophoclis tragici.

Vnus profectò, inquit, ſolus eſt, vnus deus
Terrámque fecit & polorum vertices,
Pontique fluctus & ſonora flumina.
Sed nos ſopore, corde mortales vagi,
Statuimus hoc ſolatium mentis leue,
Simulachra diuum è marmore aut ex ære
Elephantinóue ex ebore, fuluoúe ex auro,
Queis ſacra cœtúſque & coronas affatim
Dantes putamus ſic pium perſoluere.

De philoſophis autem veteribus hoc Tertullianus ipſe miratur in Apologetico contra gentes, tantum eos in dei cognitione naturæ lumine potuiſſe conſequi. Iam, inquit, ediximus deum vniuerſitatem hanc mundi, verbo & ratione & virtute molitum. Apud veſtros quoque ſapientes, λόγον id eſt ſermonem atque rationem, conſtat opificem videri vniuerſitatis. Hunc enim Zeno determinat factitatorẽ, qui cũcta in diſpoſitione formarit: eundem & fatum vocari, & deum & animum Iouis, & neceſſitatem omnium rerum. Hæc Cleanthes in ſpiritum congerit, quem permeatorem vniuerſitatis affirmat: & nos etiam ſermoni atque rationi itémque virtuti, per quæ omnia molitũ ediximus, propriam ſubſtantiam ſpiritus inſcribimus, cui & ſermo inſit pronuncianti, & ratio adſit diſponenti, & virtus præſit perficienti. Similis locus eſt apud Lactantium cap. 9. lib. 4. de vera religione & ſapientia. Euolue libros decem Auguſtini Ægubini de perenni philoſophia: in illis merito miraberis prophanam Gentilium ſapientiam, tam multa de deo vno trinóque videre potuiſſe. Nos verò in Platonis & Ariſt. comparatione permaneamus. Beſſario Cardinalis cap. 4. lib. 2. contra Trapezuntium, multa ex Platone colligit quibus efficere conatur deum vnum eundémque trinum, huic fuiſſe cognitum. D. Auguſtinus cap. 23. li. 10. de dei ciuitate, de eodem Platone ſic ſcribit, Dicit hic, inquit, deum patrem & deum filium, quem græcè appellat paternum intellectum, vel paternam mentem. De ſpiritu autem ſancto aut nihil, aut non apertè aliquid dicit: quamuis quem alium dicat horum medium non intelligo. Si enim tertiam, ſicut Plotinus, vbi de tribus principalibus ſubſtantiis diſputat, animæ naturam etiã iſte vellet intelligi, non vtique diceret horum medium, id eſt patris & filij medium. Poſtponit quippe Plotinus animæ naturam paterno intellectui: iſte autem cum dicit medium, non poſtponit, ſed interpo-

Platonis ſententia de deo.

nit.Et nimirum hoc dicit vt potuit siue vt voluit, quod nos spiritum sanctum, nec patris tantum, nec filij tantum, sed vtriusque spiritum dicimus.Idem Bessario Cardinalis cap. 22. lib.3. quod à Platone omnibúsque Platonicis de anima mundi dici solet, id in nostra religione de diuino spiritu interpretatur. Quãquam apud Platonicos anima vniuersi deo patre primáque mente longè inferior est: quòd de diuino spiritu nobis esset nefandum & impium. De deo verò vno rerum omnium moderatore,diuinitùs Socrates apud Platonem loquitur in eo sermone quem cum Critone habuisse dicitur. Iam verò de iustis rebus atque, iniustis, inquit,déque honestis ac turpibus,malísq; itẽ ac bonis,de quibus nunc consultatio nobis est,vtrum tandem multorũ hominum sententia nobis est consectanda,eadémque timenda, an vnius potius qui audit omnia quemque, vnum præ cunctis aliis timere & reuereri oportet,quem inquam nisi consectabimur,corrumpemus illud ac vitiabimus quod iusto quidem accedente melius factu est, iniusto autem deterius.Et paulò post. Haud itaque prorsus est,ô vir optime, curandum quid multi de nobis autument ac loquantur, sed quid ille qui & iustos audit & iniustos: qui est vnus & ipsa veritas. Quem locum obseruans Theodoretus Cyrensis lib.2. de curatione græcarum affectionum, quasi manifestè, inquit, Socrates significare voluit si quando deorum multorum mentionem fecerit, coactum se id fecisse, ad Athenienſis populi gratiam, qui iam mendaciis ac falsitate circunuentus esset. Etenim si ne sic quidem cicutæ poculum effugit, quidnam quæso passurus mali non fuit,si manifestè abnegasset numerosum deorum examen?Apertius est quod ex Epistola Platonis ad Dionysium eodem libro commemorat idem Theodoretus. Notæ meminisse te puto,inquit Plato,quam videlicet epistolis illis appono quas alicuius ponderis scribo,& quas nullius.Tu tamen ea quæ nunc dicam intellige & diligenter aduerte. Multi me rogant vt ad te aliquid scribã,quos haud facilè est vacuos à me prorsus repellere.Symbolum itaque tibi hoc est,vt illius epistolæ quam serio à me scriptam velim accipias, dictio hæc Deus, singulari numero sit principium: leuioris autem epistolæ, Dij, numero multitudinis.Eusebius cap.10. lib.11. de Euangelica præparatione multa commemorat quibus confirmare conatur quod paulò ante significatum, Platoni non modo fuisse cognitum deum patrem & opificem rerum omnium,sed ab eodem ipsum verbum,tanquam filium,à patre esse distinctum.Et certè apud eum Socrates in Philebo postquam menti sapientiam attribuit, mẽtémque ab anima distinxit,in Iouis ipsius natura regia animam regiãq; mẽtem,inesse scribit,propter causę vim & facultatẽ.Theodoretus verò lib.2.de curatione græcarũ affectionum, idem vult efficere:

atque etiam amplius postquam ex quadã Platonis Epistola ad Dionysium hoc commemorauit, circa omnium regem esse omnia, ipsúmque causam esse omnium: circa verò secundum secunda, circa tertium tertia: in eo obseruat ab illo distingui ipsum, bonum, mẽtem & animam. De quibus sic scribit. Vocat Plato ipsum bonum, inquit Theodoretus, quem nos dicimus patrem, mentem verò, intellectum quem nos filium verbúmque: potentiam verò quæ animet omnia & viuificet, animã nominat: eam ipsam videlicet quam spiritum sanctum sacræ literæ appellãt. In quibus omnibus Plato multa quidem diuinitus, sed ita vt in illis deum quidem somniaret, non cognosceret Quod etiam de eodem scripsit Lactantius Firmianus ca. 15. li. 5. Adeo vt facile in eis notari possit genus illud philosophandi quod in prę fatione indicauimus & in quo Platonẽ ab Arist. distinximus. Si quidem multa de deo ex aliorũ scriptis in sua trãstulit, quæ nec ipse ratione docere poterat, nec fortasse satis intelligebat. Quorũ omniũ diligens cõparatio cum nostris, id est cum iis quæ ad religionem Christianam pertinent, eò extulit nonnullos Platonicos vt dicere ausi sint Christum in legendo Platone sedulo esse versatum, ex eóque permulta in instituenda nostra religione pro suis vsurpasse. Quam opinionem in Celso Origenes reprehendit lib. 6. disputationis contra illum institutæ. Fecit etiam hæc eadem, vt de Platonicis recentiores alij cum incidissent in initium Euangelij D. Ioannis, in eóque illud audirent, In Principio Deus erat Verbũ, & Verbũ erat apud Deum & Deus erat, Verbum. Hoc erat in principio apud deum. Omnia per ipsum facta sunt & sine ipso factum est nihil quod factum est, penè hæc inuiderẽt D. Ioanni Iudæo, quem contumelioſè barbarum nominabant. Quod ea Græcorum & inter Græcos, Platonicorum propria vellent videri: sicut de Amelio obseruant Eusebius cap. 10. lib. 11. de præparatione Euangelica & Bessario Cardinalis cap. 4. li. 2. contra Trapezuntium. Vnde verò Plato hæc tam multa támque diuina de Verbo dei filio, primáque mente haurire potuit, quæ vix ac fortasse, ne vix quidem, naturæ lumine cognosci potuerunt: nec ex Mose (etiam si hunc ab illo lectum, Aristobulo Iudæo lib. 1. ad Philometora concedamus) omnino colligi? Equidem mihi est probabile illum multa hausisse & in suos libros deduxisse ex Græco Mercurio Trismegisto, non multis annis Mosem sequuto. Quem in Phædro scribit deũ apud Ægyptios habitum, primúmque artis numerandi, Geometriæ & Astronomiæ inuentorem fuisse: & in Philebo addit eundem artificioſè elementa sermonis distinxisse, artémque legendi confeciſſe. Huius enim de Verbo hæc extant maximè diuina testimonia, Verbum dei, inquit, procedens omni ex parte perfectum, & fœcundum, & opifex, lapsum in

naturam fœcundam & fœcundas aquas, has reddidit prolificas. Et loco alio, naturæ mundóque intelligibili, inquit, ſubiacet Pyramis (hanc verò elementorum molem intelligit) Habet enim principem incumbentem, opifex Verbum eius qui eſt omnium dominus. Qui poſt illum eſt prima virtus increata, infinita ex illo promanans. Et incũbit atque imperat his quæ ab ipſo facta ſunt. Eſt autẽ perfectiſſimi primogenitus & perfectus & fœcundus legitimus filius. Itémq; Verbũ opificis ô fili, inquit, ſempiternũ, per ſe mouẽs, quod neq; accreſcere poteſt, neq; imminui, neq; immutari, incorruptibile, ſingulare, ſemper ſui ſimile, æquale, concors, ſtabile, bene inſtructũ, Vnũ exiſtẽs eſt poſt deũ, qui prior intelligitur. Quibus omnib⁹ Mercurij Triſmegiſti dictis, Platonica, quæ antea indicauimus, magna ex parte ſimilia eſſe vidẽtur. His verò quæ apud Ariſtotelem reſpondeant, nulla ex vniuerſa huius philoſophia poſſumus commemorare. Niſi fortè Ariſtotelis eſſe cõcedimus opus de ſecretiore parte diuinæ ſapiẽtiæ ſecundũ Ægyptios, cuius antea ſæpe mentionẽ fecim⁹, quodq; nuper edidim⁹. In hoc enim permulta ſunt de deo deíq; verbo, ſiue prima mente, quæ non modo ad Platonis diuinitatem proximé accedunt, ſed hanc longo etiam interuallo ſuperant. De quibus nonnulla tantum hoc loco indicabo: cætera ex ipſo opere, quod nunc eſt in hominũ manibus, lector cũ volet, poterit repetere. Cap. 3. lib. 4. Deum nominat primum opificem, authorem vniuerſitatis, quam infinitate quadam immotus antecedit. Negátq; eũ aliquando incœpiſſe cũ antea nõ eſſet, ſed ſiné eſſe atq; principiũ omnium eorũ quæ ſunt. Cuius, inquit, ſi excellentiã atq; magnitudinẽ oratione conemur explicare, vel cogitatione complecti, hanc vix poterimus attingere. Eſſentiæ enim dignitate ſuperat cætera omnia, quæ ſunt quaſi ſigna per aliorum imitationem expreſſa, de illíſque pendentia. De quibus per eſſentiam primum intellectum procreauit, ſub eóque animam & ſingula quæ oriri poſſunt. Quare humana facultas, quæ infima eſt, neque hũc cogitatione complecti poteſt: neque eorum quæ illi attribuuntur, quicquàm perfectè cognoſcere. Quid poteſt magis eſſe coniunctum cum iis quæ ex Platonicis initio capitis huius ab Alcinoo commemorantur? Capit. 4. lib. 5. ſcribit illum opificem rerum omnium (quem ſcilicet Plato patrem nominat) primum omnium intellectum procreauiſſe: cuius vi reliquorum eſſentia conſeruatur. Quo intellectu, inquit, inferior eſt anima vniuerſi, quæ forma eſt abſoluta omnium eorum quæ ſequuntur. Quibus ſingulis pro ſua conditione propriam qualitatem tribuit, nonnullis nobiliorem, aliis inferiorem. Animam ſequitur ipſa natura, cuius vi procreantur & conſeruantur omnia quæ cum materia prima ita coherent, vt ab hac ſeparari non poſſint. Diuiniùs eſt

Ariſtotelis ſententia de deo.

quod scribitur cap.1.lib.10. de Deo rerum omnium opifice, eiusdémque verbo. Primus opifex, inquit, gloria supremus est: quoniam & perfectione summus. Talísque est, quia cætera omnia perficit. Perficit vero hæc: quoniam & efficit: hócque, quia procreator est principiorum omnium, quibus essentia quælibet cõtinetur: vt pote qui author est vniuersi atque mundi vtriúsque. Aptè autem primum vitam infundit & facultatem ac dignitatem, in singula influens prout hæc suis gradibus distincta sunt. Quare quò quícque illi propinquius est, eò plura ab eodem excipit. Primum verò omnium quod dignitate substantiæ perpetuitatéque constantiæ illi est proximum, idémque medium inter opificẽ primum & cætera quæ ab illo procreata, prius ab eodem influentem vitam excipit, deinde hanc cum reliquis inferioribus communicat. Siquidem hoc primum omnium procreatum, sua essentia spiritus simplex & absolutus, in se lumen vímque veritatis maximam continet: & quod virtute honoréque inferius est, idem lumen habet tenuius, & cum corpore veráque compositione magis communicans. Atque hoc primum quod soli formæ primæ subiectũ est, eiusdémque Verbo contiguum, substantiam habet inter reliquas perfectissimam, in quam vis quoque influens infinita, ab eodem verò transmissa iam finita est: prout scilicet lumen potestatis est appetitus perpetuitatis, quod pertinet ad intellectum secundum, illi primo, inter ea quæ procreata sunt, proximum. Et cap.2.lib. eiusdem, Ipsa mẽs, inquit, inter essentias absolutè primaria est, quæ idcirco princeps dicitur: quanquam eadem cum Dei Verbo, atque cum eo quod proximè formæ est subiectum. Eadémque vt genus summum, omnes substantias illustres absolutásque & puras sub se continet. Hanc sequitur intellectus, qui cum ipsa mente comparatus, secundus est & illius quasi species, suúmque subiectum perficit, cui vt forma quædam propria efficitur. Huic verò lumẽ inest ab intellectus radice profectum, non aliter quàm Crystallo radius à Sole reflexus. Ab intellectu adhuc profluit essentia eius animi qui rationis est particeps. Cuius lumen tenuius est & matutino crepusculo persimile. Apertiora sunt diuinioráque omnia de Verbo, siue de prima mẽte cap.13.lib.eiusdem: & cap. 15. de Verbi huius admiranda distinctione in conceptum & expressum: déque Verbi expressi virtute in rebus procreandis, cap. 17. Quæ omnia in illo opere (de quo quid variis coniecturis colligã, eiusdem initio lectori indicaui) si Aristotelis esse, ipse certo crederem alísque persuadere possem: facilè vt opinor, efficerem in vniuersa veterum philosophia huius scriptis nihil esse diuiniùs. Sed quia hæc Academiæ nostræ Thessalo methodico, doctrinæ Peripateticæ osori, qui Aristotelem Ateisthmi insimulat, non satisfaciunt, quod ea Arabis

cuiusdam,non Aristotelis esse clamitet: Danda est opera vt ex certioribus huius scriptis persequamur institutam comparationem cum Platone in quæstione de Deo. Vt tandem in hac intelligatur falsissimum esse quod iste,homo scilicet religiosissimus, in scholis metaph. contumeliosè dictitat, Aristotelem non modo Atheum esse, sed Atheismi authorem, & theologum Epicuro nihilo meliorem. Librum de mundo ad Alexandrum, Aristotelis esse confirmat, veterum cõsensus & antiquissimus scriptor Iustinus Martyr, qui eum Aristotelicæ physiologiæ Epitomen nominat. At in illo audiamus quam multa sint de Deo diuináque prouidentia dicta diuinitus. Vetus est sermo, inquit,à maioribúsque proditus,inter omnes homines,vniuersa tum ex Deo,tum per Deum constituta fuisse atque coagmentata:nullámque naturam satis instructam ad salutẽ esse posse, quæ citra Dei præsidium suæ ipsa demum tutelæ permissa sit. Quocirca veterum nonnulli eo vsque prouecti sunt, vt hæc omnia dictitarent Deorum esse plena,hauriríque eorum spectra ab hominibus, oculis & auribus reliquísque sensibus:sententiæ illi quidem fundamenta iacientes diuinæ fortasse potentiæ, non item naturæ diuinæ congruentia. Etenim cunctorum quæ rerum natura complectitur, cum seruator est Deus, tum verò quæcunque in hoc mundo,quoquo modo perficiuntur,eorum omnium genitor est:non sic tamen ipse vt opificis in morem animalísque lassitudinem sentiẽtis,labore affici possit:vt qui ea facultate vtatur quæ nulli cædat difficultati, cuius ipse vi facultatis omnia in potestate continet:nec minus etiam quæ longiùs ab ipso videntur esse summota. Quæ omnia de diuina prouidẽtia sic dicta sunt, vt cuiuis facile sit videre ea ab Epicuri diis Monogrammis valdè esse aliena. Pergit vero eodem loco. Omnia,inquit,quæ in aëre fiũt quoquo modo affecto, quæ in terra, quæ in aqua, ea certè Dei opera meritò esse dixerimus:Dei inquam opera, cum imperio summo mundum ac pro potestate obtinẽtis. Ex quo Deo,vt inquit Empedocles physicus:

Omnia quotquot erunt,quot sunt præsentia, quótque
Orta fuere antè hac,stirpes hominésque feræque,
Inde etiam volucres,piscésque humoris alumni.

Deinde eandem sententiã eleganti similitudine, quæ etiam dissimilitudinem habet adiunctam, ita concludit. Vt summatim iam loquamur, inquit, quod in naui gubernator est, quod in curru agitator, quod in choro præcentor,quod denique lex in ciuitate, & dux in exercitu,hoc Deus est in mundo. Nisi si hactenus interest, quod labor & motus multiplex illos exercet,& curæ angunt variæ:cum huic inelaborata succedant omnia, omnis molestiæ expertia, citráque corporis infirmitatem. Quippe cui in loco stabili, immotóque colloca-

to, omnia mouere & circumagere pro arbitratu liceat, quo libitum eſt cúmque & quo modo libitum eſt: ídque diuerſis in formis ſimul atque naturis. Id autem ratione ſimili facit ille atque lex ciuilis: quæ immobilis ipſa exiſtēs, in vtentium animis, regit omnia ad Rempub. pertinentia. Addit etiam quod eſt admirabilius, cum vnicus Deus ſit eum pluribus nominibus eſſe appellatum, ab iis vtique ſuis omnibus effectibus denominatum, quorum ſpecimen edere ipſe ſolet. Tandémque librum concludit in eam ſententiam quæ illi cum Platone communis eſt. Enimuero Deus, inquit, (vt eſt vetuſto verbo proditum) principium & finem & media rerum omnium tenens, rectáque linea incedens, operatur ille quidem ſecundum naturam, è veſtigio comitem habens iuſtitiæ præſidem, quam δίκην nominauerunt, diuinæ legis vindicem, ſimul vt quicquam ſanctionum eius prętermiſſum eſt. Cuius vt ſit particeps numinis, iam inde oportet ab initio qui ad vitam beatam euaſurus eſt atque fœlicem. An num hæc omnia à nobis impetrabunt, vt inter veteres philoſophos, in quæſtione de Deo cæcutientes, Ariſtotelis doctrina tolerabilis eſſe videatur? An num eadem perficient, vt illa contra iſtius oſoris calumnias, iam in furorem erumpentes, eadem quo antea fuit loco ſemper in Academia, etiam à viris ſanctiſſimis, retineatur? Atqui alia quoque eiuſdem permulta ſunt de Deo diuináque actione & prouidentia, non obſcura teſtimonia. Nam libro 8. Phyſic. apertè declarat Deum virtutis infinitæ, perpetuo motu ita mouere omnia, vt ipſe immotus maneat. Et 12. Metap. cum eſſentiarum tres ſpecies poſuit cap. 6. duas naturales, tertiam immobilem, de hácque eo loco dicendum eſſe conſtituit: ca. 7. in poſtrema ſpecie Deum complexus, de eo ſic loquitur. Ergo ex tali principio, inquit, tum cœlum, tum natura dependet. Vitam verò optimam traducit: qualem nos breui paruóque tempore. Sic enim illud ſemper eſt (nos enim non poſſumus) quandoquidem ei ſua actio voluptati eſt. Intelligentia porro quæ per ſe eſt, in eo verſatur, quod eſt optimum: & vt quæque per ſe eſt maximè, ita maximè eius eſt quod præſtantiſſimum. Mens verò ſe ipſa intelligit & cernit, eius quod animo cernitur & ratione intelligitur, aſſumptione. Intelligitur enim hoc ipſo, quod ſe ipſam tangit & intelligit. Itáque idē eſt mens, & quod mente & ratione intelligitur. Mens enim eius quod animo cernitur, atque eſſentiæ receptaculum eſt: quod cum habet, operatur. Quocirca illud magis, quam hoc, diuinum eſt, quod mens habere videtur: rerúmque cognitione & contemplatione nihil iucundius eſt, nihil melius. Quod ſi Deus bene affectus eſt, ſemper eo modo, quo nos interdum ſumus, profectò admirationem excitat, eóque maiorē, ſi meliùs quàm animus eſt conſtitutus. Atqui ita eſt. Vita quoque ei

ineſt. Si quidem mentis operatio vita eſt. Ille autem actus eſt. Actus verò per ſe, illius vita eſt optima & æterna. Atqui Deum animal eſſe æternum atque præſtantiſſimũ dicimus. Vita igitur & æuum continuum atque perpetuum Deo ineſt. Hoc enim Deus eſt. Diuinius eſt, quod indicat cap. 4. lib. 13. Mirum autem eſt, inquit, ſi ei quod primum & æternum ſibíque ipſi ſufficientiſſimum, hoc ipſum primum non inſit tanquam bonum, eſſe ipſam per ſe ſufficiẽtiam & ſalutem. Quid enim maius ab eiuſmodi philoſopho expectari poteſt, quam quod hoc loco ſignificatur cæterarum rerum ſufficiẽtiam & ſalutem à Deo tanquam à fonte emanare? Quibus magna ex parte reſpondet quod idem ſcribit cap. 8. lib. 10. Ethic. Deos inquit, putamus eſſe beatiſſimos. Quas tandem his actiones? quæ officia tribuemus? Num iuſtitiæ? At nónne ridiculi videbuntur ſi & res contrahant, & depoſita reddãt, cæteráque faciant eiuſdem generis? An fortè dicemus eos qui res aſperas perferant, periculáque adeant, ob eam cauſam quia decet? Num liberales? At cui largientur? Abſurdum etiam videtur ſi numum aut tale quid habeant. An verò temperantes? At quì eſſe poſſunt? An non laus ſit violenta & importuna, prauis eos vacare cupiditatibus? Atqui ſi per omnia actionum officiorúmque genera expatiemur, perexiguam ſanè laudem & Deorum maieſtate indignam continere videbuntur. Attamen eos viuere omnes exiſtimant. Agere ergo etiam eos putant. Non enim par eſt eos tanquam Endymionem, dormientes facere. Sublata igitur agendi ratione, itémque faciendi, ac multo etiam magis, quid tandem viuenti Deo præter contemplationem relinquitur? Ita Dei præſtans beatitudine actio, in cognitione & contemplatione conſiſtat neceſſe eſt. Atque etiam hominum actio, vt quæque ad hanc proximè accedit, ita eſt beatiſſima. Idem cap. 8. lib. 1. Polit. Deum nobiſcum genere coniunctum eſſe vult: ferè eadem ratione qua Cicero lib. 1. de legibus, illum eãdem ciuitatem nobiſcum incolere, in qua ſumma lex nobis cum illo communis, recta ratione contineatur. Scitè Homerus, inquit Ariſt. Iouem qui omnium rex eſſet Deorum & hominum, vocabulo patris appellauit, hoc modo locutus:

Parens hominúmque Deũmque.

Natura quidem antecellere, idem tamen genere eſſe debet rex: quod ſeniori in iuniorem, parenti in liberos datum eſt. Admirabilius eſt quod cum pleríſque locis (vt lib. de Mundo ad Alexandrum & cap. 1. lib. 2. de Cælo) ex communi hominum opinione, Deum in cœlo ponat: cap. 9. lib. 1. de Cœlo, ne illum vniuerſitatis ambitu concludere, & naturæ legibus addicere videatur, vult eundem quaſi vniuerſa natura ſuperiorem, extra cœlum, vbi neque tẽpus eſt, neq; locus, neque inane,

ne,existere. Perspicuum est,inquit, nec locum extra cœlum esse, nec inane,nec tempus. Itaque ea quæ ibi sunt, non sunt in loco,nec ea tẽpus ad senectutem compellit, nec eorum quæ extra extimum orbem habitant, vlla est mutatio:sed ab omni commutatione vsque externa libera & secreta & optimam vitam,quæque se ipsa maximè contenta est, ex seque omnia quæ optare quis possit, copiosissimè suppeditat, per omnem ἀιῶνα, id est seculum, traducunt. Quem locum Alexander & de recentioribus Franciscus Cataneus falsò de supremo orbe interpretantur. Eodem libro 1. de Cælo, Deum à natura manifestè distinguit,cum neque hanc, neque illum frustra quicquam facere vult. Et lib.12. Metaph.scribit à primo ente(sic enim de Deo loquitur) cælum & naturam pendere. Omitto quod 1. Top. eos pœna indigere ait, qui de Deo quærunt,an sit colendus. Ex quibus satis intelligitur, Aristotelem naturæ genium, inter veteres philosophos in hac quæstione cæcutientes,non omnino malè de Deo sensisse. Quanquã scio alios quoque nonnullos in eius doctrinam commoueri,quòd in Metaphysicis eo loco qui paulò antè notatus est, dixerit Deum animal esse. Quoniam cum animalis genere eum comprehendit, videtur eidem corpoream naturam tribuere. Sed in eo existimo illis esse satisfactum à Bessarione Card. Cap. 14. lib. 3. contra Trapezuntium. In quo etiam si ex animi sententia esset loquutus (quod hic minimè arbitratur)commune tamen illi peccatum esset cum Stoicis:qui Deum definiuerũt animal beatum & immortale. Quod fortasse secutus Seneca lib.20.Epistolarum,ausus est dicere,animum animal esse, noua quadam ratione. Quia,inquit,ipse efficit vt simus animalia. Etsi memini illud de Deo dictum, à nullis de mundo explicari, qui suo magno corpore constat & anima: Ideóque Platonicis magnum animal est:& ab ipso Platone mundus Deus vocatus in Timæo,& Mercurio Trismegisto eadem libertate in Asclepio, Cælum sensibilis Deus est, administrator reliquorum corporum. Et eidem cap. 10. Pimandri, Mundus materialis Deus est pulcher quidem,non tamen bonus. Etenim,inquit,ex materia constat,passionibúsque subiicitur: primúsque est eorum quæ patiuntur: secundus autem eorum,quæ sunt. Intollerabilius verò videri potest quod eidem Aristoteli Cicero tribuit lib. 1.de natura Deorum,Deum ardorem esse cæli. Quod etiam si ille citet ex eiusdem lib.3. de philosophia,quam tamen veritatis speciem in Peripateticorum doctrina habere possit omnino non video. Præsertim cum contra Anaxagoram idem alio loco disputet, ne ætheream quidem naturam,(in qua Dei sedes est, vel potius qua Deus ipse superior est)ardorem esse posse. Neque tamen est à superioribus alienũ, quod Cicero eodem loco scribit, Aristotelem modo menti diuinita-

tem omnem tribuisse, modo mundum ipsum Deum dixisse: modo alium quédam præfecisse mundo, eíque tribuisse vt replicatione quadam, mundi motum regat atque tueatur. Poterant hæc satis multa videri ad institutam comparationem Platonis cum Arist. in quæstione de Deo, nisi Academiæ nostræ Thessalus methodicus, in suis scholis Metaphysicis pleráque ad eam pertinentia, in Peripateticis falsò (nescio verò maioréne ignoratione, an malitia) exagitaret. De quibus quoniam nonnulla ad Alcinoum intelligendum hoc capite necessaria esse videntur, de his disserendum est paulo pluribus: vt Aristotelis Platonísque doctrina illustretur, & ille tandem aliquando, si modo potest, sentiat se prorsus excæcatum in bonis authoribus: quoniam laborat magis in his contaminandis quam illustrandis, vel pro dignitate tractandis. Aristotelis duo nobilissima decreta sunt de Deo. Vnũ quidem, illum esse actum purissimum, omnis potẽtiæ prorsus expertem: alterum, in perpetua contemplatione eundem versari, nec tamẽ extra se quicquam intelligere. Quorum vtrúmque non modo illi (vt postea intelligetur) cũ Platonicis cõmune est, sed à Christianis Theologis etiam laudatum. Et tamen in illis sic Thessalus in Aristotelem exúltat, vt sophistica victoria insolescere, non philosophari videatur. De priore sicut est propositum, loco priore disseramus. Actus & potentia à philosophis in distinctione eorum quæ sunt, frequentissimè vsurpantur. Quorum illud ad formam, hoc ad materiam pertinet: vt ex variis Arist. locis intelligi potest, sed maximè ex cap. 1. lib. 2. de Anima & ex cap. 1. lib. 8. Metaph. Idque quoniam, vt eodem loco Arist. docet, per materiam nihil est reipsa hoc aliquid, sed vi tantum & potestate: forma autem rei cuiúsque ratio est & essentia, à qua illa habet id ipsum quod est. Porrò materiæ adiuncta est impuritas & imperfectio: sicut formæ cõtra, puritas & perfectio. Ideóque dictum est cap. vltimo lib. 1. physi. formam diuinum quiddam esse & bonum & expetendum: materiam ne esse quidem omnino videri, si quis ad id malum quod affert, animi cogitationem conuerterit. Quare cum formarum duæ sint differẽtiæ (nam mathematicas hoc tempore prætermitto) vna physicarum, altera metaphysicarum, quia vtræque actus quidam sunt, Aristoteles distinguendi causa, physicas formas nominare solet actus impuros, cum materiæ potentia communicãtes, metaphysicas autem actus puros expertes eius potentiæ quæ ad materiã pertinet. Quoniam cum hac nihil omnino communicant. Amplius vero cùm in metaphysicis formis complectatur Cælestes intelligentias, singulorum orbium motrices causas & Deum summum, quem ex Homero, parentem hominúmque Deúmque, paulò antè diximus nominari, assentior acutissimo philosopho Iulio Cæsari Scaligero

Aristoteles de Deo contra Thessalũ defenditur.

qui non existimat illis omnibus actus appellationem eodem modo conuenire. Est, inquit ille, intelligentia actus, id est eius, cui nihil causæ potest euenire quo sit hoc quod est. Neque hoc satis. Id enim est, esse actu potius quam actum. Sed est actus: quia est orbis sui perfectio, quamuis non in orbe. Hæc cælestis. Supercælestis autem actus est, quia nullo medio instrumento eget ad functiones suas perficiendas. An verò est etiam purissimus actus? Audiamus quid idem Scaliger respondeat. Non, inquit. Solus enim Deus causa est sine causa: & ens absque ente. Mera namque essentia. Intelligentia verò tametsi non est composita, tamen constat ex aliquo tanquam potentia, & aliquo tanquam actu. Potentiam illam dicimus eius esse: actum verò eius essentiam. Est autem essentia qua est id quod est. Esse vero eius, est receptiuitas essentiæ. Id ipsum autem est quod Alcinous ad finem huius capitis ex Platonicorum doctrina voluit indicare. Efficientia, inquit, non alia quam incorporea esse possunt. Sunt enim corpora suapte natura patibilia atque fluentia, neque semper secundum seipsa eadem, nec eodem modo se habentia, neque constantia, neque firma. Quæque in iis aliquid videntur agere, ea multo magis patientia deprehenduntur. Quare vt est aliquid omnino patibile, ita necesse est aliquid quod verè agat, existere. Hoc vero aliud ab incorporeo reperiri nullo modo potest. In quam sententiam scitum est quod scribit Marsilius Ficinus in epistola quadã lib. 2. de comparatione lucis Dei, cum vmbra materiæ. Profecto, inquit, sicut in rerũ infimo, id est materia prima, idem est esse, & informè tenebrosúmque esse: sic in summo, idem est esse, & formosum lucidúmque esse: imo formam lucémque esse. Materia enim apud Moysem, tenebrarum abyssus est, formarúmque informe subiectum: Deus lux, abyssus luminum: formáque, fons formarum. Materia, infinita est patiendi potentia: Deus infinita virtus agendi, imò infinitus est actus. Illa ergo potentia est potentiarum omnium quæ in patiendo versantur: hic actus est actuum. Et sicut innumerè de materia verè dicitur, materia neque forma hæc est, neq; illa: ita de Deo innumerabiliter dicitur & verè dicitur, Deus hæc forma est & illa. Vna materia est vmbra rerum vmbratilium infima: Vnus Deus, Lux summa luminum. Materia ob nimias tenebras ignota est: Deus ob nimiam lucem est incognitus. Nam si lux quæ est purior, est & lucidior: nimirum Deus cum solus sit purus actus, solus lux est reuera dicendus. Si lux in forma quadam consistit, potius quã in subiecto, & formositas consistit in luce: ibi solum vera lux, vbi mera sine subiecti inquinamento, forma. Ibi solum vera formositas, vbi solum lux vera veraque forma. Quapropter omnis forma & lux quæ vel videtur oculis, vel cogitatur, quia finita est, vmbra quædam est ad

Dei formam atque lucem. Merito Deus infinitus est actus: quoniam vel subiecti, vel causæ limite non contrahitur. In quibus manifestum est, hunc ex Platonicorum omnium sententia pro duobus extremis statuisse in ipsa vniuersitate, Deum, actum summum & purissimum: materiam, potentiam infimam & impurissimam. Vt in Deo ponere aliquid eius potentiæ quæ ad materiam pertinet, nihil aliud sit, quam eundem facere participem eius impuritatis, quæ in corporibus naturalibus materiæ imperfectionem comitatur. De quo Aristotelis scripta in Metaphysicis consideremus paulo attentiùs. Hic cap. 1. lib. 9. Metaph. potentiam distinguit in eam quæ patiendi est tantum, & in alteram quæ faciendi: tertiámque illis adiicit, quæ vtramque habet coniunctam. Cap. 8. lib. 11. eorum quæ sunt, quædam vult esse actu solum, alia solum potentia, alia partim actu, partim potentia. Quæ eadem est distinctio lib. de Interpretatione, cap. de pronunciatis modo circunscriptus. Concludítque illo eodem loco, quod ampliùs est expositum in physicis, motum esse actum rei in potentia existentis, hoc ipso quod in potẽtia est: ex eóque apparere in motu aliquid esse perfectionis & aliquid imperfectionis: quia in hoc, actus cum potentia quodammodo est cõiunctus. Potentiæ autem adiuncta est imperfectio, sicut actui perfectio. Sed cum potentia quædam actiua sit, alia verò passiua, ad vtrámque non eodem modo se habet ipse actus siue perfectio. Passiua enim (qualis materiæ & materialis tribuitur) inchoatio quædam est actus, vel præperatio ad actum, qui pertinet ad id in quo est talis potentia: Imò, quædam est illius potentiæ perfectio. At is actus cuius inchoatio est in ipsa agendi potentia, non tam perfectio est agentis, aut potentiæ actiuæ, quàm eius, quæ ad patiendum comparata. Quare passiua potentia, in eo cuius est, imperfectionem quandam significat, cuius perfectio in actu consistit. Actiua verò potentia nullam in agente imperfectionem indicat, sed potius consistit in eiusdem perfectione, quæ virtutis est & energiæ minimè otiosæ, Quibus positis, idem Aristoteles capit. 5. libr. 12. postquam repetiuit superiorem distinctionem trium differentiarum in his quæ sunt, actus inquit, species est, si separabilis est: potentia autem, materia. Et capit. 6. libr. eiusdem statuit ad perpetuitatẽ motus substãtiam quandã esse ponendam quæ species sit sine materia, vel actus sine potẽtia. Has, inquit, substantias esse oportet absque materia. Sempiternas enim esse oportet: si quidẽ aliquid æternũ est. Actu igitur sunt. Ex quibus omnibus ita cõcludit cap. 7. Quare ęternum est profecto primũ cœlum: estq; aliquid quod mouet. Cum verò id quod mouetur & mouet, medium sit: est etiam aliquid quod non motum mouet: quod æternum, substantia & actus

est. Quæ omnia idcirco commemoro, vt ex cõparatione locorum diuersorum apertè intelligatur, Aristotelem cum scribit deum cælestes orbes mouentem horúmque motus perpetuantem, actum esse æternum, potentiæ expertem, de potentia quæ ad materiã pertinet, quámque passiuam appellauimus haud dubiè esse intelligendum. Vt in eam sententiam duo hæc apud illum coniuncta sint, speciem esse siue formam sine materia, & actum sine potentia. Quis enim nisi ad calumniandum magis quam ad intelligendum vel explicandum comparatus suspicari velit Aristotelem deo adimere voluisse agendi potentiã, eo ipso loco quo scribit contemplari esse agere, deíque vitam in perpetua contemplatione consistere? Quibus ita constitutis Thessalum nostrum methodicum in illum furentem audiamus. Eadẽ est, inquit, Aristotelis sophistica, ad docendum deum expertem esse omnis potentiæ, quæ fuit ad docendum Dei æternitatem. Sed hîc non solum argumentum falsum est, sed etiam thesis ipsa prorsus impia. Etenim qualenam est opinionis huius prodigium? Deum actu agere moueréque, quod agere ac mouere possit: nihil præterea posse vel agere vel mouere? Equidem legi multos & audiui qui in philosophia cæcutirent: sed qui magis insaniret vidi antea neminem. Adeo vt hæc in Aristotelem tam aperta calumnia mihi contemnenda potius videatur quam subtiliore ratione aliqua redarguenda. Præsertim cum ex ipso Arist. didicerim non in quasuis opiniones inquirendum esse seueriùs, sed in eas tantum quarum authores ratione aliqua nituntur, non pœna indigentes vel sensu. Et tamen vt intelligatur non tã prodigiosam esse illam Aristotelis sententiam, quàm in Thessalo furiosam mentis insanæ calumniam, danda est opera vt doceatur non solum Peripateticos, sed veteres quoque alios philosophos & maximè Platonicos, idem de deo sensisse, actum scilicet esse purum, eius potentiæ, quæ ad materiam pertinet, omnino expertem: neque verò hoc à nostra religione esse alienum. Antiquissimus philosophus & theologus Mercurius Trismegistus, de deo sic scribit cap. 3. Pimandri. Gloria omnium deus: diuinum, diuina natura. Principium vniuersorum, deus, mens, actus, necessitas, finis & renouatio: & cap. 10, dei actus, inquit, voluntas est: eiusdem essentia velle cuncta subsistere. Quid est deus & pater & bonum, nisi ipsum esse horum omnium nondũ existentium? Quinetiam existentia ipsa eorundem, id deus, id pater, id bonum, cui nihil aliud ex omnibus applicatur. Eodémque capite, deus, inquit, super omnia est, & circa omnia. Dei radij, actus existũt: mũdi radij sunt naturæ: radij verò hominis artes & sciẽtiæ. Per mundũ exercẽtur actus: híque in hominẽ per mũdi radios descendũt: naturę per elemẽta: hominis per artes atq; scientias. Et ca. 11. Hæc, inquit, dei vita, hìc eius actus,

Deus veteribus actus est purus.

agitare singula vitámque omnibus inspirare. Cap. 12. ab eodem actu qui deo proprius est, materiã sic separat. Materia, fili mi, inquit Trismegistus, seorsum est à deo, vt locus illi proprius assignetur. Quid aliud illam existimas quam rudem indigestamque congeriem hanc existere posse? ne secus credas, nisi formetur. Quod si formatur, ab aliquo certè formatur. Operationes enim formandi, partes dei esse diximus. Ergo vita donantur animantia singula, quo fiunt immortalia, quæ immortalitatis munere perfruuntur: à quo mutantur quæ mutabilia sunt, siue materiam seu corpus nuncupaueris, dei actus esse memento. Actúmque materiæ, materiæ rationẽ: actũ corporeũ, corporũ rationẽ: actum essentiæ essentiæ rationem: ídque omne, neque quicquam est in omni, quòd non sit ipse deus. Cap. 13. eundem nominat vitam, lucem, actum omnium potestatum, potestatémque omnium actuum. Atque hæc quidem de actus nomine, quo modo deo attribuatur, non occulta sunt Mercurij qui multis seculis Platonem antecessit, testimonia: sed longe clariora extant Plotini philosophi in doctrina Platonicorum nobilissimi. Hic enim libello quem inscripsit de eo quod in potentia & de eo quod in actu, cap. 3. de mundo intelligibili (qui si Platonica cum Peripateticis volumus coniungere, reipsa non est alius à deo, mundi huius opifice, vel certè moderatore) sic loquitur. Profecto si neq; ibi materia est, in qua id ipsum cõsistit quod esse dicitur in potentia: neque quicquam illorum quod iam non sit, est futurum: neque permutatur in aliud, neque manens ipsum ex se generat aliud: neque à se ipso digrediens tradit alteri vt ipsius sit vice: certè non erit illic quod esse dicitur in potentia, vbi entium regnũ est, non temporalium, sed æternorum: Rationem etiã subiicit eodem loco. Quod in potentia est, inquit, exigit alterum quo accedente perducatur ad actum, vt aliquid tandem fiat in actu. Quòd autem ipsum à seipso semper ita se habet, est actus. Itaque omnia prima, actus existunt. Habent enim quicquid oportet habere. Atque id quidem & à seipsis & semper. Iam verò & anima ita se habet, præcipuè quæ non in materia est, sed in intelligibili mundo. Equidẽ si in veteribus Platonicis euoluendis & intelligendis Thessalus tam diligens esse voluisset quàm in suis logicis Capellis pectendis, facilè vidisset damnata illa Aristotelis sententia de Deo, quod actus purus sit omnis potentiæ ad materiam pertinentis, expers omnium quoque Platonicorum sententiam damnari. Sed homini religiosissimo, fortasse non erit hoc satis: nisi id ipsum doceatur à nostra religione minimè esse alienum. Ergo hoc etiam agamus, quidque nonnulli de nostris theologis hac de re senserint, breuiter inquiramus. D. Dionysius Areopagita li. de diuinis nominibus, cũ Elimas Magus illud D. Pauli reprehende-

Theologorũ sententia de deo, qualis actus sit.

ret, deũ non posse negare se ipsum, quasi esset contrariũ dei, vt sic dicam, omnipotentiæ, respondet non idcirco deum impotentem esse, quod negare se non possit: quoniam hoc ab eius essentia est alienum, negaréque se posse, in illo impotentiæ potius est, quam potentiæ, aut virtutis vel energiæ. Videor hoc loco contra Thessali calumnias idem dicere posse, deum non idcirco aliqua in parte impotentem esse, quod expers sit potentiæ ad materiam pertinentis. Imo potius quia actus est omnipotens, illum omnino oportere esse expertem potentiæ eius quæ ad materiam pertinet. Quoniam hæc cum impotentia quadam necessario est coniuncta. Ad quod confirmandum præter quàm quod videor abundare variis Platonicorum & Peripateticorum rationibus, etiam in promptu est authoritas. D. Thomæ Theologi non minus nobilis, quàm acuti philosophi. Hic enim cap. 16. lib. 1. contra Gentiles, multa colligit quibus probat id ipsum quod Aristoteli placuit, in deo nihil esse omnino eius potentiæ quę materię est propria. Eundem verò actum esse purissimum, ille quoque eodem libro confirmauit, primum quidẽ cap. 21. cum docuit deum esse suam essentiã: deinde cap. 22. quando adiicit, quod ad illud quodammodo est consequens, in deo eandem esse essentiam cum eo quod ipse est. Scio hæc Thessalo futura monstrosa: sed ea lubenter vsurpo, vt solidioris doctrinæ philosophis persuadeam quod alio loco indicaui, hunc in vniuersa philosophia nihil suum dicere posse præter fucum, proprium scilicet scholæ Thessalicæ. Nos verò hoc discamus, potentiam ad materiam pertinentem, necessariò cum quadam imperfectione esse coniunctam. Non quia posse aliquid, omnino imperfectionis sit: sed quoniam illa in eo cernitur quo id ipsum cui talis potentia attribuitur, aptum significatur ad nouam perfectiomem suscipiendam. Non esset autem eiusmodi, nisi idem aliqua ex parte esset imperfectum. Deus verò, vt etiam hoc cap. ab Alcinoo confirmatur, non solum omni ex parte perfectus est, sed ipsa summa primáque rerum omnium perfectio. Quo modo igitur, nisi impiè, dicetur particeps eius potentiæ quæ ad materiam pertinet, cum omnem perfectionem sit in se complexus? Actus igitur est primus purus, primæ impuræque potentiæ ad materiam pertinenti quasi ex altera parte, vt paulò ante ex Ficino indicauimus, à Platonicis atque Peripateticis oppositus. Sed quoniam actus hic otiosus esse non potest, semper aliquid agat est necesse: quia ipse est sempiternus. Quid igitur aget? Contemplabitur, suáque prouidentia mundum reget. An verò hæc ager, nisi ad eadem insitam habeat facultatem, siue potentiam, Minimè verò. Nec quisquam opinor tam fatuum aut stupidum Aristotelem

in philosophādo credet vt cum ab eo nominatim scriptū meminerit lib. 10. Ethic. & 12. Metaph. dei vitam in perpetua contemplatione versari, suspicari velit eundem deo omnem ad contemplandum potentiam siue facultatem ademisse. Ex quo profecta est potentiarum siue facultatum superior illa distinctio in passiuam & actiuam: quarū prior vno consensu omnium rectè philosophantium deo adimitur: posterior in eodem multis rationibus confirmatur à D. Thoma cap. 7. lib. 2. cōtra Gentiles: hæcque eiusdem dei substantia itémque actio esse dicitur cap. 7. & 9. lib. eiusdem. Quam distinctionem in philosophia vidit etiam Thessalus, sed in subdistinctione membri posterioris errorem alium vitare non potuit, in quo homini cęcutienti in Arist. doctrina monstrosum esse videtur, quod aliis sanū intelligēsque iudicium adhibentibus, semper fuit verissimum. Potentia ea (inquit, Thessalus) quæ passionis est, æternis non cōuenit. Nisi fortè qualitate aliqua externa, aut loco, vt Luna semiplena potest effici plena: vt Sol in Geminis ad Taurum moueri potest (leuis exceptio, nec fortasse satis accommodata Aristoteli, qui cælestia corpora omnino impatibilia solet dicere: sed reliqua audiamus) At hic Aristoteles, inquit, Thessalus, longè sæcus philosophatur, de potentia nempe actiua: & sic Δύναμις ἐνεργεῖν nominatim hic ab eodem dicitur. Ecquid, istud prodigij monstríque est? Id enim satis admirari nequeo: & accuratè consideranti, furiosum mentis insanè deliramentum videri necesse sit. Atqui non satis accuratè ista considerasti, Thessale, furórque mentis tuæ semper ad calumniandum magis quam ad intelligendum cōparatæ, facit vt nimium intelligendo nihil intelligas. Discę igitur nūc primum quod nos ex Aristotele iampridem didicimus, actiuam facultatem quæ non nisi ad formam pertinet, adhuc duplicem esse: quoniam & formæ de quibus hoc loco agimus sicut paulò ante dictum est, sunt duplices. Etenim naturales quia vt à nobis alio loco dictum cum materia necessariò communicant, actus quidem sunt ad agendum potentes: sed tamen sine materia adiuuante non possunt agere. Quoniam hæc in se continet instrumenta ad cuiusque formæ actionē destinata, quæ ad excitationē noui operis ab illa moueri oportet, & in caducis corporibus idcirco paulatim elāgueścere. Quia dum formæ suapte natura impatibili in agendo vel efficiendo subseruiunt, ipsę in se necessario patiuntur tandémque marcescunt: vt in animaliū corporibus eorúmque functionibus Arist. obseruauit cap. 4. lib. 1. de Animo. Sic idem (quòd paulò ante obseruatū est) cap. 8. lib. 10. Ethic. agendi faciendíque rationem deo adimit, solam contemplationem ei relinquit quā ab actione effectionéque separat: quod hæc formarū sit naturalium cum sua materia communicantium. Quam si tu, illo repugnante

pugnante, Deo attribuis, tam flagitiosè peccas quam si cum Epicuro, in quæstione de mundi origine à Platone requiras in tanti operis fabrica. Quæ molitio, quæ ferramenta, qui vectes, qui ministri tanti operis fuerint. Meliusverò nostri, qui vt in rebus omnibus procreandis iudicent nulla omnino instrumenta deo fuisse necessaria, illud vsurpare solent, Ipse dixit, & omnia facta sunt. Adde quod eiusmodi naturales formæ ad agendum potentes, non semper agunt: sed in suis motibus frequentem habent interpositam quietem. Deus autem Aristoteli actus est cuius potentia in sempiterna actione versatur nulla quiete antecedente, aut interposita. Quam dissimilitudinem hic tibi indicare potuit cum ita scripsit cap. 6. lib. 12. Metaph. At verò, inquit, si motiuum, aut effectiuum est, nō autem operans aliquid, non est motus. Possibile namque est non operari, quod potentiam habeat. Ergo noluit deum motiuum aut effectiuum esse, aliquando non operantem: ne motus in vniuersa natura ab illo excitatus, non esset futurus sempiternus: sed actum esse sua essentia in perpetua actione versantem. Quod eodem loco indicat cum ista subiicit: Nam si nō operabitur, inquit, motus non erit. Nec item si operabitur quidem, substantia verò eius potentia sit. Non enim erit perpetuus motus. Quoniam quod potentia est, contingit non esse. Quæ omnia, Thessale, eo pertinent vt intelligatur quod etiam tandem colligitur cap. 7. Deum essentia sua simplicem & æternum, formam sine potentia & materia, impatibilem & immutabilem in naturæ vniuersitate sempiterni motus causam esse semper tamen immobilem. Ex quibus mundi æternitas naturæ lumine ab eodem facilè concluderetur: ne aut ante mundum ortum Deus, qui in perpetua actione ponitur, nihil habere videretur quod ageret aut in ipsa mundi origine ad nouum motum suam facultatem excitasse antea ociosam. In quo si tu eum reprehendis quòd de mundi æternitate contra ea statuat quæ in religione nostra sunt posita, equidem sententiam tuam lubens amplector: sed non possum laudare quod furiosum mentis insanæ deliramentum id appellasti, quod omnes qui sana mente sunt, naturæ legibus valde consentaneum existimant: & in quo veteres etiam nostri Theologi in quæstione de mundi origine, vt Aristoteli satisfacerent maximè laborarunt. Quod esset difficilè vel cogitatione fingere quid Deus actus purus, qui in sempiterna actione vitam habet & essentiam ageret ante mundum ortum. De quo postea capite decimo cum de mundo erit agendum, pluribus disseretur. Sed facit hoc credo ingenij tui peruersitas, Thessale, vt quæ aliorum iudicio cum natura valde consentiunt, tibi maximè sint monstrosa: sicut contra in omni genere doctrinarum

tui fœtus qui tibi mirificè placent, aliis quia diri nescio quid rei literariæ portendunt in alienas insulas videntur esse deportandi. Sequitur altera quæstio de deo, quo modo se ipse cæteráque contempletur & intelligat: in qua non minus ardes odio doctrinæ Peripateticæ. Aristotelis sententiam primum expendamus: deinde tua somnia cũ illa conferamus. Statuit Arist. cap. 4. lib. 3. de Animo, in iis quæ materiæ & corporis expertia sunt, idem esse intelligens & id quod intelligitur. Formas autem quæ cum materia communicant, intelligibiles esse tãtum, non etiam intelligentes. Ex quo sequitur deum qui actus est omnino à materia separatus, & intelligibilẽ esse & intelligentem, quęritur verò quid intelligat & in intelligendi modo à nostro intellectu cæleſtibúsque intelligẽtiis quo differat. Manifestum est, inquit Arist. cap. 9. lib. 12. Metaph. primam mentem intelligere id quod diuinissimũ honorabilissimúmq; est. Neque verò mutatur, in deteriùs namque mutatio fieret, atque id ipsum iam motio quædã esset. Primum igitur si non est intellectio, sed potentia, rationi consentaneum est laborioſam ei continuationem intelligẽdi esse: deinde dilucidum, quod aliud esset honorabilius mente: id scilicet quod intelligitur. Et intelligere profectò ac intellectio & quod pessimum intelligenti ineriit. Quare fugiendum hoc sit. Etenim quædam melius est non videre: quam videre: alioqui non fuerit quod optimum intellectio. Se ipsam ergo intelligit: si est quod optimum est. Quo vno in loco, quia multa sunt quæ Thessalus calumniatur, eáque si sanè intelligantur, ad illustrandam quæstionem de deo non parum pertinent, hæc nobis distinguenda sunt & sigillatim tractanda: vt ab omnibus intelligatur quo modo hic in illis Aristotelem suo more id est sic vt nescias maiore ne ignoratione, an malitia exagitet. Tria verò potissimum ille conatur repræhendere primùm quidem quod Aristoteles dicere videtur omnẽ mutationem fieri in deterius: alterum, quod si in intelligendi munere potẽtia sit interposita, ab eodem concluditur in deo laborioſam futuram intelligendi continuationem: tertium, quod statuit deum se solum intelligere, nihil extra se: alioqui deo futurum aliquid præstantius: paríque ratione, ne posse quidem eum quæ mala sunt intelligere. In singulis quibus ille rationibus contra Aristo. nitatur audiamus. Aristoteles manifestum esse ait (inquit Thessalus) quod diuinissima & præstãtissima mens illa intelligat, & actu intelligat, neq; mutetur: quia in deteri⁹ omnis fit mutatio. At ratio ista falsa est. Nec enim ort', vel accretio, vel iis cõsimilis alteratio, latióq; est in deterius. Hic mihi breuissima erit pro Arist. respõsio: quę tamẽ verissima ab eo intelligetur qui id de quo agitur, attentè considerauerit. Thessalus locũ Arist. peruertit & ex falsa eiusdem interpretatione suo more calumniandi

occasionem quærit. Non enim Arist. ait omnem mutationem in deterius fieri. Sed negat deum intelligere, excitando potentiam aliquam in suum actum : verum in perpetuo intelligendi actu versari, in quo suam habet essentiam. Illud verò ex eo confirmat, quod si in deo potentia aliqua antecedens in suum actum excitaretur, secundum eam deus moueretur atque mutaretur. Hoc enim ipsum motus est : actus scilicet rei in potentia existentis, hoc ipso quòd est in potentia. At deum moueri vel mutari absurdum est: quia in deterius mutari oporteret. Non quod omnem mutationē in deterius fieri arbitretur. Sed quia cū id omne quod mutatur aut in melius, aut in deterius mutari sit necesse: ratum Aristo. existimauit deum optimum & præstantissimum in melius mutari non posse. Itaque sumpsit quod erat reliquū, si fortè deus mutetur, ad deterius mutationē eiusmodi fieri oportere. Idémque Alcinous hoc cap. sed paulò pleniùs vsurpauit. Si deus commutetur, inquit, vel à seipso, vel ab alio commutabitur. Si ab alio, illud certè deo potentius esse oportebit. Sin à seipso aut in deterius, aut in melius eiusmodi commutatio fiet. At vtrúmque horum in iis est, quæ fieri nullo modo possunt. In secundo, Thessalus Alexandri interpretationem reprehendens, nec tamen meliorem afferens, in Peripatetica doctrina valde rudem se declarat & hac in parte, sicut in cęteris, magis ad calumniandum quàm ad explicandum comparatum. Pergit verò theologus Aristoteles, inquit Thessalus. Si potentia intercutreret, intelligentiæ continuatio esset ipsi menti laboriosa. Nam si essentia mentis esset ipsa intellectio, non magis deo laboriosum sit ipsum intelligere, quàm homini esset hominem esse. At contra vt homini ambulare laboriosum, quia non est illa hominis essentia: sic deo graue esset molestúmque intelligere, nisi intellectio ipsa dei esset essentia. Sic enim Alexander hunc Aristotelis locum ariolando interpretatur. Id enim est augurari potius quàm philosophari: cum Aristotelis verba id minimè significent. Equidem quid hoc loco tibi tam sit reconditū, non video: nec magis intelligo quid in Alexandri interpretatione ab Aristot. mente alienum esse arbitreris. Cum hominibus in Peripatetica doctrina exercitatis tritum illud sit quod à nobis antea pluribus est explicatum, functiones eas in quibus obeundis agens cum potentia materiæ communicat, intendi atque remitti, cum ipsaque remissione agentis defatigationem necessariò esse coniunctā. Ex quo nata est hæc acuta veréque philosophica Aristotelis ratio, quam si verum fateri, vis potius contempsisti quàm in ea intelligenda elaborasti. Sed hoc proprium tuæ doctrinæ : cætera videamus. Postremū reprehensionis tuæ caput est de Deo quo modo se ipse intelligat & an nihil extra se: in quo sic Aristotelem exagitas vt in supe-

rioribus lusisse tantum, nunc in eum verè furere videaris. Non erit profecto cuiquam credibilis tanta amentia, nisi tuis fideliter recitatis, quasi in rem præsentem lector deducatur. Hæc igitur audiamus. Quo loco, ais, lubet omnes non dico Christianos, sed homines tantum non Epicureos, sed patres in primis de liberorum institutione solicitos appellare. Etenim per deum immortalem, de cuius natura modo agitur, qualisnam deus à philosopho nobis describitur? Epicurus (ait Tullius de natura deorum) Athenienſibus ne in eorum offensionem caderet, verbis reliquit deos, re sustulit. Itaque in illis selectis breuibúsque sententiis, quas appellat κυριας δοξας hæc prima sententia est. Quod beatum & immortale, id nec habet, nec exhibet cuiquam negotium. Atque hæc Epicuri theologia quidnam habet à doctoris nostri theologiâ diuersum? Metuebat Epicurus ne deus rerum humanarum procuratione & cura obrueretur, & ideo aliquid è voluptate imminueret: Aristoteles cum deo vitam optimam & iucundissimam antea attribuisset, veritus item est ne contemplatione & intelligentia, aut vilium aut ipso leuiorum rerum fœdaretur. Deus igitur Aristotelis supra cælum mundúmque positus, nihil eorum intelligit quæ cœlo mundóque toto continentur: sed pauonis alicuius instar pulchritudinis suæ contemplatione delectatur. Ergo verus ille deus cui capilli cuiúsque nostrum etiam numerati sunt, cui sortium euentus ante prouisus est, cui omnia denique toto mundo maxima, minima, mediocria, cura sunt, Aristotelis ista theologia miser erit. O monstrum impietatis atque portentum! Deus te ex animis hominum pœnitus eradicet. Amarulenta profecto sunt ista nimium Thessale, sed vrit te fortasse in religionem Christianam singularis tua pietas. Itaque pro hac tibi ista condonemus: quæ in alio non ferres si quis in te ageret isto modo. Atque sicut cœpimus in tuis recitandis pergimus. O Theologi Christiani, ais, considerate iam quanta Christianis moribus pestis Theologiæ in scholas inducta sit. Philosophus iste pro Deo penè nescio quot secula cultus est, & omnino sic acceptus vt Theologiæ etiam Christianæ fundamentum & firmamentum censeretur. Id enim criminis contra nos secundo & vicesimo ab hinc anno intentati caput fuit, eneruata Aristotelis authoritate, Christianæ quoque religionis authoritatem eneruari. Enimuerò Deus Aristotelis non modo hominum generi nihil consulit, sed ne cogitat quidem, vel intelligit præter se aliud quicquâ. Et certè Aristotelis impietatem de animorum mortalitate consequês impietas hæc altera fuit, vt Deus nulla generis humani cura tangeretur. Equidem Thessale etiam si in Dei sinu, vt dicitur, per multos an-

nos lusisses, quoque modo hic se cæteráque omnia intelligat, penitùs perspectum haberes: deberes tamen Aristoteli solam naturam sequēti & huius tenuissimo lumine circa quæstionem omnium obscurissimam fortasse caligānti, ignoscere, Deíque beneficium in te recognoscere, illius sortem misereri, errorem hac in parte si quis esse videbatur, modestè aliis indicare, non vniuersam doctrinam tanta animi impotentia insectari. Quid enim cum illa superiora euomis, aliud testaris, quàm te doctrinæ Peripateticæ iuratum hostem esse: sine qua tamen (quod omnes docti apertè intelligunt) neque ista contra Aristotelem declamitare potuisti, neque tuas nugas contra omnem antiquitatem, tanti venditare. Sed si tu non modo Christianus, verum inter Christianos homo nescio cuius, at tua certè opinione melioris notæ quam cæteri, quid Deus intelligat & quo modo, si verum fateri vis prorsus nō intelligis, quo ore audes tam superbè in hac quæstione cæcutiens caligantem inter philosophos Aristotelem insectari. Quanquam in ea tibi quantum voles arrogabis: per me enim licet. nec vnquam istum doctrinæ fastum tibi tuíve inuidebo. Ego vero cum non solum ex veteribus philosophis, sed ex nostris theologis didicerim Dei non tantum vitam, sed essentiam in intelligendi munere consistere (quoniam vt illi dicere solent, quicquid in eo est, Deus ipse est) palam fatebor hoc nescire me quod nescio. Idque faciam eo lubentius quod facilè animaduerto curiosius inquirere quid propriè Deus intelligat, & quo modo, non esse aliud quam scire velle in quo propriè consistat eius essentia, quisque sit essentiæ modus. Et tamen ne plus hac in parte sapere quam nos videare, ego te testibus nūc obruam locupletissimis, ad efficiendū hāc ipsam Aristotelis opinionem de Dei intellectione cum veteribus philosophis, addo etiam cum nostra religione, aut omnino, aut magna ex parte, consentire. An num erit id potentissimum ad illum liberandūm tuis calumniis? Hoc ipsum igitur iam agamus. Plotinus in Platonica doctrina explicanda illustrandáque tam nobilis, quàm tu in Peripatetica contaminãda atque fœdanda, vno libro contendit id quod est supra Ens (sic autem ille Deum nominat) non intelligere. Quas tragœdias excitares Thessale, si hoc in Aristotelis schola audires? At illum hoc ipsum eodem libro confirmare conantem audiamus. Capite primo ostendit quando aliquid dicitur intelligens necessario significari aliud ab eo esse distinctum, nempe id ipsum quod intelligitur: sed hoc ab intelligente modo magis, modo minus esse distinctum. Duplex est intelligentia, inquit: Aut enim aliquid intelligit aliud aut se ipsum. Quod autem intelligit aliud, vult ipsum quoque diuersitatē fugere, sed minus id valet. Habet quidem apud se quod videt, sed à se diuersum. Verum quod

se ipsum intelligit, nõ est ab eo quod intelligitur essentia separatum: sed coexistẽs secum, se ipsum & intuetur. Vtrúmque itaque simul ens vnum efficitur. Imo verò magis intelligit, quoniam quod intelligit habet. Primóque intelligit: quia ipsum intelligens oportet vnũ duoque existere. Quibus positis, de Deo quouis intelligente superiore, ita concludit capite 2. Si igitur aliud quidẽ est primo intelligens, inquit, aliud autem est intelligens aliter: certè quod est primo intelligente superius, non intelligit. Intellectum námque oporteret esse, vt intelligeret. Si autẽ intellectus foret, intelligibile oporteret habere. Ac si primo intelligeret, habere intelligibile in se primo. Non tamẽ necessarium est quicquid intelligibile est, habere in se intellectum & intelligere. Esset enim non intelligibile tantum, sed & intelligẽs. Cúmque duo iam sit, non esset vtique primum. Iam verò intellectus qui intelligibile possidet, nunquam consistere posset, si non esset essentia eius quod est intelligibile purum. Quod ad intellectum quidem intelligibile erit: secundum autem seipsum, neque intelligẽs, neque intelligibile propriè erit. Nempe quod intelligibile dicitur, alteri intelligibile indicatur. Atque intellectus suam illam vim per quam intelligentia nititur, habet vacuam, nisi acceperit comprehenderítque ipsum intelligibile, quod intelligit. Non enim absque intelligibili habet intelligentiam. Tunc itaque perfectus est quando iam habet. Oportet autem antequam intelligat, penes se habere essentiam. Illud ergo ex quo secundum essentiam perfectus existit, id ipsum est ante intelligentiam. Quamobrem nihil huic opus est intelligentia, cum antè hanc sufficienter existat. Itaque non intelligit. Est igitur supremum aliquid quod non intelligit. Est insuper quod intelligit primo. Est denique quod secundam quandam intelligentiam habet. Præterea si primum illud omnium principium intelligat, aliquid illi iam aderit. Non erit itaque primum, sed secundum: neque vnum, sed iam multa, & profecto totidem quot & intelliget. Quinimò si solum intelligat semetipsum, multa rursus euadet. Subtilius est quod apud eundem sequitur ca. 5. Quod in se est multiplex, inquit, merito seipsum quæret optabítque conspirare secum: séque mutuo vndíque persentire. Quod autem est penitus vnum, quónam se cõferet ad se ipsum, séque excipiet? Vbi nam sensu sui ipsius intimo indigebit? Est enim idem ipsum omni conspiratione sensus omníque intelligentia melius. Si quidem intelligentia non est primum. Neque enim primum obtinet gradum: siue quantum ad simpliciter esse spectat, siue quantum ad esse pertinet venerandum. Imo verò secundum occupat locum, natáque est postquam ipsum bonum extitit: ortáque in essentia, statim eá prouocauit ad bonum. Hæc autem prouocata, iam processit ad illud

atque nouit. Idque ipsum est intelligere, moueri scilicet ad bonum ipsius desiderio boni. Nempe desiderium intelligentiam procreauit, eámque sedulò comitatur. Visio namque in appetitu quodam visus ipsius consistit, ad videndum alliciente. Quamobrem ipsum bonum intelligere neque se, neque quicquam oportet. Neque præter se aliud quicquam habet sibi ipsi bonum. Atque hæc ille de Deo summo. De modo autem intelligendi in diis minoribus qui in cœlo sunt, vt ait, incorporeo, ea idem scribit cap. 4. lib. de Intelligibili pulchritudine, quæ cum Aristotelis doctrina hoc loco de Dei intellectione magis cõsentiunt. Huc tendunt, inquit, quę à Platone traduntur in Phedro. Facilem scilicet illic superos vitam agere: veritatémque ipsam eorum genitricem esse, atque nutricem & essentiam & nutrimentum. Item illos omnia cernere, non illa quidem quæ generationi subiecta sint, sed quæ sint in essentia. Videre quoque seipsos in aliis. Omnia enim illic vndique perspicua sunt. Nihil ibi tenebrosum, nihil obsistens. Sed omnis illic omnibus est cõspicuus intrinsecus atque per omnia. Et cap. 5. libr. de Intellectu, Ideis & ente. Intellectum accipere decet, inquit, existentem in actu perpetuo: qui & ita semper intellectus existat. Si verò intellectus eiusmodi aduentitiam non habet intelligentiam, quicquid intelligit à se prorsus intelligit, & si quid habet, possidet à se ipso. Quod si à se & ex se intelligit, ipse profecto existit hæc ipsa quæ intelligit. Si enim essentia quidem eius est altera, quæ verò intelligit rursus & altera ipsa, certè huius essentia erit muneris intellectualis expers: neque amplius in actu, sed in potẽtia intellectus. Iam vero si apud eundem Plotinum de prima mẽte agendum est, quoniã hæc idea idearum est rerum omniũ, in se ipsa & per se omnia cognoscet, nihil omnino extra se. Vt ex iis colligi potest que ab illo pluribus explicantur libro de substantiis cognoscentibus, & de eo quod superius est. An igitur illa res singulas non cognoscet? Eò certè modo quo & harum apud Platonicos sunt Ideæ. Quo modo vero sint, & qua ratione distinctæ quæstio est his controuersa, & ab eodem Plotino alio libro vno tractata. De qua dictum est cap. superiore. Non dubito quin apud te plus authoritatis D. Dionisius Areopagita sit habiturus. Eum igitur cum Arist. consentientem audiamus. Hic libro de diuinis nominibus, de re proposita sic statuit. Diuina certitudo per quam sibi certa habet omnia, etsi sæpe intelligẽtia nominatur, est tamen toto genere vel perfectissima intelligentia longè superior. Cognoscit verò cuncta per vnicum intuitum vnicæ suæ formæ, quæ efficit omnia pariter & demonstrat. Quam cum primum intus inspexit, relatione quadam distribuit in ideas rerum inde procreãdarum. Adeo vt prima Dei cognitio non solum res creatas, sed adhuc creandas, imò

& ipſas creandarum ideas, mirabiliter antecedat. Angelica vero cognitio ideas quidem ſequitur, ſed res antecedit. Humana, communiter vtráſque ſequitur. Ideæ quidem comparantur ad Deum ſicut ad lucem radij, vel ſplendoris: cætera vero ſicut vmbræ. Deus igitur per vnicam lucem ſuam cognoſcit concipítque ideas: per has reliqua velut vmbras: perinde atque ſi Sol per lucem ſuam radios circumiectos contueretur, per radios vmbras ex oppoſito reſultantes. Et capite proximè ſubſequente, Diuinus intellectus, inquit, omnia continet, cunctis eminente cognitione per ipſam omnium cauſam in ſe ipſo intelligentiam omnium anticipans. Priuſquam angeli fierẽt, cognoſcens angelos atque producens: cæteráque omnia ex intimis ſuis ab ipſóque vt ita loquar, exordio noſcens, ad eſſentiámque perducẽs. Idque arbitror ſacrum eloquium ſignificare dicẽs, quia omnia nouit antequam fierent. Intellectus enim diuinus non res ipſas nouit ex ipſis, ſed ex ſe ipſo & in ſe, per cauſam, omnium notitiam & cognitionem eſſentiámque anticipat, & excellenti ratione compræhendit, non diſtractus in ſingula, ſed per vnam cauſæ compræhenſionem omnia ſciens atque continens. Et iterum capite altero. Diuina ſapientia, inquit, ſe ipſam cognoſcens, cuncta cognoſcit. Materialia quidem immaterialiter, impartibiliter partibilia. Vnica multa, intuitu videlicet vno cuncta cognoſcens atque producens. Nempe ſi per vnam cauſam Deus eſſentiam omnibus impertit, per eandem quoque cauſam vnicã, ſcit inſuper omnia: quippe cum ex ipſo ſint, & in ipſo antè ſubſiſtant. Neque igitur ex rebus rerum notionem accipiet, ſed ipſe ſingulis id præſtabit vt & ſe & alia noſcant. Deus igitur non aliam quidem ſui, aliam vero aliorum ſcientiam habet. Ipſa namque omnium cauſa ſe cernens, quónam pacto cogitari poteſt quæ ab ipſa ſunt quorúmve cauſa eſt, ignorare? Hac igitur ratione Deus cuncta cognoſcit, non quidem vlla rerum, ſed ipſa ſui ipſius ſcientia noſcens. Non ſentis, Theſſale, hic à Chriſtiano theologo eóque nõ vulgari, ea ipſa laudari in quibus Ariſtotelem impietatis arguis? An igitur hunc quoque quia cum Ariſtotele, quem odiſti cane peius & angue, exiſtimat Deũ ſe ipſum tantum intelligere, nihil extra ſe, ſchola Chriſtiana ſicut & Ariſtotelem explodendum iudicabis? Vide quid agas atque caue obſecro te, ne ardori ingenij tui nimium indulgeas. Vis in D. Thoma, quia huius nomen in theologorum ſchola auditur frequentius, acquieſcamus. Ego capita doctrinæ eius cum Ariſt. hac in parte conſentientia, tibi indicabo vt hæc aliquando ſi voles, liberiore animo perlegas, ex eiiſdémque aliquando diſcas quam inconſideratè, ne quid dicam grauius, impietatis nomen hoc loco in Ariſtotelem tibi exciderit. Ille capite 45. lib. 1. contra gentiles confirmat primum, Dei intelligere

intelligere Dei esse essentiam: ad idque docendum nominatim vsurpat quod paulo antè posuimus, quicquid in Deo est, diuinam esse essentiam. Ex quibus postea colligit cap. 46. Deum per aliud nihil intelligere, quam per suam essentiam. Pergit verò cap. 48. atque contēdit, quod ad retinendam Aristotelis doctrinam potentissimum est, Deum primo & per se solum se ipsum cognoscere. Hócque ex eo probat quod species intelligibilis, per quam & in qua Deus omnia intelligit, ipsa nihil aliud sit quam Dei essentia. Sentis hoc ipsum esse, aut certè ei proximum, quod in Arist. nunc exagitas? Age verò hũc etiam idem alio loco confirmantem & eam dubitationem quæ te in hac quæstione perturbauit, explicantem audiamus. Hic articulo 5. quæst. 14. Summę 1. ex D. Augustino commemorat, lib. 83. quęstionum, Deũ extra se nihil intueri. Deinde statuit Deum seipsum videre in seipso, quia se ipsum videt per essentiam suam. Alia autem à se, inquit, videt non in ipsis, sed in se ipso: in quantum scilicet essentia sua cõtinet exemplar aliorum omniũ. Ex quibus illud quoque intelligere potuisti quod aliquando ab Episcopo Parisiensi damnatum legimus, Deum scilicet non cognoscere aliud à se. Nec verò dubitas, opinor, quin ad hanc D. Thomæ sententiam vniuersa nostrorum theologorum schola vno consensu sit accessura: sed quia huius authoritas tibi iampridē cœpit vilescere, barbaros etiam de eadem quæstione cum Arist. statuentes audiamus. Auerroes inter Arabes philosophus magni nominis, non solum hac in parte Aristotelem sequitur, sed si animaduertis eam quoque dubitationem quæ te perturbauit, aptè dissoluit. Hic enim disputatione sexta contra Algazelem, qui ante te in hac quæstione laborauit, scribit intellectum separatum non intelligere nisi seipsum, & intelligere se ipsum cum intelligit omnia entia. Intellectio enim eius, inquit, nihil aliud est nisi ordo & proportio quæ est in omnibus entibus. Et iste ordo & proportio est ille quem recipiunt potentiæ actiuæ, habentes ordinem & proportionem repertam in omnibus entibus: & est id quod philosophi appellant, naturam. Quod idem quoque repetit quæstione 11. At, inquis, si se solum Deus intelligit, extra cælum mundúmque positus, nihil eorum intelliget quæ cælo mundóque cõtinentur. Ridicula profecto obiectio & Christiano philosopho valdè indigna. Quid enim, Thessale, ita ne tibi Deus extra, vel potius supra cælum mundúmque positus, vt neque in cælo neque in mũdo sit? Caue ne hæc opinio grauiorem impietatem parturiat ea quam hoc loco in Aristotele notare voluisti. Deus loco non continetur, sed vbique totus est. Quare nec extra cælum, nec in cælo mũdóve repositus verè dici potest. Non enim (inquit D. Augustinus cap. 29. lib. 22. de Dei Ciuitate) quia dicimus Deum in cælo esse & in

terra (ipse quippe ait per prophetam, Cœlum & terram ego impleo) aliam partem dicturi sumus eum in cælo habere,& in terra aliam: sed totus vbicunque est non alternis temporibus, sed vtrúmque simul: quod nulla natura corporalis potest. Ergo quia vbicunque Deus est, ibi se ipse quoque intelligit, & supra cælum & in cælo mundóque se intelliget: quoniam per omnia hæc fusus est, nullo horum circumscriptus. Vrges vero etiam amplius, Deus Aristotelicus, ais, pauonis alicuius instar, pulchritudinis suæ sola contemplatione delectabitur. Bona verba Thessale,& extra iocum. Nec enim in re tam graui ei locus est. Ergo verus ille Deus, inquis, cui capilli cuiúsque nostrum etiá numerati sunt, cui sortium euentus antè prouisus est, cui omnia denique toto mundo maxima, minima, mediocria curæ sunt, Aristotelis ista theologia miser erit. Imo, Thessale, verus ille Deus cui capilli capitis tui numerati sunt, per aliud nihil intelligit quam per suam essentiam: sed generat ex se ipso, in se ipso sui, ipsius intellectionem semper eodem modo & eandem & æqualem sibi. Quia non intelligit per speciem, sed per sui ipsius præsentiam. Quoniam ipse causa est omnium: idcircóque se ipsum cognoscendo, omnia cognoscit. Si quidē vnumquódque per causam cognoscitur. Vt idem D. Thomas confirmat ca. 49. & 50. lib. 1. contra Gentiles: & de numeratis capillis tuis locum Mathei in eandem sententiam interpretatur D. Ioan. Chrysostomus, de Dei prouidentia sic disputans. Nónne duo passeres, inquit, asse vēduntur,& vnus ex ipsis non cadit in laqueum sine patre vestro qui in cælis est? Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt. Quid vilius passeribus? Sed tamen nunquam ignorante Deo capiuntur. Non enim cooperante Deo incidere in laqueum passeres ait, quod diuinæ maiestati indignum esset: sed non esse clam Deo etiam vilissimarum auium causam ostendit. Quod si nihil penitùs Deus ignorat: at vos paterna charitate prosequitur & ita amat, vt pilos capitis quoque vestri non negligat, quid timendum vobis est? Hoc autem dicebat, inquit, Chrysostomus, non quod Deus capillos numeret: sed quia perfectam cognitionem rerum omnium, & summam de rebus omnibus Dei prouidentiam voluit ostendere. Ex quibus colligi potest cognitionem capillorum, sicut & passerculorum, in Deo tanquam in causs, nostrorum theologorum sententia esse spectandam. Quam si arbitraris ab Arist. esse sublatam, cum dixit Deum extra se nihil intelligere, sed in se ea tantum quorum causa est, assumptum prius oportuit Deum in se capillorum tuorum causam non esse. Quod in nostra religione nemo tibi concessurus. Nescio verò an in tua, quæ alia longè plura grauioráque monstra peperit, tam fatuæ, vel potius impiæ opinionis patronum aliquem sis inuenturus. Contra quam placet etiam

hoc loco commemorare Iulij Scaligeri olim in quæstione de methodo magistri tui, acutissimam sententiam in disputatione contra Cardanum. Primam intelligentiam, inquit, facere ignaram earum rerum quarum ipsa author est, animi est aut impij aut absurdi. Neque tamẽ ex eo contingit vt ipsa ex horum intellectione vilis fiat. Non enim hæc habet tanquam obiecta, à quibus vel immutetur, vel perficiatur. Sed se ipsa intelligendo, quæ omnia sit, omnia intelligit. Etenim si nõ intelligeret hæc inferiora, non esset eorum causa: neque ea conseruaret. At Sol & homo gignit hominem apud philosophum. Non gignit speciem, sed hunc. Quo modo gignit, si non nouit? An quispiam locus est: vspiam loci angulus, à quo Deus excludatur & præscribatur? Cuius, à quo erit ea prærogatiua, vt aliqua vel forma vel corpore Deus terminetur? Quid? Cui? licet sic designare Deus non est hic. Igitur si vbique est, vbique adest. Adest: & non cognoscit? Amentes sunt qui hæc dicunt, non ille amens. Etiam manum hanc dirigit ad scripturam hanc, quæ istos arguat temeritatis: etiam intellectum, qui hæc & cõcipiat & dictitet. Neque enim vltimæ formæ proximæque corporibus agunt, nisi fotæ adiutæque formis superioribus: illæ verò porro aliis, ad primam vsque. Omnes autem formas ad vnam referri formam necesse est, quemadmodum est in 12. diuinæ philosophiæ & in 4. Paraphraseos apud Auerroen. Quarum omnium formarum intellectiones atque actiones ad illius primam intellectionem reduci oportet. Non sentis Thessale, quam multos, quanquam acutos non modo Theologos, sed melioris notæ philosophos defensores habeat illa de Deo sententia, quam in Arist. condemnasti? Quámque pia eadem semper sit habita, in qua tu, veteris philosophiæ & veræ christianæ summa ignoratione, tui atheismi fundamenta sita existimasti? Ex quibus omnibus hoc quoque est consequens, Deum nihilo magis per se, & in se mala cognoscere, quam eundem malorum per se & in se causam esse. Qui locus alter est à te quoque in Arist. exagitatus: sed profecto non satis intellectus. Nam eodem modo apud Platonem malorum nullæ sunt ideæ. Quia neque Deus malorũ causa est: neque quicquam intelligit nisi per ideam: quemadmodum antea dictum est in disputatione de ideis. Quod si in vtróque reprehendere voluisti, quia in hac quæstione de malis vnde sint, te nuper nescio quibus addixisti, qui Deum malorum authorem facere audent: at hoc meminneris inter Christianos alios esse pleróque qui hoc auersantur, quique Platonem & Arist. quia in eo tibi tuísque contradicunt, non modo non concedunt Christiana schola esse explodendos: sed illos potius eo cupidiùs amplexantur discendóque inuenturi sedulo proponunt. Quorum labore, doctrina vtriusque in hac academia, sicut

speramus, in dies magis ac magis floreſcet: nugarum tuarum fucus, Dei beneficio, iam magna ex parte detectus, cum ſuo authore breui explodetur: vel potius omnino explosus eſt, pro eóque omnes boni iam ſolido gaudent gaudio. Hoc verò vt perpetuum ſit, præſtet Deus optimus maximus, cuius maieſtatem non dubito quin talibus ſcriptis grauiter offenderis. Pro quibus tandem debitas pœnas ei dediſti, qui lento quidem gradu ad vindictam dicitur procedere, ſed tarditatem ſupplicij grauitate compenſare.

2 Hæc Alcinoi ratio videtur eſſe eiuſmodi. Si ſunt intelligibilia, quemadmodum & ſenſilia, vt ordo eſt in ſenſilibus, ſic in intelligibilibus quidam eſſe debebit. At in ſenſilium ordine, ſicut antea dictum eſt capite 4. prima quædam ſunt, vt qualitates quarum præſentia ſubiectæ ſubſtantiæ ſentiuntur, alia ſecunda, vt ſubſtantiæ illis qualitatibus affectæ. Erit igitur in intelligibilibus ordo aliquis & in hoc quiddam omnino primum, cuius vi cætera intelligentur. Quale vero hoc futurum eſt? Equidem apud Platonicos omnes ideæ comparatæ cum formis ad materiam pertinentibus, quæ earum ſunt imagines, rationem habent intelligibilium primorum: formæ verò quæ in materia ſunt, ſecundorũ. At quoniam quando ipſæ ideæ, vt ratione quadam à ſe inuicem diſtinctæ, inter ſe conferuntur, ea quæ mundi eſt, ad eas quę ſunt rerum cæterarum, ſe habet ſicut mundus hic ad omnia ſenſilia: idcirco ſicut hic ſenſilia omnia continet, ſic illa eius idea, reliquas ideas in ſe quodam modo dicitur eſſe complexa. Ideóque abſolutè primum intelligibile antea nominabatur cap. 4. Priore modo dictum eſt capite ſuperiore, omnino ideam ad nos eſſe primum intelligibile, ad Deum eiuſdem notionem. Nunc verò adiici poteſt ex his quæ proximè diſputata de modo intelligendi in Deo, notionem in Deo eandem eſſe cum Dei eſſentia. Quoniam quicquid in Deo eſt, Deus eſt. Ex quibus omnibus efficitur Deum in vniuerſa natura rationem habere non modo primi intelligentis, ſed etiam intelligibilis omnino primi. Vt ſit mundi huius opifex, re idem cum eius exemplari. Quia Deus ſe ipſe, nihil extra ſe, in ſenſili mundo procreando, eſt imitatus. Quæ obſcura eſt huius loci ſententia. Hæc verò vt apertius intelligatur, vide Plotinum cap. 2. libri eius quo docet, ens vnum idémque totum eſſe vbique. Quorſum verò in iis quæ ſubiiciuntur ad explicandam difficultatem cognoſcendi Deum, poſtquam dictum eſt homines perturbationibus ſenſuum impeditos, in intelligendi munere cum ea facultate quæ imaginandi eſt communicare, ſubiicitur deos vt à ſenſilibus ſecretos, purè ſincerè & impermixtè intelligere? Cum hic nõ quæratur quo modo Deus intelligat, ſed quo modo intelligatur? An quia ſicut hic intelligit, ita quoque intelligitur? Nam Ariſtoteles docuit lib. 3. de animo, formas eas quæ materię addictæ ſunt & ab hac re omnino inſeparabiles, intelligi quidem poſſe, intelligere verò nullo modo. Alias verò quæ vel ſeparabiles ſunt vel ſeparatę, intelligi poſſe atque intelligere: nec ſolum intelligere alias à ſe, ſed etiam ſe ipſas. Quare vt humanus intellectus, quia forma eſt in intelligendi principio nonnihil cum corpore communicans (hoc ipſo ſcilicet, quòd in hoc phantaſia adiuuatur, quæ eidem Ariſt. interius quiddam eſt ad corpus pertinens) impurè intelligit & intelligitur: ſic cõtra, Deus quoniã in intelligendi munere nullo modo cum corpore cõmunicat, vt purè & ſincere intelligit: ita nõ niſi

purè & sincerè intelligitur. Ex quibus efficitur, deum non esse accommodatũ obiectũ nostro intellectui, quãdiu in vita hac in intelligẽdi munere nõnihil cũ corpore cõmunicat. Quoniã ipsius Dei nullę imagines ex sensibus hausłę, in ipsa phãtasia recipi possunt: per quas intellectus noster in vita hac vniuersas notiones sibi effingit: quas solas habet pro familiaribus obiectis. At idẽ vel corpore omnino solutus (vt animus beatus post vitã hanc) vel in vita hac à corpore raptus summo & postremo cõtemplationis philosophicę munere, purè & sincere intelligit, ideóq; tum primi intelligibilis puro & sincero aspectu fruitur, ad quem nullo discursu cogitationis potuit peruenire. Non solum verò Deum summum, quem Platonici patrem appellant, dixit Alcinous purè & sincerè intelligere, sed etiam Deos minores & illi subiectos, quibus hoc cum illo est cõmune. Quanquã non omnino eodẽ modo. Deus enim summus in se ipso omnia intelligit: Dij vero minores, nõ in se ipsis, sed in Deo summo omnia intelligũt, per huius scilicet intuitũ.

3 Solent Platonici in vniuersitate tria hęc distinguere, Deum patrem, intellectũ primum siue primam mẽtem, eius filium, & mundi animam, vtroque sicut antea dictum est, inferiorem, de quibus vide Plotinum libro de ipso bono, mente & anima. At verò plura sunt quę hoc loco Alcinous gradatim enumerat: quorum cũ illis tribus paulo difficilior est comparatio. Primo enim loco ponit animam mũdi quę huic vitam dat: secundo eiusdem intellectum, qui pręstat mundo vt non solum animal sit viuens & sentiens, sed ratiocinans & intelligens. Húncque mũdi, intellectum rursum subdistinguit, in eum qui in potestate est, & in alterum qui reipsa omnia intelligit, simul ac semper. Atque hęc quidẽ in ipso mũdo, vt eũ informantia ac perficientia. Extra vero vel potius supra hunc, duo alia statuit. Intellectum scilicet Dei filium, qui author dicitur intellectus mundi eodémque pulchrior: & huius intellectus patrem, Deum primum, Optimum, Maximum: qui suprà ens à Platonicis dici solet. In opere autem eo quod à nonnullis Aristotelis esse dicitur, de secretiore parte diuinę sapientię secundum AEgyptios, cap. 2. lib. 10. suprà essentias omnes statuitur Deus. Inter essentias verò primaria ipsa mens: quę eadem cum Dei verbo. Quam sequitur intellectus, qui cum ipsa mente comparatus, secundus dicitur & illius quasi species, suúmque subiectum perficit, cui vt forma quędã propria efficitur. Huic vero, inquit ille, lumẽ ineſt ab intellectus radice profectum, non aliter quã Crystallo radius à sole reflexus. Ab intellectu adhuc profluit essentia eius animi qui rationis est particeps: cuius lumen tenuius est, & matutino crepusculo persimile. Quare etiam in eundem obliuio cadit & ignorantia: quę efficiunt vt doctrina excolendus sit memoriáque conseruatrice indigeat, & ratiocinatione ad essentiam confirmandam atque dirigẽdam. Amplius, ex lumine animi qui rationis est particeps, manat natura animi in quo sensus est principium. In qua minus lumen est quàm in superiore, atque idcirco sine ratiocinandi vi, ineſt tantum facultas imaginum & ea quæ æstimatrix appellatur. Rursum ex huius lumine profluit natura animæ in plantas cadentis. Quę quoniam à luce pura perfectáque longo interuallo seiuncta, crassior est relicta, priuatáque vi progrediendi atque respirandi, solam procreandorum similium facultatem retinet. Ex hac exoritur ipsa natura, quę adhuc longiore interuallo à primaria luce separatur, incorporea tenuitate priuata, corpoream crassitudinem suscipit, atque trinæ dimensionis quantitatem. Certóque motu cietur, qui in orbem simplex est & perpetuus: qualis in cęleste corpus cadit. Qui à primo opifice talis est institutus, ad perpetuitatem ortus rerũ & interitus. Porro à cęli natura, quæ ad motum in orbem comparata est, inferior altera emanat multiformis, variorúmque motuum particeps, quorum cõtrarietas ortus atque interitus est cau-

sa. Quo loco dignissimus est obseruatione ordo formarum à primo rerum omnium opifice emanantium. De quo non minus admiranda est sententia Plotini libro de ordine eorum quę sunt post primum. Quoniam vero illa in Platonicorum doctrina trium primorum distinctio quę ad hunc locum Alcinoi intelligẽdum est necessararia, magnam habet obscuritatem & lubricam sententiam, placet in hac alienis vestigiis insistere, potius quam temerè quicquam affirmare. De qua audiamus Contarenum Cardinalem lib. 5. Compendij Metaphysicĩ. Postrema omnium, inquit, sententia est Platonis, esse scilicet infra primum principium ac supra animas corporum cælestium, intellectum seu mundum intelligibilem. Huiusmodi vero intellectus necesse est, vt sit infra primum principium. Id nãque est ipsum esse per se existens, nulli naturæ addictum: in intellectu vero esse, est contractum ad intelligibilitatem, vt ita dicam, seu ad intellectionem. Quapropter Plato posuit hunc intellectum causam esse exemplarium, in quibus sunt ideæ rerum omnium. Nam in primo principio res altiore modo sunt, quam vt in eo exemplaria rerum constitui queant. Exemplar enim omne cognosci potest, & quatenus exemplar est, comprehendi. At in primo principio sunt supra cognoscibilitatem, ac in arcano sitæ, quod minimè peruium est cuiuis intellectui. Quamobrem Plato, vt reor, posuit causam exemplarem in secundo ente, in quo esse, contractum est ac definitum ad naturam intelligibilem. Et eodem libro. Primum, inquit, in quod esse, à puritate sui degenerat, est intellectus, qui iam aliqua natura est, non esse purum: verum tam late fusa, vt in se, suo tamen modo, omnes quoque res alias atque naturas comprehendat. Qua in parte æmulatur ipsum esse, deficiente tamen ratione. Nam in principio res omnes sunt secundum vnicum esse eminens, ac præexcellens quibuscunque naturis, ac cuiuis rerum modo. At in intellectu res omnes sunt, secundũ determinatam tamen rationẽ, & definitũ modum: id est secundũ esse intelligibile. Ea nãque est natura intellectus ipsius. Idẽ Contarenus lib. 6. scribit ab vno, id est, à primo rerum omnium principio, non emanare immediatè nisi vnũ, primum videlicet intellectum ac mundum intelligibilem. In hoc verò quãdam inesse multitudinem idearum scilicet quę in eo ratione distinguuntur, tanquam in primo exemplari. Hinc causam existere multitudinis rerum sensilium, quæ sunt in hoc sensili mundo. Non quod deus pater & rerum omnium opifex exemplari alio, à se indigerit ad rerum productionem, cum in eo supereminente quodammodo exemplar sit cuiusunque exemplaris: sed exemplarem causam Plato in secundo ente videtur posuisse, quoniam primum principium à nobis cognosci non potest, cum superet intellectum. Exemplaris vero ratio in hoc est, vt sit intelligibile. Atque hæc quidem satis multa, de Deo patre & primo intellectu eius filio. Quo modo vero mundi anima totum mundum animet totáque sit in qualibet mundi parte, & tamen præter hãc, certæ mundi partes propriam animam habeãt quędam præstantiorem, alię ignobiliorem, quęstio est apud Platonicos quę à Plotino explicatur cap. 14. libri eius quo docet, ens vnum idémque, totum esse vbique.

4 Vt Sol ratione sui luminis primum est aspectabile & causa per quam oculus potest aspicere, & color aspici, ideóque lumen appellatur vtriusque actus, siue perfectio, vt amplius differetur cap 15. lib. huius: sic deus intelligibile primum est & causa cuius beneficio cętera intelliguntur. Huius verò lumen, Platonici nobis affulgere volueruũt per intellectũ primum, quem Dei filiũ diximus posse appellari. De quo sic scripsit à Proclo lib. de anima & dęmone. Intellectus ipse quidẽ inquit, circa nos semper agit, sempérque præbet intelligentiæ lumen. Atque etiã

priusquàm labamur in conditionem irrationalem. Et quando in passionibus vitam degimus, & passionibus quandoque sedatis nõ semper animaduertimus: sed quando à plurimo generationis tumultu purgati sumus, atque tranquillè viuimus. Tunc enim intellectus nobis affulget: tunc quasi nobiscum loquitur: tunc suam nobis communicat vocem, antea silentio presens. Quomodo cum Aristoteles lib. 3. de Animo, videretur esse loquutus de intellectu agente, quẽ ponit immortalem & à corpore separabilem, nonnulli hunc sua essentia vnicum & ab hominibus separatum esse voluerunt: qui tamen sua virtute quasi lumine, in singulos influeret hisque actum intelligendi daret. De quo alio loco iam à nobis disputatum est & amplius differetur in sequentibus. Nunc ad Alcinoum reuertamur. Comparatio ipsius boni (sic enim Plato Deum patrem solet apellare) cum Sole, quę etiam hoc capite paulo pòst explicatur, in secundo modo cognoscendi Deum, expressa est lib. 6. de Rep. Cæterum ô viri fœlices, inquit Socrates, quid ipsum bonum sit in presentia dimittamus. Est enim, vt mihi videtur, presentem supra contemplationem. Quis autem appareat boni ipsius filius, quisque similimus ei sit, si vobis placet dicam: sin minus dimittam. Dic age. Solem me vocare boni filium dicito: quem ipsum bonum in hac secum genuit comparatione consimilem. Vt quemadmodum ipsum in loco intelligibili ad intellectum, & ea quę intelliguntur, se habet: sic & iste in loco visibili, ad visum se habeat & ad ea quę videntur. Quo pacto? Latius explica. Oculi porrò quoties non ad ea vertuntur quorum colores diurnus fulgor illuminat, ostenditque, sed ad illa quę nocturnis radiis attinguntur, cęcutiunt hallucinantúrque & propè cęci esse videntur, ac si purus in illis visus non insit. Sic accidit. Quoties verò ad ea quæ Sol illustrat, perspicuè cernunt iisdémque ipsis in oculis inesse visus apparet: Est ita. Sic de animo cogita. Quando enim illi inhæret in quo veritas & ipsum ens emicat, intelligit illud cognoscitque, & intellectum habere videtur. Sed cum ad id fertur quod tenebris est permixtum, quod videlicet generatur atque corrumpitur, eius obtunditur acies, opinionésque versat varias, ac mentis expers esse videtur Sic apparet. Illud igitur quod veritatem illis quæ intelliguntur præbet, & intelligenti vim ad intelligendum porrigit, boni ideam esse dicito, scientiæ & veritatis quæ per intellectum percipitur, causam. Cum verò adeo pulchra duo hæc sint, cognitio scilicet & veritas, si bonũ ipsum aliud quam ista & pulchrius affirmabis, rectè putabis. Et quemadmodum lumen ac visum, solis speciem quandam habere existimare decet, solem vero ipsum esse nequaquam ita cognitionem & veritatem boni ipsius speciem habere quidem aliquam, esse verò ipsum minimè. Augustior enim est ipsius boni maiestas. Non enim solum iis dat vt cognoscantur, sed esse insuper & essentiam largitur: cum ipsum essentia non sit, sed suprà essentiam dignitate ipsam & potentia super ens. Scitum est quod de eadem comparatione scribit Marsilius Ficinus in libro Dionysij de diuinis nominibus. Lumen est imago boni, inquit. Sol cęlestium dominus & imago Dei. Res nulla magis quàm lumen refert naturam boni. Primò quidem lumen in genere sensibili purissimum eminentissimúmque apparet: secundò facillimè omnium & amplissimè momento dilatatur: tertiò innoxium occurrit omnibus atque penetrat leuissimum & blandissimum: quartò calorem secum fert almum, omnia fouentem & generantem atque mouentem: quintò dum adest inésque cunctis, à nullo inficitur, nulli miscetur. Sic ipsum bonum totum rerum ordinem supereminet, amplissimè dilatatur, mulcet & allicit omnia, nihil cogit: amorem quasi calorem habet vbique comitem, quo singula passim inescantur, bonúmque libenter ascisçunt. Vbique rerum penetra-

libus præsentissimum, commertium cum rebus nullum habet. Denique sicut ipsum bonum inestimabilè est atque ineffabilè: ita fermè lumen. Hoc enim nullus adhuc definiuit philosophorum. Vt nihil luminè clarius sit, alicubi nihil rursus videatur obscurius. Sicut & ipsum bonũ notissimũ est omniũ, & omniũ obscurissimum. Quibus adde, vt in Sole tria sunt, substantia, lumen & calor: sic in Deo substantiam esse patris, lumen mentis, id est filij, calorem spiritus omnia animantis. Quod etiam in eadem comparatione quodammodo sequutus videtur idem Marsilius cap. 12. lib. de Sole. Nihil, inquit, in mundo diuinæ Trinitati reperitur similius ipso Sole. In vna enim Solis substantia tria quædam inter se distincta sunt pariter & vnita, primum quidem naturalis ipsa fœcunditas sensibus nostris prorsus occulta: secundum manifesta lux eiusdem, ex ipsa fœcunditate manans, ipsi semper æqualis: Tertium, ab vtroque calefactoria virtus penitùs par vtrisque. Fœcũditas, patrẽ refert: lux, intelligẽtiæ similis, filiũ intelligẽtię modo conceptũ: calor amatoriũ spiritũ repræsentat. Quod verò Socrates apud Platonem, vt antea dictũ est, Solẽ hũc vocat Dei filiũ, hoc Ficinus cap. 13. lib. eiusdẽ obseruat esse intelligendum non de primo, sed de secundo, iamque visibili Dei filio. Primum namque Dei filium non esse Solem hunc oculis manifestum, sed alterum hoc longè superiorem, intellectum scilicet primum, solo contemplabilem intellectu. Quare cum idem Socrates dicatur aliquando in castris sub dio, immotis membris oculisque minimè conniuẽtibus, Solem occidẽtem, & iterum orientem contemplatus & veneratus, negant hoc Platonici de isto Sole in sensum cadente intelligendum esse, sed de altero cuius imaginem in hoc admirabatur & cum maxima voluptate intuebatur. Eandem comparationem inter theologos expressit D. Gregorius in oratione de laudibus Athanasij. Quod rebus sensibilibus Sol est, inquit, id est intelligibilibus Deus. Alter enim lucem mundo visibili, alter mundo inuisibili præstat: & alter visum corporeum, alter naturam intellectualem sibi similem reddit. Atque vt Sol videntibus & videndis, his quidem quò possint videre, illis quò videri possint, se ipsum prebens, omnium quę videntur pulcherrimus est: ita Deus intelligentibus & intelligendis, illis quidem vt intelligere possint, his vt possint intelligi, ipse omniũ quę intelliguntur summus est: in quem vis intelligens, omnis quiescit & progredi vltra non potest. Huic similitudini dissimilitudinem opponit Mercurius Trismegistus in Pimandro. Quod Sol fulgore nimio corrumpit oculos, calligantésque reddit: ipsius autem boni conspectio, intellectum illustrat & eius lucem eo magis adauget, quo quis capere magis potest intelligibilis splendoris influxum.

5 De hac nominum varietate in Deo vno, sic scribit Marsilius Ficinus in lib. Dionisij Areopagitæ de diuinis nominibus: Nomina, cognomina, adiectiua, inquit, quæ à sacris literis varia tribuuntur Deo, non ad hoc inuenta sunt vt ipsam Dei naturam significarẽt. Quæ cum vnica sit & simplex, si nominanda foret, vnico nomine foret nominanda: sed ideo instituta sunt, vt multa variáque bona à diuina bonitate largissimè profluentia, declararent. Si quid verò præter processum a Deo significant, apud Deum dicunt vtique quid non sit ipse Deus. Vt cum dicitur Deus ipsum vnum, vel vnitas, vel monas: per hæc primo significatur non esse Deos plures, sed vnicum: itẽm vnicum Deum non esse compositum, sed simpliciſſimum: rursus simpliciſſimum Deum, non esse diuiduum. Atque ita his dicitur quid non sit ipse Deus. Et eodem lib. per ipsius Dei appellationes, intelligenda esse ait munera quædam ex diuina prouidentia vniuersi gradibus distributa. Per ipsam quidem appellationem boni, beneficos processus, per omnia passim entia atque non entia, vel vsque ad materiam primam, boni prorsus aui-

dam

dam, quamuis non essentiæ compotem. Per appellationem verò entis & vitæ, vires diuinitùs procedentes distribuentésque singulis citra materiam, existendi munus atque viuendi: pluribus tamen esse, quàm viuere concedentes. Per cognomen intelligentiæ vel sapientiæ, quendam diuini splendoris effluxum, cognitionem triplicem gradatim largientem, intellectualem quidam Angelis, rationalem nobis, sensualem denique brutis. Ipsum autem inter hæc Deum extare cogita, super entia similiter & essentiam, super viuentia vitam, super omnia quæ sapiunt, sapientiam. Dignum etiam obseruatione est quod idem scribit commentatio in lib. Dionisij de Trinitate, de affirmationibus & negationibus quomodo se in Deo habeant. Duo quædam potissimum, inquit, de rerum principio communiter cogitamus. Vnum quidem quemadmodum omnia inde profluunt sempérque dependét. Alterum verò quemadmodum ipsum interim est ab omnibus eminentissimè segregatum. Prima igitur ratione omnia quæ diuinitus effecta sunt, quatenus inde videntur egredi, de Deo possumus affirmare: quasi non inde venire potuerint, nisi prius illic extiterint. Sic Deum esse affirmamus Essentiam, Substantiam, Vitam, Intellectum, Animam, Naturam, Cœlum, Elementa, Stellas itemque formas rerum vbique formosas. Sed ratione secunda negare rursum singula de Deo debemus: Quo enim pacto est aliquid eorũ quæ fecit: si quidem est ab eis interim mirabiliter segregatum? Et autem tutior veriorque negatio rerum quam affirmatio circa Deum. Quoniam longè plus est quod ipsius Dei separatum est à rebus singulis, quam quod ipsis rebus est communicatum. Hoc enim finitum est omnino: illud autem prorsus immensum. Denique mentiri facilius affirmando possumus, quam negando. Si quidem affirmatio ad intelligentiæ nostræ limites finire videtur quod incomparabiliter est immensum. Quare eleganter dictum est à Iulio scaligero contra Cardanum, nullis vocibus tam plenè Deum significari, quam iis quæ ignorationem nostram prętendunt: nimirum vbi eum dicimus immensum, incomprehensibilem. Quid enim aliud, inquit, quã & esse cognoscimus & supereſſe? Istas verò varias attributiones, veteres in Deo considerantes, cœlestium numinum atque deorum multitudinem induxerunt. Siquidé quod apud Orpheũ Pallas significat, id nobis in Deo vno sapientia esse videtur: & à philosophis positum Mercurium, in eodem alij intelligentiam interpretantur: sicut & Saturnum, rerum fœturam: Neptunum, vim procreatricem: Iunonem, abditam naturam: Venerem, eorum quę in vniuersitate naturę continentur, diuinum amorem. Sic circa Deorum nomina philosophatur Plato in Cratylo, eorúmque rectam rationem inquirit: quam fatetur paucis esse cognitam. Mirabilius hoc in Aristotele, quia minus diuinus existimatur: & tamen ita scribit penè extrema pagina libri de mundo ad Alexandrum. Vnus Deus cum sit, inquit, pluribus nominibus appellatus est: ab iis vtique suis omnibus effectibus denominatus, quorum specimen edere ipse solet. Atque eum quidem tum Zena, tum Dia vocant, inter se compositis vtentes nominibus, atque è regione collocatis: tanquam duabus his vocibus significare velint, per quem viuimus. Is Crono, id est Saturno, & Crono, id est rempore ortus esse dicitur: nimirum ab æquo sempiterno, ad alterum ęuum pertinens. Vocatur & fulgurator & Altitonans & Aetherius & fulminator & Pluuius: à pluuiis vtique & fulminibus aliisque operibus è quibus vocabula ipsa deducta sunt. Quin & frugipotens & custos vrbium vocitatur, & Natalitius, Septitius, Cortalis, Gentilitius & Patrius, videlicet à communione quę diuino ipsi numini cum his rebus intercedit. Ad hęc Sodalitius & amicitię preses, tum Hospitalis, Castrensis, Trophealis, Expiator, Sanguinarius, & supplex & placabilis vt poëtę loquuntur: denique Seruator dicitur &

Assertor,& vt semel omnia complectar,Cœlestis,Terrenus,ab omni natura sortéque nomen adpetus:vt pote qui rerum omnium author sit.Simile est quod ex religione Aegyptiorum scribit Iamblichus libro de illorum mysteriis. Secundum alium ordinem,inquit,præponit Porphirius Deum Emeph diis cœlestibus, tanquam ducem,quem ait esse intellectum seipsum intelligentem, atque in se intelligentias conuertentem.Huic vnum impartibile anteponit, quod vult esse primum exemplar,aut expressionem,aut effigiem,quod Ichon appellat.In quo est primum intelligens & intelligibile primum: quod solo silentio colitur. Præter hos autem,rerum apparentium opificio alij duces præsunt. Nam opifex intellectus,qui & veritatis est dominus atque sapientia,quatenus in generationem progrediens, occultam latentium rationum potentiam traducit in lucem, Amum Aegyptiaca lingua vocatur.Quatenus autem sine mendacio peragit & artificiose simul cum veritate,Phtha nuncupatur:græci verò hunc Vulcanum nominant, artificiosum duntaxat considerantes. Quantum verò effector est bonorum, appellatur Osiris :aliásque denominationes habet, propter potentias actionésque differentes.In ea verò varietate nominum quæ hoc loco ab Alcinoo attribuuntur Deo,obseruandum est quædam esse,vt philosophi loquuntur concreta, alia abstracta.De quibus abstracta multo aptius de illo enunciantur quam concreta. Hæc enim denominationem ab alio significant: ideóque cum Deo attribuuntur quodammodo arguunt,abstracta ab hoc alia esse eodémque priora . Quare non tam Deus Ens est,quam Essentia supra omnia entia: neque bonus, sed bonitas: neque sapiens,sed sapientia.Adde quod abstracta absolutam perfectionem designant sine defectu:concreta, perfectionem quandam subiecto communicatam secundum varios gradus & inæquales. Qualem Deo attribuere esset impium. Ideóque si quando apud Platonem ipsa concreta de Deo enunciantur, non dicitur absolutè Deus bonus, sed articulo præposito, Ipsum bonum: vt significetur in illo ideæ summa perfectio.

6 Deus sua substantia maximè vnum quiddam est:eóque similis centro. Quia vt hoc, in vnoquóque circulo vnicum est, indiuidium & immotum, ex eo verò multæ lineæ mobiles ad ambitum ducuntur: in quibus illud sua natura indiuiduum quodammodo diuiditur (quod etiam de interiore sensu scribit Arist. cap. 2.lib. 3. de Animo) sic Deus vnus penitùs simplex & immobilis, in rebus effectis quodammodo est multiplex atque mobilis. Non solùm quia cunctis est presens: sed quia omnibus essentiæ partem aliquam, vel interiorem virtutem dedit simpliciſſimam atque præstantiſſimam: quæ rerum ipsarum summa vnitas nominatur.A qua tanquam à centro, rei cuiusque essentia interiórque vis profluit & ad eandem tanquam ad centrum refluit. De quo sic Plato loquitur in Parmenide. Vnum ipsum inquit, non multa est:nec partem, nec totum,nec principiũ nec finem,nec medium habet. Infinitũ informéque est:nullo loco circunscribitur:nusquam permanet:nullo siue loci,siue alterationis motu mouetur. Nec vllo modo sit:nec sibi alteriue idem,aut diuersum est:nec simile aut dissimile,nec æquale aut inæquale,nec antiquum aut nouum nec in tempore vllo,sed omnino sine tempore.Quamobrem nec generatum vnquam est,nec generatur:nec erat vnquam,nec modò factum est:nec fit,nec est,nec post fiet: nec generabitur, nec erit, nec substantiæ particeps est.Ista enim verba, erat,fiebat generatum est,præteritum tempus significant:erit autem,fiet & generabitur,futurum: est autem & generatur & fit,presens.Quod autem nulli subiacet tempori, id nec erat, nec est, nec erit.Ex quo fit vt nullum etiam nomen ei inditum sit, nulla definitio detur, nulla scientia,aut sensus,aut opinio eius habeatur. Itaque nec nominatur, nec dicitur,nec

cogitatur,nec cognoscitur,nec ab aliquo ente sentitur. Ex quo Parmenidis loco multa hic ab Alcinoo videntur esse descripta. Vide in eandem sententiam D. Augustinum cap.16 lib.9.de Dei Ciuitate.

7 In Deo non solum rerũ intelligentiam inesse dicimus,sed etiam earum procreandarum atque conseruandarum voluntatem. Res enim intelligendo intra se concipit,& suæ voluntatis actu easdem procreat. Neque verò tantùm vult omnia quæ vniuersitate continentur,absolutè esse, sed ornata etiam esse atque concinna. Ac vt singula esse vult suo tempore,sic & ornatum habere suo tempore conuenientem. Quemadmodum idem dicitur velle omnia sibi similia:& tamen non in omnibus expressa est eodem modo hæc cum illo similitudo, sed pro cuiusque natura. In quo eiusdem elucet summa iustitia. De qua sic scribit Dionisius Areopagita lib.de diuinis nominibus. Deus iustitia nominatur, inquit, vt sua cuique pro dignitate distribuens modumque & pulchritudinem & ornatum, omnes præterea distributiones dispositionésque definiens: vnicuique secundum ipsum terminum re vera iustissimum singulis quoque vt suum quæque opus agant,author existens. Omnia enim diuina iustitia ordine certo disponit atque determinat. Custodit præterea singula seorsum à singulis, non confusa. Singulis denique quod cuique conuenit,pro dignitate largitur. Apertius est quod in eiusdem loci explicatione dicitur à Marsilio Ficino. Iustitia diuina,inquit,æqualitatem exigit non quidem in gradu,non enim vult vnicum, vel æqualem esse in vniuersum gradum. Alioqui non esset varietas & ordo formarum. Inæquales ergo gradus in multis deinceps rerum formis speciebúsque decreuit. In quibus interim æqualitatem proportionis amat: vt qua proportione hoc excedit istud, eadem istud superet illud. Cum vero in Deo duo illa insint, nempe ipsum bonum, ipsúmque verum (sic enim Plato de idea loqui solet) in illum horum duorum rationibus distinctum vt in summum finem,vtraque nostri intellectus operatio, cum rectè instituta est,dirigitur. Nam actio ad eum refertur,vt ad ipsum bonum. Contemplatio verò ea sola à Socrate probatur in Phedone, quæ ad eundem, vt ad veritatis fontem, aspirat. Ad hunc locum etiam pertinet quod Mercurius Trismegistus libro de Dei potestate & sapientia scribit de cognominibus quibus Deus maximè ornandus est atque colendus. Ex his qui præter ipsum appellantur dij,inquit,siue dæmones,siue homines,nullus tam bonus esse potest quàm Deus vnicus. Is enim ipsum bonum est, nec aliud quicquam præter bonum. Reliqua omnia ab ipsa boni natura secreta sunt. Corpus quidem & anima locum habent nullum quo ipsum bonum capiant. Tam ampla enim est bonitas, quam existentia rerum omnium tum corporalium,tum etiam incorporalium sensibiliúmque & intelligibilium. Id bonum est, id est Deus. Caue itaque ne quando dixeris aliud quicquam bonum. Prophanus enim hic foret error. Neque etiã dixeris Deũ aliud quiddam prẽter solùm bonum. In eandem quippe importunitatem incideres. Altera appellatione Deus pater est,ob eam causam quia gignit omnia. Patris enim officium est generare. Quapropter præstans id in vita censetur studium atque ipsum apud sapientes, procreatio liberorum. Extrema verò omnium calamitas & impietas accidit illi qui absque filiis è vita decedit. Qua de causa dæmonibus dat pœnas post obitum. Supplicium denique eiusmodi est, vt sterilis anima in corpus quoddam per iudicium migret, cui nec maris nec fœminæ natura insit. Quodquidem à Sole eleuatum est atque conuexum. Igitur ô Aesculapi, cum homine qui nullos genuit filios nullum habeto commercium. Infœlicitatis tamen eius miserere: cum noueris quæ hunc post interitum mala maneant. Ex eo verò quòd Deus non solum bonus est, sed ipsum bonum, conclu-

dit Plato lib. 2. de Rep. eum non omnium, sed paucorũ causam esse. Multo enim inquit, pauciora nobis sunt bona, quam mala. Et bonorum quidem solus Deus causa est dicendus. Malorum autem quamlibet aliam præter deũ causam quærere decet. Neque Homeri, neque alterius poëtę accipiendũ est peccatum stultè de diis dicẽtis, in Iouis lumine duo iacere dolia plena sortibus, bonis vnũ, malis alterũ. Cùmque ex his Iupiter inuicẽ cõmixtis, impertit alicui, alias huic bene, alias malè esse. Cum verò ex altero datur, hunc vesanã famem super terras exagitare. Quibus positis rursum enascitur ea quęstio quàm superiore capite attigimus, vnde in naturę vniuersitate tam multa mala existant, si Deus bonus omnino est, nec nisi bonorum author. Quam in persona hospitis idem Plato sic explicat in Politico. Certis temporum curriculis exactis, inquit, concussio perturbatióque cessauit & mundus à turbulento fragore desistens, solita sui ipsius progressione cucurrit, & in ordine debito constitutus, authoritatem administrationémque & sui ipsius & eorum quæ insunt, suscepit, authoris patrisque sui gubernationem pro viribus memor imitatus. Principio igitur perfectius executus est: sed ab ea demũ imitatione longius degenerauit. Cuius quidem defectus causa est natura corporea, priscæ naturæ fomes. Nam quondam valdè deformis erat & ordinis expers, antequam præsenti ornatu decoraretur. Ab eo sanè qui ipsum constituxit, bona omnia possidet: à priori autem deformitate, incommoda & iniusta omnia quæ intra cœlum nascuntur, & mundus ipse sustinet & viuentibus inserit. Dum igitur animalia sua vnà cum gubernatore nutrit, mala quidem parua, bona verò ingentia parit. Cùm autem seiungitur, in primo discessus tempore perpulchrè omnia ducit. Verum procedente tempore, obliuione iam occupatur. Quapropter prioris deformitatis vitium vehementius dominatur. Demùm longo exacto tempore defloresçit, ac bona exigua procreans, malorum verò naturam iis plurimam miscens, periculum subit ne & ipse & quæ insunt, omnia dissoluantur. Quamobrem Deus ille quondam huius ordinis author cernens mundum in tanto discrimine positum, misereturque ac ne tumultu adeò turbulento fluctuet, dissoluatur que & in locum dissimilitudinis infinitum mergatur, iterum adstat & præsidet, resumptisque protinus gubernaculis, ægrotantia omnia dissolutáque, in antiquum sui agitatione conuertit, ornat & corrigit seruátque illum, mortis & senectutis ignarum. Quem sequutus Plotinus cap. 4. lib. eius quo inquirit quæ mala & vnde sint, docet in materia nihil esse boni, naturámque corporum, prout eius est particeps, esse quoque mali participẽ. Atque in eandem sententiã Plutarchus libro de animæ procreatione, scribit animam nostrã non omnino esse Dei opificiũ. Quia eius quædam pars insitã habet mali portionẽ: nempe ea quæ perturbationum contra rationem exultantium, fontem continet. Quod etiam Plotinus confirmat eodem capite. Anima secundum se mala non est, inquit, neque omnis anima praua. Sed quænam praua? Illa videlicet, vt inquit Plato, quæ seruit illi cui prauitas animæ naturaliter inesse potest: quasi irrationalis animæ species malum subeat, immoderationem, excessum atque defectum. Ex quibus intemperantia, timiditas aliáque animæ prauitas, velut passiones inuoluntarię oriuntur. Hinc etiam opiniones falsę, per quas bona vel mala quis putet. Verùm quídnam prauitatem hanc adducit? & quo modo illud in principium causámque redigere poterit. Primò quidem dicetur animam eiusmodi non esse extra materiam, neque secundum se ipsam talem esse. Itaque immoderationi miscetur, speciéque ornantis & moderantis expers euadit. Corpori namque materiam habenti immergitur. Præterea si vis rationalis offenditur, discernere prohibetur, perturbationibus impedita & materiæ tenebris obruta. Vt pote quæ annuendo prolabitur

in materiam. Quam sententiam de malorũ origine ex materia, in superiore Platonis loco sic exagitat Theodoretus lib. 4. de curatione græcarũ affectionũ. Ad hęc Platonis verba, inquit, indignaturum puto quicunque homo sana mente sit præditus. Manifestè enim accusat materiæ naturam cuius adeo validum & inuinctum vitium esse ait, vt ne opifex quidem Deus illud in melius commutare potuerit. Perstitit enim in malo, suo perusa habitu: ac licet ab optimo Deo formam acceperit, pristinum tamen illud vitium minimè abiecit. Eámque ob rem non in terra solum, sed etiam in cælo grauia & iniqua peragit animantibúsque transmittit. Sunt autem hæc superius iam dictis prorsus indigna: sunt à sublimi illo sermone ac theologia penitùs aliena: sunt ab incuruis summúmque depressis rationibus consiliísque profecta. Cum enim & in cælo, affirmet tantam rerum turbam inconcinnitatémque permansisse, vt coniicere ausit ibi quoque grauia & iniqua contingere, materiam profecto validissimam quandam rem facit, infirmum verò debilémque opificem. Eandem sententiam Platonicorum de materia quod malorum omnium causa sit, pluribus rationibus reprehendunt Eusebius cap. 9. lib. 7. de Euangelica præparatione: & Lactantus cap. 5. lib. 7. Maximus Tyrius Platonicus, sermone 25. malum duplex facit, vnum ex superiore sententia, nominat affectionem materiæ, alterum animæ licentiam. De priore genere ita loquitur. Quemadmodum in opificiis artium, inquit, aliud est quod ex professo ars ipsa operis finem intendens, sibi agendum esse desumpsit: aliud quod operæ negotio consequens est. Quod quidem artis nequaquam est opus, sed materiæ affectio: vt sunt ex incude resilientes fauillæ, ex camino ipsa fuligo, aut alia alterius rei affectio, quæ necessario addicta est operæ, neque adeò artificis est propositum. Sic etiam pro iis quæ accidunt terræ, quæ nos inuasionem malorum humanorum appellamus, minimè artem culpare debemus, sed potius cẽsere naturas quasdã esse, necessario negotiũ fabricæ subsequentes. Posterioris generis idẽ causam ponit in arbitrio eligentis: Deo semper extra omnẽ causam cõstituto. De priore secundũ nostram religionem sic statuit D. Hieronymus, Commentario in Hieremiam. Fuerunt heretici inquit, qui dixerunt Deum non facere mala, contra id quod scriptum est Esaiæ 45. Ego Dominus formans lucem & creans tenebras, faciens pacem & creans malum. Fuerunt è contrario qui dixerunt Deum creasse mala, contra id quod dictum est, fecit Deus omnia bona, &c. Vidit Deus cuncta quæ fecit & erant valdè bona. Tropicè igitur, inquit, Deus dicitur facere mala: hoc est, aduersa merentibus infligere. Mala, quæ nulla sua natura subsistunt, à domino non creantur: sed creare se mala Dominus indicat, cum res bene conditas, nobis male agentibus in flagellũ format. Vt ea ipsa & per dolorem, quo feriunt, delinquentibus mala sint & per naturam qua existunt, bona. De vtroque genere sic D. Augustinus libr. 1. de libero arbitrio. Duobus modis, inquit, solemus appellare malum: vno, cum malè aliquẽ fecisse dicimus: alio cum mali aliquid esse perpessum. Quod si iniustè nemo pœnas luit (quod necesse est credamus, quandoquidem diuina prouidentia hoc vniuersum regi credimus) illius primi generis malorum, nullomodo, huius autem secundi, author est Deus.

8 Multa sunt quæ de Deo hoc loco negantur: quoniam antea dictum est in illo veriores esse negationes affirmationibus. His verò quæ Alcinous colligit, videtur confirmare voluisse quod antea dictum est, Dei cognitionem humani ingenij vires omnino superare. Quoniam cum simplicia ab homine cognoscantur vel definitione vel descriptione: neque huic, neque illi in Deo locus est. Non definitioni, quia neque genus est, neque species, neque differentia. Definitio autem

omnis speciei est, per genus & differentiam. Non descriptioni, quia hæc assignatur aut per affectiones communes, aut per proprias. At neque hæc, neque illæ in Deum cadunt. Nunc verò istarum negationum causæ, nobis quoad possunt, sunt explicandæ. Deus neque genus est, neque vt species, propriè vllo genere compræhenditur. Non genus: quoniam cum omnium eorum quæ sunt prima causa sit, si in illis generis rationem haberet, omnia quoque ad vnum genus oporteret reuocari. Ex quo non solum eorũ quæ distinguũtur in Logicis, sed etiam in Metaphysicis, & à Platone in Parmenide, magnam confusionem consequi oporteret. Atqui cum genus omne de suis formis absolutè enuncietur, hisque nomen suum & rationem omnino communicet: manifestum est inter ea quæ sunt nihil posse reperiri, quod ad Deum se habeat vt species ad suũ genus. An potius Deus poterit vt species vel etiam vt quiddam rerum singularum certa specie comprehensum, ad vnus genus reuocari? Minimè verò. Idque quoniam species suo genere inferior est naturáque eodem posterior: Deus autem omnium supremus est & natura primus. Et tamen in omnibus rerum generibus quodammodo esse dicitur: quia omnium est principium & causa. Atque in substantia maximè. Quia inter ea quæ sunt potissimum genus est substantiæ: & humani ingenij imbecillitas Deum non potest cogitatione compræhendere, nisi sub ratione naturæ per se consistentis, quæ est ipsius substantiæ. Quo modo Aristoteles ipse lib. 5. Metaph. & cap. 6. lib. 1. Ethic. Deum videtur ad genus substantiæ retulisse. Adde quod si Dei genus esset aliquod, eiusdem species essent aliæ quę in illius natura ex æquo cum Deo cõmunicarent. Nihil vero esse potest quod in aliqua natura cum Deo omnino communicet. Ex quibus etiam colligi potest, in eundem nullam cadere differentiam essentiæ. Quoniam hæc propria nota est separans ea quæ sub eodem genere continentur. Hoc verò de affirmantibus differentiis quæ nouum actum essentiæ in specie determinant, non de negantibus est intelligendum. Siquidem, vt antea dictum est, Deum per negationes non per affirmationes cognosci: sic in eodem multæ differentiæ sunt negatione expressæ, per quas quodammodo intelligitur à rebus cęteris separatus. Nullam autem affectionem, neque communem, neque propriam in Deo esse posse, facilè colligitur ex eo quod antea positum est, Deum actum esse simplicissimum & purissimum: in quo quicquid est, eiusdem est essentia. Hoc verò de iis affectionibus est intelligendũ quæ reipsa aliquid Deo afferunt eiusdémque essentiam verè afficiunt: qualia sunt accidentia quæ à veteribus realia nominantur. Alia enim sunt notionum & relationum tantum, qualia plerunque Deo attribuuntur: vt patris & filij appellationes, itémque causæ & principij. Quæ à nobis frequenter in eo vsurpantur.

9 Cur Deum compositionis omnino expertem esse oporteat, causam reddit Marsilius Ficinus cap. 6. lib. 1. de Theologia Platonis. Deum, inquit, nemo dicere audeat ex pluribus esse compositum. Quia si modo rectè compositus fuerit, ex aliquo constabit quod erit tanquam subiectum, & aliquo quod erit tanquam forma. Itaque non erit Deus vndique perfectus, cum in eo sit pars altera imperfectior toto. Non erit agens summum: quia non per se totum aget quicquid aget, sed per partem alteram, id est per formam. Non erit beatissimus, quia non fruetur vbique se ipso. Non enim se totum in membro quolibet complectetur. Videbit autem in se aliquid præter Deum. Quoniam non idem pars est & totum. Beatior certè futurus est si quicquid in se videbit ipse, nusquam desit: sed sibimet totus occurrat vbique. Denique pars illa quę ponebatur in Deo quasi subiectum, quia secundum se cogitatur informis, se ipsam formare non potest. Pars insuper altera quæ vicem formæ gerebat, quia non consistit in se, multo minus ex se po-

test existere. Formabitur ergo Deus ipse compositus à forma quadam superiore: atque illa potius erit Deus. An vero compositione de Deo negata, simplicitas de eodem verè affirmari possit & qualis, cum antea positum sit Deo nihil accidere, quæstio est acutè explicata à Ioan. Francisco Pico Mirandula, vna epistola ad Zenobium Acciarolum, quæ ita incipit. Eleganti illa expistola tua, &c. Ad superiores autem rationes commemoratas ex Marsilio, propter quas Deus intelligi non potest ex partibus compositus, adiicienda est quæ apud Alcinoum hoc ipso capite sequitur: quòd Deo nihil omnino sit prius. Pars autem omnis & id ex quo aliud componitur, id ipsum antecedit cuius pars est. Quo loco attentè considerandum quod scribit Arist. li. 7. Metap. partes eas quæ sunt vt materia, & in quas vt in materiam totum diuiditur, posteriores esse toto: alias verò quæ vt partes sunt rationis & eius substantiæ quæ rationi accommodatur, aut omnes, aut nonnullas esse priores. Quibus adde oriendi siue nascendi ordine partem toto esse priorem: quia hoc ex partium compositione consurgit. At quia harum essentia spectatur ex relatione quadam ad totum, & quæ inter illas sunt organicæ hæ maximè & euidentissimè primam perfectionem ex toto capiunt (sic enim ab Arist. dici solet manum & oculum, cum ab animalis corpore separantur, non manere nisi secundum nomen, nihilo scilicet magis quàm cum pinguntur, aut in lapide aliáue materia efformantur) idcirco totum dicitur esse prius suis partibus natura, id est essentiæ perfectione. Quod idem Arist. sequutus ca. 1. lib. 1. Politic. scribit ciuitatem esse natura priorem domo. Quare cum naturæ appellatio, quando de ordine quæritur, modo rerum originem significet, modo primam essentiæ perfectionem, pro eius varietate pars toto natura prior eodémque posterior esse dicitur. Secũdum quam distinctionem in Phy sicis solet dicere materiam sua forma priorem eadémque posteriorem. Imo nominatim hoc ipsum ita exprimit cap. 1. lib. 2. de partibus animalium. Cum contra in rerum origine, inquit, atque in essentia contingat, & quæ origine posteriora sunt natura sint priora, quódque natura primum est idem quoque origine sit vltimum: materia origine prior erit, ratione verò, essentia rei cuiusque & forma. Hoc vero lubentissimè nunc repeto, quod memini in disputatione de methodo id ab Academiæ nostrę Thessalo Methodico, esse exagitatum: magna profecto cum ignoratione doctrinæ Peripateticæ. In quo magistri sapientiam hoc loco imitatus est logodædalus. De quo postea amplius disseretur.

NB.
Partes sola priores: et posteriores.

10 In eo quod Alcinous scribit Deum neque mouere, neque moueri, obseruãdum est inter Platonẽ & Aristotelem hoc interesse, quod hic inter Deũ & supremum orbem nullam aliam causam vel intelligentiam intercedere vult quæ illũ moueat: vt contra Trapezuntium disputat Bessario Cardinalis cap. 11. lib. 3. Platonici verò (quod scribit Ficinus in Timæum) ipsum vniuersum à Deo quidem esse volunt: sed ab intellectu formari, ab anima autem moueri. Imo hæc omnia à primo pendere: sed esse à primo tantum, formari verò ab illo per intellectum: moueri & mouendo formari mobiliter, à primo per intellectum simul & animã. Simile est quod ex Numenio Platonico commemorant Eusebius cap. 10. lib. 11. de Euangelica præparatione, & Augustinus Aegubinus cap. 18. libr. 1. de perenni Philosophia. Primum Deum regem, inquit ille, ab omni opere cessare oportet. Creatorem vero Deum omnia gubernare dicimus: à quo interior mens mittitur ad omnia quæ ad communicationem illius sunt ordinata. Et quod Aegubinus ait ex Cyrillo, Platonẽ fateri supremum altissimúmque Deum, ipsum summum bonum esse. Cæterum ex hoc emicuisse mentem, & hanc esse proximum mundi opificem, primo manente in quiete & vacatione. Aristoteles autem lib. 8. Phys.

quia motum sicut antea lib.3. definiuerat, ex physicorum consuetudine vsurpat, Deum quidem mouere vult, sed moueri omnino negat. Quod omnis eiusmodi motus, sit corporis locum aliquem occupantis & progressionē habeat ab imperfecto ad perfectum. Quorum nullum in Deum cadere potest. Siquidem hic neque locum aliquem occupat, neque (vt paulo ante disputatum est) in potestate est, neque vllam nouam perfectionem potest suscipere. Eadémque ratione lib.1. de Animo, contra Platonem, qui animum esse dixerat numerum se ipsum mouentem, disputat non modo in eo non posse animi essentiam consistere, sed ne ei quidem vllo modo accidere vt moueatur. At Plato 10. de legibus, duplices motus esse vult: quosdam primos, secundum quos statuit humanam animam cælestésque intelligentias non modo mouere, sed etiam moueri: alios secundos, qui naturalibus corporibus sunt proprij. Vniuersa quæ in cœlo sunt, inquit, quæ in terra, quæ in mari, suis motibus anima ducit. Quibus nomina sunt, velle, considerare, curare, consultare, rectè & non rectè opinari, lætari, dolere, metuere, odisse, diligere, & cæteris præterea motibus omnibus qui horum affines primique sunt, qui & secundos corporum motus suscipientes, omnia in augmentum decrementúmque perducunt, concretionem vel cōdensationem & discretionem vel rarefactionem: & in ea quæ ista sequuntur, caliditates, frigiditates, grauitates, leuitates, durum, molle, album, nigrum, austerum, dulce, amarum: & denique omnibus quibus anima vsa, si intellectum quoque semper diuinum acceperit, rectè cuncta diis recta felicitáque perducit: sin verò cum amentia coniuncta fuerit: omnia his contraria facit. Quanquam neque ab hac sentētia alienus est Aristoteles, cum in anima, cuiúsque partis, vel facultatis energiam, aut functionem, eiusdem motionem frequenter appellat: & cum in sensuum operationibus animam moueri docet, cap.5. lib.2. de Anima. Sed cum in ipsis rebus potestas duplex sit, quędam prima, altera secunda priorem per motum propriè in suum actum educi fatetur, posteriorem verò minimè: sed huius operationem tantum vocat & actionem. Sic enim hæc distingun cap. eodem. Potestas & actus, inquit, nobis sunt distinguenda. Adhuc enim hisce absolutè vsi sumus. Etsi enim aliquid ita sciens, vt hominem scientem dicimus, ex eo quod homo in iis sit quæ scientiæ capacia sunt, & etiam dicimus scientem eum in quo grammatica iam insit: in vtroque tamen horū non eodem modo ipsa potestate est affectus. Sed vnus, quia genus tale ac materia, alter ex eo quod si velit contemplari, potest, nisi quid extra impedimentū afferat. Alius verò iam rem considerat vsúmque scientiæ, exempli causa A. iam habet. Ac illi quidem duo potestate scientes sunt, ita tamen vt vnus disciplina commutatus & affectus ex contrario habitu sæpe mutatus sit: alter ex eo quod cum sensu, vel grammatica sit præditus, nec agat, ad agendum se confert, modo longè diuerso à superiore.

11 Dei, Angeli, animi & corporis comparationem in pulchritudine, in eáque certos gradus per quos ad Dei cognitionem ascendimus, familiariter explicat Marsilius Ficinus in Sympos. Platonis. Corporis forma, inquit, in multarum partium compositione consistit, loco astringitur, tempore labitur. Species animi, temporis quidem vicissitudines patitur, & partium continet multitudinem, sed à loci terminis est absoluta. Angeli vero, numerum habet solum, à duobus reliquis immunis existit: Dei autem nihil istorum perpetitur. Corporis vtique formam vides. Vísne animi quoque speciem intueri? detrahe corporali formæ, ipsius naturæ pondus limitésque locorum, relinque cætera: animi iam speciem habes. Vis & angeli? Deme obsecro non loci spatia solùm, sed temporis quoque progressum: compositionem multiplicem retine: eam protinus nanciscēris. Cupis

pis etiam dei pulchritudinem cernere? Aufferas insuper multiplicem illam formarum compositionem: simplicem prorsus relinque formam, confestim dei speciem fueris cõsequutus. Verum quid mihi tandem subtractis istis reliquum erit? An tu aliud esse quam lucem, pulchritudidem arbitraris? Porro corporum omnium pulchritudo lumẽ est istud Solis quod vides, tribus illis infectum, formarum pulchritudine (nam multis id aspicis figuris coloribúsque depictum) loci spatio, temporali mutatione. Tolle sedem eius in materia, vt præter locum reliqua duo retineat: huiusmodi prorsus est animi pulchritudo. Tolle hinc si lubet temporis mutationem: mitte reliquum. Lumen restat sine loco, sine motu clarissimum, sed omnibus insculptum rerum omnium rationibus. Id Angelus est: id Angeli pulchritudo. Tolle postremo illum numerum diuersarum idearum: vnam simplicem ac meram relinque lucem, instar lucis eius quæ in ipso Solis globo permanet, per aërem non dispergitur: iam dei pulchritudinem quodammodo comprehendis. Quæ tantum saltem, formas reliquas antecellit, quantum lux illa Solis in se ipsa mera, vna, inuiolata, splendorem Solis per nebulosum aëra difiectum, diuisum, infectum, obscuratum exuperat. Fons itaque totius pulchritudinis deus est. Ad quem in amore legitimo his gradibus ascendimus. In obscœno vero à forma corporis ad venerea turpiter cõuertimur: Vt docet Plato in Symposio & in Phædro. Hunc verò hominis ascensum ad Deum per eiusmodi gradus, deificationem vocat Io. Reuchlin in arte Cabalistica: cum ab obiecto præsente, inquit, per medium suum exterior sensus transit in sensionem interiorem & hæc in imaginationem, imaginatio in existimationem, existimatio in rationem, ratio in intellectũ, intellectus in mentem, mens in lucem quæ illuminat omnem hominem, & illuminatum in se corripit. In istis autem gradibus qui ab Alcinoo hoc loco distinguuntur, obseruandum est supra ipsum pulchrum (quo ideam huius significat) ipsum bonum videri constitutum: cum tamen Platonicis re vna sit & eadem pulchri bonique idea, sed ratione diuersa. Nam cum homines animum ad actionem & contemplationem adhibeant, illa, vt antè dictum est, ad ipsum bonum, hæc ad ipsum pulchrum refertur, & eiusdem cupiditate excitatur. Cur igitur ipsum bonum, ipso pulchro superius? Quia, vt opinor, in cõtemplando veri cognitionem, in qua excellere pulchrum putamus, non appeteremus, nisi ea rationem quandam boni haberet adiunctã. Idque esse videtur quod aiunt Platonici, bonum esse superius essentia, vita & intelligentia. De quo vide Marsilium Ficinum, Commentario in librum Dionisij Areopagitę de Trinitate.

12 Qualitas incorporea duobus modis dici potest. Vel quia ipsa suapte natura corpus non est: vel quia corpori vt primo proprióque subiecto non inest. Priore modo omnes qualitates incorporeæ ab Alcinoo hoc loco esse dicuntur, contra eam sententiam quam Stoicis tribuit Galenus lib. 2. de naturalibus facultatibus, & in Isagogicis, eo libro quo efficere conatur, sicut & Alcinous hoc loco, qualitates esse incorporeas. Posteriore vero, calor, frigus, humor & siccitas, cęteraque eiusmodi in sensum cadentes, corporeæ sunt: quia quibusdam corporibus primo insunt: scientia autem, intelligentia & omnes animi virtutes, incorporeæ. Quoniam animo primo insunt, homini per animum. Illius vero natura est incorporea. Quam distinctionem Plotinus sequitur cap. 2. lib. 1. de decem generibus eorũ quæ sunt, cum Aristotelem exagitat quod qualitates corporeas & incorporeas vna Categoria sit complexus. Ex qua varietate in physicis cum naturales omnes formæ incorporeæ dici possint, quia ex sese corporis omnio sunt expertes, eædẽ tamen corporeæ esse dicuntur: quia corpori sunt addictæ, cóque indigent vt in

Qualitates incorporeæ.

Corporeæ.

rerum natura cõsistant. Non quod ab illo perfectionem vllam capiant: sed quia eius qualitatibus organicis indigent, vt edant actiones quarum sunt principes causæ. Sícque verę germanæque naturalium corporũ facultates omnes quoque corporeæ esse dicuntur: quoniam sine corporis beneficio neque existere, neque operari possunt. Cum verò corpus suapte natura patibile sit, diuiduũ & ad agendum efficax: per materiam patibile est, per quãtitatem diuiduum, per qualitatem ad agendum efficax. Qualitas (eam dico quæ formæ physicæ est instrumentum) ex materia & quantitate non constat: materiæ tamẽ inest, & pro varia huius quãtitate non modo extenditur & contrahitur, sed intenditur atque remittitur, vt Arist. docet lib. 1. de Cælo. In eadémque tantum est actionis instrumentum: neque per se satis esse potest ad agendum, quæ non sufficit ad existendum. Quam variè autem dicatur incorporeum, amplius etiam colligi potest ex Porphirio lib. de Occasionibus siue de causis ad intelligibilia ducentibus. Ipsa incorporeorum appellatio, inquit, non secundum communitatem vnius eiusdémque generis sic cognominata est, quemadmodũ corpora: sed secundum nudam ad corpora priuationem. Quamobrem nihil prohibet inter illa, alia quidem talia esse essentia, alia verò nõ essentia: & alia rursus antè corpora, alia verò vna cum corporibus. Item alia à corporibus separata, alia vero non separata. Præterea alia secundum se subsistentia, alia verò aliis vt sint indigentia: alia denique actionibus vitísque ex se mobilibus eadẽ, alia vitis & qualibus actionibus permutata. Nempe secundum negationem eorum quæ ipsa non sunt, non secundum assistentiam eorum quæ sunt, appellantur.

13 Agens primarium idémque rebus ipsis insitum, in naturalibus forma est, materia vero ipsis affectionibus subiecta. Vt in definitione naturæ, & in comparatione materiæ cum forma penes illam, Aristoteles docuit cap. 1. li. 2. Phys. Qualitas à forma est, & in materia vt in subiecto recipitur, & in materiæ præparatione in rerum ortu, ad formam tanquam ad finem refertur. Itaque ea mediam inter illa duo rationem obtinet. Si quidẽ cum forma agit & eiusdem est instrumẽtũ: cum materia vero patitur. Quoniã non modo hac fluẽte, ipsa lãguidior redditur, sed à contraria qualitate resistente, in agendo retunditur. Quod in iis tantũ agẽtibus quæ lunæ subiecta sunt, ex eiusdẽ doctrina debet intelligi. Nam si quod est agens aut omnino à materia separatũ, aut cum hac quidẽ, sed minimè fluente coniunctũ, hoc quia vel omnino sine qualitate agit, vel certè sine ea cui sit altera cõtraria, agẽdo impatibilẽ naturam seruabit: vt potest colligi ex ca. 6. lib. 1. de Ortu, & à nobis copiosius est expositum priore parte nostræ descriptionis physicæ.

14 Conclusio hæc apertè indicat quorsum de qualitatibus hoc loco ageretur. Has enim incorporeas esse variis rationibus docere conatus est: vt ab eis per medias naturales formas cælestésque intelligentias ad Deũ excitati, hunc non modo corporis omnino expertẽ, sed in incorporeis purissimũ & simplicissimũ, purissima mẽte cõprehendi intelligamus. Nam si qualitates in ipsis corporibus naturalibus incorporeæ sunt, quãto magis ipsæ naturales formæ, quarum illæ sunt instrumenta? Puritas verò simplicitásque maior erit intelligẽtiarum cælestium. Omnium maxima ipsius Dei. Quoniam, vt Platonici aiunt, huius vmbra tantũ in qualitatibus corporum apparet, similitudo in animis, expressa imago in cælestibus intelligentiis. Ex quibus etiam colligi potest non fuisse Marsilio Ficino caput vnum de qualitatibus incorporeis, hoc loco instituendum: nec istam quæstionem à superiore de Deo separandam. Quod si Alcinoum libri huius authorem, fuisse concedimus Didimum illum Alexandrinum cæcum de quo in præfatione multa collecta sunt, minimè mirabimur eum tam multa sumpsisse ad do-

cendum Deum incorporeum esse. Quoniam testatum habemus ex Socrate cap. 7.li.10.historiæ ecclesiasticæ,circa tempora Didimi,nobilem fuisse apud Aegyptios contrariam heresin quorundam monachorum, Deo oculos,aures, manus & pedes reuera attribuentium,& hac in parte Origenis doctrinam in Theophilo grauiter insectantium. At cum in sacris literis Deus appellatur spiritus, an non corporea natura eidem tribuitur? Hoc sic explicat idem Origenes cap.1.lib 1.de principiis.Consuetudo est scripturæ sanctæ,inquit,cum aliquid contrarium corpori huic crassiori & solidiori designare vult,spiritum nominare. Quæ omnia, qui diligenter considerauerit,is nunquam assentietur Stoicis,qui Deum esse dixerunt ignitum spiritum intelligentiæ participem: aut Democrito qui eundem mentem ignitam vocat, mundique animam: multo vero minus Cyrenaicis & Epicureis,qui cum Deo humanam figuram tribuant, vt omnium præstantissimã, eundem otiosum esse volunt. Quòd metuant ne ex rerum variarum tractatione,in eius membra cadat defatigatio. Quorum opinionẽ Cicero commemorat lib.1.de natura Deorum. Eadem vero quæstio de qualitatibus incorporeis,multis rationibus tractatur cap.1.lib.3. de secretiore parte diuinæ sapientiæ secundũ Aegyptios: multáque in eandem sententiam contra errorem veterum sola corporea agnoscentium,colliguntur à D.Iustino Martyre, initio libri de quæstionibus quæ à Gentibus sunt Christianis positæ. In ea autem varietate argumentorum quibus hoc loco Alcinous vtitur,duo nobis obseruanda sunt: vnum quod substantias contrarias esse negat contrarietatémque omnem in substantiis qualitatum esse vult quibus sunt affectæ, & per quas illæ in seinuicem agunt & à seinuicem patiuntur. Vt vitetur puerilis error Thessali methodici, qui in logicis Aristotelem reprehendit quod substantias inter se contrarias negauerit. De quo alio loco pluribus à nobis aliquando disseretur. Alterum quod corpora plura negat simul esse, posse ne penetratio dimensionum consequatur: qualitates autem plures in eodem corpore totas per totas transfundi absurdum non arbitratur. Quam ob causam notatum est à Galeno lib. de Elementis, tutiorem videri Aristotelis sententiam de mixtione quam Stoicorum. Quod his substantias elementorum corporeorum miscentibus, metuenda sit dimensionum penetratio: non item Aristoteli, rationem mixtionis in qualitate magis quam in substantia ponenti.

INTELLIGIBILEM MVNDVM A SENsili,vt exemplar ab imagine distinguit. Deinde hunc vnicum esse oportuisse, duabus rationibus confirmat: atque ostendit in eiusdem magno corpore, quam rationem inter se habeant quatuor elementa,ex quibus constituitur.

CAP. 10.

1 *Quoniam eorum quæ secundum naturam sensilia & singularia sunt, definita quædam exemplaria, ideas scilicet esse oportet,quarũ scientiæ sint & definitiones (nam præter*

singulos homines, hominem quendam animo cõcipi: & præter equos singulos, quendam equum, ac communiter præter hæc animalia, animal ingenitũ & immortale: quemadmodum ab eodem sigillo plurima exprimuntur signa, & vnius hominis imagines infinitæ, idea causa existente, quæ principium est essentiæ, à quo vnumquódque habet id ipsum quod est [2]) necesse est vniuersi pulcherrimum opificium effectum esse ab ipso Deo intuente in aliquam ideam,[3] quæ exemplar extitit huiusce mundi, ad illius imitationem efformati. Illi verò similem hunc factum oportuit, ab opifice sua prouidentia maximè admiranda ad efficiendum accedente,[4] quia bonus erat. Illum itaque constituit [5] ex tota materia, quam ante huius originem, inconcinnè & sine ordine agitatam, in optimum ordinem adduxit: & aptis numeris atque figuris partes eiusdem exornans, perfecit vt mundus ea ratione sit contextus, quam etiam nunc ignis & terra ad aërem & aquam seruant. Habentia quidem tunc tantum vestigia & naturæ aptitudinem ad elementorum facultatem, temerè & sine ratione materiam quatiebant, ab illáque quatiebantur. [6] Ex singulis verò quatuor elementis totis eum conformauit. Ex toto scilicet igne, atque terra itémque ex aëre & aqua: nullam horum partem relinquens, aut ad hæc facultatem. Animaduertens primum quidem id quod fiebat, corpore constare oportere, tractabile esse atque aspectabile, nihílque sine igne & terra videri posse aut tangi, iusta ratione ad huius cõpositionem [7] terram & ignẽ assumpsit. [8] Quoniã verò horũ medium quoddã vinculum erat necessariũ, diuinũ autẽ illud est quod secũdũ rationis similitudinẽ se ipsum & ea quæ vinciũtur, potest suapte natura in

vnum colligere: planúſque mundus nequaquam erat futurus (huic enim vnũ medium fuiſſet ſatis) ſed globoſus: idcirco duo media ad eius coagmentationem fuerunt neceſſaria. Itaque inter ignem & terram, aër & aqua apto rationis modo interiecta ſunt: vt quemadmodum ſe habet ignis ad aërem, ſic aër ad aquã, & hæc ad terrã: itémque vicißim retro commeando. [10] *Quia verò nihil extra mundum hunc relictum eſt, vnicum fecit, numero reſpondentem ideæ, quæ vnica eſt. Morbi prætereà & ſenij expertem: quia in eum nihil cadit à quo ſecundum naturam corrumpi poſſit: tum ſe ipſo contentum & nulla re externa indigẽtem. Figuram autem illi circumpoſuit globoſam, omnium pulcherrimam, capaciſſimam maximéque volubilem.* [11] *Et quoniam neque aſpectu egebat, neque auditu, neque vllo alio ſenſu: ideo nulla inſtrumenta ad eiuſmodi miniſterium illi accommodauit.* [12] *Cæteríſque motibus ademptis, vnum ei dedit qui in orbem fit, vt mentis & prudentiæ proprium.*

Iac. Carpentarij Commentarius in CAP. 10.

1 Vniuerſæ naturæ Platonica deſcriptio continetur explicatione mundi & eorum quæ in mundo ſunt: in quibus homo principatum obtinet, in quem idcirco eiuſdem naturæ contemplatio dicitur deſinere. Vt verò mundi naturæque explicatio repetatur ex Theologicis principiis, de quibus tribus capitibus ſuperioribus dictum eſt, in eodem mundo notantur hoc capite cauſæ tres, quæ antea ex Theologia Platonica pro principiis vniuerſæ naturæ ſunt poſitæ, nempe opifex Deus, à quo mundus ſaltem eam originem habet, quæ rationis, non rei poſtea appellabitur: materia confuſa: & mundi huius exemplar ſiue idea: ad cuius imitationem materia ab illo in ordinem adducta eſt, eóque cõformata. Atque hoc eodem capite, itémque proximo, agetur de magno eius corpore partiúmque in illo proportione & figura. Capite verò 12. de eiuſdem anima & mente, quæ per illud corpus fuſa, ex Platonicorum ſententia magnum animal perficit, à quo cætera oriuntur, ſicut & eiuſdem complexu continentur. Quòd à Vergilio ita deſcriptũ eſt AEneidos. 6.

Principio cælum ac terras, campóſque liquentes,

Lucentémque globum Lunæ, Titaniáque aſtra
Spiritus intus alit, totámque infuſa per artus
Mens agitat molem & magno ſe corpore miſcet.
Inde hominum pecudúmque genus vitæque volantum
Et quæ marmoreo fert monſtra ſub æquore Pontus.
Igneus eſt ollis vigor, & cæleſtis origo
Seminibus: quantum non noxia corpora tardant.

Iuſtinus martyr in Oratione Parenetica ad gentes, Platonem inconſtantiæ arguit in hac quæſtione de principiis vniuerſi, quòd, vt ait, modo tria tantum agnoſcat, Deum, Materiam & Idæam: modo iis adiũgat animam communem. Sed neſcio (pace eius dixerim) an is vllo loco animam vniuerſi eiuſdem primũ principium appellauerit: num potius aliquid ex primo principio ortum, quemadmodum & eam formam quæ rebus ſingulis propria, cum ſua materia, eſt coniuncta. De huius vero vt animalis cuiuſdam motu & ſenſu elegans locus eſt apud Mercurium Triſmegiſtum cap. 9. Pimandri. Mundus ô AEſculapi, ſenſum motũmque poſſidet, non humano ſenſui motuique conſimilem, ſed potentiorem ſanè atque admodum ſimpliciorem. Nam ſenſus & intelligentia mundi id vnum cuncta ſcilicet facere atque reſoluere. Diuinę voluntatis organum hac potiſſimũ ratione conſtructum, vt à Deo ſemina ſuſcipiens vniuerſa, eáque toto ſinu recondens, omnia quidem componendo producat, omnia rurſus auferat diuidendo. Atque inſtar agricultoris periti quodcunque nimis adultum eſt, amputat: reſtitutis temporum interuallis reuireſcat. Nec eſt quicquam cui vitam mundus ipſe non præſtet: ſimúlque vitæ locus eſt atque etiam inſtitutor. Plato in Timæo locis pluribus, mundum animal eſſe teſtatur & in Philebo Socrates corpus noſtri ex mundi corpore animámq; ex illius anima quaſi expreſſam eſſe ſic docet. SO nónne ignis hic noſter exiguus, imbecillus & vilis, ſed qui vniuerſi proprius, quantitate mirandus & pulchritudine, & omni quæ ad ignem pertinet poteſtate? PROT. Vera nimium loqueris. SOC. An verò ſit, alitur, ducitur ab igne noſtro, mundi totius ignis, vel contra & meus & tuus & animantium reliquorum omnis ab illo? PROT. Hæc reſponſione digna non ſunt. SOC. Rectè eadem quoque de animalium ac mundi terra diceres, & de aliis quæ ſuprà quæſiuimus, ſimiliter reſponderes. PROT. Quiſnam reſpondens aliter, ſanæ mentis exiſtimetur? SOC. Nemo forſitan. Sed iam ad reliqua. Omnia quippe nunc dicta, in vnum compoſita continentes, corpus appellamus. PROT. Quidni? SOC. Idem quoque de hoc, quem mundum dicimus, accipe. Eadem ſiquidem ratione corpus eſt, ex eiſdem compoſitum. PROT. Rectè loqueris. SOC. Vtrum ex hoc corpore noſtrum corpus omnino, vel contra ex noſtro ipſum nutritur & quęcunque paulò ante numerauimus, ſuſcepit & habet? PROT. neque hoc etiam alterum ô Socrates, in qbæſtionem cadere poteſt. SOC. Sed alterũ debet ne an non? PROT. Dic quod? SOC. noſtrum corpus animam habere fatebimur? PROT. Conſtat. SOC. Vnde nam ô amice Protarche, ſuſcepit, niſi mundi corpus, quod eadem quæ & noſtrum ac etiam præſtantiora continet, animam habet? PROT. Aliunde nequaquam. De quo eadem etiam fuit Stoicorũ ſententia Quæ pluribus explicatur apud Ciceronem lib. 2. de natura deorum & initio libri eius qui Galeno falſo aſcribitur in quo quæritur an animal ſit id quod in vtero eſt. Idẽ vero Plato lib. 10. de Legibus, ex obſeruatione huius animæ mundũ informantis & animantis, quæ dum ſe ipſa mouet ſimul quoque mouet omnia quæ in mundo ſunt, rem eo deducit vt tandem concludat Deum eſſe, húncque rerum

humanarum curam habere. Quanquam mundi anima Deus ipse non est, sed hic illa longè superior: vt pote qui illam dicatur procreasse per intermediam primam mentẽ, siue intellectum agentem: quemadmodum iidem Platonici docent cum de Deo subtilius philosophantur. Quod à nobis antea obseruatum est capite 6. lib. huius. Atque sicut iidem Platonici, cum bonorum tantum Deum causam esse velint, malorum autem quamlibet aliam ab eo esse quærendam (sicut scriptum est. lib. 2. de Rep.) de malis dubitant, quæ & vnde sint, an eorũ principium aliud statuendum sit ipsi deo ex aduerso oppositum cuius eadem sit potestas ad malum, quæ ipsius Dei ad bonum (qui Manichęorum error fuisse dicitur) sic de mundi anima quęsitum est libro eodem 10. de legibus, an ea saltẽ duplex sit ponenda. Num concedere cogimur, inquit, Athenienſis hospes, bonorum & malorum, honestorum & turpium, iustorum & iniustorum cæterorũmque contrariorum animam causam esse, si quidem causam omnium ipsam asserimus? CLIN. Cur non? ATHE. Animam cuncta gubernantem, & in omnibus quæ mouentur habitantem, nónne & cælũ gubernare confitebimur? CLIN. Omnino? ATH. Vnã an plures? Plures certè, vt ego pro vobis respondeam. Nec pauciores quàm duas ponere debemus, vnam beneficam, contrariam alteram? CLIN: Rectè admodum. Sed de hac quæstione partim dictum est antea capite de ideis, cum quęretur an rerum malarum esset idea, partim etiam pluribus differetur in sequentibus, cum de Dei prouidentia erit agendum. Nunc ad Alcinoi nostri contextum veniamus. De quo hoc primum moneamus, multa esse initio capitis huius non solum dicta obscurissimè (talia enim hoc libro ferè sunt omnia) sed in verbis nõnulla deprauata, in sententiis longè plura vitiosè distincta. In quibus restituendis gaudeo nostram coniecturam Logo dædalo esse probatam. In qua magna ex parte sequuti sumus Eusebium, eo loco quem in præfatione descripsimus ex cap. 11. lib. 11. de Euangelica pręparatione. In quo si cui fortasse videmur paulò liberiores quam interpretem deceat: eum rogabo vt ipse det meliora. Quibus ego cedam non inuitus. Interim vero animaduertat initio concludi mundum hunc sensilem ad imitationem alicuius exẽplaris, & ideæ intelligibilis esse factũ. Rationem vero adferri ex iis quæ antea posita sunt, quia in naturalibus distinctum est exemplar intelligibile, à sensili imagine. Rationémque hanc per interiectam sententiam tribus exemplis illustrari, primo de homine, secundo de Equo, tertio de animali, & ad extremum similitudine ducta ex iis quæ ad artem pertinent. In tribus autem causis quæ in mundo ex superiore Platonis doctrina hoc capite distinguuntur obseruat Bessario Cardinalis cap. 5. lib. 2. ad eas quatuor species quæ apud Arist. sunt notissimæ à Platone quintam adiici exemplarem, & alio loco sextam Organicam: ex eoque concludit amplio rem esse apud hunc quam apud illum causarum diuisionem. Idem de prętermissa causa Organica Aristoteli obiicit Io. Argęterius cap. 2. lib. 1. de Morborum causis. Quanquã hæc à Peripaticis ad efficientem reuocatur. Sic enim Arist. coctionis in corporibus animatis efficientem causam modò ipsi animæ, modò natiuo calori attribuit. Ab ipsis autem medicis qui ad sensum se demittere solent, eadẽ pro principe causa efficiente plerũmque vsurpatur. At exemplarẽ à Platone positã, Aristoteles non recepit: vt minime mirum esse debeat si illa diuisione eam non sit complexus. Neque vero si complecti voluisset à forma illam seiunxisset. Neque video cur etiam apud Platonem seiungere sit necessariũ. Quoniam vt efficiens rei cuiusque causa duplex est, vna interna, vt in naturalibus motionibus ipsa forma, altera externa, vt in iis quę arte efficiuntur, ipse artifex: sic forma Platonicis duplex, vna secundum suam perfectionem à rebus singulis separata, quæ eadem cum idea, altera in

rebus ipsis, quæ ideæ quædam est imago. Quanquam de Organica memini aliud visum Iulio Scaligero Commentario in lib. 2. de plantis. Hanc scilicet, in prima causarum diuisione non esse numerandam, quod absolutè causa non sit sed potius concausa. Quando quidem non mouet nisi mota. At hoc idem etiam de materia dici posset.

2 Platonem mundo originem attribuisse manifestum est ex hoc Alcinoi loco, & ex pluribus aliis qui collecti sunt à nobis ca. 2. lib. 2. prioris descriptionis physicæ. Sed cum origo duplex sit, vna rei, secũdum quam aliquid in tempore, aut certe simul cum ipso tempore verè dicitur incæpisse, altera rationis tantum & cogitationis: de eo grauissima est inter Platonicos contentio, an vtramque, an verò eam tantum quæ rationis est, ille in mundo agnouerit. Inter omnes autem philosophos qui Deum res humanas curare voluerunt, nemo vnquam extitit qui non concesserit, diuina prouidentia mundum regi atque conseruari. Quæ in illo rationis & cogitationis est indubitata origo. Siquidem omne quod ab aliquo regitur, aut fluit, etiamsi cum illo simul sit secundum tempus, aut secundum ipsam æternitatem quæ tempore antiquior est, quando tamen cum suo principio cõparatur, ratione rei ortę dicitur obtinere. Vt cũ tibi finxeris Solẽ ab ęterno fuisse, etiam si sine suo lumine nunquam extiterit: ab illo tamen ipsius luminis quędam origo est, non ea quę temporis, sed altera quæ rationis & cogitationis tantũ. Quo modo noster Alcinous cap. 12. libri huius Platonis sentẽtiam, cum aliis permultis, interpretatur: ne contra physicum axioma (quod Velleius obiicit apud Ciceronem lib. 1. de natura dẽorum) ponere videatur quandam coagmentationẽ minimè dissolubilem: aut aliquid ortum, quòd nunquam sit interiturum. Sed hoc Philo Iudæus exagitat in libro de mundi AEternitate. Quidam (inquit) sophisticè interpretãtur apud Platonem genitum dici mundum, non quòd habuerit generationis principium, sed quia si factus, non aliter quàm dictum est, fieri potuerit. Melior tamen & verior altera sententia: non solum quia toto Timæo Patrem & conditorem & opificem illum, deorum fictorem ait: mundũ verò hunc opus eius & progeniem, archetypi exemplaris, intelligibilis, imaginẽ sensibilẽ, quicquid in illo intelligitur in se continentem, perfectè expressam, vt sensu percipiatur, sicut & illud perfectum intelligitur: verumetiam quia hoc de Platone testatur Arist. quem puderet mentiri vt philosophum. Locus verò quo Philo ex Aristo. vtitur, extat apud hunc cap. 1. lib. 8 Physic. à nobis iam vsurpatus in Priore parte descriptionis physicę. Sentit idem cum Arist. & Philone Cicero 1. Tusculana, quando in hac quæstione Platonem ab Arist. distinguit. Hæc igitur, inquit, & alia innumerabilia cum cernimus, possumúsne dubitare quin his præsit aliquis cõditor vel effector, si hæc nata sunt, vt Platoni videtur: vel si semper fuerint, vt Aristoteli placet, moderator tanti operis ac muneris? Atque Aristoteles ipse hoc Platonicorum commentum de origine rationis, exagitasse videtur capite 10. lib. 1. de Cælo. Quod autem, inquit, sibi præsidium afferre conantur qui eum non interiturum, & tamen ortum esse defendunt, non est verum. Eodem enim modo quo Geometræ qui designationes suas pingunt, se etiam de mundi ortu dixisse concedunt. Non quod aliquando ortus sit, sed discendi causa: tanquam ita facilius cogniturí sint, si eum quasi in tabula generatum viderint. Sed aliud est, vt diximus. In designationibus enim Geometrarum idem simul omnibus positis efficitur: in horum autem demonstrationibus, non idem, sed id quòd fieri: nõ potest. Quæ enim prima & postrema sumuntur, repugnant. Acutissimè quidem, sicut alia multa, sed fortasse non satis accõmodatè ad Platonis aut Aristo. sententiã. De hac quæstione sic statuit Iulius Scaliger. Exercitatione 5. contra Cardanũ, Non potuisse

potuisse primũ rerũ omniũ opificẽ quicquã efficere aut simile penitùs, aut oĩno dissimile. Nã simile, inquit, nõ poterat. Quia quod fit, patitur. Quòd patitur, à potiore patitur. Dissimile omnino nõ potuit. Quia actio & agẽs in ipso nõ differũt. Igitur actũ siue factũ aliquo modo simile, alio dissimile fuit necessario. Quãobrẽ cum ille sit vnus: mundus fuit vnus & non vnus. Cum idem sit omnia, mundus fuit omnia & non omnia. Cum sit ęternus, mundus fuit æternus & non æternus. Et quia vnus est, æternus: non enim habet comparem aut contrarium. Quia non vnus, non æternus. Ex contrariis enim & mutua corruptione inter se grassantibus partibus, constitutus est. Eius igitur æternitas in successione: vnitas in continuatione consistit. Neque fortasse æternitatis in illo causam Plato retulit ad ipsam naturam, sed ad diuinam volũtatem: quę ipsa natura est potentior. Sic enim deos minores qui singulis orbibus sunt præfecti rerum omnium opifex Deus alloquitur in Timęo. Dij deorum quorum opifex & pater sum, hæc attendite. Quę à me facta sunt, me ita volente indissolubilia sunt. Omne si quidem quòd vinctum est, solui potest. Sed mali est quod pulchrè compositum est, benéque se habet, velle dissoluere. Quapropter quia generati estis, immortales & indissolubiles omnino non estis. Nec tamẽ vnquam dissoluemini, nec mortis fatum subibitis. Nam voluntas mea pręstantius vobis est vinculum ad vitæ custodiam, quàm nexus illi quibus estis tunc cũ gignebamini, colligati. Quomodo igitur axiomate physico à Velleio in hac quęstione pręmetur, qui æternitatem solo Dei munere, non naturalibus causis vult contineri? Vt etiam minimè mirum videri debeat hac in parte, sicut in aliis permultis, Aristotelem à magistro recessisse. Quod hic in philosophando id tantum ratum haberi, velit quod demonstrationis necessitate putat effectũ. At Plato ad confirmandã ęternitatẽ mundi, quem ortũ esse fatetur, nullam eiusmodi rationem potuit adducere. Sed vnicam vsurpat diuinam voluntatem, eo certè modo quo poëtę tragici cum res humanitus explicare non possunt Deũ in scena loquentẽ inducunt. Aliã in Platonis sententia inconstantiam notat Theodoretus Cyrensis lib. 4. de curatione græcarum affectionum: Quòd ita scribat in Politico. Eodem modo semper se habere idémq; esse, illis solis penitùs congruit quę diuinissima sunt. Corporis autem natura in hoc ordine reponenda non est. Cœlum quidem ab ornatu mundũ appellauimus. Multarum enim beatissimarúmque rerum ab opifice Deo particeps factum est. Veruntamẽ in corporis communionem venit, ob eámque causam carere prorsus mutatione non potest. Itémque alio loco. Tunc itaque mundi huius vniuersi gubernator, inquit, ceu temonibus gubernaculisque omissis, in suam ipsius circumspectionẽ abscessit. Mundum verò rursus inuertit, & fatum & congenita cupiditas. Omnes igitur dij qui secundum locos distributi, cum maximo dęmone socium principatum gerunt, cum iam percepissent quòd factum fuerat, suas quisque mundi partes curare dimiserunt. Mundus autem retro conuersus, principio & fine in vnũ commisso, actúsque in contrariam partem ac magno sui facto concussu, aliam sibi animantium omnium corruptionem effecit. Sed fortasse superiora quę adducta sunt ex Timęo, Plato hausit ex Athenienſium religione: hęc verò ex Hebræis quos audiuerat in ea peregrinatione cuius antea meminimus in prefatione. Quibus aliqua ex parte similia videri possunt quæ scribit D. Hieronimus Commentario in Esaiam, cum in illum locũ incidit psalmi 101. A principio terram tu fundasti domine, & opera manuum tuarum sunt cæli. Ipsi peribunt, tu autem permanes & omnes sicut vestimentum veterascẽt, & quasi amictum inuolues eos & mutabuntur. In hoc, inquit, D. Hieronimus, perspicuè demõstratur perditionem & interitum, non abolitionem in nihilum, sed commutationẽ in melius sonare.

Neque enim illud quòd alio loco scriptum est, Luna fulgebit vt Sol, & septuplum lumen accipiet, interitum significat pristinorum, sed commutationem in melius. Aristoteles ad finem libri 2. de ortu, fatetur cælestium orbium conuersione mundum conseruari, & in hoc singularum rerum inferiorum in ortu & interitu vicissitudinem: eáque cessante mundi totius dissolutionem necessario sequuturam concedit. Sed negat vnquam futurum vt cesset illa cælestis conuersio. Quare idem videtur singulis orbibus cælestibus præter propriam & naturalem formam, quæ finitarum est virium, dedisse assidentem intelligentiam motricem, quæ virtutis infinitæ, illorum motum perpetuaret & in huius perpetuitate, ipsi mundo æternitatem præstaret. Quarum duarum formarum prior apud eundem Arist. cælo est insita & huius intima vltimáque forma: à qua idem habet vt animantum sit & viuens, quod hic etiam scribit lib. 2. de cælo & Metaph. 7. posterior verò non item. In quo manifestum eundem etiam si posuerit cælum æternũ, nolle tamen hoc à se ipso existere (quoniam à se quoque haberet omnem operâdi virtutem) sed pendere ab alio: nec modo ab ipso Deo, sed ab assistente intelligentia, quæ Deo longè inferior est.

3 Hic ex Platone mundum duplicem agnoscit, vnum exemplarẽ, alterum pro illius imagine. D. Augustinus cap. 11. lib. 1. de ordine, fatetur se Platonis lectione deceptum, aliquando credidisse mundum esse alium ab istis oculis remotissimũ, quem paucorum sanorum intellectus intueretur. Quia erat dictum à Christo, regnum meum non est de hoc mundo. De eodem sic scribit cap. 3. lib. 1. Retractationum. Piget me, inquit, dixisse duos esse mundos, sensilem & intelligibilem, Non quin hoc verum sit: sed quia hoc dixi tanquam ex me, cum tamen à philosophis dictum sit: & quia iste modus loquendi, non est consuetus in sacris scripturis. Similis fuit error Origenis cap. 3. lib. 2. & cap. 5. lib. 3. de principiis. Idem vero Augustinus eodem loco, docet quid in illa Platonis sententia videri possit religioni nostræ consentaneum Plato quidem, inquit ille, in hoc non errauit, qui esse mundum intelligibilem dixit, si non vocabulum quod Ecclesiasticæ consuetudini in re illa non est vsitatum, sed ipsam rem velimus attendere. Mundum quippe intelligibilem nuncupauit ipsam rationem sempiternam, atque incommutabilem, qua fecit Deus mundum. Quam qui esse negat, sequitur vt dicat irrationabiliter Deum fecisse quod fecit, aut cum faceret, aut ante quam faceret, nescisse quid faceret, si apud eum ratio faciendi non erat. Si verò erat, sicut erat, ipsam videtur Plato vocasse intelligibilem mundum. Eadem est explicatio Philonis Iudæi, quã refert Eusebius cap. 12. lib. 11. de Euãgelica præparatione. Si quis voluerit significationibus vti verbis (inquit) nihil aliud intellectualem dicet esse mundum, quam dei iam creantis verbum: nihil aliud ciuitas intellectualis est, quam creatoris ratio, creare iam cogitantis. Quod dogma Mosis, non meum est. Apertè namque scribit ad imaginem Dei hominem esse formatum. Quod si pars mundi, imago imaginis est, & vniuersus per se mundus sensibilis, ad exemplar diuinæ imaginis factus est. Primitiuum ergo sigillum, quod intellectualem mundum appellamus, ipsum exemplar est. Primitiua idea idearum omnium, est dei verbum.

4 Vnum hoc opponi potest vanis Epicureorum quæstionibus, quæ sub persona Velleij proponuntur à Cicerone lib. 1. de natura deorum, cur tandiu antè mundi originem Deus quieuerit? quid eum tandem post multa sæcula, ad tanti operis fabricam excitauerit. De quo sic D. Augustinus cap. 2. lib. 1. contra Manichæos de Genesi, Qui quærit, inquit, quare fecit Deus cœlum & terram? respondendum est

ei, quia voluit. Voluntas enim Dei, causa est cœli & terræ: & ideo maior est voluntas Dei, quam cœlum & terra. Qui autem dicit, quare voluit facere cœlum & terram? maius aliquid quærit quam est Dei voluntas. Nihil autem maius inueniri potest. Compescat ergo se humana temeritas, & id quod non est, non quærat: ne id quod est, non inueniat. Et lib. 11. confessionum, Quærenti, inquit, quid faciebat Deus antequam faceret cœlum & terram, respondeo, non illud quod quidem respondisse perhibetur, ioculanter eludens quæstionis violentiam, alta, inquit, scrutantibus, gehennas parabat: libentius responderim, nescio quod nescio. Athanasius in oratione secunda contra Arrianos, aliud subiicit quod etiam ad hunc locum pertinet. Si curiosè, inquit, inquirant cur Deus, in cuius potestate est operari, non semper operatus sit? Furiosorum est ista audacia. Quis enim cognouit mentem domini? aut quo modo dixerit figmentum figulo cur me ita fecisti? Sed tamen ne vel tenui ratione suppetente consilescamus, audiant obsecro quod tametsi Deo possibile fuerit ab æterno opera facere, non tamen poterant ea quæ facta sunt, ab æterno esse. Si quidem ex non entibus emerserunt, nec erant priusquam fierent. Quæ autem non erant antequam fierent: quo modo illa coexistere poterant cum Deo semper existente? Quamobrem ad eorum emolumenta commodâque respiciens Deus, cum intelligeret creaturas subsistere posse, tunc omnes creaturas produxit. Ac sicuti cum posset ab initio sub Adamo, aut Noë, aut Mose verbum suum emittere, non tamen emisit nisi in consummatione seculorum (tum enim id vtile esse nouerat vniuersæ creaturę) ita quoque creata, cum ipsis vtile fuit, procreauit. Lactantius capite nono, lib. acephali, hac in parte non omnino probare videtur causam à Platone positam: dicique mauult ex Stoicorum sententia, propter hominem mundum esse factum. Quoniam, vt idem ait capite sexto libri septimi diuinarum Institutionum, idcirco mundus factus est, vt nascamur: ideo nascimur, vt agnoscamus factorem mundi ac nostri Deum: ideo agnoscimus, vt colamus: ideo colimus vt immortalitatem pro laborum mercede capiamus, quoniam maximis laboribus cultus Dei constat: ideo præmio immortalitatis afficimur, vt similes angelis effecti, summo patri ac domino in perpetuum seruiamus & simus æternum Deo regnum. Si verò amplius etiam inquiras, cum esse vi & potestate minus sit, quam esse re ipsa, qui fiat vt mundi effector & opifex Deus ante mundi molitionem diminutus aliqua ex parte non censeatur, cum effector esset tum potestate tantum, non reipsa: audi quod respondet Iustinus martyr libro de quęstionibus quæ a gentibus sunt Christianis propositę. Quorum vis & potestas actionis, inquit, naturali quadam necessitate constat, eorum vis & potestas minor est quàm actio. Cuius autem potestas actionis, non naturali necessitate, sed propria voluntate constat, in eum immutationis verbum cadere nullo modo potest. Cogitasti, inquit, & tibi pręsto sunt omnia. In eiusdem quęstionis explicatione longè aliud placuit Origeni, quod cum magna cautione legendum est capite quinto libri tertij de Principiis. Si cœpit mundus ex tempore, inquit, quid faciebat Deus antequam mundus fieret? Ociosam enim dicere naturam Dei, ociosum simul & absurdum: vel putare quod bonitas aliquando non fecerit & omnipotentia aliquando non egerit potentatum. Hoc nobis obiicere solent dicentibus mundum ex certo tempore cœpisse, & secundum scripturę fidem annos quoque ętatis ipsius numerantibus.

Ad quas propositiones non arbitror aliquẽ hæreticorum secundũ rationẽ dogmatis sui facilè posse respondere. Nos verò consequenter respondebimus obseruantes regulam pietatis, & dicentes quoniam non tunc primum cum visibilem istum mundum fecit Deus, cœperit operari: sed sicut post corruptionẽ huius erit alius mundus, ita & antequam hic esset, fuisse alios credimus. Quòd vtrumque diuinę scripturę authoritate firmabitur. Nam quod erit post hunc alius mundus, Esaias docet dicens, Erit cęlum nouum & terra noua quę ego faciam permanere, in conspectu meo, dicit dominus. Quod autem ante hunc mundũ fuerint, etiam Ecclesiastes ostendit dicens. Quid est quod factum est? id ipsum quod futurum est. Et quid est quod creatum est? hoc ipsum quod creandum & nihil est omnino, recens sub Sole. Sed quis loquetur & dicet, ecce hoc nouum est? Iam fuit id seculis quæ sunt ante nos. In quo Origeni contradicit D. Augustinus cap. 13. lib. 12. de Dei Ciuitate.

5 In Platonis & Arist. doctrina hoc variorum errorum causam continet, quod ne ipsum quidem Deum existimarunt quicquam efficere posse, nisi ex subiecta & antecedente materia: quam mediam esse voluerunt inter nihilum & id quod omnino est hoc aliquid. Hac enim ratione vterque materiam æternam, & vt sic dicam, Deo coëuam comminiscitur. Atque Aristoteles mundum principium habuisse negat, ne aut ex nihilo factum cogatur fateri, aut antè illius originem materiam omnino informem extitisse: sicut & Plato qui Hesiodi Chaos nonnunquã videtur in Timæo renouare. At si inter artem & naturam (sicut acutè disputat Io. Grammaticus in libro contra Proclum de mundi æternitate) in efficiendo hoc interest, quod ars, exempli gratia ipsius fabri nullius rei substantiam intrinsecus procreans, sola lignorum compositione, abaci aut ianuæ figuram effingit: natura autem non solum temperamentum & elementorum efficit compositionem, verum etiam ipsas quoque rerum substantias & species, quæ prius non erant producit: nempe carnis formam, & ossis, & venæ & reliquarum partium, & in ipsis vitæ effectricem facultatem, stirpium præterea infinitas species: Cum Deus tanto naturam superet, quanto hæc arte admirabilior est, cur non erit eius quoque quædam efficiendi ratio, altera quæ ad naturam pertinet longè præstantior? Nulla autem in re naturam superabit, nisi ex eo quod omnino nullum est, res possit procreare. Vt ex subiecta materia res gignere, nouis earum formis exortientibus naturæ sit, cuius opifex & conseruator est Deus. Simul autem & materię & formę originem dare, id est ex nihilo omnia efficere, hoc iam ipsius Dei sit proprium. In eo verò quòd de materia prima ex Platone scribit Alcinous illã ante mundi originem inconcinnè & sine ordine agitatam, notari potest id in quo illum ab Aristo. diuersum videri monuimus cap. 7. Ad quod confirmandum cum à Trapezuntio locus hic ex Platone esset adductus, libris de comparatione Platonis cum Aristo. illum Bessario Cardinalis sic excusare conatur cap. 5. libr. Plato, inquit, & corpus & animũ cæli, dicit à Deo cõstitutũ. Quanquã nõ opinatur cęlũ aut animũ constitutũ ea constitutione quę à tẽporis motúsq; ratione nõ disiungitur. Quapropter is quoq; de materia locus quo eã præesse dixit, antequã mũdus siue crearetur, siue generaretur, siue cõderetur, siue cõstitueretur, nec cõtentioſè tractãdus est, nec si aduersarius intelligere nolit, idcirco cõtemnẽdus videtur. Perspicuũ enim est Platonẽ cum prouidentiã Dei & quot quantáque bona in hunc mundum ex mente animę, quámque præsentia influant vellet ostendere, qua vniuersa disponit, moderatur & gubernat, primum ipsam seorsum per se materialem naturam considerasse, inconditam, errantem temerariam atque etiam maleficam, talémque posuisse in generatione præexistentem, vt ordinem

atque ornatum formæ & habitus cum disposítione, constantia & moderatione à conditore animóque ipso proficiscente, intelligeremus, & naturam vtrámque propria ratione possemus describere: quid esset materia ipsa per se, anima priuata: quid forma: quid via generationis procederet, quid sequeretur, quid generando posterius foret, quid tamen natura esset prius. Hæc vt ita intelligerétur Plato materiam separauit à forma, eam generationem & capedinem nominauit, naturam etiam inconditam, temerariam, errantem, tumultuariam eandémque à conditore receptam, dispositam, institutam, ornatámque pulcherrima mundi compage fuisse. Et Plato igitur ipse correlatiua esse simul, & generationem ab oppositio ad oppositum viam esse, & simul esse materiam ac formam non ignorauit. Quippe de his omnibus appertissimè disseruit. Veruntamen ne quod addi debuit, deesset, ita loquutus est vt & ratio qua materia antecedit ac præest, intelligeretur, & moré sermonis ciuilis atque vsitati seruaret. Quia verò de hac quæstione multa à Christianis philosophis contra Platonicos & Peripateticos disputari solent, placet nonnulla ex his indicare, vt intelligatur qua probabilitate cõtra vtrósque nitamur in eo, de quo variæ illorum nostrorúmque opiniones in vniuersa physiologia, de rebus aliis permultis maximam dissensionem pepererunt. Eusebius cap. 8. lib. 7. de Euangelica præparatione, ex Dionysio contra Sabellium, hæc primum colligit. Nõ sunt, inquit, absque scelere qui materiam primam ad fictionem totius, Deo subiecerunt: quam dicunt cum passibilis mutabilisque natura sit diuinitus ad generationem omnium alterari. Sed ostẽdant nobis vnde similitudo ac dissimilitudo materiæ primæ ad Deum est. Necesse enim est, si positionem suam volunt sustentare superiorem quendam Deo excogitare: quod nefandissimum est. Præterea cum non genitum esse, similiter de vtróque dicatur & aliud alterũ ab altero sit, vnde id ipsis aduenit? Nam si nõ genitus Deus per se est, & ipsum non genitum esse vt quispiam diceret, substantia sua est, non erit non genita Hyle. Non enim idem est Deus & Hyle. Quod si vtríque est quodcunque est, id est, Deus quidem Deus, materia verò prima materia, inest autem vtrique non genitum esse, patet aliud esse ab vtroque & vtrísque prius atque superius. Ad hæc causam reddi postulabimus quamobrem cum vtrúmque non genitum sit, Deus quidé impassibilis, immutabilis, immobilis atque actiuus est: Materia verò prima contra, passibilis, mutabilis, mobilis, omnis alterationis receptiua. Quo modo autem tam apte conuenerunt? Vtrum ad materiæ primã naturam adaptauit se Deus, cum ex ea mundum fabricatus est, an cõtra? Sed hoc vltimum impossibile. Non enim potest res insensibilis accommodare se ad artificem. Primum autem penitus nefandum: si quis putet sicut artificem, ad materiæ aptitudinem primam causam se accommodasse. Deinde idem Eusebius hæc ex Origene adiicit. Si quis putat, inquit, non posse Deum absque subiecta materia quicquam efficere, quoniam nec statuarius absque lapide statuam, nec lignarius faber sine lignis, rogandus est si arbitratur Deum posse quicquid velit. Eo enim pacto, quod sicuti vult ad totius ornatum ineffabili virtute absque sapientia, qualitates quæ non erant, producit (quod omnes qui prouidentiam fatentur, concedunt) substantiam quoque quamcũque vult producere potest. Mihi autem videntur qui hæc dicunt fortunam quoque Deo annectere, qui nisi materiam primam forte reperisset, non esset author, nec pater, nec creator & dominus vniuersi. Præterea vnde factum esset vt sufficiens ad vniuersa fingenda, nec superfluens aut deficiens materia subiecta sit. Sequitur enim necessariò à prouidentia quadam Deo superiore (ne scilicet ars Dei perderetur, si non haberet materiam artificij susceptibilem) Deo materiam subiectam esse. Vnde autem omnium quæ

Deus vult, receptiua materia esset, nisi eam Deus talem qualem voluit, produxisset? In eandem sententiam contra materiam primam Deo coëternam à veteribus philosophis positam, multa colligit Gregorius Nyssenus capit. 25. libri de hominis creatione, & libro de historia sex dierum, quibus mundus à Deo creatus est. Itémque Lactantius Firmianus capit. 9. libr. 2. de falsa religione.

6 De duabus rationibus quibus Plato colligit mũdos plures esse non posse, hęc vna est à materia ducta. Quod ea tota ad huius mũdi quem incolimus, fabricam, sit assumpta: nec vlla eius portio relicta ex qua mundus alter possit efformari. Quæ Aristoteli cum illo cõmunis est, eique hic adiicit cap. 8. lib. de cœlo, si plures mundi esse ponantur, futurum vt terra mundi alterius, ad terram huius suate natura feratur. Quoniam hęc iam centrum occupauit, locum naturalem grauium omnium, quem idcirco terra alterius mundi etiam appetet. In quo huius sententiam longa oratione exagitat Plutarchus libro de deficientibus oraculis. Qui affert, inquit, in mundo vnicam esse terram, vnicum mare, quod promptum ac perspicuum est, non videt, res esse aliquas quę partium similitudine censeantur. Terram enim in partes eiusdem nominis diuidimus & mare: at mundi partes non item mundus vocantur, cum ex diuersis naturis sit coagmẽtatus. Nam quod nonnulli tantopere formidant, atque ideo vniuersam materiam in hoc consumunt, ne si quid eius foris reliquum sit, impulsionibus & plagis, huius coagmentationem labefactet ac disturbet, temerè formidant. Plures enim si mundi fiant ac priuatim cum sua quisque substantia & materia modum & terminum certum definitúmque sortiatur, nullæ vacabunt tanquam reliquiæ vel ordinis, vel descriptionis expertes, quæ extrinsecus inferantur. Quippe cum cuiusque rationis materiæ contributæ compos ac moderatrix, nihil erumpere & euagari in alium, neque ex alio in se sit permissura: præsertim cum eorum turbam nec interminatã nec infinitam natura habeat, neque motum temerarium & inordinatum. Quod si quid ab alio ad alium permanet, id cognatum blandúmque est, & cuique accomodatum miscetur, vt syderum fulgor & mutua temperatio. Tum autem beneuolo conspectu inuicem se mundi intuentes, oblectantur & Deis plurimis, & optimis, vnũquemque incolentibus, congressus & inuitamenta conciliant. Nihil enim horum fieri non potest: nihil horum fabulosum est, nihil horum à ratione alienum. Nisi fortè quis Aristotelis decreta veretur: quòd cum, vt ait, corporum vnumquódque suum propriúmque obsideat locum, necesse sit terram vndique ad medium ferri: quã humor suopte nutu leuioribus subsidens, inundet. Quocirca si plures sunt mundi, futurum vt multifariam terra igni sit & aëre superior, multifariam inferior: similiter vt in aliis aër & aqua in naturali sede consistant, in aliis minimè. Quod cum factu sit nefas, vt censet, neque duos, neque plures mũdos esse putat: sed hũc ex vniuersa materia cõpositum, ita natura collocatũ, vt corporũ dissimilitudini cõuenit. Deinde hanc ipsam Aristotelis opinionẽ cum sua ratione, idem Plutarchus sic exagitat. Id credibilius quã verius, inquit, dictũ esse videtur. Sic enim Demetri rem considera, Cum corporum partim ad medium & deorsum ferri dicit, partim à medio & sublime, partim circum & in orbem, cuius tandem comparatione medium sumit? Non enim inanis, quod de eius sentẽtia nullum est, & de quorum est, mediũ tamen non habet, vt nec principium, nec extremum. Nam hi sunt termini, cum infinitas sit interminata. Quod si quis eum oratione cogat audere infinitum inane fateri, ecqua in eo tamen motionum differentia corporibus cieri possit? Neque enim in inani corporum

vis ineſt, neque corpora impetum aut propoſitum habent quod medium appetat & eo vndique contendat. Verum inexplicabile eſt intellectu, corpora inanima ad incorporeum & indifferens ferri, & vel ex ſe ipſa cieri, vel ab illo trahi & allici. Relinquitur igitur medium non loci ratione, ſed corporis dici. Nam cum mundus hic eò plurimis diuerſiſque corporibus vna continuatione & conſenſione cohæreat, diſſimilitudo alias atque alias motiones neceſſario ciet. Quod vel eò perſpicuum eſt, quia quorum natura immutatur, eadem protinus quoque locum commutant. Quippe cum diſſipatio materiam à medio ſubuolantem, circum diſtribuat: concretio atque denſatio peſſum deprimat, in medium compellat. Qua de re pluribus hic diſſerendum non eſt. Quam enim cúmque quis iſtarum affectionum & mutationum cauſam effectricẽ, & tanquam architectam ſtatuet, ea ſane mundũ quemque in ſuo ſtatu continebit. Singulis enim erit ſuum mare, cum ſuum quiſque medium habeat, mutationes, affectiones, naturam, poteſtatem quæ eodem in ſtatu quémque tueatur & conſeruet. Quod enim extra eſt, ſiue nihil excedit, ſiue immenſa infinitas patet, medium, vt dixi, præbere non poteſt. At verò ſi multi mundi ſint, ſuum quiſque medium habebit, vt proinde motus ſit aliis eò, aliis inde, aliis circum id, vt ipſi partiuntur. Qui autem poſtulat vt in mediorum multitudine, omnium vndíque ponderum momenta in vnum depellantur, nihil ab eo diſcrepat qui in tanta hominum frequentia, in vnam venam vndique omnem ſanguinem confluere debere cenſeat, vnáque membrana omnium cerebrum contineri. Nefas videlicet arbitratus ſi non omnia quæ in noſtris corporibus ſolida ſunt, vnam obtineant regionem, viciſsímque mollia vnam ſedem. Atque hæc quidem Plutarchus. Quæ magna probabilitate contra Ariſtotelem videntur diſputari. Adde quod Plato & Ariſtoteles in ea ratione quæ à materia ducitur, pro rato ſumunt, totã materiam ex qua mundus potuit efformari, in eo quem incolimus eſſe abſumptam: vel certè ex ipſo ſolo nominè iſtud declarant. Quod ſcilicet vniuerſum appelletur. Vniuerſum autem non eſſet, ſi extra hoc aliquid eſſet relictum. In quo neſcio an ſatis ſit virium ad id efficiendum de quo quæritur. Altera Platonis ratio ad idem confirmandum quam hoc capite Alcinous paulo pòſt vſurpat, ducitur ab exemplari forma ſiue idea. Vnum mundum, inquit ille in Timæo, profecto eſſe oportet, ſi modo ad vnius ſimilitudinem ſit formatus. Quod enim viuentia omnia quæcunque intelliguntur, continet, ſocium alterum habere non poteſt. Alioquin aliud animal quod hæc duo contineat, eſſe oporteret: cuius duo hæc, partes ſint, nec illorum, ſed tertij huius, mundus hic ſimulachrum rectius diceretur. Vt igitur hic mundus eſſet animal abſoluto ſimilius, ex eo quod ſolus atque vnus eſſet, idcirco neque duo, neque innumerabiles procreati ſunt, ſed vnus mundus vnigenitúſque factus eſt & erit. De qua priuſquam Ariſtotelis & Platonis ſententiam expendamus, placet commemorare contrarias rationes eiuſdem Plutarchi libro eodem de defectu oraculorum. Primum, inquit, quæ mundorum infinitatem prohibent, ea quo minus vno plures faciamus, nihil impediunt. Nam vt in ſingulari, ita quoque in pluribus mundis diuinatio poterit extare, prouidentia, exiguus fortunæ interuentus, in plurimis maxímíſque rebus ordo & conſtantia, ortus præterea & commutatio: quorum nihil in infinitione poteſt eſſe. Deinde conſentaneum profecto magis eſt nec vnigenam, nec ſoliuagum eſſe mundum. Nam cum probitate perfecta exiſtat, nullius certe virtutis indiget: minimè autem omnium iuſtitiæ & amicitiæ: quæ non ſolum ipſæ pulcherrimæ ſunt, verum etiam diis decoræ. Nihil porro fruſtra Deus aut inutile

habere solet. Quare alij sunt foris dij & mundi, in quos virtutibus illis in communitate & societate positis, vtitur. Neque enim aduersum se, aut aliquam sui partem, iustitia, gratificatione, bonitate quis vtitur: sed aduersum alios. Quamobrem verisimile non est mundum hunc amicitiæ, vicinitatis, coniunctionis expertem, in infinita inanitate tanquam fluitare: cum præsertim naturam videamus singula generibus & formis tanquam vasculis & seminum folliculis cõtinere. Nihil enim in rerum natura solitarium vnumque numero reperias. Neque verò communis alicuius rei ratio esse, neque communis appellationem adipisci potest, quæ non communiter quale aliquid est, sed propriè declarat. Atqui mundum negant esse communiter qualem. Ecquo igitur tandem pacto qualis sit, ex dissimilitudine quæ mutuo intercedere cum aliis cernatur, qui sibi vni cognatus atque vnius modi, talis esse procreatus agnoscitur? Nam si neque homo singularis, neque equus est in rerum natura, neque stella, neque Deus, neque Dæmon, quid vetat non vnicum in natura mundum, sed plures extare? Etenim qui affert in eo vnicam esse terram, vnicum mare, quod promptum & perspicuum est non videt, res esse aliquas quæ partium similitudine cẽseantur. Terram enim in partes eiusdem nominis diuidimus & mare. At mundi partes non item mundus vocantur, cum ex diuersis naturis sit coagmentatus. Hanc vero posteriorem Platonis rationẽ quæ à specie & idea ducitur, Aristoteles non videtur probasse: quod in iis quæ sunt, multitudinis causa & in multitudine solius numeri distinctio, partitioni materię potius quã ipsi formæ debeatur. Quódq; hæc etiam si vni tantũ communicetur, sit tamẽ sua natura pluribus cõmunicabilis. Quemadmodũ vox etiã si ab vno tantũ re ipsa audiatur, à pluribus tamen suapte natura audiri potest. Sic enim idem scribit li. 7. Metaphy. Socratem & Calliam & singula eiusmodi, diuersa esse tantum ob materiam, eadem autem specie. Quippe cum forma indiuidua sit. Neque certè in Platonis doctrina hoc sine dubitatione est cur si mundus ad vnius exemplaris imitationem factus sit, vnicum eum esse oporteat: cum in cæteris idem Plato agnoscat earum rerum multitudinem quæ vna idea participant. Quanquam in hoc de quo nunc agitur, non est mundi & rerum cæterarum eadem ratio. Quoniam vt exemplar primum primáque rerũ omnium idea vnica est, quæ cæterarum rerum exemplaria & ideas *in se* continet: sic primam imaginem quæ in mundo hoc sensili est expressa (id est, sensile primum) oportuit esse vnicam, & in se continere cæterarum idearum imagines, id est sensilia omnino omnia. Alioqui futurum non erat, quod Plato in hac ratione supponit, vt mundus hic in sensilibus perfectissimus, perfectissimo & primo intelligibili omni ex parte responderet. Non potuit autem mundus sensilia omnia continere, sicut intelligibilis omnia intelligibilia, nisi esset vnicus. Et si animaduerto nonnullis recentioribus Platonicis in eiusdem quæstionis explicatione aliud videri. Quorum opinio quanquam mihi non omnino probetur, eam tamen hoc loco referam, vt de illa pro suo arbitratu lector statuat. Franciscus Cataneus sua enarratione in Symposium Platonis, si exemplar vnum est, inquit, opifex vnus, necesse est & mundum esse vnum. Nam opifex vnus dum perfectissimè exprimit exemplar vnum, omnes exprimendi numeros impleat est necesse. Alioqui non perfectissimè exprimeret. Eiusmodi autem expressio, non nisi in vno perfectissima est. Si enim multa essent quæ perfectissimè exprimuntur, quid prohiberet in infinitum abire? Deinde idem paucis verbis interiectis superiorem dubitationem sic occupat. Quod si obiicitur, inquit, animarum ideam, esse vnam, opificem vnum húncque perfectissimum, complures tamen animas esse: Ad hæc leonis aut equi & si qua sunt generis eiusdem, ideam esse vnã, complura

plura tamen quæ ideam imitentur: nos ad hæc respõdeamus non esse animarum omnium vnam ideam, proinde nec exemplar vnum: sed singulas animas singulas habere ideas. Vnde & animæ omnes rationales de Platonis sententia specie differunt. Hæc quidem Franciscus Cataneus, quæ, vt liberè dicam quod sentio, mihi non omnino probantur. Neque verò satis perspectum est, quod scribit Plotinus cap. 1. libri eius quo inquirit an singulorum sint ideæ. Si quæ fiunt, inquit, omnino plura sunt quàm exemplar, cur non oportet omnium quæ in vna mundi reuolutione fiunt, rationes exemplariáque extare? Videtur enim sufficere homo vnus ad omnes homines, quemadmodum & animæ numeratæ, ad innumerabiles homines effingendos. Sed enim non potest vna esse ratio differentium. Neque sufficit homo vnus ad exemplar multorum hominum inter se differentium, non materia tantum, inquam, sed quamplurimis insuper propriis differentiis discrepantium. Non enim hæc ita se habent vt imagines Socratis ad exemplar: sed differentem effectionem necesse est ex differẽtibus rationibus proficisci. Vniuersa verò reuolutio, omnes rationes complectitur eadémque rursus per easdem rationes regenerantur. Neque verò suspicandum est, ne hinc in mundo intelligibili infinita multitudo sequatur. Tota enim illic multitudo in quodam indiuisibili continetur, & quasi illinc singula prodeunt, quando agit. Timæus Locrus libro de anima mundi & natura, rationem hanc paulò aliter & minore cum dubitatione sic expressit. Perfectus & absolutus mundus, inquit, semper in rebus sensum mouentibus vnus est: quoniam ipsum quoque eius exemplar suo complexu animantes omnes qui ratione intelliguntur, compræhendens, nihil aliud extrinsecus reliquit: cum extremitas sit quæ omni ex parte quicquid intelligentia compræhenditur, concludat: vt hic mundus, quicquid sensus mouet. In qua Platonis & Timæi Locri sententia, cum idea mundi huius Deus ipse sit, qui idem mundi opifex & moderator, quemadmodum antea dictum est cum de ideis ageremus, ea sic intellecta perinde erit ac si colligatur mundum esse vnicum, quia eius opifex ac moderator est Deus vnicus qui rerum omnium quæ sunt in hoc sensili mundo, formas in se continet. In quo Platonis rationem acutè inuertit Athanasius in oratione contra idola: ac contra, ex eo quod mundus hic est vnicus, concludit eius opificem ac moderatorem vnicum esse oportere. Impium certè, inquit, pariter & absurdum vnum opus esse credere, plures autem operatores. Quin physicæ rationis sit, vnum & singulare, si perfectum sit, multiplicato excellentius esse.

7 Locus hic ad verbum desumptus est ex Timæo Platonis. Quem D. Augustinus cap. 11 libr. 8. de Dei Ciuitate sic coniungit cum his quæ pertinent ad nostram religionem. Manifestum est, inquit, quod Plato igni tribuit cæli locum. Habet ergo hæc sententia quãdam illius similitudinem qua dictum est, In principio fecit Deus cælum & terram. Deinde illa duo media, quibus interpositis sibimet hæc extrema copularentur, aquam dixit & aërem. Vnde putarur sic intellexisse quod scriptum est, Spiritus Dei ferebatur super aquas. Parum quippe attendens quo more soleat illa scriptura appellare spiritum Dei, quoniam & aër spiritus dicitur, quatuor opinatus elementa loco illo commemorata, videri potest. Ex quibus illud obiter intelligitur existimauisse D. Augustinum (quod indicauimus antea in præfatione) Mosis scripta Platoni perspecta fuisse & cognita. Diuinius censeri debet & cum nostra religione coniunctius, quod de eadem mundi origine refert antiquissimus scriptor Mercurius Trismegistus initio Pimandri. Cum de rerum natura cogitarem, inquit Mercurius, ac mentis aciem ad superna erigerem, sopitis iam corporis sensibus, quemadmodum accidere solet

iis qui ob saturitatem, vel defatigationem somno grauati sunt, subitò mihi visus sum cernere quendam immensa magnitudine corporis qui me nomine vocans, in hunc modum clamaret. Quid est ô Mercuri, quod & audire & intueri desideras? Tum ego, quisnam es, inquam? Sum inquit ille, Pimander, mens diuinæ potentiæ. Ac tu vide quid velis: ipse verò tibi vbique adero. Cupio, inquam rerum naturam discere, Deúmque cognoscere. Ad hæc ille, tua me mente complectere, & ego te in cunctis quæ optaris, erudiam. Cum hæc dixisset, mutauit formam: vniuersa subitò reuelauit. Cernebam enim immensum quoddam spectaculum, omnia videlicet in lumen conuersa suaue nimium atque iucundum, quod intuentem me mirificè oblectabat. Paulo pòst vmbra quædam horrenda obliqua reuolutione subterlabebatur, in humidámque naturam migrabat, ineffabili tum vultu agitatam. Inde fumus quidam magnus in sonitum erumpebat, ex sonitu vox egrediebatur, quam ego luminis vocem existimabam: ex hac luminis voce verbum factum prodiit. Verum hoc naturæ humidæ adstans ex humidæ naturę visceribus, syncerus ac leuis ignis protinus euolans alta petit. Aër quoque leuis spiritui parens, mediam regionem inter ignem & aquam sortiebatur. Terra verò & aqua sic inuicem commixta iacebant, vt terræ facies aquis obruta, nusquam pateret. Hæc duo deinde coniuncta sunt à spirituali verbo, quod eis superferebatur, aures eorum circunsonans. Tunc Pimander ait, Aduertis quid sibi hæc visio velit? Cognoscam, inquam. Ait ergo Pimander. Lumen illud ego sum: mens, Deus tuus antiquior quam natura humida, quæ ex vmbra effulsit: mentis vero germen lucens, Dei filius. Quid ergo, inquam? Hic inquit, cogita quod in te videt & audit, verbum domini. Mens autem pater Deus. Neque enim distant à inuicem. Horum vnio vita est. TRISMEG. Gratias ago tibi. PI. Verùm imprimis meditare lumen atque cognosce. TRISM. Hæc vbi dicta sunt diu illum oraui, vt eius ideam ad me conuerteret. Quod cum ille feciſſet, repentè post spicio in mea mente lucem viribus innumeris existentem: ornatum sine termino: ignem vi ingenti circunseptum, & in ipsa stabilitate dominantem. Hæc ipsa percepi per Pimandri verbum, qui me stupore attonitum sic iterum affatus est. Vidisti in mente primâ speciem infinito imperio prævalentem? Eiusmodi quædam mihi Pimander. At ego illi, Elementa naturæ vnde manarunt? PI. ex voluntate Dei quæ verbum complexa, pulchrúmque intuita mundum, ad eius exemplar reliqua sui ipsius elementis vitalibúsque seminibus exornauit. Hęc Mercurius Trismegistus. Quæ cum Christiana physiologia magna ex parte consentiunt. Obseruandum verò etiam amplius in hac ratione Platonem duos tantum sensus vsurpasse, & hos quidem ad omnia corpora percipienda maximè communes, aspectum scilicet & tactum. Quoniam nullum omnino corpus concretum est quod per colorem, vel certè per suum splendorem, non sit aspectabile, aut per suam soliditatem tractabile eóque magis, quò hanc in suis dimensionibus secundum naturam stabiliorem habet atque firmiorẽ. Cur igitur ex eo quod mundus aspectu tactúque percipitur, colligit in eo ignem terrámque esse oportere, cum in hos etiam sensus reliqua corpora cadant? Equidem ab his duobus potiùs quàm à reliquis tribus sensibus, hanc rationem duxit: quòd eorum vterque primus sit, sed alter altera de causa. Nempe aspectus, dignitate atque sui muneris præstantia: tactus autem, ad vitam necessitate. Vt de illo confirmat Plato in Hippia maiore, de hoc Arist. lib. 2. de Animo. Eosdem verò igni & terræ accommodat, quoniam circa hæc duo elementa primò versantur, circa reliqua verò, prout his variè participant. Nam neque corpora siue terminata, siue interminata (sic enim Optici loquũtur) sine lumine aspectabilia sunt, vt docet Plato lib.

6.de Rep & Arist.cap.7.lib.2.de Animo. Lumen autem, vt idem ait,in Timæo, actus quidam est ignis non adurentis,sed lucentis. Neque tractabilia siue tactilia,nisi per soliditatem,quę terræ primò,vel certè maximè ineſt:cęteris verò mixtis corporibus,prout ea magis minúsve participant.Neque tamẽ hoc loco Plato vult aspectabilia omnia ex igne & terra constare, quod Iulius Scaliger in eo exagitans exercitatione 61.cõtra Cardanum, opponit, aquam aspectabilem esse neque tamen ex igne & terra constare: sed significare voluit in concretis corporibus(tale enim mundi corpus est de quo hoc loco agitur)causa per quam in aspectum & tactum cadunt, sitam esse in splendoris ignei & terrenæ soliditatis participatione. Qui cum in Timæo hanc compositionem ex quatuor elementis nunc cælo, nunc mundo tribuit, cæli nomine pro mundo vtitur, sicut & nonnunquam Arist. Non pro eo corpore quod huic inter simplicia quintum est & Astreum. Hoc enim ille potius, vt antea ex D. Augustino obseruatum est,ignis nomine significauit:quem à nostra flamma distinguens, lucentem vocat,non adurentem. Ex quibus intelligi potest non rectè Scaligerum (pace eius dixerim) eadem exercitatione quærere, quo modo hoc loco Plato dicat cælum ex terra & igne esse factum, cum illud terra prius sit: neque eundem satis iustè reprehendere, quod ille cæli, id est mundi corpus in sensum tactus etiam propiè cadere dixerit. In quo deceptus quoque videri potest Sebastianus Foxius, cum ex hoc loco collegit apud Platonem cælum in quo stellæ sunt ex quatuor elementis esse compositum,de quo proximè disputabitur.

8 Hanc comparationem duorum mediorum elementorum cum duobus extremis, sic Plato exprimit in Timæo. Duo sola, inquit, absque tertio quodam commodè cohærere non possunt:sed medium aliquod vinculum desiderãt. Vinculorum verò, id est aptissimum atque pulcherrimum, quod ex se & ex iis quæ astringit, quàm maximè vnum efficit.Hoc verò maximè proportio ratióque alternæ comparationis assequitur. Quando enim in tribus numeris aut motibus, aut viribus, medium ita se habet ad postremum, vt primum ad medium: vicissimque vt postremum cum medio,ita medium cum primo congruit: tunc quod medium est & primum fit & postremum, postremum quoque & primum media fiunt.Ita necessitas cogit, vt omnia quæ sic deuincta fuerint, eadem inter se sint. Eadem verò cum facta sint, efficitur vt omnia sint vnum. Quod si vniuersi corpus latitudinem habere debuisset, nullam verò profunditatem, vnum sane tum ad seipsum, tum ad extrema vincienda, interiectum medium suffeciſſet. Sed cum soliditatem mundus requireret, solida verò non vno, sed duobus semper mediis copulẽtur: inter ignem & terram Deus aërem aquámque locauit, eaque inter seinuicem quoad fieri poterat,comparauit, vt quemadmodum ignis ad aërem,ita aër ad aquam,& vt aër ad aquam, sic aqua ad terram congruè cõferatur. In quo illum notat Contarenus Cardinalis lib.1.de Elementis: quod istiusmodi rationem non repetat ex propriis naturæ principiis,ad quam proposita quæstio pertinebat:sed ex mathematicis,quæ alieni generis sunt. At hoc illi fortasse dandum est, qui Pythagoræ imitatione physica plerúmque per mathematica explicat. Præsertim cum ab ipso Arist. etiam in præceptis Analyticis,sit positum:cap. 10.lib. 1.post.ex iis scientiis quarum vna sub altera non continentur, quasdam esse quæ in certis affectionibus tantam cognationem habent: vt non ampliùs sit vitiosum id quod vnius est,per ea quæ sunt alterius demonstrare. Quales sunt, vt ait,medicina & Geometria. Nam quod vulnera orbicularia difficiliùs ac tardiùs curétur,nouit medicus:huius autem rei causam explicat Geometra. Quod idem in hac quæstione de proportione mediorum elementorum cum extremis,

dici potest in Pythagorica doctrina contingere. Cum verò medium ad extrema tripliciter se habere possit secundum tres differentias proportionis Arithmeticæ, Musicæ, Geometricæ (de quibus multa sunt apud Boetium libr. 2. Arithmeticæ) Plato hoc loco mundo accommodat non Arithmeticam aut musicam, sed Geometricam: cuius hoc proprium est, vt medium eadem proportionis specie, etsi non eadem quantitate, vincat extremum inferius, qua vincitur à superiore: qualis in his tribus numeris cerni potest 2.4.8. Quoniam vt quaternarius binarium vincit proportione dupla: sic idem ab octonario vincitur. Hanc verò idcirco deligit, quod ad æqualitatis perfectionem magis quàm superiores duæ pertineat. Vt idem docet initio 6. de legibus, & Arist. ipse confirmauit lib. 5. Ethic. in ea iustitiæ parte quæ præmiorum & pœnarum distributioni præest. Atque cum in ea Geometricæ proportionis specie, quæ continua appellatur, medium vnicum sit: Plato hoc loco rationem reddere voluit cur in mundo positis duobus extremis, quæ Geometrica proportione erant connectenda, medium non vnicum, sed duplex extiterit. Nempe quod huius corpus solidum sit idémque globosum: in quo sicut in pila, longitudinem quidem & latitudinem quasi in plano metimur eodem modo, puncto in medio summitatis eius impresso lineáque ab illo circumducta. At profunditatem siue altitudinem, alio modo metiamur necesse est, linea ad centrum altitudinis depressa. Ex quo colligit propter hanc duplicem dimetiendi rationem, in extremis solidis duo media corpora interiici oportuisse. Sed hæc omnia ad ipsam naturam referenda sunt, vt intelligamus in ea quæ sit ipsorum elementorum quatuor proportio. Cum vero in iis duo spectari possint, corporum moles, & ad agendum patiendúmque ingenita vis: eorum qualitatibus sita: ex posteriore, extrema atque media in hac proportione spectanda sunt, vt ignis eius qui apud Arist. vnum ex quatuor elementis constituit (nam de Platone quo modo ignis nomẽ hoc loco vsurpet, antea monuimus, & postea pluribus disseretur) in agendo virtus summa intelligatur, terræ maximè imbecilla. Contra verò, hæc patiatur promptissimè, ille tantò difficilius, quàtò agit promptius. In quo reliqua duo elemẽta mediam rationẽ obtinent. Quod & aër tardiùs agat quam ignis, patiatur promptiùs: & aqua ad terram & aërem in quorum medio sita est, eodem modo sit affecta. Quam elementorum *connexionem* Arist. vidit, necessariámque esse putauit tum ad rerum diuturnitatem, tum ad vicissitudinem mutationum, quæ in eas cadunt: sed longè aliter exposuit. Plato enim in Elementis quatuor vnam tantum contrarietatem esse voluit, ignis & terræ: duo verò eius media, Aërem & Aquam. At Arist. in illis notauit duas contrarietates intertextas, & in singulis vnicum medium, quod in altera cõtrarietate rationẽ extremi obtineret. Nam inter ignem & aquam vtriúsque qualitatis contrarietas est, & in his summa summæ, remissa remissæ opposita. Quia ignis summè calidus, remissè siccus: aqua summè frigida, remisse humida. Cuius medium in aëre vna qualitate cum igne, nempe calore, altera, scilicet humore, cum aqua conueniente. In secunda verò cõtrarietate pro extremis aer & terra, quæ in eiusdem doctrina vtráque qualitate sunt contraria. Quoniam Aër summè humidus, remissè calidus: Terra summè sicca remisse frigida: media aqua, in humore cum aëre, in frigiditate cum terra cõsentiens. Quam proportionem notare facilè est, non tantum in magno corpore vniuersi, sed in singulis mixtis: in eáque videre quanta sit commoditas cõiugationum quatuor, quas in primis qualitatibus acutissimè Arist. distinguit & quatuor elementis accommodat cap. 3. libr. 2. de ortu. Quanquam repugnante Galeno, vt à nobis obseruatum est capit. 4. libr. 2. Prioris nostræ descriptionis Physicæ. Est etiam in corporea mole quædam inter

ipsa elementa proportio de qua sic Arist.cap.3.lib.1.Meteor. Qui, inquit, ignem purum esse aiunt, id quod complexu suo omnia coërcet: nec solum ea corpora quę mouentur, id verò quod inter astra & terram interiectum est, aëra: hi si quę nunc Mathematicorum artibus copiosè docentur, cognouissent fortasse ab ista puerili sententia destitissent. Si enim interualla plena ignis essent & interualla ex igne constarent, iampridem vnumquodque aliorum elementorum deflagrasset. Nec verò aëris solius plena sunt illic omnia. AEqualitatem enim communis proportionis ad corpora quæ sunt eiusdem generis longè multúmque superaret: etiam si duorum elementorum plenus est locus is, qui inter cælum & terram interest. Nam neque terræ moles, in qua etiam cõtinetur tota vis aquæ, ad eam magnitudinem quę ambit, particulæ locum tenet. Videmus autem non in tãta magnitudine molis, prędantiam exuperantiámque consequi, quando ex aqua quæ secreta est, aër, vel ex aëre ignis oritur. Cũ tamen necesse sit quam rationem particula aquæ habet ad eum aërem qui ex ipsa ortus est, eandem etiam totam aquam, ad totum aërẽ habere. Quæ etiam si verissimè ab Arist. dicta sint, nihil tamen faciunt ad eam proportionẽ de qua Plato est locutus. Neque enim quanto aër sua mole aquam excedit, verè possis dicere tãto terram ab aqua superari. Cum contra fortasse terræ totius quantitas maior sit quam aquæ. Et certè eiusmodi esse videatur Cardano libr.2. de Subtilitate & lib.1. de Rerum varietate, Itémque Iulio Scaligero in exercitationibus contra Cardanũ.

9 Paulò ante obseruatum est ex D. Augustino, Platonem cum pro primis extremísque vniuersi partibus ignem & terrã posuit, ignis nomine cęlum in quo astra sunt, significare voluisse. Nam nisi hoc in illius doctrina quartum corpus simplex intelligatur, sed aut quinta quædam essentia (quod Aristoteli certum est placere) aut quod nonnulli aiunt, ex quatuor elementorum purioribus portionibus mixta: cur hic extrema ignis & terra ponuntur? aut hac proportione quam inter se primæ mundi partes habere dicuntur, cælum excluditur? aut denique cum ipsum sit magis aspectabile quã is ignis qui lunæ subiectus est, & inter quatuor elementa a Peripateticis numeratus, cur ex eo quod mundus aspectabilis est, concluditur in eo ignem elementarem esse oportere, non potius cælum à quo primo lumen manat, cuius virtute sunt omnia aspectabilia? Quamquam de ipsius cæli natura quid ille senserit, non leuis esse videtur inter ipsos Platonicos ex magistri verbis orta dissensio. Nam Io. Grammaticus libro de mundi æternitate, scribit ex Platonis sententia mundum vniuersum, atque adeo ipsum cælum, & quæ in eo sunt omnia, ex igne aëre aqua & terra esse composita, maiorem tamen ignis partem quam reliquorum trium elementorum ipsum cęlũ obtinere. Idem placuit Calchidio commentario in Timęum. Quod cęlestia corpora, inquit, non constent ex quatuor elementis, dicere non est eius qui Platonis decretum sequi velit, sed potius qui suum dogma constituat. Nam Plato cęlestia quoque ex igne illo quidem ampliore, facta dicit & ex reliquis, sed remissioribus, syncerioribus & purioribus. At Plotinus cap. 6. lib. de Cælo, concludit terrena quidem animalia sic esse composita, vt illis quatuor elementa insint. Terram vero in cęlum attollere, contra naturam esse, contrariúmque his quæ in naturæ ordine disponuntur: nec vlla ratione videri probabile, vt celerrimus cælestium cursus, terrena in se corpora perferat. Denique terram nitori splendorique cælestis ignis impedimento futurã. Idémque cap. 8. vult ab ipso cælo alium esse ignẽ vnum de elementis, ei subiectũ, qui tanta cęleritate in cælũ permutetur, vt hoc ab illo nullo modo patiatur. Et certè Plato ipse in Epinomide, Aetheream naturam quintã simplicẽ videtur agnoscere. Cũ, quinque sint corpora, inquit, Ignis, Aqua,

tertium Aër, quartum Terra, quintum Aether horum principatibus multa variáque singula animalia producuntur. Et eodem loco, Aethera, inquit, post ignem ponamus, ex quo animã animalia gignere arbitremur. Ad quæ conciliandá dici posse videtur, in vniuersitate ex Platonis sententia ignem esse duplicem, Aethereum vnum lucentem non adurentem, alterum elementarem eundémque adurentem. Sic enim cum ab illo dictum est, Deum in Sphera à terra secunda, lumen accendisse, Plotinus cap. 7. lib. eiusdem, hoc sic interpretatur. Solem, inquit, significat: quẽ alibi nuncupat splẽdidissimum eundémque nitidissimum. Quibus verbis omnem à nobis opinionem abigit suspicantem aliquid illic esse aliud præter ignem. Significat quoque nullã adesse ignis aliam qualitatem præter lumen, quodquidem esse ait à flamma diuersum, calorem verò leuem tantum & suauem. Et ipse in Timæo, ignis, inquit, illius qui non vrit, sed illuminando suauiter diẽ inuehit mundo, participes oculorum orbes dij fecerunt. Eodémque loco vbi in explicandis elementorum permutationibus de altero igne adurente loquitur, eius duo genera ita distinguit. Posthæc sciendum est, inquit, multa esse ignis genera, flammam videlicet, & quod ab ea est accensum, quod vrit quidem, lumen vero nullum oculis affert quódve extincta flamma, intra illa quæ accensa fuerant, remanet. Quod si quando in cælo elementa apud Platonicos esse dicantur, hoc non tam ad elementorum substantias, quam ad eorum qualitates videtur esse referendum. Idque fortasse ex eiusdem Plotini sententia eodem libro. Meminisse oportet, inquit, terram non ita misceri igni sublimi, vt in ipsa stellarum cõpositione connumeretur. Sed cum in vno mundi corpore singula collocentur, nimirum & ignem aliquid habere terreni, quemadmodum & terra aliquid igneí habet. Ac summatim singula habere aliquid singulorum, non adeo quidem vt quod dicitur alia possidere ex vtrisque constituatur, videlicet ex seipso & ea cuius est particeps: imo in ipsa mundi communione ritè situm, non tam alterum, quàm alterius nonnihil accipiat: velut non ipsum aërem, sed aëris liquiditatem. Sic & terra non tam ignem quam igneam claritatem, & ignis non tam terram, quam huius soliditatem densitatémque habere dicatur. Hac enim ratione ipse etiã Arist. in cœlestibus corporibus stellàappellat partem eius orbis in quo est, densissimam. In quo occultæ suæ philosophiæ fundamenta posuit Henricus Agrippa cap. 8. lib. 1. Vt in hoc fortasse Proclo venia danda sit, quod in Platonis doctrina cælum modo faciat corpus simplex, modo idem velit ex quatuor elementorum purioribus portionibus constare. In quo tamen à Io. Grammatico inconstantiæ arguitur libro de mundi æternitate. Atque hac ratione non erit difficile de quinta cœlesti essentia Aristotelem cum Platone conciliare. Chaldæorum sapientes, vt scribit Iulius Scaliger in exercitationibus contra Cardanum, cælum ex aqua & igne compositum esse voluerunt. Quos secuti Hebræi posuisse videntur distinctionem aquarum quæ in cœlo sunt, ab aliis quæ eidem sunt subiectę.

10 Philo Iudæus in libro de mundo quod incorruptibilis sit, scribit eandem fuisse Critolai Peripatetici sententiam. Pergit, inquit, ita ratiocinari Critolaus, Quicquid sibi ipsi sanitatis causa est, morbis caret: sicut quicquid sibi ipsi vigiliæ causa est, perpetuò vigilat. Inde colligitur sempiternũ esse id quod suamet causa est essentiæ. Mundus porrò sibi ipsi causa est essentiæ: sicut & cæteris rebus omnibus. Ergo mũdus æternus est. Illud quoq; cõsiderare debemus quicquid nascitur, vtique imperfectũ esse à principio: processu verò tẽporis augeri, donec omnino absoluatur. Itaque si mundus est genitus, fuit aliquando (liceat mihi vti nominibus ætatum) puer admodum, & post multos annos, multa sæcula, vix tandem absó-

lutus. Nam quod est æui longissimi, necessariò tardè ad vigorem suum peruenit. Tales autem mutationes si quis credit in mũdum cadere, pro maximè insano habendus est, atq; adeo pro insanabili. Sic enim probaretur eũ non tantũ corpore, sed etiam animo proficere. Quandoquidé etiam qui aiũt interiturum, credunt tamen ratione præditum. Ergo more hominum brutus erit in generationis suæ principio: adulta ætate, compos rationis. Quod vel cogitare nefas fuerit, nedum proloqui. Qui enim possumus hunc perfectissimum, visibilem ambitum, contentásque in eo partes singulas intuentes, non credere perfectum semper corpore simul & animo, expertem malorum quibus genita corruptibiliáque, sunt obnoxia? Adde, id quod ex elementis constat ad vnum omnibus, robustius esse quam vt vi vlla infirmum reddi queat. Vbi porrò nulla est infirmitas, ibi sanitas vigórque permanet tutus à senio. At fortasse neque hæc ratio Critolai, neque ea quæ ex Platone hoc loco commemoratur, omnino efficit mundum suapte natura esse impatibilem, aut senescere nullo modo posse. Nam cum omnium physicorum consensu, in corporibus naturalibus duplex sit patiendi ratio, vna ab externis causis, altera ab interioribus: cumque à Galeno scriptum sit lib. posteriore de Elemẽtis, necesse esse id cui nihil externum passionem infert, à propria natura pati: mũdus etiamsi externum nihil habeat, afficietur tamen ab internis, quorum contrarietate atque perpetua pugna non modo senescet, sed tandem omnino dissoluetur. Quod Empedocli persuasit igne in reliqua elementa semper agente, futurũ vt hæc paulatim absumantur, tandémque naturæ vniuersitas generali incendio deleatur. Et certè cum mundi corpus finitum sit, si ab Arist. rectè vsurpatum est libro de Animalium motu, & demonstratum in Physicis finiti corporis vires esse finitas: necesse est etiam illas interiores naturæ vires, in mundo finitas esse. Quo igitur modo ab istiusmodi causis, mundi æternitas quæ infinita est, sustinebitur? Neque verò Plato, sicut antea dictum est, voluit mundum ex sese æternum esse: imo nominatim scribit in Timæo, ipsum se consumptione sui ipsius & senio alere: sed illum perpetuari dicit, præter aut suprà interiora naturæ principia, deo ita volente. Sine quo, etiam si non modo nulla contrarietate sed ne materia quidem constaret omnino vlla: hoc ipso tamen suapte natura finem aliquando esset habiturus, quod à se non est, sed ab alio. Atque fortasse id hoc loco tantum agit vt doceat etiam si mundus propriis istis principiis (quæ cum dico illius corpus animámque intelligo) tibi æternitatem præstare non possit: hoc certè illum à se habere quod æternitati nihil reluctatur: aut quod ad hanc suapte natura bene affectus esse videtur. Quæ omnia Aristoteles animaduertens, in cælestibus orbibus, quorum conuersionem ęternam esse volebat, naturalibus formis, quarum vires finitæ sunt adiecit, vt paulò ante dictum est, quasi assistentes intelligentias, quæ sua virtute illorum motus perpetuarent. Quoniam naturalis forma finita, in corpore finito, id præstare nullo modo posse videbatur. Quanquam de eo inter Peripateticos non omnino videtur conuenire: sicut à nobis obseruatum est capite tertio, libri secundi, prioris nostræ descriptionis Physicæ.

11 Vt enim ab Arist. dictum est lib. 1. Politic. naturam nihil tale facere, qualem ærarij fabri gladium delphicum, ad duos vsus propter inopiam: sic à nobis debet intelligi, in eadem prouida nihil luxuriare, aut frustra esse. Sic enim ille dicere solet, Deum & naturam nihil frustra facere. Sensus autem dati sunt (externos intelligo, quorum instrumenta apparent in corpore) partim ad quærendũ alimentum, partim ad prꝙuidendas externas iniurias atque propulsandas. Quæ cum in hoc animali maximo, quod omnia complexu suo continet, locum non habeant: efficitur in eodem sensus neque ad vitæ necessitatem, neque ad vllam commo-

ditatem pertinere. Quam rationem Plato sic expressit in Timæo. Animal hoc, inquit, nec oculis indigebat, quia nihil extra quod cerni posset, relictum erat. Nec auribus cum nihil supereſſet foris quod audiretur. Nec erant aëre circunfusa externa mundi, vt respirationem requireret. Nec membris quidem talibus opus erat, per quæ noua alimenta susciperet, aut decocti cibi excrementa emitteret. Nulla accessio fieri poterat, nulla deceſſio. Nec enim erat aut quo, aut vnde, talia fierent. Ipsum enim se consumptione & senio sui ipsius alit. Ita nempe diuina arte fabricatus est mundus, vt omnia in se ipso & à se ipso patiatur & agat. Ratus enim est ille author, mundum, si sibi ipse sufficiat, præstantiorem fore, quàm si aliorum adminiculis egeat. Nec ei manus necessarias esse duxit. Quia neque capiendum quicquam erat, neque repellendum. Nec pedibus aut aliis ad progressum statúmve membris opus erat. Interiorem sensum in illo Stoici potius considerauerunt. Ex quorum sententia Cicero ita concludit lib. 2. de natura deorum, Nullius sensu carentis pars aliqua potest esse sentiens. Mundo autem partes sentientes sunt. Non igitur caret sensu mundus.

12 Cæteros motus eos primum intellige qui fiunt secundũ rectam lineam aut sursum aut deorsum, quos duos simplices Arist. esse vult cap. 2. lib. 1 de Cœlo, tertiúmque illis adiicit, motum conuersionis siue qui fit in orbem. Hos sequuntur quatuor motus animalis differentiæ duabus repugnantiis differentiarum situs distinctæ. Aut enim ille in anteriorem partem fit, aut in posteriorem: aut ad dextram aut ad siniſtram. Qui motus mixti ab eodem Arist. nominantur. Quare de septem motibus secundum locum, Plato deligit eũm qui in orbem fit, vt conuenientissimum ei intelligentiæ quæ magnum corpus vniuersi moderatur & regit. Vt enim hæc à se excitata, contemplando ad se ipsam reflectitur: sic in orbis cõuersione semper fit reditus ad idem punctum, à quo ductum est illius initium. Neque verò tantum ipsi intelligentię, sed & corpori eiusmodi motus conuenientissimus est: Vt idem docet in Politico. Circuitus, inquit hospes, necessariò ob hanc causam ipsi mundo innatus est. S O C. Quam ob causam inquis? H O S P. idem esse semper & secundum eadem & eodem modo se habere, solis omnium diuinissimis conuenit. Corporis autem natura huius ordinis non est compos. Cæterum id omne quod cœlum mundúmque vocamus, multa quidẽ & fœlicia munera à genitore susceperit: corporis tamen particeps, expers omnino mutationis cuiuslibet esse non potest. Attamen quo ad potest, in eodem & secundum eadem & vno motu mouetur. Quapropter circuitum est adeptum, in quo minima agitationis fit permutatio. Qua ratione Platonici, vt cum totum mundum sua anima vna animatum posuerunt, agnoscunt mundi inferioris, quem elementarem appellamus, partes varias propria suáque anima animatas, sic in parte superiore & cælesti stellarum tam fixarum quàm errantium corpora propria anima, præter eam quæ est vniuersi, informari & exornari voluerunt. Quàm sententiam etiam Aristoteli attribuit Cicero lib. 2. de natura deorum. Quum aliorum animãtium, inquit ortus in terra sit, aliorum in aqua, in aëre aliorum absurdum esse Aristoteli videtur in ea parte quæ sit ad gignenda animantia aptissima, animal gigni nullum putare. Sydera autem æthereum locum obtinent quoniam tenuissimus est & semper agitatur & viget, necesse est quod animal in eo gignatur, id & sensu acerrimo & mobilitate celerrima esse. Quare cum in æthere astra gignantur, consentaneũ est, in his sensum ineſse & intelligentiã: Ex quo efficitur in deorum numero astra esse ducenda. Etenim licet videre acutiora ingenia & ad intelligendũ aptiora, eorum qui terras incolunt eas in quibus aër sit purus ac tenuis, quam illorũ, qui vtantur crasso cœlo atque concreto. Quin etiã cibo quo vtare interesse aliquid

aliquid ad mentis aciem putant. Probabile est igitur præstantem intelligentiã in syderibus esse, quę ad ætheream partem mundi incolant & marinis terrenisque humoribus longo interuallo extenuatis alantur. Sensum autem astrorum atque intelligentiam maximè declarat ordo eorum atque constantia. Nihil est enim quod ratione & numero moueri possit sine consilio, in quo nihil temerarium, nihil varium, nihil fortuitum. Ordo autem syderum & in omni æternitate constantia neque naturam significat, est enim plena rationis, neque fortunam quæ amica varietati, constantiam respuit. Sequitur ergo vt ipsa sua sponte, suo sensu ac diuinitate moueantur. Nec verò Aristoteles non laudandus in eo quod omnia quæ mouentur aut natura moueri censuit, aut vi, aut voluntate. Moueri autem Solem & Lunam & sydera omnia. Quæ autem mouerentur hæc aut pondere deorsum, aut leuitate in sublime ferri: quorum neutrum astris contingeret: propterea quod eorum motus in orbem circúmque ferretur. Nec verò dici potest vi quadam maiore fieri vt contra naturam astra moueantur. Quæ enim potest maior esse? Restat igitur vt motus astrorum sit voluntarius. Hæc Cicero ex Aristotele. Quæ fusius ex illo placuit commemorare, vt in Arist. doctrina lector exercitatus, in illis pleráque notare possit doctrinæ huius non omni ex parte consentanea. De motu verò circulari animæ & corporis mundi, dignissimum est obseruatione quod scribit Paulus Riccius lib. 1. de cœlesti agricultura. Animæ ratiocinantis actum intelligendi, motui similem dici eundémque cum circulari motu comparari. Quia sicut motus in orbem continuus est, qui ad idem punctum redit à quo incœpit: sic anima ratiocinando ipsóque intelligendi actu à se ipsa ad intelligibile extenditur. Vnde rursus in se ipsam reflectitur. Quia quod iam actu factum est intelligibile, nihil est nisi actus intellectus possibilis, quem intelligendo intelligit se ipsum. Circularem autem hunc cælestis animæ motum sequitur cœlestis corporis conuersio, tum propter naturalem cœlestis corporis & animæ nexum, tum etiam ex opere & imperio voluntatis. Nam quemadmodum in nobis, quotiescunque anima circa aliquod obiectum delectabile & iucundum exultat, statim gestiunt corporei spiritus & per corporis molem vna cum sanguine delati, partes huius ad motum concitant, sicut in musico concentu reipsa deprehendimus: sic cœlestium corporum anima cum per ideales & summæ pulchritudinis formas discurrit, & ab harum vna ad alteram fertur, ineffabili tum gaudio afficitur. Affectus verò hic in ipsum cœleste corpus redundans, statim concitatissimum huius motum excitat: accedente voluntatis imperio, quę ideales formas (quas anima contemplatur & concipit) in hanc rerum generabilium materiam depromere gestiens, quoniam hoc non nisi per motum fieri posse animaduertit, hunc circularem assiduum excitat, per quem rerũ omnium opificem Deum imitatur: cuius immẽsa bonitas se per vniuersum effundit, & rebus etiam vilissimis primum essentiæ principium communicat.

IN MVNDO HOC (QVI IPSIVS INTELligibilis imago est) animus à corpore distinguitur. Deinde figuris regularibus ad huius partes accommodatis, illarum principia secundum Pythagoræorum doctrinam ad certas trianguli differentias referuntur.

CAP. II.

1 *Cum autem duo sint ex quibus mundus est constitutus, corpus & animus: quorum illud quidem aspectabile & tractabile, hic neque aspectabilis est, neque tractabilis, utriusque vis & constitutio est diuersa. Corpus enim ipsum exigne, terra, aqua & aëre coagmentatum est.* 2 *Si quidem hæc quatuor, quæ sanè nullum ordinem elementorum prius habebant, mundi opifex formauit Pyramide atque cubo, Octaedro & Icosaedro & præter hæc omnia dodecaedro. Materia enim quatenus Pyramidis figuram suscepit, igni extitit: quòd hæc omnium maximè secando & diuidendo sit accommodata, paucioribúsque triangulis constet, atque idcirco sit rarissima. quatenus autem Octaedra facta est, simul aëris qualitatem accepit: sicut & aquæ, quatenus Icosaedri forma est ornata.* 3 *Cubi verò figuram terræ attribuit vt omnium maximè solidæ atque firmæ. At dodecaedrum ad ipsum vniuersum accommodauit. Magis autem quam hæc omnia ad principia accedit natura planorum. Si quidè plana solidis sunt priora.* 4 *Planæ verò naturæ duo quidnam progenitores triãguli pulcherrimi rectanguli, vnus. Scalenus alter Isosceles. Atque Scalenus cum vnum angulum habet rectum, alterum continentem, duas tertias vnius recti, reliquum verò eiusdem partem tertiam, hunc quidem*

priorem dico. Hoc autem Scalenus triangulus Pyramidis & octaedri atque Icosaedri elementum est. Cum Pyramis ex triangulis quatuor, omnia latera æqualia habentibus constituatur: quorum quilibet, in sex triangulos Scalenos, quales modo dicti sunt, distribuatur. Octaedrum vero ex octo, qui similiter singuli in sex Scalenos diuidantur. Sicut & Icosaedrum ex viginti. Alter verò (dico autem Isosceles) aptus est ad constituendum cubum. Quoniam huius speciei quatuor trianguli coniuncti, quadratum absoluunt: sicut sex quadrata, cubum. Dodecaedro autem ad vniuersum Deus vsus est. Quia in cælo signa duodecim conspiciuntur in Zodiaco, quorum vnumquodque in partes triginta secatur: quemadmodum in dodecaedro ex duodecim pentagonis composito, horum cuilibet in quinque triangulos diuiso, sex trianguli insunt: sicque in toto dodecaedro trianguli trecenti sexaginta reperiuntur, quot & ipsius Zodiaci sectiones sunt. His igitur figuris materia à Deo expressa mouebatur: primùm quidē rudibus vestigiis sine ordine, deinde ab eodem in ordinem adducta, secundum eam rationem quam in illa coagmentatione omnia inter se obtinent. Neque tamen hæc loco discreta manent, sed in perpetua agitatione sunt, eandémque materiæ afferunt. Quoniam mundi ambitu constricta pelluntur, & alternis pulsibus ipsa feruntur: ea quidem quæ tenuiorum sunt partium, in regionem crassiorum. Quare nihil omnino inanè relinquitur & corpore vacuum: atque in illis inæqualitas permanens, concussionem affert. Si quidem materia ab iis agitatur, & hæc ab illa.

Iac. Carpentarij Commentarius in CAP. II.

1 Platonem Cicero refert prima Tuſculana, vt Pythagoreos cognoſceret, in Italiam veniſſe, & in ea cum alios multos, tum Archytam Timæumque cognouiſſe, atque ex his cognouiſſe Pythagorea omnia. Quare cum illi (vt eodem loco ſcribit) rationem ſuæ ſententię ferè nullam redderent, niſi quid eſſet numeris aut deſcriptionibus deſignandum: hic in maximis duabus quæſtionibus de corpore vniuerſi & de eiuſdem anima, vt Pythagoreus videretur, ad figuras & numeros earum explicationem reuocauit: demonſtrationiſque genus hoc nouum & inuſitatum appellauit in Timæo, ſed his cum quibus agebat, planum & perſpicuum: quod illi (vt eo loco ait) omnes huius ingenuæ eruditionis vias peragraſſent. Nunc de figuris in magno corpore, de eiuſdem autem anima capite proximo differendum. Peripatetici cum Democrito, Leucippo & Pythagora hoc fuit commune, quod eorum nemo in quatuor his elementis quibus vniuerſitas conſtat, primam rerum omnium materiam poſuit: ſed cum hæc in ſuis partibus perpetuo quodam circulo in ſe inuicem permutari animaduerterent eadem in ſua principia, materiam inquam & formam, diſtinguenda exiſtimauerunt. Vt eorum vno manente, altero pereunte iſtius permutationis cauſa conſtaret. Porrò quia omnium phyſicorum conſenſu, in rerum permutationibus materia ad nouam formam excipiendam certò quodam modo, eóque pro formarum natura maximè vario, affecta eſſe debet: iſtiuſmodi præparationem illi in elementorum materia agnoſcentes, & ad illam permutationem neceſſariam putantes, non tamen modo ſpectauerunt, nec eadem ratione expreſſerunt. Ariſtoteles enim in illis obſeruans varias actiones, atque paſſiones à contrarietate quatuor qualitatum caloris, frigoris, humoris atque ſiccitatis, manantes has pro primis elementorũ differentiis vſurpauit & penes eas docuit libris duobus de ortu & interitu, quæ de quatuor elementis promptiùs agerent, aut paterentur: quæ facilius aut difficilius in ſe inuicem permutarentur. Democritus autem itémque Leucippus quaſi ſolius quantitatis primas cauſas in elemẽtis quærerent: individua corpuſcula, figura, ſitu atque ordine differentia poſuerunt: ex quorum concurſu illa oriretur. At Pythagorei partim quantitatis, partim qualitatis, per quã illa in corporibus eſt efficax & ad agendum parata, rationem habentes, figurarum planarũ differentiis tanquam principiis elementorum corpora diſtinxerunt: illarúmque permutationibus hæc in ſe inuicẽ commutari crediderunt. Atque vt omne corpus priùs natura intelligitur quantum, ſua figura ornatum, quàm affectũ qualitate patibili: ſic in elementis has planorũ differentias qualitatibus eorundem inter ſe contrariis, natura priores eſſe eóque primorum principiorũ potius quã illas quatuor Peripateticis notas qualitates, rationem obtinere voluerunt. Neque tamen in iis vim efficiendi neglexerunt: ſed eam proprietati figuræ adiunxerunt. Vt quæ acutis angulis cito obiecta corpora diſcernerent atque diuiderent, ea quoque ſuapte natura calida, quę verò obtuſis conſtringerent ac condenſarent, frigida eſſe dicerent. Quibus rationibus cum illi in vniuerſum corpora omnia ex figuris planis componerent: prima corpora quatuor elementorũ, figuris planis non quibuſliber, ſed vt rationi erat conſentaneũ, primis conſtare voluerunt. In figuris verò planis abſolutè quidẽ prima ſpecies eſt circuli, ſecunda trianguli rectis lineis conſtantis. At hic circulum Plato prætermiſit, non quia non potuerit his corporibus accommodari de quorum natura agebatur, quod exiſtimaſſe videtur Cardinalis Contarenus lib. 1. de Elementis (ſed potius ſicut obſeruatum

est à Proclo Commentario 2. in Euclidem) vt ex Pythagoreorum sententia Triangulum ortus conformationisque rerum omnium principium esse doceret, eo in explicandis primorum corporum causis fuit contentus. Quæ Philolaus in Pythagoreorum doctrina diligenter obseruans, trianguli angulum diis quatuor consecrasse dicitur Saturno, Plutoni, Marti & Baccho: his comprehendens quatuor elementorum exornationem, quæ ab ipso cælo, vel à quatuor Zodiaci segmentis proficiscitur. Si quidem Saturnus humidam & frigidam constituit essentiam: Mars ardentem, Pluto terrenam, Bacchus humidam & calidam. Adiicit eodem loco Proclus triangulorum differentias tantum ad generationē conferre, vt iure optimo dici possit triangulum principium esse constitutionis eorum quæ Lunæ sunt subiecta. Nam rectus angulus, inquit, illis essentiam exhibet & ipsius esse mensuram determinat, rectangulique trianguli ratio generalium elementorum efficit essentiam. Obtusus verò vniuersam essentiam ipsis tribuit eiusque ratio formas materiales in magnitudinem auget & omnis generis mutationem. Acutus angulus diuiduam ipsorum naturam efficit: eiusque ratio ipsis rebus diuisiones in infinitū præstat. Absolutè verò triangularis ratio interuallo distantem & vndequáque partibilem materialium corporum constituit essentiam. Quam sententiam Aristoteles variis rationibus exagitat duobus capitibus vltimis lib. 3. de Cælo, aitque Pythagoreos, quod ista sua nimium amarent, idē hac in parte fecisse, quod hi qui in disputationibus proposita defendunt. Omne enim quod concluditur, pro principio habentes, retinent: quasi nō aliqua ex iis quæ concluduntur iudicari oporteat, ac ex fine maximè. Artis autem eius, inquit, quæ in faciendo cernitur, finis est opus: Physicæ verò rationis, id quod proprie semper sensui videtur. Idem cap. 2. lib. 1. de Ortu, hac in parte Pythagoreorum sententiam cum ea comparat quæ fuit Democriti & Leucippi de corpusculis indiuiduis: vúltque illam longè absurdiorem videri. Quod Democritus & Leucippus cum ex corporibus corpora componunt: hoc tantum peccent quod ea quæ pro principiis vsurpant corpora indiuidua ponant: Pythagorei autē duo incommoda subire cogantur, nempe quod ex non corporibus corpora componant & quod in planis quanta quædam, indiuidua esse volunt. Quorum vtrumque in iis est quæ fieri nullomodo possunt. De hac Pythagoreorum sententia vide Galenum lib. 8 de placitis Hippocratis & Platonis: itémque Alexādrum Aphrod. cap. 13. lib. 2. de difficilibus Quæstionibus.

2 Quoniam quinque figuras regulares ex triangulis duorum generum natas ad mundi compositionem Plato adhibet, de illisque quatuor totidem elementis accommodat. Igni, Aëri, Aquæ & Terræ: nonnulli existimant quintam, scilicet Dodecaedram, esse quinti simplicis corporis Ætherei: imò hoc loco aburuntur ad confirmandum illum antè Arist. simplicem quintam essentiam cælestem agnouisse. De quo quoniam abundè satis dictum est antea, nunc id quod est huius instituti persequamur. Cubica figura terræ attribuitur, propter eius constantiam & stabilitatem. Pyramis igni, quia hic secandi & penetrandi magnam vim obtinet: quæ proprietati Pyramidis videtur respondere. Et quod noster ignis qui elementaris naturam imitatur, dum sua leuitate sursum nititur, in acutum verticem desinat: basim habeat latiorem. Sic enim quia ipse sua natura tenuis, oritur de crassiore corpore in quo flamma concipitur & fouetur, tenuem figuram capit: in eámque fortasse vt in suam se recipit discedens à priore, vt impuriore. Quod tamen Theophrastus Libro de Igne, huius imbecillitati cum à suo pabulo recedit, mauult attribuere. Atque hæc Plato de figura duorum corporum quæ antea extrema appellauit. Media vero cum sint aër & aqua, his quoque figuras

eas accommodauit quas ſua ratione, per quandam ad motum atque ſtatum relationem, medias inter illas duas arbitrabatur. Aëri ſcilicet octaedram quæ octo ſedes vel facies habet: Aquæ Icoſaedram, quæ ex triangulis æquilateribus compoſita in facies viginti eſt diſtincta. In quibus eam quam quærimus proportionem Plato ita concludit in Timæo, Terræ, inquit, cubicam ſpeciem aſſignemus. Nam omnium quatuor maximè immobilis terra eſt, & corporalium omnium compacta maximè. Tale verò illud factum eſſe neceſſarium eſt, quod firmiſſimas tutiſſimáſque poſſidet baſes. In triangulis porrò à principio poſitis, qui æquilateres ſunt: firmiorem tutioremque quàm inæquilateres, baſin poſſident. Quamobrem ſi conuenientem probabilémque ſequi rationem velimus, terræ id tribuamus: Aquæ deinde quod tribus reliquis eſt immobilius: igni quod mobiliſſimum, Aëri medium. Et corpus quidem minimum, igni: ſecundum ab hoc, aëri: Aquæ tertium. Cum autem pluribus modis quam quatuor (inquit Contarenus Cardinalis lib. 1. de Elementis) duæ trianguli ſpecies, quibus pro principiis Plato vtitur, in planis compoſitæ ſolidum facere non poſſent: rectè ab eodem dictum eſt aliud corpus ſimplex ab iis quatuor quæ noſtris ſenſibus obiecta ſunt, inueniri non poſſe. Sed quoniam præter has quatuor ſolidas figuras regulares, quinta etiam conſtitui poteſt ex pentagonis, quorum tria in vnum compacta ſolidum angulum faciunt ſicque duodecim, figuram complent duodecim baſium: Vt corpora quæ natura conſtant omnino reſponderent Mathematicis, quæ Pythagorici naturaliũ principia eſſe cenſebant, vniuerſo hanc Dodecaedram figuram aſcripſit. Ex quibus intelligi poteſt quintam hanc figuram non eſſe *quinti* corporis ſimplicis: ſed quinti magni corporis vniuerſi, ex quatuor *primis* corporibus ſimplicibus compoſiti. Quod etiam contra Proclum diſputat Io. Grammaticus libro de mundi Aeternitate. Quanquam aliud videtur Beſſarioni Cardinali cap. 6. lib. 1. ſicut & pleriſque Platonicis. Quoniam hi fateri nolunt Platoni Cælum, aut natura ſua igneum eſſe, aut ex quatuor elementis conſtare.

3 Quadratam enim figuram & cubicam in ſolidis veteres firmiſſimam eſſe putauerunt. Ideóque Ariſt. cap. 10. lib. 1. Ethic. virum beatum in omnibus fortunæ mutationibus conſtantem, quadratum vocat: & Plato in Protagora, difficile eſſe ait virum bonum effici, manibus pedibúſque ac mente quadratum. Quanquam Celius Calcaquinus in ſuo paradoxo de perenni terræ motu, figuram cubicam verſatilem eſſe contendit: eóque per prouerbiũ dici de eo quod facile & ſua ſpõte illabitur, Teſſera verſatilius. De reliquorum autem elementorum figuris, hoc maiore probabilitate quæri poteſt quàm apte igni Pyramis accomodetur. Cum hæc penes ſuam baſin maximè firma eſſe, & à ſuperiore figura aculeata minus præmi, ideóque perpetuæ agitationi ipſius ignis cõtraria eſſe videatur: Aut cum aër agilitate motúſque celeritate aquam ſuperet, cur ille octo hedras, id eſt ſeſſus ſiue ſedes, hæc viginti habere dicatur: cum figura Icoſaedra id eſt viginti facies ſiue ſedes ſimiles habens ad globoſam proximè accedat penéque rãtum in puncto planum in quo eſt, tangat, ideóque Octaedra, quæ aëri tribuitur, longè volubilior ſit. Quod obiicit Ioannes Grammaticus libro de mundi æternitate. Sed in eo in quo ab illo Plato exagitatur, hic certè aliud ſpectauit, ſignificaréque voluit aquam magis eſſe compoſitam quàm aërem, & hunc magis quàm ignem. Quia in igne ſunt tantum trianguli primi 24. in aëre 48. in aqua 120. vt paulo pòſt accuratius docebitur, & à Plutarcho pluribus eſt expoſitum in huius ſententiæ interpretatione, libro de defectu Oraculorum. Quo loco ſubtilius etiam hic in Platonis doctrina philoſophatur hoc modo. Plato eos oppugnans (inquit) qui vniuerſum dicunt eſſe vnum, & id quod eſt, dicit eſſe, & idem & alterum: præterea

motum & ſtatum. Itáque cum iſta quinque ſint, profectò admirandum non eſt, corporeorum illorum quinque elementorum ſingulorum ſimulachra & imagines naturam eſſe molitam, non integra tamen, neque ſincera, ſed quódque cuiuſque poteſtatis maximè particeps. Nam Cubus planè ſtatus proprium corpus eſt, propter æquorum laterum ſtabilitatem & firmitaté: Pyramidis autem igneã mouentémque naturam in gracilitate laterum & angulorum acumine quiuis agnoſcat: at Dodecaedri natura quæ alias figuras complectitur, eius quod eſt imago in vniuerſitate corporata extitiſſe videtur. E duobus reliquis Icoſaedron, alterius formam, Octaedron eiuſdem, adepta ſunt: quorum vnum aërem, qui naturam omnem in ſua ſpecie continet, alterum aquam, quæ temperatione in plurima qualitatum genera conuertitur, edidit.

4 Triangulorũ rectis lineis cõſtantium (quales ſunt quos ad elemẽtorum compoſitionem Pythagorei adhibent) diuiſio duplex eſt: vna à laterum cõparatione ſecundum quantitatem: altera ab angulorum quos laterum compoſitio facit, diuiſione. Priore modo triangulorum tria genera ſunt. Nam in Iſopleuro latera omnia æqualia in Scaleno contra, omnia inæqualia. In Iſoſcele duo crura inter ſe æqualia, tertium latus quod pro baſi eſt, illis inæquale. In quorum diſtinctione cauendũ eſt ne latera quando abſolutè dicimus, ea cum cruribus confundamus. Poſteriore verò cũ angulus omnis aut rectus, aut acutus, aut obtuſus eſſe dicatur, omnis quoq; triãgulus aut tres angulos acutos habebit, vt Iſopleur⁹, aut vnũ rectum, aut vnum obtuſum, ex quo rectangulum, aut obtuſangulum dicere audeamus. Quoniã nũquã triãgulus angulos rectos, aut obtuſos reipſa plures vno habere poteſt. Sicut ex eo intelligitur quod cum omnis triãguli tres anguli interiores ſint æquales duobus rectis (quod cõfirmat Ariſt. Familiare exemplũ in logicis) & acutus minor ſit recto obtuſus eodem maior: non poteſt neque duos obtuſos neque duos rectos habere. Alioqui tres anguli ſimul ſumpti eſſent maiores duobus rectis. Iam verò quia in angulis quod rectum eſt, idem quoque natura finitum & primum (nam de acutis & obtuſis quidam magis minúſve tales in infinita varietate eſſe poſſunt, atque horum ratio, ex recto vt natura priore, atque tanquam ex regula deducitur) ideirco illi in triangulis, natura primos cæterorum elementa & principia eſſe voluerunt rectãgulos. Quibus efficitur in talibus principiis Iſopleuro locum non eſſe: quoniam ſicut dictum eſt, omnes angulos habet acutos. Quãquam à Proclo rectè ſcriptum eſt Commentario 2. in Euclidem, eiuſmodi triangulum trium elementorum, ignis ſcilicet Aëris & Aquæ cauſam eſſe proximam: ſicut & terræ quadrangulum. Sed aliud eſt cauſam effectui proximam dicere, aliud natura primam. Vt in Analyticis Poſter. Ariſt. docet & in re propoſita ex ſequẽtibus intelligetur. Porrò cum reliquæ ſint duæ ſpecies, Iſoſceles & Scalenus: his vt re ipſa, vel certè poteſtate, habentibus vnum angulum rectum natura primum, vtendum eſt ad quatuor primorum corporum compoſitionem. Iſoſceles autem, vt Plato ait, vnicã habet naturam: Scaleni tria latera inæqualia habentis, ſpecies ſunt infinitæ: in quibus primum ſtatuit omnium pulcherrimam eſſe deligendam. Deinde aſſumit in eiuſmodi varietate infinita pulcherrimum eſſe triangulum ſcalenum, ex quo conſiſtit triangulus triũ laterum æqualium, qui Iſopleurus appellatur, tandémque ſubiicit talem eſſe triangulum Scalenum in quo longius latus minimo latere, potẽtia triplo maius eſt, ad medium verò obtinet eam proportionem quæ ſeſquialtera. In quo obſeruandum eſt Platonem eſſe loquutum de laerum proportione: Alcinoum autem hoc loco ſcaleni tres angulos inter ſe cõparaſſe, & in infinita eius comparationis varietate (quæ in natura principij rationem habere non potuit) eam ſpe-

ciem primã statuisse,in qua angulus vnus rectus est: reliqui duo alterum rectum ita æquant,vt vnus eorum huius duas tertias partes complectatur,reliquus verò ejusdem reliquam partem tertiam. Ita scilicet vt huius maximus angulus (qui idem quoque rectus est) ad minimum, proportionem obtineat triplam,ad medium autem,sesqui:medius vero ad minimum,proportionem duplam. Quę quidem proportionis varietas per numeros graduum sic potest exprimi: vt maximus angulus idémque rectus sit centum & octoginta graduum, medius,graduũ centum & viginti:minimus, graduum sexaginta. Quibus positis,ex tali scaleno & Isoscele tanquam ex primis principiis (per medium tamen Isopleurum, qui ideirco dicitur non habere rationem primi principij) sic componit quatuor figuras regulares quæ quatuor elementis sunt accommodatæ. In quarum singularum compositione duo gradus sunt considerandi, hoc modo. In terra Isosceles dum in planis per quaternarium multiplicatur, primo quadratũ parit: deinde hoc multiplicatum senario,absoluit sex latera figuræ cubicæ. Sicque Isosceles,vt modo ex Proclo dicebamus, primum est terræ principium, quadratum vero,proximum. In igne sex Scaleni tales quales delegimus,in plano compositi, faciunt vnum triangulum æquilaterum. Deinde quatuor trianguli æqualia latera habentes,in solidis coniuncti,pyramidem componunt. Quare & in Scaleno primum est huius principiũ:in Isopleuro proximũ. Eadẽ ratione octo triãguli æqualium laterũ siue Isopleuri,aërem proximè constituunt:at hi singuli,sex scalanis constant. Ex quibus efficitur ignis prima principia, Scalenis 24. Aëris autem his 48.contineri? Aquæ item proxima compositio erit ex 20. triangulis æqualium laterum: prima verò ex Scalenis 120. in quos illi viginti trianguli æqualium laterum tanquam in prima principia dissoluuntur. Ex quorum comparatione Plato voluit intelligi quam rationem adinuicem quatuor hæc elementa obtineant. Nam quia ignis, aër & aqua pro primo principio Scalenum habent, Terra verò Isosceles: colligit non posse hæc omnia in seinuicem ita dissolui atque permutari, vt ex multis paruis pauca ingentia, vel è conuerso efficiantur. At illa tria priora posse. Cum enim, inquit,hæc ex vno facta sint omnia,quando maiora soluuntur, multa exigua ex eisdem constituuntur, paruas congruásque sibi figuras adepta. Rursus quando multa per triangulos disperguntur amplificata, vnum vnius molis faciunt numerum magnâmque aliam speciem vnam perficiunt. Atque etiam ampliùs significauit quæ in numeris triangulorũ ex quibus tanquam ex primis principiis tria elementa constant, proportio existit, inter 24.48.& 120. eandem esse in tenuitate & densitate substantiæ inter ignem, aërem & aquam. Vt scilicet aër duplo sit densior igne, sicut illius triãguli 48.ad 24.(qui ignem componunt) duplam proportionem habent. Quod idem de comparatione aquæ cum illis secundum numerum triangulorũ primorum est iudicandum. Eadem fundamenta Aristoteles quadam ex parte secutus, docuit ea tantum in se inuicem permutari posse quæ constant materia eiusdem generis. Quibus solis agendi patiendíque vicissitudinem tribuit lib.1.de Ortu. At certè in huius doctrina illud magis physicum esse videtur, quod in quatuor elementis obseruans secundum primas qualitates variam naturæ cognationem atque dissimilitudinem, fatetur lib.2. posse quidem eorum quodlibet in quoduis permutari: sed in quibusdam hoc esse faciliùs, vt in his quæ vnam qualitatem quodammodo cõmunem habent in aliis,quæ vtraque qualitate pugnant,difficiliùs. Quoniam,vt ait,vnum facilius mutatur quàm duo. Nam & ipse Plato terræ in reliqua elemẽta permutationem agnoscit,quam tamẽ hoc loco negat in primo principio cum illis cõmunicare,eámque sic explicat in Timæo. Terra cum in ignem incidens, cius

eius acumine dissoluta, fertur resoluta in ignem, aut aërem, aut aquã, quousque partes ipsius congressæ iterum, sibi inuicem copulatæ, terram reficiant. In celeritate autem vel tarditate motus eandem inter elementa proportionem esse vult, quam bases in illis obtinẽt. Ex his omnibus, inquit, quod bases pauciſſimas habet, velociſſimum est necessariò. Est enim ad penetrandum promptiſſimum: quippe cum prorsus sit omnium acutiſſimum. Leuiſſimum quoque, cum ex pauciſſimis partibus eisdem constet. Quod secundum est, secundo loco hęc habeat oportet: Tertium, tertio. Ad hæc autem omnia apertius intelligenda valẽt quæ de angulo ex Pythagoreis & Platonicis, locis variis scribit Proclus Commentario in Euclidem: Primum, notam esse & imaginem coarctationis quæ diuinis ineſt, ordiniſque quo diuisa in vnum, partibilia in impartibilem naturam, multáque copulantem communitatem colliguntur. Ideóque ab Oraculis, angulares figurarum coniunctiones, nodos nuncupari: quia imagines sunt vnionum coarctantium diuinarúmque coniunctionum: per quas ea quæ natura discreta sunt, sibi inuicem cohęrent. Deinde idem adiicit eos angulos qui in superficiebus spectantur, ipsarum rerum vniones exprimere magis immateriales, simpliciores & perfectiores. Eos verò qui sunt in solidis, iam ad inferiora progredi, magisque diſiunctis rebus communitatem & omnino partibilibus, eiusdem naturæ vnionẽ tribuere. Rursus eorum angulorum qui sunt in superficiebus, quosdam primas harum formas mixtásque affingere, alios eas quæ infinitatem progressionum in ipsis existentium complectuntur: nonnullósque intelligentes formas vnire, vt qui ad circulos pertinent: alios sensibilibus accommodari & rationum in his existentium coniunctionem prębere, vt rectilineos: alios esse mixtos, qui res eas copulant quæ inter has & illas locum medium obtinent. Quæ faciunt vt intelligamus, cur pro principiis elementorum, quæ prima sunt sensibilia corpora, eos tantum angulos Alcinous ex Platone sumat qui & in planis spectantur, & rectis lineis cõstant. Cum verò rectilineorum angulorum tres species sint, Rectus, obtusus & acutus, quia recti omnes æquales sunt inter se, sui similes, vel potius omnimo iidem, idcirco hos Pythagorei consecrant diis puris & immaculatis, vt authoribus diuinæ prouidentiæ, qua inferiora reguntur. At quia acuti & obtusi maioris & minoris inæqualitate distincti sunt, & secundum hæc ipsa motum infinitum habent, hos illi referunt ad Deos progressionis & motus, qui rebus ipsis natura constantibus varias facultates dicuntur tribuere. Quibus etiam explicari potest cur in triangulis elementa primo constituentibus, Plato potissimum affectauerit angulum rectum: nec tamen eorum originem sine acuto & obtuso potuerit explicare. Quoniam, vt idem Proclus alio loco scribit, obtusus angulus elementis vniuersam subſtãtiam tribuit, eiúsque ratio materiales formas in magnitudinem auget & in omnis generis mutationem: acutus verò illorum naturam diuisibilem efficit. Addit etiam hic in triangulis Aequilaterum omnium esse optimum & circulo diuiniſque animis sua æqualitate & simplicitate maximè cognatum. Quoniam, inquit, mensura inæqualium æqualitas est, quemadmodum inferiorum omnium diuinitas. Ex quo colligi potest causa alia ab ea quæ superius est reddita, cur Plato in primis elementorum principiis æquilaterum triangulum non vsurpauerit.

IN MVNDO HOC, DE CVIVS CORPO-

re dictum est, obseruat animum & mentem, in iisque idem & alterum: quæ duo apud Platonem sunt rerum omnium principia. Deinde hæc etiam cælestibus corporibus accommodat, singulorúmque proprios motus distinguit.

CAP. 12.

1 *Ex corporibus ad eas facultates quæ in animo apparent, huius doctrinam instituit.* 2 *Nam cum omnia quæ sunt, animo diiudicemus, meritò rerum omnium principia huic insita esse voluit: vt eorum quæ occurrerent quodlibet, per id quod cognatum est & familiare contemplantes, consonam functionibus essentiam huic accommodaremus. Cum itaque diceret substantiam quandam esse intelligibilem, indiuiduam, aliam quoque circa corpora diuiduam posuit: declarans vtriusque cognitionem intelligentia posse parari. Videns autem in intelligibilibus idem, & alterum in ipsis diuiduis, ex his animum composuit.* 3 *Aut enim simile simili cognoscitur, (vt Pythagoreis placet) aut, vt Heraclito Physico, dissimile dissimili.* 4 *Quando autem mundum genitum esse ait, non sic accipiendum est quasi fuerit aliquod tempus in quo mundus non esset: sed quia semper in generatione est, atque arguit existentiæ huius causam quandam esse priorē, & ad principij rationem magis accedentem. Neque verò mundi animum, qui semper fuit, Deus procreat, sed exornat: atque hunc procreare dicitur, ad se ipsum eius mentem conuertens illámque excitās quasi ex caro quodam & profundissimo somno. Vt in ipsius intelligibilia intuens, species & formas excipiat, illius notiones appetens. Perspicuum*

igitur est mundum animal esse & intelligentiæ particeps. Nam cum hunc optimum Deus esse vellet, consequens erat vt animatum & intelligentem faceret. Quandoquidem opificium animatum inanimato omnino præstantius est, & intelligens non intelligente. [5] Nec fortè ipsa mens sine animo poterat subsistere. [6] Animo verò sic fuso à medio ad extrema, accidit vt mundi corpus circulo complecteretur & circumtegeret: sicque per omnes mundi partes idem extensus, hunc colligaret atque coniungeret. Adeo vt quæ illius externa sunt, eadem internis præsint. [7] Animus quidem externus indiuisus permansit, internus autem in septem circulos diuisus, à principio secundum dupla & tripla interualla distributus. Isque qui ab indiuidua sphæra comprehenditur, eidem respondet: alteri autem is qui diuisus. Motus enim cæli omnia complexu suo continentis, erroris nescius, vnus est & ordinatus. At verò interiorum orbium, varius, ortibúsque & occasibus permutatur: atque ex eo erraticus appellatur. Fertur autem extimus orbis ad dextra, ab ortu in occasum incitatus: interior verò retrorsum ad sinistra, ab occidente in orientem, mundo obuiam eundo. Stellas autem & astra Deus ipse est fabricatus, & horum quædam inerrantia, ad cæli noctísque ornatum: quæ in numero sunt maximo. Alia verò ad numeri temporísque originem, & eorum quæ sunt illustrationem. Quæ septem sunt. [8] Etenim tempus fecit motionis mundi interuallum, vt imaginem sempiternitatis: quæ mẽsura est status mundi sempiterni. Errantium quoque syderum nõ eadem vis. Siquidem Sol dux est omnium, detegens & illustrans vniuersa. Luna verò ratione potestatis suæ, ordine secunda cernitur. Cæteri

Planetæ ſecundum ſuam conditionem, inter ſe quãdam rationem obtinent. Luna quidem menſis menſuram conficit: eo ſpatio circulum ſuum abſoluens, & tanto Solem complexa. Sol autem anni. Quoniam per Zodiacum excurrens, anni tempora adimplet. Reliqui pro ſua quiſque ratione proprios ambitus conficiunt: qui non quibuſuis noti ſunt, ſed eruditis. Ex iis autem omnibus perfectus numerus & tempus exurget, cum ad idem punctum omnes regreſſi, eum habebunt inter ſe ordinem, vt ſi linea recta animo concipiatur ab inerrante orbe in terram ad pares angulos producta, in hac omnium centrum conſpiciatur.[1] Cum igitur ſeptem ſint ſpheræ in ſphera errante, in his corpora ſeptem aſpectabilia, ex ignea ſubſtantia plurima, Deus fabricatus, ipſis globis ex errante & altero circulo participantibus accommodauit. Lunam quidem in circulo à terra primo poſuit: Solem in ſecundo: Luciferum & Mercurij ſtellam, quæ ſacra dicitur, in eo cuius cum Sole par eſt & æqualis conuerſio: qui tamen ab hoc diſtat. Supra autem reliquas poſuit, ſecũdum propriam cuiuſque ſpheram. Tardiſſimam quidem omnium ſtellam quam Saturni nominant, in ſphera inerrantibus proxima: ab hac verò tarditate ſecundam, Iouis: ſub qua ſtella Martis. Octaua poteſtas, quæ ſuprema, has omnes eſt complexa. Omnia verò hæc, animalia intelligentia & Dij, & globoſa figura prædita.

Iac. Carpentarij Commentarius in Cap. 12.

1 Apud Platonem in Timæo, animæ compoſitio antecedit exactam explicationem eorum quæ pertinent ad corpus: Ex qua collecta ſunt ea quæ tradita capite ſuperiore. Sequitur verò alteram eiuſdem rudem deſcriptionem, in qua de ma-

teria prima pauca dicuntur. Quem ordinem Alcinous hoc loco non est sequutus Cur verò Plato de anima mundi prius disserendum arbitretur, quam de eiusdē corpore, idem sic explicat. Omnibus his de causis, inquit, mundum opifex eius beatum deum effecit: sed animam haud ita vt modo dicere cœpimus, tum deniq; cum corpus ei effecisset, procreauit. Neque enim qui hæc coniunxit, parere iuniori antiquius permisisset. Sed nos multa, vt pote fortunæ participes, inconsideratè & temerè loquimur. Ille verò tam generatione quam virtute priorem antiquioremque animam corpore constituit: vt pote quæ obedienti corpori esset imperatura. Eadémque ratione in Epinomide & lib. 10. de legibus, scribit animā quouis corpore esse antiquiorem. Ex quo existit in theologia Christiana dubitatio, quod in hac primum hominis corpus de terra formatum dicitur, deinde in hoc anima cum diuino spiritu immissa. Quam ita explicat D. Chrysostomus cōmentario in cap. 2. Genesæos. Si anima dignior est corpore, inquit, quare indignius primo formatum est & postea quod eminentius? Non vides, dilecte, quod & in creaturis hoc idem vsuuenit. Sicut enim cœlum & terra, Sol & Luna & cætera omnia formata sunt & irrationalia animalia, & post hæc omnia, homo, horum principatum susceperturus: ita & in hominis formatione, prius corpus producitur & postea anima, quæ dignior. Et sicut animalia ministerio hominis vtilia futura, ante hominem formantur, vt paratum haberet ministrum is ad cuius vsum creabantur: ita etiam corpus ante animam formatur, vt cum secundum ineffabilem creatoris sapientiam anima produceretur, posset secundum suas potentias operari per corporis motionem. Apud Aristotelem autem in communi comparatione formæ cum sua materia, obseruandum est formam illa priorem natura & eadem posteriorem verè dici: sed ipsius naturæ significatione diuersa. Nam vt hæc nascendi ordinem significat, quia in eo aliquid primum subesse oportet, deinde hoc informari, materia natura prior esse dicitur. At vt eadem natura pro rei cuiusque essentia & summa perfectione vsurpatur, forma materiam antecedere merito dicitur. Quia materia à sua forma primam essentiæ perfectionem capit. Ex quo hoc etiam accidit vt eadem forma physica à sua materia ratione & cogitatione separari posse dicatur capite secundo libri secundi Physic. Quo modo in huius doctrina partes toto priores sunt natura, id est nascendi ordine, quia totum ex partibus consurgit: & totum natura prius partibus, vt ciuitas domo libro primo Politi. quod ex toto partium perfectio spectetur & ad illud tanquam ad finem referatur. De quo ipsum Aristotelem audiamus cap. 1. lib. 2. de partibus animalium. Cum contra in rerum origine, inquit, atque in essentia contingat, & quæ origine primæ sunt, natura sint posteriora, quodque natura primum est, idem quoque origine sit vltimum: Materia origine prior erit, ratione verò essentia rei cuiusque & forma. Quod antea contra Academiæ nostræ Thessalum methodicum à nobis notatum est in posteriore disputatione de Methodo & contra eiusdem sectatorem Logodedalum, repetitum in caput nonum Alcinoi. Ad huius autem initij explicationem præter ea quę satis multa contra eundem Logodędalum in nostra admonitione obseruata sunt, pertinet locus nobilis apud Proclum libro de anima & dęmone, in quo docet potentias cognosci ex actionibus, quarum ipsę matres sunt. Mediam namque inter actionem & essentiam esse ipsam potentiam: quę producta est ab essentia, actionem verò producit. Ideóque diuina numina quę inter nos deósque media sunt, potentię nomine à Platonicis solere exprimi. Quoniam vera essentia verúmque esse penes Deos existit.

Potentia verò diis ritè ministrans in dęmonibus habet locum. Actio denique & effectio per eorum potentiam foras progressa, versatur in nobis. Similis locus est apud Arist. cap. 4. lib. 2. de anima.

2 In hoc permulti de veteribus inter se conuenerunt, quod cum arbitrarentur similibus similia cognosci, & animatum ab inanimato cognoscendi facultate potissimum esse distinctum, animæ rerum omnium principia inesse, vel potius animam esse hæc ipsa, dixerunt: vt per hæc posset omnia cognoscere. Sed prout extiterunt illorum variæ sententiæ de rerum principiis, ita de animæ natura variè sunt loquuti. Quare Empedocles cum rerum omnium principia, efficientia quidem in concordia & discordia, materiam autem in quatuor elementis posuisset, de animæ natura & essentia sic est loquutus

Terram namque homines ex terra vidimus ipsi,
Sic genus ex vnda nostrum cognouit & vndam,
Aethere diuinum sic æthera, & ignibus ignes,
Visus amore amor est, tristi discordia lite.

Sic enim Aristoteles hos versus interpretatur cap. 2. lib. 1. de Anima. Quanquam Galenus lib. 7. de decretis Hippocratis & Platonis, ipsum Platonē sequutus eosdem non ad animæ essentiam refert, sed primis propriisque quinque sensuum instrumentis accommodat. In quo Plato ab eodem Aristotele repræhenditur libello de sensu. Sentimus, inquit Galenus, reuera terrestri sensu tactus, *terrestrem* insitam in rebus naturam: Lucidissimo, qui est visus, lucidam: non secus *etiam* æreo auditus sensu, proprias aëris affectiones dignoscimus. Quemadmodum gustatu qui humidus natura spongiosusque est, succorum qualitates nobis manifestant. Illius verò sententiæ de animæ essentia, quàm veteribus philosophis maximè familiarem fuisse diximus, hanc rationem reddit Aristoteles eodem cap. 2 lib. 1. de Anima. Qui cognitionem, inquit, in anima & sensum rerum quæ sunt spectarunt, hi animam principia dicunt, & qui plura faciunt, ea ipsa plura principia animam esse dicunt. Qui verò vnum, hoc ipsum. Vt Empedocles, ex elemētis omnibus. Eodémque modo Plato in Timæo animam ex elementis facit. Rem enim simile simili cognosci. Quæ Aristotelis dicta cū hoc contextu magna ex parte consentiunt. Ea verò animæ compositio de qua nunc Alcinous loquitur ex eodem & altero, vt duobus vniuersæ naturæ principiis, sic à Platone explicatur in Timæo. Ex substātia quæ indiuidua, inquit, & semper eadē similisque est, & ex ea rursus quæ circa corpora diuidua fit, tertiā substantiæ speciem commiscuit mediam: quæ rursus esset naturæ ipsius ciusdem & naturæ ipsius alterius particeps: eámque per hæc mediam constituit inter indiuiduā substantiam & eā quæ circa corpora diuiditur. Et cum tria sumpsisset, in vnam speciem omnia temperauit. Aristoteles eodem loco aliam quoque ex eodem Platone animæ compositionem colligit ex principiis Geometricis & Arithmeticis. Quoniam hic, vt antea diximus, Pythagoræ doctrinam sequutus, in vniuersa philosophia rebus mathematicis valdè est oblectatus. Similia, inquit Arist. à Platone in libris quos de philosophia scripsit, tradita sunt. Ipsum enim animal ex vnius idea primisque longitudine, latitudine & altitudine constare, cæteráque eodem modo. Præterea alio etiam modo hæc tradit, mentem esse vnum, duo scientiam: Vno enim modo ad vnum referri. Latitudinis autem numerum opinionem, soliditatis verò sensum esse. Numeros enim species ipsas & principia dici rerum omnium, eósque esse ex principiis & elementis. Iudicari autem res partim mente, partim scientia, alia opinione, alia sensu. Hos verò numeros species esse rerum omnium. In illa

autem priore sententia quæ versibus Empedoclis antea explicata est, quoniam cum reipsa sentimus primi instrumenti commutationem quandam (alterationē dicere audeamus) fieri necesse est. Galenus eodem libro concludit inter instrumentum & qualitatem quæ sentitur, naturæ similitudinem intercedere oportere: quòd similia à similibus (vt frequenter eo loco repetit) secundum naturam alterentur. At Arist. cap. vltimo lib. 1. de Anima, contraria à contrariis pati vult, eóque effici arbitratur si sensu percipere atque intelligere, pati quiddam sit, hoc in naturæ dissimilitudine inter id quod sentit atque sentitur, potius quam in similitudine consistere. Sed ille fortasse similitudinem spectauit ex potestate: hic dissimilitudinem ex actu & energia. Sic enim idem docet libro primo de ortu, agentia patientibus penes materiam, cuius est potestas, esse similia: penes qualitatem autem secundum quam fit actio, initio dissimilia esse: tandem verò, cum ipsa actio suum finem adipiscitur, similia effici. In cuius doctrina id dubitationem habet quod libello de sensu, oculos suapte natura & reipsa pellucidos esse vult, vt à medio pellucido moueantur: at eodem libro, instrumentum odoratus potestate tantum igneum esse ait, vt odores qui aliqua ex parte fumidā & igneam naturam habent, possit excipere. Ex eóque concludit, restè instrumentum hoc esse positum in eo loco qui cerebro frigido & humido vicinus est: quòd frigoris subiectum, ad recipiendum calorem vim habeat. Sed his prætermissis, nunc aliud agamus & ad animę compositionem ex tribus vniuersæ naturę principiis redeamus. In hac Plutarchus libro de animę procreatione, eos reprehendit qui idem quietis, alterum motionis vim animæ præstare crediderunt: illāque tria ad huius facultates refert, quas ex illis ita distinguit. Ergo magni operis fuerit, inquit, explicare vnde anima istam agitationem rerum sensum mouentium perceptricem & opinatricem adepta sit aliam ab intelligente & in scientiam desinente: nisi ratum firmúmque statuas nunc à Platone non absolutè animam, sed mundi animam ex subiectis naturis confici, vna præstantiore & indiuidua, altera deteriore quàm corporibus diuiduam appellauit. Quæ non alia profecto est quā agitatio opinatrix & visorum informatrix, cum his quæ sensum mouent consentiens. Haud sanè nativa illa quidem, sed non secus quam altera, ex eterno cohærens. Natura quippe cum intelligentem vim sortita sit, etiam opinationem habebit: sed illam immobilem, impatibilem, in materia semper manente considentē: istam diuiduam & vagam, vt quæ materiā semper mouentem & caducam apprehēdat. Neq; enim quod sensum mouet ordinatū erat, sed deforme & interminatum in eóque collocata vis, neque opiniones articulatas, neque motiones cōstantes & ratas habebat: sed plerúmque inani quodam somnij ludibrio fucatas, & temerè turbulentéque se iactantes, quibus quod corporatum erat sollicitabatur & perturbabatur, nisi forte fortuna in meliorē partem incurreret. Nam media inter vtrámque erat, vtrísque consentientem & cognatam indolem sortita, sensu materiā vsurpans, iudicio ea quæ intelligentia continentur, vendicans. Denique toto eo libro id ille agit, vt doceat in anima alterum differentiam partium & facultatum significare: idem autem in illa differentia certum ordinem ac proportionem: Atque secundum eadem principia numeros rationibus harmonicis colligatos in anima ita misceri, vt illis insitum alterum, differentiam pariat, idem autem in ipsa differentia, ordinem. Quemadmodum in cælo cum eodem apparet alterum, ex inerrantium conuersione: cum altero idem, ex errantium ordine. Quibus omnibus effici arbitratur, in vniuersa natura duo hæc principia idem inquam & alterum, reperiri: sed in cælesti vincere ipsum idem, in terrena vero & caduca natura, alterum. Quæ omnia sic intelligenda sunt, vt eiusmodi principia

nullam in anima compositionem reuera significent: sed vt Proclus ait, tantum exprimant mediam illius naturā inter ea, quæ propriè in intelligentiam cadunt, & quæ ipsos sensus mouent. Nam vt illa sentiendo, cum corpore communicat, quodammodo fit particeps diuersitatis & mutationis eius quæ in ipsum corpus cadit. Vt autem in intelligendo quo ad potest à corpore se ipsa separat, eam constantiam retinet quam ipsum idem apud Platonicos significat. Quo modo vitabimus quod contra hāc compositionem ex Seuero Platonico cōmemora. Eusebius cap. 10. lib. 14. de Euangelica præparatione. Si ex passibili, inquit, atque impassibili substantia, diuinitus anima constituta est, quasi ex albo & nigro medius quidam color, necesse est tempore separatis extremis, eam penitus dissolui. Quare non immortalis, sed mortalis ea erit. Conceditur enim quæcūque natura sine cōtrario non sunt, ea spatio tandem temporis dissipari. Si ergo anima quoque ex impassibili atque passibili substantia facta est: necesse est, quemadmodum siccum ab humido, calidum à frigido, leue à graui, dulce ab amaro, album à nigro, sic & ipsam tempore distrahi soluta contrariorum compagine. Cum vnumquódque ad naturam suam necessario tendat. An non videmus quod graue est, quamuis à leuiore victum eleuetur, deferri tamen & ascendendi tarditatem atque difficultatem coniunctione sua afferre? Ac similiter leue quamuis ad inferiora cogatur, ad superiora tamen niti? Quæcunque enim ex duobus contrariis coniuncta sunt, impossibile est eodem modo semper manere. Sed non est certè anima ex duobus contrariis composita, sed simplex natura & incorporea. Vnde rectè Plato eam immortalem putauit. Verum quoniam ex anima & corpore cōstare hominem ab omnibus dicitur, ac passiones quæ nobis spoute contraque accidunt, animæ passiones esse dicuntur: hoc signo multi deducti, passibilem substantiam eius corporalem mortalémque opinati sunt. Plato vero impassibili eius naturæ, passibilem substātiam annectere conatus est. Atque hæc quidem Eusebius de eodem & altero in ipsa anima. Cuius alia quoque compositio e numeris quam paulo post attingit tantum Alcinous ex Platonis Timæo: atque ideo de hac paulo pluribus nobis hoc loco disserēdum. De qua sic ille in Timæo. Vnam principio, inquit, ex vniuerso portionem accepit. Secundam autem primæ partis duplam. Deinde tertiam, quæ secundæ sesquialtera esset, primæ tripla. Postea quartam secundæ duplam. Quintam deinceps tertię triplam. Sextam primæ octuplam. Postremo septimam quæ partibus sex & viginti primam excederet. Quæ proportionis diuersitas in his septem numeris spectari potest 1. 2. 3. 4. 8. 9. 27. In quibus videtur alludere ad veterum heptacordon, illis inter musica instrumenta celeberrimum. Definunt autem illi septem Platonici numeri in 27. qui ternarij cubus est: in quo propter ternarij dignitatem maxima numerorum perfectio ab eisdem est posita: ideóque illa animæ accommodata, vt formæ omnium perfectissimæ & reliquarum naturalium perfectionem in se adeptæ. Nam cum apud Pythagoreos, quos hac in parte Plato sequutus, numeri duplices sint, quidam primi & exemplares, alij secundi & sensilibus rebus accommodati, omnia quæ naturā constant, facta esse in numero, nihil est aliud quam rebus singulis insitam perfectionem, quæ formæ est cum materia communicantis, deriuatam esse ex forma exemplari, quæ consistit in numeris, quos iidem appellant separatos. Itaque positis iisdem fundamentis, quæ vsurpata sunt in superiore opinione de compositione animæ ex eodem & altero, vt anima per similitudinem posset cognoscere eam perfectionem quæ singulis rebus insita, ad numeros reuocatur, rationi fuit consentaneum, vt eadem ex numeris primis componeretur, & ex iis in quorum cōparatione perfectissima proportio cerneretur, eadémque ad naturam

ram & functiones animæ accommodata: quales illi eos esse volunt qui paulò antè sunt enumerati. In quibus cum interualla sint sex, ex iis tria, extremorũ proportionem habent duplam: reliqua verò totidem, duplam. Nam vna ex parte. 2. ad 1. 4. ad 2. & 8. ad 4. proportio dupla. Ex altera verò. 3. ad eandem 1. 9. ad 3. 27. ad 9. proportio tripla. Vnde ab eisdẽ Pythagoreis vnitas, parimpar nominatur: quod hæc prima sui multiplicatione modo duplata, modo triplata, ex se quasi pariat duos primos numeros vnum parem, binarium, alterum imparem, ternarium. Porrò apud eosdem par in ordine est infinitorum: sicut impar in ordine finitorum, quemadmodũ colligi potest ex Arist. lib. 1. Metaph. & cap. 6. lib. 1. Ethic. Itaque in compositione animæ cum ab illis vsurpantur, binarius primus numerus par, cuius ad vnitatem proportio dupla, & ternarius primus numerus impar, cuius ad eandẽ proportio tripla, significatur illã in suis principiis cõmunicare cũ rebus natura sua finitis & infinitis. Sunt autem Platonicis res corporeæ fluentes, infinitæ: quia natura sua valdè indeterminatæ sunt & inconstantes: intelligibiles autem finitæ, quia semper eiusdem naturæ sunt & constantis. Ex quibus intelligitur hanc posteriorem harmonicam animæ compositionem ex numeris secundum dupla & tripla interualla distributis, redire quodammodo ad eadem fundamenta cum illa superiore, ex eodem & altero. Quoniam in vtraque Pythagorei docere conantur animæ, in essentiæ principiis, similitudinem quandam cum rebus omnibus intercedere: in qua cõsistit causa facultatis quam eadem habet ingenitam ad res omnes cognoscendas. De qua obseruatione dignum est quod scribit Proclus Commentario primo in Euclidem. Cũctæ res Mathematicæ, inquit, primum in ipsa anima sunt, & ante numeros numeri qui per se mouentur, & ante apparentes figuras figurę vitales, & antè ea quæ concinnata sunt, harmonicæ rationes: & ante corpora quæ circulariter mouentur, inuisibiles circuli producti sunt. Horũmque omnium vbertas, ipsa est anima, & iste ornatus alius est qui se ipsum producit, & à proprio producitur principio, & vita se ipsum explet, ab opifice quę sine corpore ac sine dimensione expletur, & quando suas promit rationes, tunc patefacit scientias atque virtutes. His itaque formis anima suam induit essentiam, nec est numerus in ipsa, vnitatum multitudo existimandus: neque eorum quę cum dimensione sunt idea, corporaliter est intelligenda: sed vitaliter & intelligenter omnia apparentium numerorum & figurarum & rationum & motuum exempla sunt supponenda, Timæum sequendo qui omnem ipsius ortum atque creationem ex formis compleuit Mathematicis, omniũmque causas in ipsa collocauit. Amplius verò monendum etiam illud est, celebrari quidem hic ex Platone in anima harmoniam quandam numerorum primorum, quæ ad rationem & intelligentiã pertinet. Ab eodem verò in Phedone damnari & variis argumentis oppugnari eorum opinionem, qui in homine animam existimauerũt harmoniam esse quandam eorum ex quibus corpus componitur. Quæ duo nihil inter se pugnant.

3 Indicat Platonem cum duo animę principia posuit, Idem & alterum, certa ratione temperare voluisse aliorum philosophorum sentẽtias de modo cognitionis nostræ. Nam si similia similibus cognosci dicantur, illi facilè erit docere animæ ingenitam esse rerum omnium cognoscendarum facultatem: quia constat duobus principiis vniuersæ naturę communibus: & per ea similitudinem quandam retinet cum rebus omnibus quæ in cognitionem cadere possunt. Sin dissimilia dissimilibus cognoscãtur, anima eodẽ, cognoscet ea quæ alterius fluentisq; naturæ sunt: altero autem, constantia, quæ semper sunt eadẽ. Quanquam certè probabilius est, ratione similitudinis quàm contrarietatis, cognoscendi vim ani-

mę ineſſe. Cum enim ex Plutarcho dictum ſit in hac ipſum idem pertinere ad partem ſuperiorem, alterum, ad inferiorem quæ cum corpore communicat, quęque viſionis eſt & ſenſus: manifeſtum eſt intelligibilia, quæ ſemper ſunt eadem, parte illa animæ ſuperiore cognoſci, ſenſibilia autem, quæ perpetuo fluũt, altera inferiore.

4 Hoc de mundi origine, quæ rationis eſſe dicitur, quanquam nobiliſſimorum Platonicorum conſenſu probatum ſit, antea tamen oſtendimus Philoni Iudæo ſophiſticum videri. Quod cum Alcinous hoc loco etiam animę accõmodat, manifeſtè declarat de vtriuſque origine & æternitate eandem videri Platonis ſententiam. Ex quo intelligi poteſt non ſatis iuſta ratione huius inconſtantiam in quæſtione de animæ immortalitate à D. Auguſtino notari cap. 31. lib. 10. de Dei Ciuitate: quod animam ne interituram fateri cogatur, neget vnquam eſſe ortam, mundum autem & minores deos apertiſſimè dicat cœpiſſe, finem tamen nunquam habituros, ſed conditoris potentiſſima voluntate in æternum eſſe permãſuros. Sicut neque in eo vlla eſt ſententiæ perturbatio vel inconſtantia, quod animam in Phedro ingenitam dicit, ortúſque remotione eandem ab interitu vindicat, & quod à ſe moueatur, ortum non habuiſſe confirmet. In Timæo autem ortam fateatur & eiuſdem originem explicat. Hæc enim duo in illo ſic conciliat Plutarchus libro de animæ procreatione. Ortu catuiſſe animam, inquit, Plato prodit quæ antè mundi originem turbidè penitùs & inordinatè iactabat omnia. Rurſus genitam dicit & natam, quam Deus cum ex iſta tum ex perenni illa, & verò pręſtãtiſſima materia ſapientẽ & ordinatã molitus, cum ſicuti ſpeciẽ ſenſui mentẽ, agitationi ordinẽ de ſuo tribuiſſet, in vniuerſitate imperatorẽ & moderatorem locauit. Sic enim & vniuerſitatis corpus ex parte nõ generatũ, ex parte generatũ, fuiſſe prędicat. Nam cũ ait omne quod aſpectabile, eſſet, nõ quietũ & tranquillum, ſed immoderatè agitatum & fluctuans deum accepiſſe & in numerum digeſſiſſe: rurſũmque à quatuor generibus, Igne, aqua, terra & aëre, priuſquam eorum deſcriptione ſumma rerum compta conſtitiſſet, materiam agitatam, & ab ea viciſſim illa concuſſa propter inæqualitatem fuiſſe, nimirum, corpora illa, vſpiam ante mundi originem extitiſſe ſignificat. Cũ rurſus dicit Iunius animam corpus ſatum eſſe, & mundum eſſe generatum quod aſpectabilis & tractabilis & corporatus ſit, quæ & ortum habere & gigni comperimus, nonne perſpicuum eſt originem naturę corporis ab eo tribui? Quod idem de anima cogitandum eſt, alterum ſcilicet, neque à Deo procreatam neque mundi animam eſſe, ſed vim quandam viſorum informatricem & opinatricem ſuapte illam quidem opt perenniter mouentem: temeraria tamen & turbida agitatione impetúque percitam: alterum, à Deo ſuis muneribus & rationibus aptatam & generato mundo ad imperandum impoſitam, natiuam eſſe. Io. Grammaticus in libro contra Proclum de mundi æternitate, eadem ſic conciliat, vt eum alia ſit ratio mentis, alia animę, illius quidem abſoluta & à corpore ſeparata, huius relata & cum corpore quod animari dicitur, coniuncta: mens ſuapte natura ortus interitúſque omnis expers eſſe dicatur in Phedro. Anima autem in Timęo oriri dicatur ſecundum certam relationem ad corpus, per quam hoc aut illo modo & ornat & mouet cœleſtia corpora. Sic enim, inquit, cum Platonici animam noſtram in corpore naſci dicunt, nequaquam eius ſubſtantiæ ortum arguunt, ſed reſpectus tantum & comparationis cum corpore, quę à tempore habuit initium. Idem obſeruatum eſt à Chalchidio qui de eadem re ſic quoque ſcribit. In ſolo Timęo, inquit, Plato rerum ęternarum genituras comminiſcitur. Credo ne ſi audiant homines eſſe quędam quę ex origine nunquam nata fuerint, principatui ſum-

mi Dei derogari putent: si pari atque eadem sint qua Deus antiquitatis præstantia. Nescientes longè aliter dici originem rerum æternarum & item caducarum. Si quidem mortalium authoritas & origo illa est quæ præcedit ortum cæterorum: vt origo est, pater filij & populorum atque vrbium, conditores earum. At vero diuinorum generum, æternarum gentium origo & ars, non in anticipatione temporis, sed ex dignitatis eminentia consideratur. Deinde paucis interiectis hæc idem subiicit. Certè, inquit, propositum scriptoris considerandum puto. Nam si id ageret in hoc libro vt immortalem animam esse probaret: non conueniret animæ genituram comminisci. Propterea quod cuncta quæ gignuntur, intereunt. At vero cum de mundi, hoc est vniuersæ rei constitutione tracteturi ad præsens è re fuit nascentem & velut in lucem proditam inducere animam eius. Quo audientes imaginarentur animæ formam aliquam, perinde vt eorum omnium quæ nascuntur, vident. Mundo autem veram originem Platonici idcirco nõ audent attribuere quod vereantur ne eo posito fateri cogantur ante eiusmodi originem tempus fuisse cum adhuc non esset. In quo eorum rationem sic Proclus colligit: Si vna cum cœlo tempus cohæret, neque cœlum est si non sit tempus: neque tempus, si cœlum non sit, non fuit autem quando tempus non fuit, neque erit quando non erit. Nam si aliquando fuit cum non esset tempus, certè, vt par esse videtur, quando tempus non erat tempus erat. Quod enim aliquando est, ideo aliquando esse dicitur quia interdum non sit. Vt quod neque semper sit, neque nunquam, sed medium sit amborum. Vbi autem est, Aliquando, ibi est & tempus. Quod Procli argumentum valde captiosum esse Io. Grammaticus arbitratur, atque ostendit eiusmodi particulas fuit & Aliquando, in hac oratione fuit aliquando cum tempus non esset, non significare partem temporis, sed aliquam latitudinis & extensionis in ipso æuo, quod æternorum est, consistentiam, aut eius consistentiæ quasi punctum: cum adhuc sæculorũ in tẽpore nullæ omnino essent differentiæ.

5 In vniuersitate mentem ab anima ex Platonicorum doctrina Alcinous hoc loco distinguit, vt & cap. 9. cum de Deo ageretur. Idque ex Platonis Timæo, Deus, inquit, Plato mentem animæ, animam verò corpori dedit, totumque mundum ita constituit vt pulcherrimum natura opus optimumque foret. De quibus sic Plutarchus libro de animę procreatione. Ante mundi originem, inquit, in materia inordinata, sola per se anima erat: mente autem ratione solertiáque aptæ cõcentionis, hæc aucta est, vt anima mundi fieret. Et eodem loco animam dicit authorem & principium motionis, mentem vero ordinis & concordiæ in ipso motu: ex eóque vult ab illo in legibus animam inordinatam & maleficam nominari: quia cum materia (quę eiusmodi) est coniuncta. Aliter vero Io. Grammaticus in libro contra Proclum de mundi æternitate. Anima, inquit, quando relationem ad corpus recipit, potentia quidem mens est. Vt autem sit & dicatur anima, ipsi ex relatione ad corpus accidit. Nam quia animatum reddit & vitam tribuit corpori, anima nuncupatur. Vbi autem separata à corpore, aut per habitum, aut simul & à naturali vinculo disiuncta, liberè & intelligenter operabitur simplici apprehensione rerum naturam attigens, iam tum mens reipsa & est & dicitur. Quanquam hoc fortasse non satis Platonicum est. Quandoquidem apud ipsum Platonem mens ab anima magis quam sola ratione videtur esse distincta, sicut ex sequentibus amplius intelligetur.

6 Deus vniuersi opifex, vel certè moderator & conseruator, ex Arist. sententia libro de mundo ad Alexandrum & capite 1. lib. 2. de Cælo, in ipso cælo est, vt in opificij parte præstantissima; indéque inco.umitatis causam rebus omnibus præ-

eidem Coeli m Arij.

stat, vel potius extra supráque cæli mũdiq; ambitum, vt idem Arist. indicare videtur cap. 9. lib. 1. de cælo. Eiusdem vero vniuersi anima, quæ ab ipso Deo antea distincta est, à Platone in medio esse dicitur, & ab hoc ad extrema, à quibus medium æquabiliter distat, virtutem suam diffundere. Sed de ipso medio quale sit, aut qua ratione accipiendum, variæ sunt sententię. Nam quia Platoni in Timęo, terra media est, non vt Arist. arbitratur, infima: significari hoc loco videtur mũdi animam in illa consistere, sicut & apud Arist. nostra in corde tanquam in centro sedem habere dicitur. At quia terra maximè impura est inter omnes vniuersi partes, in ea non videtur satis accommodatum animæ domicilium. Ideóque in huius loci interprætatione valde diuisæ sunt Platonicorum sententiæ. Calchidius mediũ hoc non tam in ipsa vniuersitate exquirit, quã in eius parte cælesti, à qua vis vitalis in hæc inferiora diffluit: déque eo ita scribit. Animam mundi Plato dicit ortam ex medietate vsque ad extremitatem mundani corporis, & inde vsque ad aliam extremitatem circunfusam omni globo corporis, operuisse vniuersum eius ambitum. Ex quo apparet à vitalibus mundi, per extimas partes cõplexũ esse circundatũ: hoc est vt infra atque extra vitali vigore foueatur. Neque enim vniuersi corpus alterius corporis, quod nullũ superat, auxilio complexoque indigebat, sed incorporeæ naturæ viribus totus vitali complebatur substantia. Illud verò quod à medi tullio porrecta anima esse dicitur, quidã dici sic putant, vt non tanquam à medietate totius corporis facta dimensione, porrecta sit, sed ex ea parte membrorum vitalium in quibus pontificium viuendi situm est, ideóque vitalia nuncupãtur. Non ergo à medietate corporis, quæ terra est, sed à regione vitalium, id est à sole, animæ vigorem infusum esse mundano corpori potius intelligendum pronunciant. Si quidem terra immobilis: Sol vero semper in motu. Itémque vteri medietas immobilis: cordis semper in motu. Quando etiam recens extinctorum animalium corda superstites tunc mortes agant. Ideóque Solem cordis obtinere rationem: & vitalia mundi totius à hoc igne posita esse. Quod fortasse Cicero secutus in Somnio Scipionis, Solem appellat ducem, principem & moderatorem reliquorum luminum & mundi mentem. Atque Plinius in eandem sententiam cap. 6. lib. 2. Sol, inquit, non temporum modo terrarúmque, sed syderum etiam ipsorum cælique rector. Hunc mundi totius esse animum ac planius mentem, hunc principale naturæ regimẽ, ac numen credere decet, opera eius æstimantes. Ad quod etiam quodam modo pertinet quod Arist. ait, à Sole & homine hominem generari. Nempe vt indicet ab illo viuificantem vim & omnia quodammodo animantem, rebus his inferioribus communicari. Io. Picus mirandula & Paulus Scalichius animam mundi in medio positam, lunam ipsam malunt intelligere: nec tamen huius suæ sententiæ rationem vllam afferunt. Nescio an non idcirco quod illa Platoni in Timęo inter septem stellas errantes infima sit, & terrę contiguus: ideoque quodam modo media inter partem vniuersi cęlestem & eam quam elementarem solemus appellare. Aliter Syrianus locum hũc interpretatur, scribitque, quemadmodum opifex prius mundi corpus quam animam constituit, sequutus ea quæ sensuum sunt: sic quoque eundem præposterè incipientem ab externis, primò quidem medio, deinde toti animam accomodare, præter hæc etiam aliquid ipsius animæ extra totum relinquere. Porphyrio autem placet medium hoc loco neque corpus, neque interuallum significare; sed potius mundanæ animæ rationem & essentiæ proprietatem quæ quidem media sit inter intelligibile atquæ sensibile: vt colligi potest ex illius compositione ex eodem & altero quæ paulo antè est exposita. Alij ipsum firmamentum rei ac naturæ medium esse

Sol n homo.

volunt, huicque ab anima primo vitam esse tributam. Plotinus ca. 17. lib. 1. de dubiis animæ, centrum in mundo vocare videtur ipsum bonum, mentem, lumen inde micans & permanens: Animam verò mundi, lumen de lumine. Sic enim huius sententiam Marsilius Ficinus interpretatur. Quod animæ, inquit Plotinus, à mundo intelligibili in cœlum primo descendant, ex his cõiectare licebit. Si enim cœlum in genere sensibili præstantissimum est, merito intelligibilium vltimis, est quàm proximum. Inde igitur cœlestia primum animantur atque accipiunt: vt pote quæ ad capiendum sint admodum aptiora. Corpus verò terrenum & vltimum est minoríque animæ, minusque naturaliter potest participare: vt pote quod ab incorporea natura remotissimum est. Omnes profecto illustrant cælum tradúntque quasi plurimum primúmq; sui, globo cœlesti: cætera verò posterius illustrantur. Quæ autem descẽdunt, plurimum aliud & aliter inferiúsque colluſtrant. Ipsis verò non expedit in longum adeo corruisse. Est vtique aliquid velut centrum: penes hoc autem circulus ab ipso micans. Præter hæc & circulus alius, lumen de lumine. Vltra hæc insuper non amplius luminis circulus: sed iam luminis indigus alieni, propriæque lucis inopia. Eusebius capit. 5. lib. 7. de præparatione Euangelica, citat locum ex Philone Iudæo libr. 2. de Agricultura, in quo idem tribuit verbo Dei, quod hic Alcinous animæ mundi. Qui dubitandi ruborem effugere velit, inquit, audacter dicat nulla re materiali machinam mundi conseruari, sed verbo æterni Dei sempiterno, quod à mediis ad extrema & ab extremis ad media protensum, inuictum natura sustinet cursum, fouens ipsum atque conseruans, quasi vinculum quoddam qui genuit ipsum ac constituit.

7 Ad hunc locum ex Timæo Platonis, interprete vtamur Ioan. Grammatico libro de mundi æternitate contra Proclum. Platonici, inquit ille, quamuis sempiternum mundum esse dicant, & Platonem ex conditione tantum animæ ortum tradere velint: tamen in his exteriorem circulum, globum eum intellexerunt qui erroris expers est, interiorem verò errantium globum. Quem cum in sex locis dissecuisset, septem errantium stellarum effecit. Nonnulli tamen exteriorem, æquatorem circulum intellexerunt, interiorem verò, circulum signorum, qui Zodiacus dicitur. Qui cum decussatim se intersecent, in duobus punctis Ariete & Libra se mutuo tangunt. Nam erroris expers sphera in eodem axe conuertitur cum æquinoctiali & circa eius polos versatur. Errantium autem globi circa orbis signiferi polos conuertuntur. Atque horum circulorum, inquit Plato, exteriorem, hoc est eum qui erroris expers est, in dextram partẽ Deus motu cieri fecit: interiorem autem, nimirum errantium globos, ad sinistram. Vbi Homeri more, orientem, dextram partem appellat, sinistram autem occasum. Nam ille habet.

Seu dextra Eoas Phœbi surgentis ad oras,
Siue sinistra petant, atris vbi mergitur vndis.

Versatur enim erroris expers ab oriente ad occidentẽ. Contrario autẽ motu cursus suos cõficiunt errantes. Exterioré autẽ conuersioné eiusdem naturę nominauit, propter constantiã & eandẽ naturã motus inerrantiũ. Omnes enim nõ vagę, stellæ æquali tẽpore conuersionem suam perficiunt & eundem permeant circulũ & ab iisdem punctis ortus suos & ad eadem suos occasus efficiunt. Interiorem autem conuersionem, hoc est Planetarum, alterius naturæ nuncupauit: nempe propter diuersitatem & varietatem quæ in eam cadit. Non enim æquali tẽpore horum absoluitur conuẽrsio: neque eadem est eiusdem. Nam non vnum & eun-

dem orbem vnusquisque eorum permeat: neque in iisdem punctis ortus suos & occasus efficiunt. Porrò cum Alcinous ex Timæo hoc loco dixit, extimum orbem ad dextra, ab ortu in occasum citato cursu conuerti: interiorem autem retrorsum ad sinistra, ab occidente in orientem obuiam eundo, hoc Calchidius apud Platonem significare putat supremum orbem suo motu à dextra per sinistrũ latus ad dextram conuerti, id est, ab orientis puncto per occidentem ad idem orientis punctum reuerti: septem verò orbes inferiores, contra, à sinistro in sinistrum conuerti per dextrum, id est ab occidente ad occidentem, per orientem. In quo quod perpetuitatem atque constantiam primo orbi Platonici ascribunt, diuersitatem autem septem orbium inferiorum cõuersionibus, probarum etiam videtur ab Arist. cum scribit cap. 10. & 11. lib. 2. de ortu, naturæ vniuersitatem cælesti virtute ita regi, vt à supremo orbe constantiæ & æternitatis causa in harum rerum inferiorum specie dependeat: à septẽ autem planetarum & maximè ipsius solis, varia declinatione, reditu, atque conuersionibus, vicissitudo, ortus & interitus rerũmque quæ oriuntur & intereunt infinita varietas. De dextri etiam & sinistri distinctione eadem est vtriusque sententia. Si quidem Aristoteles cap. 2. lib. 2 de cælo, in iis quæ mouentur dextrum esse vult à quo motus fit, sinistrum in quod desinit. Quare etiam si cælum nunquam moueri cœperit, principium tamen id esse ait, à quo moueri cœpisset, si incœpisset: at conuersionis cæli principium in eo esse à quo stellę oriuntur. Ex quo concludit hoc in cælo dextrum debere appellari, sinistrum quod illi contrarium. In eóque Pythagoreos reprehendit, quod cum in illo has duas differentias situs, natura, vt ait, posteriores agnouissent, in eodem reliquas, sursum inquã & deorsum, antè & post illis priores neglexissent. Istiusmodi verò diuisio in interiorem & exteriorem dextrum & sinistrum in ipsis orbibus cælestibus primum est intelligenda: deinde animæ partibus earũmque functionibus accommodanda. In octo quidem orbibus extimus, qui reliquos omnes complectitur, vno modo, sicut dictum est, semper mouetur ab oriente ad orientem. Inferiores verò septem in eo dissimilitudinis participes sunt, quod & singulis diebus simul cum illo extimo rapiuntur, & interim diuersis temporibus à sinistra parte, id est ab occidente ad occidentem, suos motus conficiunt, in eisque per Zodiaci latitudinem oberrare videntur, eraltari, deprimi, modóque incitatiùs, modo tardiùs ferri. Qua ratione à Platone dictum est, exteriorem conuersionem solam indiuisam esse relictam: interiorem verò texies diuisam septem orbes duplis & triplis interuallis distinctos effecisse. Vt omnes illorũ motus ad eum concentũ referãtur, quem Cicero sic expressit in Somnio Scipionis. Ille cæli stelliferi cursus, inquit, cuius cõuersio est incitatior, acuto & excitato mouetur sono: grauissimo autem hic lunaris atque infimus. Nam terra noua atque immobilis manens, ima sede semper hærer, complexa mediam mundi locum. Illi autem octo cursus in quibus eadem vis est duorum Mercurij & Veneris, modorum septem efficiunt distinctos interuallis sonos. Qui numerus rerum omnium ferè nodus est. Ad animæ verò partes siue functiones hæc ita referenda sunt, vt ratio & intelligentia dum circa ea versantur quæ semper eodẽ modo se habent, extimi orbis constantissimæ conuersioni respondeant. Sensus verò, & appetitio, atque omnis perturbatio, quia in inferiore animi parte inconstantes motus excitant: stellarum in septem orbibus inferioribus errantium, varias conuersiones imitantur. Nam & in ipsa intelligentia, dextra sunt ea quæ verè sunt: quia meliora & mutationis expertia. In sensu verò & appetitione pro sinistris habentur eorum quæ verè sunt, fluentes imagines. Atque vt illorum octo orbium inter se conuenientes motus, cum concentum dicuntur excitare quem

omnium esse suauissimum, Cicero ex Pythagoreis eodem loco scribit, sic in anima superiorum partium cum inferioribus apta ratio, omnium suauissima est atque pulcherrima, & ad eius naturam ita affecta, vt quamquam illa corporis harmonia non sit (hoc enim vt diximus à Socrate in Phedone reprehẽsum) non possit tamen sine hoc partium suarũ concentu, suam perfectionem retinere. De qua postea in tertia philosophiæ parte disseretur, quando de generali iustitia erit agendum.

8 Plato in Timæo sicut & Cicero eius imitatione, lib. 1. de natura deorum, & in Somnio Scipionis, tempus ab æternitate distinguit, & in tempore annum quem parit Solis conuersio à magno sęculo. De tempore & æternitate sic ille scribit. Quemadmodum illud animal sempiternum est (exemplarem autem mundum intelligit) ita vniuersum hoc pro viribus tale facere Deus statuit. Illius quidem animalis æterna natura est, quod genito operi congruere omnino non potest. Ideirco imaginem æui mobilem effingere decreuit: ac dum cælum exornaret, fecit æternitatis in vnitate manentis, æternam quandam in numero fluentem imaginem, quam nos tempus vocamus. Dies porrò & noctes, & mẽses, & annos, quæ ante cælum non erant, tunc nascente mundo nasci iussit. Quæ omnia temporis partes sunt. Atqui erat & erit, quæ nati temporis species sunt, non rectè æternæ substantiæ assignauimus. Dicimus enim de illa est, erat & erit, sed illi reuera solum esse competit. Fuisse verò & fore deinceps, ad generationem temporis procedẽtem referre debemus. Motus enim quidẽ duo illa sunt. Aeterna autẽ substãtia cum eadem semper & immobilis perseueret, neque senior seipsa fit vnquam neque iunior, neque fuit hactenus, neque erit imposterũ: neq; recipit eorũ quicquã quibus res corporeæ mobilésque ex ipsa generationis conditione subiiciuntur. Nempe hæc omnia tẽporis imitantis æuum, séque numero reuoluentis, species sunt. Tẽpus vero vnà cum cęlo factũ est, vt vna orta, vna etiam dissoluantur: si qua his dissolutio vnquã contigerit. Et ad exẽplar æternæ naturæ ideo factum est, vt mundus hic illi præstantiori quoad potest, simillimus sit. Ille enim mundus huius exemplar omne per æuum est: hic vero perpetuò per omne tempus fuit, fitque solus, & erit. Atque hæc ille de tempore & æuo vel æternitate: de magno autem sęculo vel anno de quo paulo post Alcinous, ille eodem loco sic loquitur. Cæterorum autem syderum ambitus ignorantes homines, præter admodum paucos, neque nomine certo illos appellant, neque numeris inter se distinctis commetiuntur. Itaque, vt ita dixerim, nesciunt horum peruagationes, id ipsum esse quod rite tempus dicitur, multitudine infinita & varietate mirabili prędita. Est tamen intellectu facile quod perfectus numerus temporis, perfectum tunc demum compleat annum, cum octo ambitus confectis suis cursibus, quos orbis ille semper idem similitérque procedens metitur, ad idem caput se retulerint. Quod cum contigerit, vt Poëta ait,

Alter erit tum Typhis, & altera quæ vehat Argo
Delectos Heroas, & erunt etiam altera bella:
Atque iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles.

A nonnullis verò quæsitum est quot millibus annorum constaret magnus hic annus apud Platonem. De quo Franciscum Cataneum interrogatum in Epistolis respondentem, suámque opinionem probabilibus coniecturis confirmantem, audiamus. Quicunque ex Poëtis diuini habiti sunt, inquit Plato in Phedone, hi ipsius hominis animam immortalem esse dicũt, eámque tum abire (quodquidem mori vocant) tum rursus redire, interire verò nunquam. Quapropter

per quam sanctè degere monent. Nam qui antiquæ miseriæ pœnas Proserpinæ iam dederunt, his illa ad supernum solem nono anno rursus animam reddit: quousque in reges mansuetudine, robore, sapientia præstantes euadãt: reliquum autem tempus sancti heroes inter homines vagantur. Atqui credunt Pythagorici & Plato (inquit Cataneus) animas quæ in generationem delabuntur, vitarum posse nouẽ genera implere: quarum princeps philosophi est, singulas verò singulos ambitus habere mille annorum: quibus peractis, repetere primam vitam siue in hac mundi plaga quam incolimus, siue in alia longè angustiore quam in Phædone describit Socrates: indéque ad mundum intelligibilem vnde discesserãt, redire. Atque id est quod inquit Socrates, Proserpinam reddere animam nono anno ad supernum Solem. Nam vbi animæ omnem generationis labem depofuerunt; nimirum absolutæ iudicio quod sub terra perpessæ sunt (Proserpina enim naturalis facultas est illius animæ quæ præest terræ) post consummatos nouem vitarum ambitus, iterum vitam philosophicam viuunt, indéque ad mundũ intelligibilem reuertũtur, quem sub solis appellatione designauit. Dixit autem fieri reges, non quia vitam regiam significet (non enim hæc principem locum habet, vt in Phædro ostenditur) sed quoniam iure philosophus, quemadmodum patet ex eo Platonis Dialogo qui Amatores inscribitur, optime seipsum nosse debet. Hoc autem citra iustitiam prudentiámque fieri nequit. At sic affectus regius iure dici debet. Hæc vbi cœpi mecum diligenter pẽsitare conferréque cum his quę sæpius ab illo dicũtur, visa mihi est Platonis sentẽtia, duodecim millibus annorum magnum annum consummari. Quoniam anima nostra peractis nouem annorum millibus (sicut antea ex Socrate dictum est) ad vitam philosophi reuertitur: indéque ter mille annis ad mundum intelligibilem, quemadmodum Plato ait in Phædro. Quo loco etiam dictum est decem annorum millibus omnia ad idem non redire. Ad quam rem etiam fortasse pertinet quod scribit libro. de Rep. Erum Pamphilũ duodecimo die ab obitu reuixisse: vt huius singuli dies singula annorum millia significent. Cum quibus Platonicorum decretis aliqua ex parte coniuncta sunt & obseruatione dignissima quę scribit Lactantius cap. 14. lib. 7. Sciant philosophi, inquit, qui ab exordio mundi sæculorum millia enumerant, nondum sextum millesimum annum esse conclusum. Quo numero expleto consummationem fieri necesse est, & humanarum rerum statum in melius reformari. Cuius rei argumentum prius est enarrandum, quo ratio eluceat. Mũdum Deus, & hoc rerum naturæ admirabile opus, sicut arcanis sacræ scripturæ continetur, sex dierum spatio consummauit, diémque septimum quo ab operibus suis requieuerat, sanxit. Hic autem dies sabbati, qui lingua Hebræorum à numero nomen accepit. Vnde septenarius numerus legitimus ac plenus est. Nam & dies septem quibus per vicem reuolutis, orbes conficiuntur annorum & septem stellæ quæ non occidunt, & septem sydera quæ vocantur errantia: quorum dispares cursus & inæquales motus, rerum ac temporum varietates efficere creduntur. Ergo quoniam sex diebus cuncta Dei opera perfecta sunt, per secula sex, id est annorum sex millia, manere in hoc statu mundum necesse est. Dies enim magnus Dei mille annorum circulo terminatur: sicut indicat Propheta qui dicit, Antè oculos tuos domine, mille anni tanquam dies vnus. Et vt Deus sex illos dies in tantis rebus fabricandis laborauit: ita religio eius & veritas in sex millibus annorum laboret necesse est, malitia præualente atque dominante. Et rursus, quoniam perfectis operibus requieuit die septimo, eumque benedixit, necesse est, vt in fine sexti millesimi anni, malitia omnis è terra aboleatur & regnet per annos mille iustitia, sitque tranquillitas & requies à laboribus quos mundus iam

iamdiu perpessus est. Quam sententiam aliqua ex parte probauit quoque D. Augustinus libr. 2. de Dei Ciuitate. Quæ desumpta videtur ex occulta veterum magia. Eidem verò nonnulli hæc etiam adiiciunt, septimum millenarium ab vniuersa cabalistarum schola vocari magnum diem iudicij: quod tunc arbitrentur Deum cunctorum animas iudicaturum. Septimo verò transacto annorum millenario iterum ad esse suum cuncta reuersura. Húncque in modum sex mille annorum interuallo iterum naturalem ordinem rerum perduraturum: adusque scilicet alterum septimum annorum millenarium: quo secundo omnia ad suum fontem reuertentur. Similiter tandem fieri septies volunt quousque quadraginta nouem millia annorum lapsa fuerint. Tunc enim magnum iubileum futurum esse prędicant, cunctáque tam terrena quam cælestia in originem suam esse reditura: in eam scilicet originis personam quam Tescuba dicunt, id est cõuersionem quam magis proprio nomine, spiritum sanctum nominant. Cessandum enim tunc fore aiunt à rerum creatione emissionéque. Præmemoratis itaque mundi orbibus septem sephiroth. præponunt, singulo orbi singulam ascribentes sicut etiam septem diebus, id est sex creationis atque sabbatho, dies scilicet quietis præpositas esse aiunt. Hi enim dies singuli singulos mille annos magni orbis significare dicuntur ita vt sex dies creationis sex annorum millenaria (quibus mundi existentiam duraturam dicunt) sabbathum verò septimum millenarium (quo mutuæ rerum generationis quietem futuram esse aiunt) repręsentent. Nec nõ etiam cuiuslibet annorum millenarij aliquam harum sephiroth dominam esse dicunt: sicut & totius orbis, scilicet ex septem millibus annorum consistentis. Ita vt tandem completis sex millibus, atque vltimo 49. millibus annorum, ad personam trinitatis regimen totius reuertatur. Vbi vniuersalem rerum quietem futuram esse volunt: nec quid vltra futurum sit audent affirmare: dicentes nihil amplius mortalibus à diis esse reuelatum. Quomodo philosophatur Augustinus Ricius libro de motu octauæ sphęræ. Contra verò hanc reuolutionem quædam disputat D. Augustinus ca. 13. lib. 12. de Dei Ciuitate, in illáque Origenem Platonicis nimium multa tribuentem reprehendit.

9 De cœli natura qualis esset apud Platonem, antea disputatum est. Apud Aristotelem autem totius cælestis regionis vna est quinta essentia, eaque simplex, quam astrei elementi nomine aliquando exprimit: sed in puritate substãtiæ gradibus distincta: eo scilicet purior, quo à terra magis remota. Sic enim de ea scribit cap. 4. lib. 1. Meteor. Corpus quidem diuersum distinctúmque & ab igni & ab aëre censemus esse id quod supra est, & ad Lunam vsque pertinet: ita tamen vt iidem eius partem vnam per se puriorem esse, alteram minus synceram putemus gradúsque dissimilitudinis habere, maximéque qua parte cum aëre ac inferiore mundo copulatur. Vnde quæstio existit an quæ appellantur octo sphęræ, in illa cælestis corporis natura à Platone posita, aut in quinta essentia Aristotelica, in qua mouentur, tantum se tangant suo ordine distinctæ, sicut nostra corpora in aëre, an vero in illius essentiæ corpore vniantur, interea tamen propriis motibus moueãtur, quemadmodum nostri corporis partes, etsi à seinuicem differentes, in hoc tamen vniuntur, & præter motum totius, singulæ etiam suo motu mouentur: in quo vim quandam à corde accipiunt, vt ab ipsius vitæ prima sede & foco. An verò vt cum in aëre circum terram ab insito principio mouemur, interim accidit vt à corporibus cælestibus variè afficiamur: sic cælestes orbes inferiores, dum propriis motibus mouentur, interim vincantur à virtute suprem orbis in eo motu quem raptus appellant. Quanquam illic nihilo magis raptus est, quam in eo quod nobis accidit in his inclinationibus quæ ab astris manant.

Porrò qui ordo est cælestium corporum à seinuicem distinctorum, vel partium in vno illius copore, eadem ratio graduum in virtute agendi, talis scilicet qualem inter elementa quatuor in hoc inferiore mundo cernimus. Nam vt ignis supremus, ad agendum efficacissimus, ad patiendum ineptissimus, ideóque nunquam putrere potest: terra verò contra ad agendum stolida, ad quidlibet patiendum aptissima: sic in cælestibus corporibus, si spectes eam vim quæ à motu manat, maxima esse dicetur in supremo orbe, minima in ipsa luna. Sed quia agunt etiam astra in hæc inferiora suo lumine: est autem hoc maximum in Sole, proximum in Luna (inde enim hæc duo luminaria magna appellantur) idcirco hæc vis maxima à Sole manat: quam Arist. indicauit lib. 2. Physic. cum dixit, à Sole & homine hominem generari: huic proxima à luna. Si quidem hæc regere dicitur aquarũ motus, vt in fluxu & refluxu maris, vt potest intelligi ex libro de elementis quem latinum fecimus: itémque mẽstruas mulierum purgationes. Quæ quia hac decrescente frequentissimè contingunt, ex eo sexus huius inconstãtiam vulgo lunæ ascribunt, vt Arist. ait cap. 2. lib. 7. de historia animalium. Eadémque plena, noctes vt humidiores sunt & calidiores, sic & fœcundiores: quod hic quoque affirmat lib. 3. Meteor. Adde quod eiusdem vis potentissima esse dicitur in humores qui in nostris corporibus dominantur: quam medici obseruantes, eandem dierum criticorum huic potissimum ascribunt. Quibus fortasse rationibus Plato lib. 7. de Legibus Solem & Lunam magnos Deos ausus est appellare. Aliæ verò duæ quæstiones sunt, vna de numero cælestium orbium, altera de eorundem ordine. In quarum vtraque Alcinous Platonem sequitur, Aristotele minimè dissentiente. De numero, veterum & recentiorum contrarias rationes collegit Augustinus Ricius libro de motu octauæ Sphæræ, easdémque dissoluit. Plato vero ex Chaldeorum & Aegyptiorum decretis in Epinomide scribit philosophum scire oportere quo modo septem circuitus sub primo versentur, & in Timæo, octo tantum circuitus esse ait. Ideóque lib. 10. de Rep. commemorat Erum Armenium militem è mortuis excitatum, in vita altera vidisse tantum octo verticuli, insertos inuicem circulos labia supernæ ostendentia: deorsum verò minus verticuli, continuum circa fusum efficientia. Fusum verò illum per medium octauum, pérque totum esse traiectum. Primum extimúmque verticulum labij circulum habere latissimum. Sexti autem secundum. Tertium quarti: quartum octaui: quintum septimi: quinti sextum: Tertij septimum: octauum vero secundi. Primi item atque maximi circulum esse varium. Septimi lucidissimum. Octaui verò verticuli circulum colorem à septimo irradiante suscipere. Secundi verò ac quinti similes inuicem, illis aliquantulo flauiores. Tertium colorem candidissimum possidere. Quartum subrubeum. Secundum verò sextum albedine superare. Ac fusum quidem totum volutione simili circumferri. Cum verò totum voluatur, septem interiores circulos motu totius contrario tardius circuaueri. Ex his planè octauum motu rapidissimo agitari. Secundos vero alterum alterì consequenter: septimum, sextum & quintum. Tali verò tertium motu ferri, vt quartum circumuoluere videatur. Quartum autem tertium & quintum, secundum. Ex quo Platonis loco, quanquam obscurissimo, ea colligi possunt quæ pertinent ad quæstionem de cælestium orbium vel globorum de ordine. De quo hæc scribit Marsilius Ficinus cap. 6. lib. de Sole, à Chaldeis medium Planetarum Solem esse positum: ab Aegyptiis autem quorum sententiam Plato probasse videtur, medium inter duos quinarios: nempe supra hunc Planetas quinque Saturnum, Iouem, Martem, Mercurium, Venerem: sub eodem verò Lunam & quatuor elementa. Propinquiorem autem terræ quam firmamento diuina proui-

De numero & ordine cælestium orbium.

dentia esse factum, vt huius feruente spiritu, Lunæ, aëris, aquæ humor & crassa terrenorum materia foueretur. In qua quæstione mirum est Ciceronem, alioqui Platoni valde addictũ, Chaldeos potius esse sequutum, cum ita scripsit in Somnio Scipionis. Summo orbi vel potius globo, inquit, subiecti sunt septem qui versantur contrario motu atque cælum. E quibus vnum globum possidet illa quam in terris Saturniam nominant. Deinde est hominum generi prosper & salutaris ille fulgor, qui dicitur Iouis. Tum rutilus horribilisque terris, quem Martem dicitis. Deinde subter mediam ferè regionem Sol obtinet, dux & princeps & moderator luminum reliquorum, mens mũdi & temperatio, tanta magnitudine vt cuncta sua luce lustret & compleat. Hunc vt comites subsequuntur Veneris alter, alter Mercurij cursus. In infimóque orbe Luna radiis solis accensa conuertitur. Ad eandem verò vide alia per multa apud Franciscum Picum Mirandulam cap. 12. lib. 1. & cap. 8. lib. 3. de vanitate doctrinæ gentium.

10 Hic Alcinous comparans inter se ea tempora quibus errantes stellæ proprios motus in suis orbibus cõficiunt, dixit tardissimam omnium stellam Saturni. Quoniam hæc nõ nisi annis triginta naturalem suam reuolutionem absoluit: Luna verò ferè spacio dierum 28. Aliter Cicero in Somnio Scipionis, in diurna cõuersione octo orbium quam omnes simul cum supremo orbe spacio horarum viginti quatuor conficiunt, dixit summi cæli stelliferi conuersionem incitatiorem esse, acutóque & excitato sono moueri: grauissimo autẽ Lunarem atque infimam. Quod verò postremum est hoc capite de stellis quod animalia sint globosa & intelligendi facultate prædita: id ad earundem, vt rerum quarundam naturalium, duo principia materiam scilicet & formam pertinet. Et certè si stellæ, res naturales sunt compositæ ex illis duobus principiis, omnium perfectissimè, his deberi videtur vt perfectissimum corpus, sic & forma essentiæ perfectissima. Summa verò corporis in illis perfectio ex eo apud Platonicos apparet, quod hoc constat ex ætherea substantia: quæ Platoni & Alcinoo plurima est ignea, sed lucés, non adurens. Eidémque corpori attributa figura rotunda, vt omnium etiam perfectissima. Quare cum apud philosophos naturales, corpus ad suam formam destinatũ sit & præparatum, summa corporis in stellis perfectio, ad perfectissimã formam erit destinata. Summa autem formarum omnium perfectio animæ eius est in qua ratiocinandi & intelligendi principium: quoniam hæc cæterarum formarum naturalium numeros omnes & summam perfectionem in se quodam modo est complexa: vt pote quæ non solum esse det & viuere, sed etiam intelligere: in quo munere ascensus quidam est supra naturalia & cum metaphysicis atque diuinis quædam communicatio. Ex quibus videtur effici prouidẽtiæ naturæ, vel potius ipsius Dei naturam moderantis, atque regentis esse consentaneum stellas singulas præditas esse intelligentia, non solum assistente (hoc enim etiam apud Peripateticos indubitatum est) sed informante, & cuiusque stellæ essentiam constituente & perficiente, eo modo quo nos perficit nostra anima quæ intelligendi & ratiocinandi facultate est prædita. Indubitatum quidem illud est non modo Platonicis omnibus & Peripateticis, sed Christianis quoque philosophis, cœlestes orbes & in his stellas moueri diuina prouidentia per mediam intelligentiam, siue hæc diuinus spiritus, siue angelus nominetur: sed vt rumassistens tantum sit, an verò hæc aut præter hanc alia insita & informans quæ ab illa assistente adiuuetur & dirigatur, hoc inter omnes nondum satis definitum. Quanquam inter illa duo permultum interesse Aristoteles initio lib. 2. de anima, indicauit in humana mente, siue in intellectu agente: cum dixit de ea nondum satis esse perspicuum, sit ne perfectio vt nauta nauigij, assistens scilicet & ab eo cuius est, sepa-

N.
Num coelum et stellæ animæ.

rabilis,an verò insita & inseparabilis. Aristoteles cap.2.lib.2. de cælo & libro de animalium motu,cælum animatum facit. Atque cum ex eiusdem sententia cap. 7.lib.2.de cælo, stella pars cæli sit nobilissima, hanc anima præditam esse oportebit,si nõ sua,(hoc enim nouæ quæstionis est) at ea certè quæ cæli est. Quoniam totius animati necesse est partes singulas esse animatas. Quod si anima cælum informat:cum hæc iis quibus inest,præstet vel nutritionem,vel sensum,vel liberam motionem,vel rationem & intelligentiam (hæ enim apud eundem quatuor sunt illius primæ & principes facultates) cæli motionem, quæ conuersionis est, manare oportebit vel ab eiusdem appetitione cum sentiendi facultate coniuncta,vel à ratione & intelligentia. Quoniam alterum horum animal loco mouere idem docuit cap.9.lib.3.de anima. Atqui cælum tam constanter moueri ab appetitu animali cum sentiendi principio cõiuncto,cuius tanta est in mouendo inconstantia,prorsus improbabile videtur. Quare apud eundem probabile est moueri à sua insitáque & informante ratione ac intelligentia. Quæ tamen lib.12. Metap. dicitur habere aliam quoque intelligentiã assistentem & externam: quæ illam insitam in perpetuando motu adiuuet. Qua forma finita, corpori finito insita, cum virium finitarum sit, ex eiusdem doctrinæ Peripateticæ principiis, non potest à se & per se motum infinitum præstare: qualis cælestis est,sua scilicet duratione. Quoniam hic apud Arist. neque principium habuit, neque vnquam finem est habiturus. Et certè communi ferèque eodem modo, cæteræ quoque res naturales præter,nisi tam formam à qua sunt & mouentur, virtutem quandam excipiunt aliunde influentem & quodammodo assistentem:à qua illa *insita, imo* ipsa tota res naturalis,conseruatur & regitur. Quis enim nescit *vt apud Platonicos* & Christianos hominem regi non solum à sua anima rationis participe, sed à bono genio huic assistente? Nisi hoc interest, quod in cælo anima insita intelligentiæ assistenti semper obsequitur:in homine non item. Idque quoniam in hoc quædam repugnantia ex corpore enascitur, Terrénique hebetant artus moribundáque membra:in cælo vero minimè. Atque hæc quidem de Aristotelis opinione circa quæstionem propositam. Plato verò in Timæo non tam ipsos cælestes orbes, quam astra in illis animata dicere videtur. Facta sunt, inquit, astra illa erroris expertia,quæ diuina animalia sunt. At libro 10. de legibus scribit vniuersa quæ in cælo sunt,quæ in terra,quæ in mari motibus animæ duci: quibus, inquit,nomina sunt velle,considerare,curare, consultare, rectè & non rectè opinari,lætari, dolere,audere, metuere,odisse, diligere. Marsilius Ficinus in eum locum scribit eandem fuisse Aristotelis atque Theophrasti sententiam,addit que Plotinum & Hermiã etiam in sideribus posuisse sensum vt visum propriè & auditum : sed in alio quodam genere longéque præstantiore quam sensum animalium terrenorum. Idem in Symposium Platonis hac de re Platonicorum sententiam sic explicat. Vnam esse oportet vniuersi animam, sicut & vna est materia, vna constructio. Cum ergo duodecim sint mundi sphæræ,octo cæli,& elementa sub cælo quatuor: atque hæ duodecim sphæræ discretæ à seinuicem sint, specie, motibus & proprietate diuersæ: duodecim necesse est illis adesse animas specie & virtute diuersas. Vna igitur erit vnius primæ materiæ anima. Duodecim circulorum,animæ duodecim. Quis terram aut aquam neget viuere, quæ vitam animalibus ex se genitis tribuunt? Quod feces hæ mundi viuunt viuentiúmque sunt plenæ: cur nõ aër & ignis excellentiores mundi partes viuãt viuentiáque in se similiter habeant,cælíque similiter? Sed animalia illa cælestia quę sidera sunt, & terrena aquatiliáque videmus quidẽ:ignea verò & aëra non videmus. Quippe cũ neque purũ ignis aut aëris elemẽtum perspiciamus. Hoc autẽ interest quod in

terrâ duo sunt animãtium genera brutâ & rationalia: similitérq; in aqua cũ aqua corpore terrę prestantior, nõ minus quàm terra cõpos esse debeat rationis: globi verò decem superiores propter eorũ sublimitatẽ, solis sunt rationalibus exornati Animam mundi, id est, materiæ primæ, & duodecim sphęrarũ & siderũ animas Platonici deos nominant, tanquã angelicæ mẽtis summique Dei pedissequas. Animalia quę ignis ętherei sub Luna locati aut puri aëris, aut nebulosi aquæ proximi regionem habitant, dæmones. Quæ terram incolunt rationalia, homines. Dij etiam immortales & impatibiles sunt: homines patibiles atque mortales. Dęmones immortales sunt quidem, sed patibiles. Neque dæmonibus passiones corporis, sed animi affectus quosdam tribuunt, quibus bonos homines amant quodammodo, malos oderunt: séque ipsos propius & ardentius rebus inferioribus, præcipuè humanis, gubernandis immiscent. Plato in Epinomide, Cælum, deum facit eundémque colendum esse ait. Cœlum, inquit, sicut omnes alios dæmones honorare oportet & vota ipsi imprimis facere: & eodem loco, Deos, inquit, visibiles maximos, colendissimos, perspicacissimos ac omnino primos, stellarũ naturam dicendum est: deinde dæmones colendi sunt. Similis sententia Xenocrati tribuitur à Cicerone lib. 1. de natura Deorũ Xenocrates (inquit ille) octo Deos esse dicit, quinque eos qui in stellis vagis nominantur: vnũ qui ex omnibus sideribus quæ infixa cœlo sunt, ex disperſis quasi mẽbris, simplex sit putandus Deus. Septimum Solem adiungit, octauam Lunam. Et Lucilius apud eundem lib. 2. Hanc in stellis constantiam, inquit, hanc tantam in tam variis cursibus in omni æternitate conuenientiam temporum, non possum intelligere sine mente, ratione, consilio. Quæ cum in sideribus esse videamus, non possumus ea ipsa non in deorũ numero reponere. Origines hac in parte sicut & in aliis rebus permultis, Platonicorum opinionem secutus, cap. 7. libri. 1. de Principiis, non modo cœlũ animale facit sed & stellas singulas quæ in illo sunt. Putamus, inquit posse eas per hoc animantia designari qnod & mandata dicuntur accipere à Deo. Quod vtique non nisi animantibus rationalibus fieri solet. Ait ergo. Mandatum ego omnibus stellis præcepi. Quæ autem sunt ista præcepta? Scilicet vt vnumquodque astrum sit ordine suisque cursibus indultæ sibi quantitatis splendorem præbeat mundo. Aliis enim, qui vocantur Planetæ, mouentur ordinibus: aliis hi quos Aplaneis vocant. In quo id manifestissimè ostẽditur quod neque motus illius corporis sine anima effici potest: neque quæ animalia sint, possunt esse aliquãdo sine motu. Stellæ verò cùm tanto ordine ac tanta ratione moueãtur vt in nulla prorsus earum cursus aliquando visus sit impeditus, quomodo non est vltra omnem stoliditatem tantum ordinem tantámque disciplinæ ac rationis obseruantiam, dicere ab irrationalibus exigi vel expleri? D. Augustinus non est ausus hoc absolutè affirmare, sed commẽtario. 2. in Genesin ad literam scripsit, si astra animata sunt illorum animas pertinere ad societatem Angelorum. D. Thomas articul. 3. Quæst. 79. Summæ. 1. negat omnino astra animata esse. Quia anima datur aut ad motum, aut ad sensum, aut ad nutritionẽ, aut ad intelligentiam. Ad postremum autem non indiget corpore, sed eo potius impeditur. In astris neque nutritio est neque sensus: nisi descendamus in Stoicorum opinionem. Ad motum autem ab Arist. dicitur habere intelligentiam non animantem, sed assistentem quæ non est ipsius astri forma, vt nos etiam alio loco diximus. de qua quæstione idẽ D. Thomas pluribus disputat cap. 23. lib. 3. contra Gentiles. Sicut & Aneroës in disquisitionibus contra Algazelem disputatione. 14.

IN MAXIMO ANIMALI CVIVS CORPVS & animus, partiúmque in his ordo, superioribus capitibus explicabantur, obseruat diuersa minorum animalium genera, suis regionibus in eodem distincta: vt tandem desinat in hominem tanquam in minorem mundum.

CAP. 13.

1 *Sunt & alij, Dæmones* [2] *quos dicere possis intelligentiæ participes Deos, in vnoquoque elementorum: nonnulli quidem aspectabiles, alij inaspectabiles, in Æthere atque igne, itémque in Aëre & Aqua. Ne pars vlla mundi, animi expers sit, neque animalis eius quod natura non intelligente præstantius. His autem subiecta sunt quæ infra Lunam, & terrena omnia. Etenim Deus ipse vniuersi deorúmque est opifex., Neque vniuersum vnquã dissoluetur, propter eiusdem voluntatem. Aliis autẽ filij eius præsunt, ad patris imperium & exemplũ quæ faciunt, omnia referentes.* 4 *A quibus Sortes, Furores, Somnia, Oracula & quæcunque secundum diuinationem ab hominibus arte aliqua tractantur.* 5 *Terra verò omnium media, circa verticem per vniuersitatem traiectum, vincta atque constricta, diei noctisque custos, deorum omnium qui cæli ambitu continentur, antiquissima, ac post ipsum mundi animum, nobis alimenta abundè suppeditans. Circa quam cælum voluitur, astrúmque ipsa quoddam est. Manens autem, quia ad æquilibrium est in medio, quod similiter se habet ad continentia. Æther autem extimè distinctus est in spheram errantium & inerrantium. Quibus aër subest. In medio verò terra, suo humore perfusa. Quibus omnibus ab illo pulchrè aptéque coagmentatis &*

distributis, animalium tria genera restabant, quæ mortalia erant futura, Volatile, Aquatile & pedestre. Quorum procreationem filiis demandauit: ne ab eodem procreata, essent immortalia. Hi igitur à prima materia particulas quasdã ad vsuram definiti temporis mutuati, in eandem aliquando rursum redituras, effinxerunt mortalium animalium genera. Quoniam verò de hominum genere, vt diis maximè cognato, rursus cura erat & ipsi patri omnium & diis huius filiis: demisit in terram vniuersi opifex illorum [6] *animos astris numero pares. Ingressis autem ad astrum quasi vehiculum quadam societate coniunctum, instar legislatoris, omnibus fatales leges edixit, vt ipse omni culpa careret:* [7] *Quod affectus ex corpore mortales nascentur, primum quidẽ ipsi sensus, deinde voluptas & dolor, metus & ira. Quibus qui imperarent, nec se ab his vinci paterentur, eos iustè victuros & ad astrum sibi cognatum reuersuros:* [8] *euictos verò ab iniustitia, secundo ortu in vitam fœminæ migraturos. In qua qui peccandi finem non faciet, eum tandem in ferarum naturam migraturum. Finis verò ipsis laborum erit, cum innatos affectus vicerint & ad proprium habitum redierint.*

NOBILISS. ET O. V.

NICOLAO FVMAEO, APVD COE-nomanos antiquissimi Cœnobij á cultura, Vigilantiss. Cultori & Cœnobiarchæ

Ia. Carpentarius. S.

SCIO quàm inconsideratè faciam, V. Ornatiß. qui in hac quæstione de dæmonibus occupanda, in alienam messem manum immittam, & de eadem ad te scribam, cui iampridem perspecta sunt quæ in hac philosophia & Christiano videri possunt cognitione digna. Et tamè cum horum temporum peruersitas, in instißima occasione quæ ex huius authoris interpretatione nascebatur, non omnino sineret hanc á nobis præteriri, de qua multa á veteribus disputata sunt, plura verò hac ætate à nonnullis, parum piè in nostram religionem animatis, in controuersiam reuocata, in eius explicationem mihi incumbēdum existimaui, & quicquid erat quod de ea labore aliquo collegeram, idem tuo nomini consecrandum. Non quod in hoc quicquam esset quod tua persona dignum arbitrarer, aut ad quod legendum te à rebus grauioribus vellem auocare: sed quoniā cum singularis humanitas tua prædicetur ab omnibus, mihique ipsi in multis sit perspecta, hoc initium fore sperabam ad ea fruendum posthac liberius: qua nihil profectò potest esse iucundius: neque verò quicquam ad recreanda nostra hæc philosophica studia aptius, quàm si in his sentiamus nos tibi aliqua ex parte placuisse. Quod si mihi Deus dederit, ego certè quia virorum tibi similium ornatißimo testimonio contentus, nihil amplius in vita hac expeto, laborum omnium quos in his colligendis posuimus, satis magnum fructum videbor esse consequutus. Modo tu cuius beneuolentia, sicut speramus, hic posthac aletur, Reipub. nobilisque diu viuas ac valeas.

IN

Ia. Carpentarij, Commentarius in cap. 13.

In quo primum disputatur de Dæmonibus.

QVÆ DISGRESSIO EST QVARTA.

DE dæmonibus quæstio veteribus Platonicis nobilissima, eáque ad nostram religionem valdè pertinens: de qua idcirco pluribus nobis hoc loco disserendum. De illis verò primùm quærendum est, An sint, deinde quales sint. In istáque posteriore quæstione, hæc comprehẽda: An corporei: An immortales: quantum potestatis in hominem habeant in eáque omnia quę mundo continentur, postremòvero, quali intelligendi vi sint pręditi. De quibus omnibus sine errore ne disputari quidem potest, nisi primum distinguatur quod varium & multiplex Dæmonis appellatione continetur. Quanquam verò in nostra religione, nomen hoc soleat in deteriorem partem vsurpari, pro ea natura quæ cum in prima mundi origine à Deo perfectissimam rationẽ & intelligentiam accepisset eandémque cũ angelis parem, suo peccato de dignitate deiecta est & cœlo pulsa, indéque Deo odiosa, hominibus molesta esse cœpit: Platonici tamen hac appellatione etiã angelos lucis complexi sunt: quos modo dęmones bonos, modo Deos minores nominauerunt. Atque etiam amplius, in dæmonibus aliquando numerauerunt naturas omnes quæ qualescunque & vbicunq; sint, cum homine communem habent rationis vsum, vel eo qui homini datus est, superiorẽ. In qua varietate, certum est de superioribus quæstionibus non eodẽ modo esse statuendum. Nam posteriore significatione, Psellus libro de dęmonibus, ex Marco quodam dęmonum sex genera facit: primũ igneum, quod per superiorem aëris regionem vagatur (hanc enim pro igne videri etiam ab ipso Aristo. vsurpatam, docuimus lib. 2. prioris nostræ descriptionis physicæ) secundum aëreum, quod in aëre nobis propinquo obeirat: tertium terrenum: quartum aquatile: quintum subterraneum: sextum lucifugum & imperscrutabile. Sícque in dæ-

monibus numerari possunt, Dryades, Nymphæ, Fauni, & Satyri itémque animalia illa subterranea humanam figuram habentia & cum hominibus ludentia, quorum in sequentibus ex Georgio Agricola mentionem faciemus. Priore verò modo arctioréque, qui Theologis magis familiaris, dæmonum malignorum sua quoque est diuisio, pro varietate eorum quibus maximè oblectantur, dum Deo studiosè aduersantur & ab eodem nos auocare conantur. Primi enim falsi dij nũcupantur: quoniam pro diis coli volunt, sacrificiáque sibi exposcunt: Secundi, spiritus sunt mendaciorum: qui se oraculis immiscent, iisque variè hominibus imponunt: Tertij inuentores malarum artium: Quarti, præstigiatores, qui miracula imitãtur ad homines seducendos: Quinti, qui aëri se immiscere solẽt in hócque fulgura & tonitrua excitare, atque etiam malignis qualitatibus eundem inficere. Postremi, singulorum hominum tentatores & insidiatores: quibus cõtrarij angeli boni qui nobis custodes contra illorum insidias dati sunt. Aliter Plato dæmones quosdã non solũ bonos agnoscit in Cratylo, sed indicare videtur ex hominibus esse factos & in cœlũ relatos Scisne, inquit Socrates, quos Hesiodus δαίμονας esse ait? HER. Non. SOC. Neque etiam quod aureũ genus hominum ait in principio extitisse? HER. Hoc quidem noui. SOC. Ait enim ex hoc genere post præsentis vitæ fata fieri dæmones sanctos terrestres, optimos malorum expulsores & custodes hominum. HER. Quid tum? SOC. Nempe arbitror vocari illud aureum genus, nõ ex auro constitutum, sed bonum atque præclarum. Quod inde coniicio, genus nostrum ferreum esse dicit. HER. Vera narras. SOC. An non putas si quis nunc ex nostris bonus sit, aurei hunc generis ab Hesiodo æstimari? HER. Consentaneum est. SOC. Boni autem vtrum alij quàm prudentes. HER. Prudentes. SOC. Idcirco, vt arbitror, eos dęmones præcipuè nuncupat, quia sapientes δαίμονες quæ erant. Et ex nostra prisca lingua istud nomen extit. Quamobrem & is & cæteri poëtę permulti, præclarè loquuntur, quicunque aiunt videlicet, postquam bonus aliquis vita functus est, maximam dignitatem præmiúmque sortitur, fitque dęmon, secundum sapientiæ cognomentum. Ita & ipse assero, δαίμονα id est sapiẽtem esse omnem hominem quicunque sit bonus: eúmque dęmonicum esse, id est felicem, viuentem atque defunctum. Idem lib. 4. de legibus, dęmones puriores, quasi deorum apud nos interpretes, colendos esse ait. Et in Epinomide, Visibiles, inquit, deos maximos summoperéque honorandos acutissiméque cũcta videntes ac primos naturam astrorum & quę cum astris facta sentimus, fatendum. Deinceps verò sub his dæmones, genus aëreũ in tertia mediáque regione (qui interprætationis causa sunt) collocatos, orationibus colere, gra-

tia laudabilis interceſſionis interpretationíſque debemus. Horũ quidem duorum animalium alterum ex æthere, alterum deinceps ex aëre eſt: Ac neutrum conſpici totum poteſt. Sed quamuis hi dęmones propè nos ſint, nunquam tamen manifeſtè nobis apparent. Prudẽtiæ admirabilis participes ſunt acuto quippe ingenio tenacíque memoria cogitationes omnes noſtras cognoſcunt: honeſtos bonóſque viros mirificè diligunt, improbos vehementer oderunt, vt pote qui doloris participes ſunt. Idem in Sympoſio. Magnus dęmon, inquit, Amor eſt. Et enim omnis natura dęmonum inter mortales deóſque eſt media. Quam vim habet? Interpretatur & traiicit humana ad Deos, diuina ad homines: horum quidem preces & ſacrificia, illorum præcepta ſacráſque ſolemnes inſtitutiones & ordinem. In quibus manifeſtum eſt illum dęmonibus ea tribuere quæ in noſtra religione Angelorum bonorũ ſunt propria. Porphirius lib. 2. de abſtinentia ab eſu carnium, dęmonum duo primà genera facit, vnum bonorum, qui nunquam lædunt, alterum malorum qui nunquam iuuant. Idémque libro de occaſionibus, addit genus tertium quaſi medium, eorum qui læſuri ſunt genus humanum, ſi iraſcantur: propterea quod negligantur, neque cultum legitimum nanciſcantur: contráque benefacturi hominibus qui eos votis ſupplicationibúſque, ſacrificiis & aliis quæ conſequuntur, ſibi conciliauerunt. De illíſque ſic ex Platone ſcribit eodem libro. Quemadmodum caliditatis non eſt vt frigefaciat, ſed cõtrarij, ſic nec iuſti vt lęſionem vllam inferat. Iuſtiſſimum autem omnium natura eſt numen, alioqui nihil eſſet. Vis igitur hæc & ſors à beneficis dęmonibus præcidenda eſt. Facultas enim quæ lædere & natura ſolet, & vult, beneficæ procul dubio contraria eſt. Contraria autem in eodem eſſe nullo modo poſſunt. Cum itaque iſti multis in partibus, atque interdum in maximis, mortale hominum genus lædant, boni dæmones ſigillatim officia ſua nunquam intermittunt: ſed pericula nobis à maleficis impendentia pro viribus præmonſtrant, dum & per ſomnia & per animam diuinitus afflatam, aliáque multa, ſignificationes dant. Vt ſi quis ea diſtinguere quę ſignificantur, poſſet, fraudes omnes cognoſceret ac præcaueret. Omnibus enim ſignificãt, ſed non omnes percipiunt ea quæ ſignificantur. Quemadmodum neque omnes legere quæ ſcripta ſunt, poſſunt, ſed qui literas didicerunt. Per contrarios autem dęmones, omnes præſtigię perficiuntur. Ex qua multiplici nominis huius ſignificatione extitit eiuſdẽ Porphyrij dubitatio quam ex epiſtola ad Anebonem Ægyptiũ, citat Theodoretus Cyrenſis lib. 3. de curatione græcarum affectionũ, De iis dæmonibus, inquit Porphyrius, qui dij quidem nominantur, re autem ipſa mali ſunt dæmones, illud me nõ parum ſanè conturbat, quónam videlicet

pacto hoc fiat, vt qui tanquam meliores potentioréſque hominibus, inuocantur, imperiis tamen hominum ſeu peiores inferioréſque ſint, vrgeantur. Cúmque ipſi æquum eſſe prædicent vt ſeruus qui iniqua geſſerit, puniatur, ipſi tamen ad iniuſta facinora ſeſe iuſſis adigi patiãtur. Nequeaduocanti illi parendum putent, qui ſit admiſſo ſtupro impurus: qui tamen ad obſcæna flagitia quoſcunque homines perducere non grauentur. Atque ab animatis quidem corporibus abſtinere, ſacrorũ interpretes cenſeant oportere: cũ tamen ipſi nidore victimarum ſacrificiorúmq; vaporibus tanquã eſcis quibuſdam, quã maximè oblectentur: nefaſq; ducant ab eo morticinium contrectari qui ſit rebus diuinis myſteriiſq; præfectus, & tamẽ cæſis animãtibus per cruorẽ cædémq; dæmones deducãtur. Illud autẽ multo quã hæc omni magis abeſt à ratione, cũ ipſi videlicet non dæmoni quidem, aut animæ defuncti hominis, ſed ipſi adeo Soli, quẽ maximũ regẽ imperatoréq; magi habent, ſed Lunæ, ſed alicui ex ſideribus homo de medio ſumptus ſeruiliſq; cõditionis, terribiles minas intonat, mẽtitur ſe diis terrorẽ incutere, vt interrogati, vera reſpõdeant. Etenim cũ quiſ eorũ denuntiat quod cœlũ diffringet, quod occulta Iſidis reuelabit, *quòd ea* quæ ſunt in adyto ſecreta apperiet, quod Charontis cymbã firmabit, quódq; Oſiridis mẽbra Typhoni diſcerpet, ſi ea cõminantẽ reſpicias quæ nec facere poſſit quiſquã, nec ſciat, quẽ nõ illa ſtuporis exceſſum dementiæq; excedãt? Si verò dæmonẽ trepidantẽ, deúmve conſideres nouo quodam fictitiæ rei metu, quali ſcilicet ne fatui quidẽ pueri terreantur, quam cõſternationis immẽſæ magnitudinẽ metus ille nõ ſuperet? Ipſe verò Cheremõ ſcriba rerũ ſacrarũ, cõmemorat eſſe apud Ægyptios valde nugis inuulgata, aítque hæc ipſa & quęcũque ſunt talia, eſſe violentiſſima. Quibus omnibus ex Porphirio cõmemoratis, rectè Theodoretus eodẽ loco vtitur ad efficiendũ veterũ religionẽ, in iis quæ ad dæmonũ cultũ pertinẽt, ne ipſis quidẽ ſapientibus & philoſophis ſatis fuiſſe conſtitutam. Quod ſcilicet in hac nominis ambiguitate nõ diſtinguerent, quid & quantum cuíque eſſet tribuendum. Maximus Tyrius Platonicus philoſophus, Sermone 26. Quod poëtæ fabulantur de Minerua iram Achyllis in Agamenonẽ cohibente, aut nebulã ex oculis Diomedis diſcutiente, id totũ de dæmonibus interpretatur. Deinde hęc de eiſdẽ ſubiicit. Deus certo quodã loco cõſtituto prætorio, cælum ipſum cæliq; ordinẽ vt pater familiã, gubernat: ab eóque fœcũda eſt immortaliũ claſſis, qui dij Medioximi dicũtur, mediã regionẽ quæ iacet inter cælũ & terrã, obtinentes: Dei quidẽ potẽtia minores, hominibus lõge meliores: deorũ penitus miniſtri, præſides tamen hominũ: diis proximi, at hominũ curatores diligentiſſimi.

Magno námq; interuallo mortale ab immortali & aſpectu cæleſti & cõſuetudine diſcluditur: ac propterea dæmonibus qui vtrámq; naturam, diuinã ſcilicet atque humanã, affinitate attingentes, harmonicis vinculis, alterius imbecillitatẽ cũ pulchritudine alterius connectant. Nam perinde atque inter græcos & barbaros, inter quos magna eſt vocis ac linguæ differentia, interpretes ſunt qui alterutrorum voces ſuſcipiendo ſignificationémque viciſſim deferendo, diuerſitatem illam nonnihil conciliant, commerciáque inuicem inducunt: ita intelligi debet Dæmonũ genus cum diis cúmque hominibus verſari. Quo etiam loco idem ait, ex Dæmonibus nonnullos medicinam profiteri: alios in ambiguis rebus conſilium præbere: nonnullos abſcondita enunciare: multos exercendis artibus cooperari: eſſe quoſdam itineris comites: vrbanos alios, alios ruſticos: hos maritimos, terreſtres illos. Cornelius Agrippa cap. 16. lib. 3. de occulta philoſophia, In dæmonibus primos ſtatuit ſuper cæleſtes, corporis omnino expertes, qui circum vnum Deum verſantur, nec mundi corporibus præſunt, ſed ſuſceptum à Deo lumen in inferiora immittunt, ſinguliſque ſua officia diſtribuunt. In ſecundis numerat cæleſtes intelligentias ſphæris præfectas, de quarum numero & officio multa ſunt apud Ariſt. libr. 12. Metaph. In tertiis dæmones qui miniſtri appellantur: quia inferioribus terreniſque diſponendis præſunt. Qui rurſum diſtribuuntur in Igneos, Æreos, Aqueos & Terrenos. Nõ quod, inquit, ſinguli in ſingulis elementis tantũ verſentur: ſed quia in his à quibus nomen capiunt, maximè regnãt. In quibus contẽplationi potiſſimũ dediti ſunt Ignei: Ærei: vitæ actiuę: Aquei verò ad ſenſum demiſſi: Terreni, ea curant quæ ad naturam altricem pertinent. A quibus omnibus diſtincti ſubterranei ſiue tenebricoſi dæmones mali, quos antea ex Pſello ſexto genere ſumus complexi. In iis etiam ſunt qui appellantur incubi & ſuccubi: De quorum vario coitu cum hominibus mira ſunt & penè omnem humanam fidem ſuperantia quæ nonnulli referunt: quanquam virorum ſanctiſſimorum ſcriptis confirmata & aliquot nobiliſſimarum familiarum, quæ inde dicuntur emanaſſe, exemplis teſtata. Noſtræ verò religioni conſentaneum magis eſt quod de malis dæmonibus ſcribit Mercurius Triſmegiſtus cap. 9. Pimandri Humana mens, inquit, omnes notiones concipit, bonas quidem, quoties à Deo ſemen infunditur, contrarias autem cum à dęmonibus ſpermata iaciuntur. Nulla profecto mundi pars eſt dæmonum præſentia deſtituta. Horum lumen ab ipſa Deo totum deſcendit. Dęmon denique transfuſus in hominem, ſemina propriæ motionis inſpergit. Mens autem conſperſa ſeminibus prægnans inde parit adulteria, ſtupra, par-

ricidia, sacrilegia, diuinorum contemptum, iugulationes, euersiones vrbium, pestes hominum & reliqua omnia quæcũque malorum sunt opera dæmonum. Dei planè semina pauca, at illa quidem magna, pulchra, bona: virtus scilicet, temperantia, pietas. Pietas autem Dei religio. Quæ omnia si ex veterum philosophorum & Christianorum loquendi consuetudine dæmonis appellatione complectimur, difficile est quenquam reperire qui dæmones esse omnino neget: nisi fortè illos verbo magis, quam re tollat: aut eadem impietate Deos quoque esse negare audeat. Nam Aristoteles ipse qui naturæ omnino addictus, in cæteris quæ ad dæmones pertinent, Platoni videtur fuisse cõtrarius, agnoscit intelligentias cælestium orbium motrices & formas quasdam diuinas Deo inferiores, à materia tamen omnino separatas, & in physicis & in Metaphysicis. Quæ, vt modo dictum, à veteribus dæmonis appellatione sunt comprehensæ. Cæterum mirari soleo eundem Aristotelem nullo loco, quod sciam, apertè exposuisse quid de dæmonibus sentiret. Præsertim cum eorum frequentissima esset mentio apud Homerum, Euripidem, Pindarum, Simonidem, Hesiodum, atque adeò apud magistrum Platonem. Quorum omnium scriptis si assentiebatur, in multis rebus philosophicis naturalibus & moralibus explicandis, hos ipsos dæmones potuit adhibere. Si verò illorum omnium sententiam nobilem & quæ certè aliqua probabilitate niti videbatur, non probauit: mirum mihi magis est, cur in hac euertenda nullo loco laborauerit: cum in aliorum philosophorum opinionibus plerísque minus nobilibus, exagitandis, diligentissimus & vehementissimus esse soleat. Auget etiam hanc dubitationem, quod plerísque locis oraculorum, diuinationum, incantationum apertam mẽtionem facit: quorum vnumquódque ad dæmones à veteribus referebatur. Nam cap. 20. lib. 3. de historia animalium, vbi agit de capro quodam cui in Lemno magna copia lactis ex mammis effluebat, Hoc, inquit, in ostentis numerãdum potius ducunt. Nam & Lemnio illi pecoris Domino consulenti, Deus amplius incrementum peculij futurum respondit. Itémque de incantationibus agit cap. 24. lib. 8. & de auguriis cap. 1. lib. 9. Apertius etiam de his quos dæmoniacos appellamus, probl. 1. Sect. 30. Multi inquit, propterea quod ille calor sedimentis in vicino est, morbis vesaniæ implicantur, aut instinctu Lymphatico efferuescunt: ex quo Sybillæ efficiuntur & Bacchæ & omnes qui diuino spiraculo instigari dicũtur: cum scilicet id non morbo, sed naturali intemperiæ accidit. Vnus locus est libro de diuinatione per somnum, in quo hic philosophus nimium fortasse naturæ addictus, hanc veterum de dæmonibus sentẽtiam irrisisse videtur potius quam dignam existimasse in qua refutãda laboraret. Deum esse, inquit, qui

Arist. sententia de dæmonis.

somnia mittat, præter alia quæ à ratione aliena sunt, etiam illud alienum est & Dei maiestate indignum, eum illa non optimis viris nec prudentissimis, sed quibusuis mittere. Sublata autem causa quæ à Deo ducitur, alia consentanea nulla videbitur. Causam enim reperire cur futura de his præsentiant quæ in columnis Herculis, aut in Borysthene sint, maius est quam quò nostra sapiētia peruenire possit. Et paulò post, Omnino somnia, inquit, quoniam in aliis etiam quibusdam animantibus videntur, à Deo non mittuntur, nec ad eum finem nobis mittuntur. Sunt tamen δαιμόνια. Siquidem natura δαιμόνια, non diuina est. Quo eodem argumento, vel etiam probabiliore, Aristoteles efficeret, diuitias, opes, sanitatem à Deo non dari: quoniam hæc omnia etiam in improbos cadunt. Neque verò somnia omnia à Deo immitti dicuntur, sed quædam à malo dæmone: illa quidē quę à Deo, vel à bono dæmone huius ministro, vt plurimum in viros bonos: hæc à malo, in improbos: aut etiam in hos aliquando quædam à dæmone bono, cum scilicet diuina prouidentia improbis ad bonum aliquod vtitur. Posterior verò Aristotelis locus, in quo ait somnia quæ diuinitatis aliquid habere putantur, à Deo non immitti, δαιμόνια tamen esse: quoniam natura δαιμόνια est, non diuina: dignissimus est obseruatione, sed qui reconditam habet sententiam. In qua quanquam nihil mihi adhuc sit omnino definitum, sed ab aliis expectem meliora, dicam tamen quod mihi significare videtur, somnia illa in quorum interpretatione diuinationis aliquid ponitur, ex naturalibus causis pendere, ideóque supra naturam ea ad Deum non esse referenda: δαιμόνια, tamen dici posse, quia ex naturæ ordine pendent: propter quem hæc dici potest non diuina sed δαιμόνια: quòd in tali ordine situm id, Aristoteli naturæ genio esse videretur, quod Platonici dæmonibus attribuebant, quos natura superiores, Deo inferiores esse volebant. Libro quinto Metaphysicorum, dæmonum quidem apertam mentionem facit & in substantiis corporeis eosdem numerare videtur: sed dubitando magis quam quicquā pro rato de illis statuendo. Substantiæ esse dicuntur, inquit, vt terra, vt ignis, vt aqua & si qua sunt eiusdem generis, & vno nomine corpora & quæ ex iis cōstant, vt dæmonia eorúmque partes. Idémque cum pluribus locis præter hominem agnoscit animal quoddam rationis particeps, hoc videtur quibusdam ad dæmones pertinere. Vt lib. 2. de anima, nonnullis animalibus, inquit, vis inest progrediendi, nonnullis ratiocinandi & mens: vt hominibus, & si quid aliud est eiusmodi, aut etiam homine diuinius. Eodémque libro, Extrema, inquit, atque minima ratiocinationem habent & mentem. Quibus enim mortalium inest ratiocinatio, his etiam insunt cætera omnia. Vbi ajunt ab illo adiectum esse, mor-

talium, quod in dæmonibus immortalibus ratiocinandi vim ſine inferioribus animi facultatibus videretur agnoſcere. Niſi fortè hoc in eiuſdem doctrina referendum exiſtimemus ad cælum & ſtellas: quibus vitam & intelligentiam cum immortalitate ab eodem attribui obſeruat Beſſario Cardinalis cap. 4. lib. 2. contra Trapezuntium. De ſpiritibus quidem cęleſtibus & diuinis locus eſt obſeruatione digniſſimus in opere quod nuper edidimus, de ſecretiore parte diuinæ ſapientiæ ſecundum Ægyptios cap. vltimo lib. 4. ſed in eo non exiſtimo ſatis eſſe virium ad ſtatuendū de quæſtione propoſita: quia mihi non ſatis conſtat illud opus Ariſtotelis eſſe. Illum tamen integrum deſcribam: quoniam valdè pertinet ad id de quo nunc agimus. Spirituum, inquit, aliquot genera ſunt. Quidam enim cæleſtes, in ipſis ſtellis potiſſimum ſuam ſedem habentes: quod illorum actiones in iis maximè appareant. Alij in totis orbibus ſine vlla differentia ſiti: quia incorporei ſunt, neque ſtellis tantum ſed omnino ipſis orbibus ſine diſcrimine præſunt. Si quis vero inquirat an in mundo hoc qui in ſenſum cadit, quicquam ſit cuius mūdus alter ſit expers, equidem in illo hæc etiam ineſſe dicimus, cælum, terrā, mare, bruta, plantas, homines, denique ea omnia quæ in mundo hoc reperiuntur: ſed eorum quæ in illo ſunt, nihil eſſe terrenum. Atque ſpiritus qui in eodem verſantur, cum hominibus in illo viuentibus amica pace conſentire. Neque enim eorum vnus alterum expellit nec ab altero pellitur. Neque vlla in re ſibi inuicem aduerſantur: ſed omnes in maxima vitæ ſocietate conquieſcunt. Quoniam eorum author vnicus eſt omninóque ſui ſimilis. Illi quoque ea quæ deſunt contemplantur, nec ortui, vel interitui obnoxij. Iidémque ſinguli in alterius eſſentia ſuam intuentur. Quia & ſpiritus qui in eodem mundo verſantur, pellucidi ſunt: nullaque in parte obſcuri, neque item cōtigui, neque diſiuncti: ac eorum quilibet alteri perſpicuam lucem præſtat: neque quicquam quod ad vnum pertineat, alterum latere poteſt. Non enim horum contemplatio oculo corporeo terminato, commutabili, perficitur colores recipiendo, ſed oculo mentis: qui ſexta quadam virtute in vnum ſenſum colligit virtutes ſenſuum quinque inſtrumentis diſtinctas. Hæc quidem, vt dixi, obſeruatione digniſſima ſunt, & ad propoſitam quæſtionem maximè pertinent: ſed quia de eius operis authore non ſatis conſtat, nihil habent virium ad efficiendum quod de Ariſtotele quærimus. De quo illud mihi probabile eſt, hunc naturæ obſeruatorem vigilantiſſimum, ſic huic vni fuiſſe addictum vt ea ſola in philoſophando probauerit quæ cum eiuſdem principiis conſentiebant, vel ex eiſdem deriuabantur. Quare de diuinis & incorporeis, quæ à ſenſibus ſeparata, ea tantum idem poſuiſſe videtur & in ſua philoſophia vſurpaſſe

passe,ad quæ humanus animus ex sensilium obseruatione deduci poterat & sine quibus naturæ effectus in rebus corporeis non poterant commodè explicari. Sic enim ille de Deo diuinísque intelligentiis cælestes orbes mouentibus egit lib.8.physic.& 12.Metaph. Ad id autem dæmonum varietas in elementari regione non videbatur ex legibus naturæ necessaria. Sed in cælo, ad conseruationem perpetuitatẽmque vniuersi, solus Deus cum cælestibus intelligentiis poterat esse satis: & ad eos effectus speciales qui dæmonibus attribuuntur, sufficere videbatur proprietas humorum in nostris corporibus dominantium & insita quædam vis rebus cæteris nostra corpora circũstantibus. Per quæ omnia fortasse hic existimauit satis commodè explicari posse,illa omnia propter quæ priores philosophi dęmones posuerant. Sícque eo loco quem superius citauimus ex libro de diuinatione per somnum,dixisse videtur,naturam esse dæmoniam: id est,vt ego suspicor,in natura bene ordinata,dependente ex cęlestium orbiũ conuersione ab ipsis intelligentiis, eam vim ad omnia explicanda reperiri posse, propter quam alij ad dæmones cõfugerunt. Itaque varia philosophandi ratio quam in Platone & Arist.antea in prefatione obseruauimus, illud quoque effecit, vt de dæmonibus vtérque non sit eodem modo loquutus:vtque Aristoteles his non multum in vniuersa philosophia tribuerit. Quos tamen omnino apertéque improbare minimè ausus est, aut de eisdem contra veteres philosophos (sicut de rebus aliis permultis)ex professò disputationẽ instituere:quod fortasse vereretur ne publicam religionem ab Athenienſibus receptã & probatam offenderet. Sed de Aristotele satis:nunc Platonicorum & Christianorum sententiam de eadem quæstione expendamus. A quibus non tam ratione probatum est,quam pro rato positum,quod penè infinitis historiis abundè testatum videtur,dæmones esse:in híſque bonos quosdam,alios malos:bonos, vitæ humanæ moderatores esse & directores: malos eiusdem insidiatores & oppugnatores: qui aliquando bonorum speciem ementiuntur, vt facilius ipsis hominibus possint imponere, hósq; suis artibus ad animorum interitum allicere. De communicatione hominum cum dæmonibus multa sunt apud Mercurium Trismegistum scriptorem antiquissimum. Eadémque in veteribus Pythagoreis multorum historiis testata: & maximè à Philostrato in Apollonio Tyaneo:qui per hanc edidisse suis temporibus dicitur varia miracula, in quibus Hierocles hũc Christo æquare conatus est. Cuius impia opinio libro vno ab Eusebio est refutata. Atque Iustinus Martyr de eisdem interrogatus à Gentibus, quo à Christi miraculis differrent,quæstione 24 sic respondit. Conseruator noster Christus,inquit,pro diuina sua authoritate ac iure, mira inusi-

tatáque opera perficiens, nuſquam materiam requirebat, ſed imperiũ eius ac prædictionem, res & ſequebãtur & ſequuntur. Et res quidem quas Apollonius efficiebat, quoniam ex iure naturalium virium factæ ſunt, ad functiones corporeas hominum non euertit Dominus: ipſum autem dæmona, qui in eius ſigno inſidebat, & in diuinationibus homines decipit, faciebãtque vt Apollonius pro Deo coleretur, eique diuini honores tribuerẽtur, eius extinctis diuinationibus mutum reddidit & vna cum illo cæterorum dæmonum, qui à gentibus Deorum nomine colebantur, potentiam euertit, quemadmodum res ipſa declarat. In quo argumento idem Iuſtinus adhuc verſatur quæſtione 26. Socrates autem apud Platonem in Theage, de ſuo dæmonio ſic loquitur. Adeſt mihi, inquit, diuina quadam ſorte dæmonium quoddam à prima pueritia me ſecutum. Hoc enim vox eſt quædam, quæ cum auditur, eius quod fit, diſſuaſionem innuit: prouocat vero nunquam. Quod ſi quis amicorum aliquid mecum quandoque communicat venítque vox, hoc illa diſſuadet, neque facere ſinit, & cætera. Idémque ſtudium extitit penè vniuerſæ familiæ Platonicorum: eadem cum dæmonibus communicatio, per quam illi plerúmque extra ſe rapi dicebantur, ſicut colligi poteſt ex vita Plotini quæ à Porphyrio deſcripta eſt. In qua inter alia multa quæ ad hanc quæſtionem pertinent, teſtatur Ægyptium quendam Sacerdotem Plotino proprium dæmonem Romæ oſtendere voluiſſe, húncque ab illo inuocatum in æde Iſidis, quòd hunc ſolum locum Romæ purum eſſe inuentum ſacerdos ille diceret. Túmque cum proprius Plotini dæmõ accerſeretur, pro dæmone Deũ acceſſiſſe: atque hoc conſpecto, Ægyptium clamauiſſe. Beatus es ô Plotine, qui habeas pro dæmone Deũ: neque ex inferiore genere ducem ſis ſortitus familiarem. Raptum verò mentis à corpore quater ſe in eodem Plotino animaduertiſſe, dum cum ipſo verſaretur, teſtis eſt idem Porphyrius in huius vita. Atque hæc quidem ex Platonicis & Peripateticis: Chriſtianis autem, de dæmonibus bonis & malis dubitare an ſint, nefas. Quoniam ea res eſt in fundamentis religionis noſtræ à Chriſto poſita, eiuſdémque factis & geſtis confirmata, & in primis anachoretis qui circa tempora Diui Hyeronimi extiterunt, infinitis exemplis in hiſtoria Sanctorum patrum, à Palladio diſcipulo Diui Euagrij, qui eorundem ſpectator fuit, teſtata. Vt iam inter nos quærere an dæmones ſint, & nũ ea quæ illis attribuuntur, referri poſſint ad humores in humanis corporibus dominantes, aut ad occultas rerum naturalium proprietates, eorum eſſe videatur qui ſuis opinionibus Deum cælo, dæmones mundo deturbare conantur: quo vtrinſque omni metu liberati, falſa opinione eadémque omnium humanarum ſocietatum perturbatrice, impune

ruant in omnia flagitia. In quo neque Hieronymi Cardani, neque Petri Pomponatij licentiam probare possum. Quorum ille lib. 16. de rerum varietate & 19. de subtilitate, postquam rationes varias collegit magna ex parte leues & philosopho prorsus indignas, quibus conatur efficere dæmones non esse, ad extremum suam audaciam, ne dicam impietatem, eo velare conatur, quod illa scribat non vt Christianus, sed vt philosophus. Mallem profecto duo hæc coniunxisset & vt Christianus philosophus de dæmonibus disseruisset. Alter verò, libro de incantationibus, ita videtur affectus, vt ad efficiendum vana esse argumenta ea, quibus Platonici atque Christiani impulsi videntur ad ponendos dæmones, scilicet propter admiranda pleráque opera, naturæ leges & causas excedentia: contra persuadere conetur in illis omnibus nihil esse quod commodè ad naturam referri nõ possit, & per eiusdem principia explicari. In quo cum idem nostram religionem manifestè conuellere videatur, nobis credo illudens, ad extremũ in ipsa peroratione subiicit, si quid in eo opere offendatur quod Sãctæ ecclesiæ Catholicæ aduersetur, vel eidem minus placeat, se illud totum reuocare, huiúsque correctioni subiicere. Quid verò ab hac aliud expectare possit, quam vnam lineam à principio ad finem ductã? Atque cum infinita exempla sint, quæ testantur dæmonum magnam vim in aëre & aquis, in solitudinibus, in oraculis edendis, in somniis, in humanis etiam corporibus inuadendis & per certa interualla vexandis, contra quæ nullæ philosophorum rationes quicquam virium habere possunt, Mirum illud est maximè quod ad religionis nostræ confirmationem non parum pertinet, Christi aduentu aut ipsos dæmones esse extinctos (si de his nõnulli erant mortales, de quo postea disseretur) aut aliò se recepisse, quòd in huius regno priorem authoritatem non possent retinere. Refert enim Nicephorus Callistus cap. 17. lib. 1. historiæ ecclesiasticæ, Cæsarem Augustum post Christum natum, maximo sacrificio (quod Hecatombe dicebatur) Pythio Apollini instituto, quæsiuisse quem in Romano imperio successorem esset habiturus. Ac cum hic consultus nihil responderet, illum iterato sacrificio causam silentij scire voluisse: túmque ab Apolline sic esse responsum,

Dæmones ma-
lis Christo ces-
serunt.

Me puer Hæbreus, diuos Deus ipse gubernans,
Cædere sede iubet, tristémque redire sub Orcum.
Aris ergo dehinc tacitus abscedito nostris.

Quibus auditis, Cæsar, vt idem Callistus ait, in Capitolio aram construxit cum hac inscriptione, ARA PRIMOGENITI DEI. Idem de suis diis quæritur Porphirius eo libro quo Christianam religionem exagitat, sicut refert Eusebius cap. 1. libr. 5. de Euangelica

præparatione. Nunc verò mirantur, inquit Porphirius, si tam multis annis ciuitas peste vexatur: cum & Æsculapius & alij dij longè absint ab ea. Postquam enim Iesus colitur, nihil vtilitatis à diis consequi possumus. Idémque etiã amplius colligi potest ex his quæ vno libro pluribus verbis disputat Plutarchus, de temporibus & causis quibus regnante Tyberio Cæsare oracula defecerũt. In cuius rei obseruatione cum maxima vis insit ad confirmationẽ religionis nostræ, quam etiã ab huius hostibus inuitis extorquemus, mirũ est profecto inter Christianos, nonnullos existere qui huius rei fidem eleuare conentur. In quo dissimulare non possum me in Cardano pietatem maiorem requirere & in philosophandi licentia Christianam moderationem. Hic enim lib. 16. de rerum varietate, scribit, cum ante Pharsalicum bellũ oracula desierint, non esse cur defectus eorum ad Christi natiuitatẽ transferatur. Nam & post Christũ dedêre responsa, inquit, sed, læsa, manca, omnino inutilia: & ante illum deseri cœperunt. Addit etiam eodem loco, quod Christo aduenięte apertius quam antea hæc defeciſſe visa sunt, id forsan ex eo accidisse quod tum Pythia cõsenuisset. Oratio, ita me Deus amet, neque philosopho ne Christiano digna. Addam verò vt istiusmodi homines vehementius commoueãtur, virtutem hanc impediendorum oraculorum & dæmonum reprimendorum, à Christo non modo in huius discipulos viuos adhuc emanasse, sed in martyrum sepulchra crucísque signum: in quo maius quiddam elucet quam vt comprehendi possit naturæ legibus, quibus isti genialeſ philosophi nimium sunt addicti. De priore nobilis est historia apud D. Io. Chrysostomum libro contra gẽtiles, de Daphnis oraculo quod ferre non potuit vicinum sepulchrum Babylæ Martyris, neque eo illic extante, de rebus futuris respondere. In posteriore, exemplis infinitis abundamus. Quanto terrori sit dæmonibus crucis signum, inquit Lactantius, capit. 27. libr. 4. is sciet qui viderit quatenus adiurati per Christum, de corporibus quæ obsederint, fugiant. Nam sicut ipse cum inter homines ageret, vniuersos dæmones verbo fugabat, hominúmque mentes emotas & malis incursibus furitas, in sensus pristinos reponebat: ita nunc sectatores eius, eosdem spiritus inquinatos, de hominibus & nomine magistri sui & signo passionis excludunt. Cuius rei non difficilis est probatio. Nam cum diis suis immolant, si assistat aliquis signatum frontem gerens, sacra nullo modo litant: nec responsa potest dare cõsultus vates. Prophanæ etiã recentésque historię testantur, cum à Magellano Christiano ex America gygans quidam ad nos deduceretur, hunc, quem ille in principiis nostræ religionis instituens, sæpius monuerat vt imprimis se signo crucis muniret, postea retulisse, dæmonem in cuius

poteſtate antea fuerat, horrenda voce præſentaneam mortem interminatum, ſi eo ſigno vti pergeret. Eóque ſe perterritū, illo ſigno vti non prius eſſe auſum, quā ab illa inſula, in qua dæmon plus poſſe videbatur, longo ſpacio ſeparatus, morti ſe proximū ſenſiſſet. D. Athanaſius in oratione contra idola, ſcribit poſt crucis aduentum omnem ſimulachrorum cultū ſummotum eſſe, omniáque dæmonum præſtigia, hoc ſigno propelli. Idémque libro de humanitate verbi, ait ſigno crucis magica omnia reprimi, veneficia inefficacia reddi, idola vniuerſa deſeri. Apertius eſt quod eodem libro, ſuperioribus ſubiicit, Olim, inquit, dæmonia inani ſpecie ludibriiſque rerum intricabant homines, inſeſſis alibi fontibus, alibi fluuiis, lapidibus aut lignis: atque ita præſtigiis fatuos in ſtuporem agebant. Nunc verò cum apparuit Dei Verbum, ſpectra eiuſmodi & ludibria imaginum ceſſerunt. Solo enim crucis ſigno vtens homo, dolos illorum à ſe propellit. De quo lubentiſſimé audio quēdā noſtra ætate ex Iudæis ad nos conuerſum, ſic philoſophantē, Si quid dæmon in animū noſtrum poteſt, id ad eius partem ſuperiorem, quæ mens appellatur, nihil pertinere: ſed ad eam quæ cum imaginatione cōmunicat, vel certè etiam ad ipſam mentē, quatenus hæc ſe ad imaginationē deiicit. Itaque hanc armandam eſſe contra omnes illius inſidias, ea imagine in qua viget ſempiterna memoria eius victoriæ, qua eodē deuicto nos Chriſtus in æternam libertatem aſſeruit. Quanquam non ſolum interiori crucis meditationi iſta vis ineſt, ſed & eiuſdem externo ſigno: quemadmodum & ſolēnibus quibuſdam ſacræ ſcripturæ verbis cū pronunciatur. Ex quo idem Athanaſius libro de interpretatione pſalmorum, colligit in ſacris ſolemnia conſueráque ſcripturæ verba ſumma religione eſſe ſeruanda: nec pro illis alia (etiam ſi fortè idem ſignificare videantur) eſſe vſurpanda. Quod illa dæmonibus ſemper terrori ſint, hæc plerúmque ludibrio. Sed hæc de prima quæſtione ſatis. De qua veteribus philoſophis dubitare quidem licuit, nobis verò nullo modo: niſi ſimul de veritate Chriſtianæ hiſtoriæ dubitare volumus, & ea euellere in quibus noſtræ religionis firmiſſima fundamenta ſunt poſita. At modus varius ſecundum quē dæmon ipſe hominibus apparuit cum eiſdémque ſub varia ſpecie verſatus eſt, facit vt de quæſtione altera, quid hic & qualis ſit, nos etiam ipſi non immerito dubitemus. Calchidius commentario in Timæum Platonis, dæmonē definit animal rationis particeps, immortale, animo patibile, corpore æthereum. Apuleius autem lib. de Socratis dæmone, perpaucis mutatis, eundem eſſe ait, animal animo patibile, mente rationale, corpore aëreum, tempore æternum. Eſt quidem ipſa intelligendi vis, in vniuerſitate tribus gradibus diſtincta: in Deo ſumma & exemplaris: in homine infi-

Dæmō quid ſit & qualis.

ma,& illius rudis quædam imago:in dæmone media. Atque eadem in Deo à corpore omnino ſeparata: in homine, manifeſtè, vt ſic dicam, incorporata:in dæmone ambigua. Quoniam mediorum eiuſmodi natura eſſe ſolet,vt inter extrema,pro diuerſa cum his cõparatione, ambiguæ naturæ eſſe videantur. Ex quo natæ ſunt veterum quæſtiones de dæmonibus,an corporei. Origines cap.1.lib.1. de principiis, negat eſſe definitum vtrum dæmones ſint incorporei : & ſi quando incorporei eſſe dicantur, id vult tantum per cõparationem eſſe intelligendum : quia conſtant corpore hoc noſtro longè ſubtiliore. Eadem eſt ſententia D. Auguſtini libro de natura dæmonum. Idémque cap. 10. lib.3 de geneſi ad literam,accommodatè ad eam definitionem quæ ex Apuleio citata eſt, dæmones appellat aërea quædam animalia. Quoniam corporum aëreorum natura vigent:propterea eos morte nõ diſſolui ait: quia prævalet in eis elementum quod ad faciendum quã ad patiendum eſt aptius. De quo tamen non ſatis definitam ſententiã habere videtur cap.23.lib.15.& cap.10.lib.21.de Dei ciuitate. D.Hieronimus commentario in epiſtolam ad Epheſios,ſcribit quidem aërẽ eſſe plenum contrariis poteſtatibus,id eſt dæmonibus:ſed non ſtatuit an conſtent corporibus aëreis. D. Thomas cap. 91 lib. 2. contra gentiles,ex Origene refert nullã ſubſtantiam, excepta Trinitate, ſine corpore poſſe conſiſtere. Idem tamen in quæſtionibus diſputatis, poſt varias rationes in cõtrarias partes adductas, exiſtimat probabilius videri illos nullum habere corpus ſibi naturaliter vnitũ, quod ſcilicet ab horum anima informatum, faciat dæmonem vnumquemque, animal vnum, vt antea ex Calchidio & Apuleio dictũ eſt : etiam ſi non putet negari poſſe, ab vtriſque dæmonibus, bonis inquam & malis, humana corpora plerúmque aſſumi, ſub híſque eoſdẽ frequenter apparere & nobiſcum verſari. Addit verò hos aliquando in ſacris literis ſpiritus appellari, vt incorporei ſignificentur: quando nobiſcũ conferuntur: eiſdémq; attribui corpora aërea, vel ætherea, quando ad Deũ referuntur. Quia vix aliter eorum naturã Deo inferiorem poſſumus intelligere. Et certè difficile eſt horum vel exiſtendi vel, vt ſic loquar, eſſendi modum, in rerum natura determinatum intelligere, niſi ſub notione corporea definita, vel ſaltem in aliquo corpore definito, Atque hæ quidem ſunt nobiliſſimorum Theologorum de hac quæſtione dubitationes. Quibus adiicere poſſis quod Auguſtinus Eugubinus diſputat lib.8.de perẽni philoſophia, veros dæmones aereos eſſe: non ſolũ quia in aere vt in loco ſibi familiari verſantur, ſed quia corpore conſtant aereo: hancque ſententiã de malis dæmonibus potiſſimum intellectam, cum noſtra religione maximè conſentire : in qua familiare eſt hos ipſos, aërearũ poteſtatũ nomine exprimere. Quare

Dæmones incorporei.

Thomas.

idem capite vltimo lib. eiusdem, indicat superiorē definitionem, quā ex Chalcidio attulimus, de dæmonibus bonis, quos Angelos lucis nominare solemus, esse intelligendam: posteriorem verò Apuleij, de dæmonibus malis. Quo posito, vt aër sua tenuitate cum sit inaspectabilis, quia radium aspectus sistere non potest, quando densatur, aspectabilis efficitur: sic intelligi potest dæmones malos, præterquā quòd assumpto corpore alieno plerúmque efficiuntur non modo aspectabiles, sed palpabiles & tractabiles, in suo quoq; corpore aspectabiles esse & inaspectabiles. Quia vim habēt ad hoc rarefaciendū & dēsandū sufficientē. Ex quo etiā intelligi potest quo modo hi aërē agitent per eūdémq; incredibili celeritate moueātur: hominibus adstēt perpetui insidiatores: suáque aërea & spirituosa substantia, humanam imaginationē subeant & nonnunquam animali spiritui multos violentos motus afferant. De quibus postea disseretur. Atque hæc quidem de corpore dæmonis in duabus primis & principibus eius differentiis, hoc modo sint disputata. Vnde si quis colligat dæmones eiusmodi mortales esse oportere: quia omnis naturæ coagmentatio, qualem in his agnoscimus, est dissolubilis: id ex Platonicis duobus modis videtur explicari posse. Priore quidem si dicamus ex Platonis Timæo, hos quidē naturæ lege dissolubiles esse, sed diuina voluntate ad sempiternum mundi ministerium, æternos conseruari. Quia maior vis est diuinæ voluntatis, quam legis naturæ, cui sunt obnoxij. Posteriore verò quod dissolutionis necessitas quæ corporum coagmentationi annexa est, pertineat ad patibilem corporum ipsorum naturā. Ideóque eisdem Platonicis cœlestium animalium (de quibus antea dictum est) natura, quanquā coagmentata, indissolubilis tamen sit: quia eorū corpus impatibile. At dæmonum Æthereorum corpus omnino impatibile est: Aëreorum verò vt antea dictum est, potius ad agendum quā ad patiendum cōparatum. De aliis autem inferioribus & imperfectioribus naturis, quæ dęmonis appellatione sunt etiam cōprehensæ, non idem statui potest. Nam Plutarchus libro de defectu oraculorū, scribit certis temporum curriculis dæmones interire, eorúmque vitæ nonies mille septingentos viginti annos esse tribuendos. Atque hoc ipsum ex eo confirmare conatur quod Thamo nautæ cuidam Aegyptio in Italiam nauiganti, ex ipso mari edita voce imperatum sit, vt cū ad paludes peruectus esset, nuntiaret Pana magnum esse mortuum: hócque cum ille fecisset, continuo ingens non vnius, sed multorum gemitus cum admiratione permixtus in aëre & aquis esset auditus. Addunt etiam nonnulli in Arabiæ solitudinibus non solum dæmones exaudiri, sed etiam videri: idque frequens esse, & penè quotidianum. In Mauritania quosdam esse candidos, alios atros, alios rubros. Sub-

bis nō coagmenta nō dissolubilis T.

terranei quoque quidam esse dicuntur quorum genus simplex non est, neque in eo omnes mali: præsertim si Georgio Agricolæ credimus extrema pagina libri de subterraneis animantibus, in quo testata vel etiam perspecta scribere videtur. Postremò, inquit, in subterraneorũ animantium, seu, quod placet Theologis, substantiarum numero, haberi possunt dæmones, qui in quibusdam fodinis versantur. Eorũ autẽ duplex genus est. Sunt enim truculenti & terribiles aspectu, qui plerumque metallicis infesti atque inimici sunt. Talis fuit Annebergius ille qui operarios duodecim amplius flatu interfecit in specu, qui corona rosacea appellatur. Flatum verò emittebant ex rictu. Equi enim specie, habentis procerum collum & truces oculos dicitur visus. Eiusmodi etiam fuit Snebergius, nigro cucullo vestitus, qui in fodina Georgiana operarium è solo sublatum, in superiore loco maximæ illius cauitatis, quondam feracis argenti, collocauit, non sine corporis attritu. Sunt deinde mites, quos Germanorum alij, vt etiam græci, vocant Cobalos, quod hominum sint imitatores. Nã quasi lætitia gestientes rident & multa facere videntur cum nihil prorsus faciant. Alij nominant virumculos montanos, significantes staturã qua plerumque sunt, nempe nani, tres dodrantes longi. Videntur autem esse seneciones & vestiti more metallicorum: id est vitato indusio & corio circum lumbos dependente, induti. Hi damnum dare non solent metallicis, sed vagantur in puteis & cuniculis: & cum nihil agant in omni laborũ genere videntur se exercere: quasi modo fodiant venas, modo invasa fundant, id quod effossum est, modo versent machinam tractoriam. Quanquam interdum glareis lacessunt operarios, ratissimè tamen eos lædunt: nec lædunt vnquã nisi prius *ipsi* cachinno fuerint aut maledicto lacessiti. Atque hæc quidem varietas naturarum subterranearum manifesto corpore crassoque constantium & cum ipso homine in multis functionibus communicantiũ, quæ mortales esse videntur. Addit verò D. Hieronimus in vita Pauli Eremitæ, Diuo Anthonio hunc Paulum per deserta quærenti, quendam apparuisse quem ait fuisse haud grandem homunculum, aduncis naribus fronte cornibus asperata, cuius extrema pars corporis, in caprarum pedes desinebat. Qui à D. Anthonio interrogatus quis esset, respondisse dicitur in hunc modũ. Mortalis ego sum & vnus ex accolis Eremi: quos vario errore delusa gẽtilitas Faunos Satyrósque & Incubos vocans, colit. Legatione fungor gregis. Precamur vt pro nobis communem Deum depreceris: quem pro salute mundi venisse cognouimus & in vniuersam terram exiit sonus eius. Cuius quidem animalis corpus postea mortuum visum esse, D. Hieronimus eodem loco testatur. Quæ omnes naturæ in rationis vsu cum homine communicantes

& ab

& ab eodem tamen multis rebus diuersæ, si vt antea monuimus, dæmonis appellatione cõpræhenduntur, facilè animaduerti potest quã verè horum nonnullis palpabile corpus etiam ex quatuor elementis concretum tribuatur: ad hócque consequens mortalitas & interitus. At aliis durum visum est in philosophia, dæmonibus corpus inesse no stratibus sua concretione simile: atque idcirco horũ corpora tenuiora esse dixerunt, vno tantum elemento, aut duobus, vel ad summum tribus constantia. Quod etsi non sine ratione dictum videri possit de dæmonibus superioribus Æthereis, igneis & Aëreis: exagitatur tamẽ à Iulio Scaligero in disputatione contra Cardanum, vt doctrinæ Peripateticæ minimè consentaneum. De qua quæstione vide Cornelium Agrippam cap. 19. lib. 3. de occulta philosophia. Psellus verò libro de dæmonibus, primùm vult horum naturam non esse sine corpore: sed corpus habere & versari circa corpora, illos tamen nonnunquam incorporeos appellari. Quoniam vt antea monuimus, ea sola corpora dicere solemus quę crassiora sunt: incorporea verò quę tenuia, & quę aspectum tactúmque effugiunt. Deinde addit dæmonum corpora quamuis ob tenuitatem inaspectabilia sint, attamen materialia quodam modo esse passioníque subiecta, præsertim eorum qui subterranea loca subiêre. Hæc enim adeò concreta esse vt tactui subiiciantur, pulsatáque doleant & ad ignem accedentia comburantur: adeò vt horum quidam cinerem etiam relinquant. Hos etiã aliquando genitale semen emittere, ex quo pusilla quædam animalia oriantur: eosdem nutriri partim aërea inspiratione, partim humore aqueo. Atque ex Marco quodam in dæmonum cultu exercitatissimo, commemorat eos non imperare nobis, sed spiritui phantastico multa suggerere (vt pote cum & ipsi spiritus quidam sint) quibus in varias partes afficimur: ac vt aër præsente lumine colores & formas excipiens, traducit in illa quæ naturaliter possunt accipere, sicut apparet in speculis rebúsque quasi specularibus: sic & dæmonica corpora suscipientia ab ea quæ intus est, essentia phãtastica, figuras atq; colores & quascunq; ipsi voluerũt formas, in ipsum animalẽ nostri úmq; spiritũ trãsmittere, multũ nobis negotij facescere, volũtates & cõsilia suggerẽtes, formas subindicãtes, suscitãtes memoriã, voluptatũ cęterarúmq; passionũ simulacra frequẽter concitãtes, vigilãtibus atq; dormiẽtibus. Cui quidẽ Marco cũ Psellus (vt ipse eodẽ loco refert) obiecisset, nõnullos medicorũ sectatores, asserere passiones eiusmodi non esse effectus dæmonũ, sed humorũ vaporúmque malè se habentium, ideóque illos pharmacis & dicta, non carminibus incantantium, expiationibúsque horum curationem aggredi: tum illum respondisse idem ait, minimè mirum videri debere si hæc medici dicerent: vt pote qui nihil nouerint præ-

Psellus.

An quæ dæmonibus attribuũtur, ad humores referri possint.

ter ſenſum, ſed corporibus tantum incubuerint cognoſcendis. Quorũ hac in parte errorem eodem loco declarat hiſtoria mulieris cuiuſdam quæ cum à dæmone teneretur, harmenicè loquebatur, & ſi ipſa Harmenios vidiſſet nunquã, neque domeſticis finibus eſſet egreſſa. Simile verò eſt quod expertum ſe teſtatur Io. Fernelius lib. 2. de abditis rerum cauſis in nobiliſſimo quodam Gallo, qui inter nationis noſtræ Epiſcopos mihi notus fuit, & quandiu uixit, morum integritate bonis omnibus chariſſimus extitit, nupérque vita functus eſt. Hic à dæmone trium menſiũ ſpacio vexatus, à nobilibus medicis (inter quos Fernelius illi operam dabat aſſiduam) propter frequentes conuulſiones quibus corripiebatur, curatus eſt vt epilepticus. Tandem verò, inquit Fernelius, deprehenſus eſt dæmon quidam menſe tertio, totius mali author, voce inſuetiſque verbis ac ſententiis tum Latinis, tum Græcis (quanquam ignarus linguæ græcæ laborans eſſet) ſe prodens. Is multa aſſidentiũ maximéque medicorum ſecreta detegebat, ridens quod eos magno periculo circumueniſſet, quódque irritis pharmacis corpus hoc penè iugulaſſent. Quoties laborantem pater inuiſebat, is procul à conſpectu inclamabat, appellentem hunc arcete & abingreſſione propulſate, aut torquem è ceruice detrahite. Ex *hoc enim*, vt Gallorum torquatis equitibus eſt in more, Diui Michaëlis imago propendebat. Si ſacra diuináque verba coram legebantur, ferocius ſubſultabat & inhorreſcebat. Quũ intermiſſio erat ferociæ, laborum in quiete omnium meminerat quæ inuitum ſe protuliſſe fatebatur & dolebat. Ceremoniis & execrationibus compulſus dæmon, negabat ſe crimine damnatum, & ſpiritum ſe nuncupabat. Interrogatus quis eſſet, aut quo modo & qua hæc poteſtate moliretur, *dixit* multa eſſe intus domicilia in quæ ſe recondat, & in quiete ad alios cõmigrare: ſe in hoc corpus iniectũ à quodã cuius nomẽ non efferret, à pedibus ingreſſum in regia, & à pedibus egreſſurũ quũ præſtitutus dies aduentarit. De aliis non paucis diſſerebat, quæ etiam ex aliis dæmonum laqueis irretitis interdum audiri ſolent. Neque hæc, inquit idem Fernelius, vt noua profero, ſed vt conſtet dæmones aliàs intro ſubeuntes in corpus, id ipſum variis & inauditis interdum modis laceſſere: aliàs non intro ſubire, ſed vel vtiles corporis humores exagitare, vel noxios in principes partes traducere, vel hiſce venas alióſque ductus obſtruere, vel inſtrumentorum ſtructuram permutare, quibus ex cauſis innumeri morbi fiunt. Quorũ dæmones authores ſunt, ſcelerati perditíque homines miniſtri: omníſque eorum trans naturam eſt ratio. Atque hæc quidem Fernelius, cuius hac in parte minimè ſuſpectum teſtimonium eſſe debet. Sed quoniam noſtra ætate contra huius fidem, qui illi in eiuſmodi affectu medicinam fecerat, quidam iſta om-

nia ad vim humoris referre conati sunt, sicut & ea quæ nuper contigerunt in agro Laudunensi, in ea muliere quæ à dæmone per multos menses, statis tamen interuallis & manifestis intermissionibus, fatigata, quia multa loquebatur & faciebat quæ ad nostræ religionis confirmationem valdè pertinebant, ad humorem quoque referenda esse nonnulli medici voluerunt: quem per vsum Antimonij purgare conantes, in illam mulierem nouam carnificinã exercuerunt, horum rationes nobis obiter hoc loco sunt considerãdæ: vt habeamus quod eis opponamus qui, vt antè dixi, istiusmodi opinionibus Deum cœlo, dæmones mundo deturbare conantur: quo vtrinque omni metu liberati, falsa persuasione eadémque humanarum omnium societatum perturbatrice, impunè ruant in omnem licentiam. Leuinus Lemnius cap. 1. lib. 2. de occultis naturæ miraculis, rectè quidem proponit spiritus aëreos & dæmones in hominum corporibus solere se humori melancholico, sicut & in aëre ipsis tempestatibus, immiscere. Sed capite 2. in eo mihi peccare videtur quod à dæmone aut spiritu teneri negat, qui alienam linguam personant quàm nunquam didicerunt: quodque id illis solius humoris melancholici vi contingere posse arbitratur, excitatis, vt ait, animi notionibus: quas idem ingenitas esse ex Platonis Menone & Phedone arbitratur, ac disciplinam nostram vitæ tantum superioris recordationem esse. Quo posito, vult vi morbi melancholici animam concuti, spiritúsque efferuescentes, voces inauditas sermonémque antea prorsus incognitum, simul cum illis notionibus ingenitis excitare. At ille non animaduertit quod ex Platone ponit de notionibus ingenitis, nostræ religioni esse contrarium, sicut postea suo loco differetur. Deinde etiam si hoc concedatur, tamen apud Platonem rerum tantum notiones esse ingenitas, quarum recordatio etiam vi spirituum concitatorum fortasse possit excitari: vocabulorum tamẽ (etiam apud ipsum Platonem) nullo modo possit. Quid enim in his ingenitum videri potest, cum Platonici, sicut & cæteri philosophi, fateantur sermonẽ omnem ab hominibus esse institutum: nihil in eius significatione naturale esse: nisi forte, vt antea dictum est, quatenus in ipsa vocabulorum significatione instituenda, naturæ rerũ quibus illa imponuntur, ratio quo ad potest, habenda est. Itaque etiam si homini furenti, fortasse possit vi morbi excidere vocabulũ vnum & alterum, quod ad eam linguam pertineat quam antea nunquam didicerit (hoc enim ebriis accidere, nonnunquam videmus) at certè sermonem incognitum perpetuare non poterit. Quod de dęmoniacis ex Psello & Fernelio antea retulimus. Memini quidem Aristotelem problemate. 1. Sectionis 30. hoc ad humorem melancholicum referre esse conatum. Multi, inquit, incalescente

humore melancholico, quia color ille ſedi mentis vicinus eſt, morbo veſaniæ implicantur, aut inſtinctu Lymphatico efferueſcunt: ex quo ſybillæ efficiuntur & bacchæ & omnes qui diuino ſpiraculo inſtigari creduntur: cum videlicet id non morbo, ſed naturali intemperiè accidit. Sed in quæſtione propoſita multa illi naturæ genio condonanda ſunt, quæ in philoſopho & medico Chriſtiano nullo modo ſunt ferenda. Quanquam & hic Leuinus habet aliquot exempla veterum & recentiorũ quibus ſe ſuúmque errorem poteſt tueri. Nam Petrus de Apono, qui conciliator à medicis cognominatus eſt, Commentario in idem Ariſt. problema, teſtatur ſe multos vidiſſe qui quanquam pro dæmoniacis haberentur & pleráque facerent humanas vires ſuperantia, tamen atra bile purgata, omnino curati ſunt ſanæque menti reſtituti. Et Petrus Pomponatius libro de incantationibus, vidiſſe ſe ait Mantuæ vxorem cuiuſdam Franciſci Magreti ſutoris quę eodem morbo correpta, cum loqueretur ſecundum diuerſa idiomata, à Galgerando medico perfectè ſanitati reſtituta eſt. Addit quoque Cardanus ex Eraſmo, in Encomio medicinæ, à Calcerano quodam medico, poſtquam dæmoniaco Germanicè *loquenti*, qui antea nunquam eam linguam didicerat, potionem *dediſſet* cuius vi hic magnam vermium copiam deiecerat, eundem ſtatim liberatum eſſe & integro mentis habitui reſtitutum. Ex quo idem Cardanus concludit, dæmones morbos eſſe, ſed occultioris cuiuſdam naturæ. Quæ omnia vt his concedamus quorum teſtimonium quæſtione propoſita, multis de cauſis nobis valdè ſuſpecta eſſe debent: minimè tamen efficitur quod vult Leuinus Lemnius, neque euertitur quod hoc tempore defendimus. Quoniam non docetur quo modo humor melancholicus ſermonem antea homini omnino incognitum, poſſit in hoc ſine vlla diſciplina excitare. Atque ſuperioribus exemplis, ſi modo vera ſint, reſponderi poteſt, dæmonẽ humore melancholico delectatum, cum eodem vi medicamenti deiecto, ſua ſponte cedere: vel etiam fingere cogi ſe ad cedendum medicamento, vt hominibus facilius imponat ſuámque naturam magis occultet, aut modum eum ſecundum quem in nonnullorum hominum animis regnat. Itaque cedit aliquando medicamentis, aliquando verò reſiſtit & in his propinandis medicorum diligentiam irridet: quemadmodum nonnunquam leuioribus execrationibus deiicitur: aliàs vero vel omnium maximis reſiſtit: atque cauſatur ſe neſcio quod prę-ſtitutum tempus expectare: ſicut notari poteſt in hiſtoria quę ex Fernelio paulò ante commemorata eſt, & in altera quæ nuper edita de muliere Laudinenſi energumena. Quis verò Chriſtianus hanc inconſtantiam in eo mirabitur, quem omnes ſciunt patrem eſſe omnis in-

Cardany.

constantię atque mẽdacij? Vnum illud mihi maximè ratum est, quod placet Pomponatio capite 7. lib. de incãtantionibus, etiam si in multis aliis quæ ad hanc quæstionem pertinent, non satis piè sentire videatur. Quod multi literarum ignari, inquit, græcè & latinè linguísque aliis diuersorum idiomatum loquuntur, certè philosophi nihil ad hoc afferre possunt quod verisimile sit. Quare necessarium est ad Deum, ad Angelos, ad dæmones recurrere. Ego certè facilius crediderim scientiarum vel maximè abditarum, perfectam cognitionem in homine sine huius studio & labore, sola vi humoris melancholici posse excitari: quam facultatem loquendi græcè, in qua nunquam se antea exercuerit. Adde quod si humor melancholicus sermonem antea omnino incognitum excitaret, in iis quos à dæmone teneri existimamus, excitaret certè necessariò interueniente naturali motu instrumentorum ad vocis formationem destinatorum. At hi plerúmque loquuntur non modo lingua immota, vel in mentum prominente: sed ore omnino occluso. An etiam hic melancholicus humor efficiet vt homines clausis oculis & sine vllo lumine naturaliter videant? aut vt ipsa terrena corpora contra naturalem suam grauitatem, nulla externa vi apparente, sursum efferantur. Improbabiliora sunt profecto ista omnia quam vt à philosopho quantumuis acuto, per naturales causas probabiliter possint explicari. Quanquam in his non dubito quin humores variè in nostro corpore dominantes, varias animi propensiones gignant: ex quo mores animi corporis temperationem sequi vno libro Galenus disputat & Arist. docet initio physiognomiæ. Atque etiam facilè concedo passiones eiusdem animi natas ex talibus propensionibus, magnam habere vim in nostris corporibus immutandis: vt in amore & mœrore atque in vehementi lætitia animaduerti potest: quæ nonnunquam hominibus mortem afferunt. Imo solam imaginationem tantum habere potestatis (humores scilicet simul cum ipsis spiritibus cõcitando) vt non solum effectus varios supra communem naturæ ordinem excitet in eo corpore in quo viget, sed etiam in alieno. Nam nonnulli solo medicamẽti aspectu purgantur: alij sola opinione quam de medico conceperunt, sanantur: atque ipsius matris in conceptu imagines variæ attentius animo comprehensæ, fœtui notas eas imprimunt, quæ etsi frequentissimè inter homines spectentur, difficilem tamen habent explicationem: sed quæ in naturalibus causis abditis tota est posita, non ex dæmonibus repetenda: nisi fortè quatenus natura ipsa, vtex Aristotele paulò antea diximus, dæmonia est, præsertim in eiusmodi causis quę huius cõmunĩ ordinẽ nõ excedũt. Quid igitur de motibus, vel effectibus qui à dæmone manant, nobis erit constituendum? Aut quo tandem hi à

NB.

motibus effectibúſque Dei & naturæ diſtinguendi. Dæmon bonus ſemper eſt Dei miniſter in natura dirigenda atque perficienda. Ideóque nulla vnquam in re Deo aduerſatur, neque verò omnino ipſi naturæ, quam conſeruare ſtudet potius quam labefactare. Etiamſi, Deo ita volente, multa præter ſupráque naturam exciter, nõ ad huius ſubuerſionem, ſed ad vtriuſque, Dei inquam & naturæ, maiorem exornationem. Dæmon autem malus Dei naturæque inimicus eſt: Dei tamen naturæque in pleríſque imitator: non quod horum imitatione ipſe perfici velit, aut naturam perficere: ſed vt hac arte hominibus imponat hóſque à naturæ obſeruatione, Deíque cultu, ad ſui veneration nem traducat: in quo affectati ab eodẽ imperij ſumma conſiſtit. Hæc varietas, homines eruditos rerúmque naturalium cõtemplationi deditos, ea quæ à Platonicis & Chriſtianis attribuuntur dæmonibus, ſedulo obſeruantes & cum operibus Dei atque naturæ comparantes, in diuerſas cogitationes diſtrahit: facítque vt his nonnunquam probabilis videatur Ariſtotelis opinio, qui in cauſis mouentibus atque efficientibus Deo & natura contentus eſt. Quoniam effectus dæmonum propter Dei naturęque imitationem, ad quam hi magna ex parte ſe componunt, ad alterum illorum ſatis commodè videntur poſſe reuocari. Nonnunquam verò eadem obſeruatio efficit, vt quimeljus affecti ſunt, experientia ad rationem accedente noſtræque religioni conſentiente, agnoſcant horum opera eſſe pleráque, in quibus Deum & naturam atque etiam artem frequenter imitẽtur, vel potius ementiantur, vt ſub horum falſa ſpecie hominibus imponant. Rectè enim dictum eſt à Io. Tritemio, in quæſtione de admirandis operibus infidelium, dæmones in cognitione rerum naturalium hominibus longè ſuperiores, per harum vires quæ adhuc nobis ſunt incognitæ, multa poſſe, multáque perficere quæ hominum artem quidem ſuperant, & tamen naturæ facultatem non excedunt. Quo modo ab huius miniſtris pleríque morbi curantur naturalibus fortaſſe medicamentis, ſed quorum vires adhuc hominibus incognitæ, neque horum arte inuentę. Nam ſi homines, inquit ille, in occultioribus naturæ myſteriis exercitati, quadam abſtruſa cæteris, applicatione materiæ ad formã, inconſuetos & admirandos producunt effectus, ſicut ex rore cæli naturales formare anguillas, ex vitulinis carnibus apes, ex quibuſdam radicibus herbarum, ſerpentes & his multa ſimilia, ne dicam maiora, ſicut nos in pleríſque probatio fecit expertos, quis neget dæmones ſubtilioris naturæ & maioris experientiæ, plura poſſe operari naturaliter miranda, quæ nulli hominum ſunt manifeſta? Atqui ſicut in his aliíſque permultis eiuſmodi aliquid eſt naturale, hominibus tamen incognitum, quo dæmon abutitur vt nos in ſui admirationem rapiat:

sic alia pleráque sunt quæ nihil habent in operandi modo naturale, sed vana tantum superstitione animos replent, & tamen suos effectus naturæ legem excedẽtes, nonnunquam producunt: vt hoc modo credulis hominibus facilius imponatur, horúmque animæ arte eiusmodi delusæ, à natura Deóque auocẽtur & ad hunc Dei naturæque hostem se adiungant. Qualia multa licet commemorare, sed hæc imprimis: annulum in die Parasceues, dum sacra celebrãtur, ex quouis metallo confectum, quem qui gestant in digito minimo proximo, qui ad cor creditur pertinere, nunquam spasmo dicuntur corripi: conceptis verbis hísque plerúmque nihil omnino significantibus: aut quarundam herbarum contactu portas arctissimè occlusas ab improbis frequenter aperiri: characteres etiam, & sigilla ad cæli aspectum efformat, ahæcque ex collo pendentia, quæ incredibiles effectus circa humana corpora dicuntur excitare taliáque alia permulta quæ adiiciuntur à Fernelio libr. 2. de abditis rerum causis. In quibus omnibus nihil esse puto, quod ex Aristotelis doctrina ad Deum vel naturam referri possit. Quanquam memini quẽdam in hac arte, sicut audio, mirabilem, à me aliquando interrogatum de causis virtutum, quæ inesse dicuntur istis sigillis ad cæli aspectum insculptis, aut efformatis, respondere ausum, fieri hæc exemplo Serpentis ænei à Mose effecti, cuius intuitu qui à serpentibus igneis vulnerati erant, curabantur. In quo, dicebat ille, non maior philosophis in visu, quam in sigillis ex appensione & contactu vis actionis appareat. Capitalis sanè responsio quæque pæna potius quam contraria disputatione coercenda. Quam ego lubens remitto ad Cornelium Agrippã libro Retractationum, capite de Cabala. Ex quibus omnibus hoc quoque iam aliqua ex parte intelligitur, quantum potestatis in hominem dæmones habeant in eáque omnia quæ mundo continentur: de quo seruata superiore dæmonũ distinctione sic videtur esse cõstituẽdum. Dæmones bonos in cælo & terra potestatem habere, hoc ipso quod in vniuersitate naturæ diuinæ volũtatis semper sunt ministri: nec vlla in parte ab hac vnquam recedunt. Atque circa hominem quicquid molliuntur, id ad eiusdem priuatam, vel certè ad publicam salutem referũt: in omnibus Deo semper inseruiendo & eos quibus vel præsunt, vel custodes dati sunt, ad eundem dirigẽdo. Idque quoniam, vt docet Dionysius Areopagita libro de diuinis nominibus, in his maximè expressa est Dei, vt ipsius boni, proxima imago, quæ non potest nisi ad ipsum bonum dirigere, aut vllius mali esse particeps: si quidem & ipsa ad Deum semper est conuersa. Quod vt illi perficiant, nobis adesse solent variè & multipliciter: nonnunquam assumptis humanis corporibus, vel potius sub horum aliqua imagine: aliquando verò in nostram imagina-

tionem influendo, vel etiam in ipſam mentem: hanc ad Deum ſemper excitando, vel nonnunquam extremo ſummóque contemplationis munere, à corpore ad certum aliquod tempus eandem rapiendo. Sic enim hi non modo apud Chriſtianos Theologos, ſed & apud Platonicos præeſſe dicũtur animorum noſtrorum purgationi quæ ad partem inferiorem pertinet, & directioni mentis quæ poſt purgationem in Deum excitatur & huius quaſi colloquio fruitur. Hinc in noſtra religione in viris bonis & piis exempla frequentia prophetiarum & raptus mentis, vt in D. Paulo ad tertium cælum. De quo vide Marſilium Ficinum Platonicè philoſophantem lib. 2. Epiſtolarum. Dæmones autem qui mali appellati ſunt, à Deo auerſi, ad ſe verò & ad hæc inferiora cõuerſi, cælo deiecti ſunt: Ideóq; in illo omni poteſtate orbati, in terra totóque inferiore mundo, qui ſub luna eſt, ſummum imperium affectant: de quo non tantum cum ipſis angelis, ſed cum Deo Optimo Maximo quodammodo decertant. Quare quicquid in eodem inferiore mundo Deus præſtat, ſiue ſecundum naturæ ordinem, ſiue ſupra hunc, idem poſſe, illi videri volunt. Vt verò videantur, falſis rerum imaginibus, Angelorum Deíque opera imitantur: *atque ita* conantur homini imponere húncque à Deo abducere & *ad ſui cultũ* allicere: in quo ſciunt Deum tanquam in expreſſa ſui imagine, ſibi maximè placere eiuſdémque in cælum aſcenſum per vitæ integritatẽ ſincerámque religionem imprimis expetere. Itaque cum carminum incantamentorúmque omnium vis, ſit ab hoc poſteriore dæmonum genere, eam in elementari regione quantúmuis facile concedam, in excitandis aëris & aquæ tempeſtatibus, in terræ fructibus impediẽdis, in hominum valetudine in vtrámque partem, ſed magis in deteriorem, afficienda. Sed illud non omnino concedam quod à Vergilio dictum eſt,

Carmina vel cælo poſſunt deducere Lunam. Vel ab alio poëta,
Hanc ego de cælo ducentem ſydera vidi:

Niſi fortè quatenus in his, dæmon humanis ſenſibus poteſt imponere, ſicque conſequi vt cum circa cæleſtia nihil horum reuera præſtiterit, præſtitiſſe tamen videatur, quo ſui maiorem admirationem excitet. Cæterum in hominem magnam poteſtatem habet: niſi hęc à Deo Deíque ſpiritu & angelo coerceatur. Nec verò ſolum in huius corpus réſque externas, ſed etiam in animum: quanquam in hunc non ſine certa diſtinctione, quæ nobis hoc loco conſideranda. Nam cum huius pars vna ſit ſuperior, cuius propria ratio & intelligentia, altera inferior quæ per ſenſum & imaginationem cum corpore communicat, in poſteriorem permultum poteſt, in priorem omnino nihil, niſi hoc ipſo quod mens & ratio ſe nonnunquam ad imaginationem abiicit

Dæmonis poteſtas in hominem.

iicit, huiúsque motibus obsequitur. In quo posita est eiusdem dæmonis contra hominem victoria. Ipsam verò humanam imaginationem variè aggredi solet. Nonnunquam quidem humanũ corpus assumendo, vel huius falsam speciem sub qua cũ hominibus familiariter versatur: cum eisdémque (quibus sub hac imagine aspectabilis est) colloquendo, multa imponit, deinde cum vult se ex aspectu subducit: aliàs vero nullo corpore alieno assumpto sed suum modo densando, modo rarefaciendo, eidémque quamlibet figuram, etiam belluarum abiectissimarum, affingendo: quæ quidem res eius facultatem non excedit. Taléque videri possunt septem illi quos Facio Cardano patri suo apparuisse refert Hieronymus Cardanus lib. 19. de subtilitate. Qui se Auerroistas prædicabant & de animi immortalitate interrogati, affirmabant nihil esse quod cuiquam proprium post vitam hanc supereresset: vt fortasse hac nefanda opinione, Cardano in eãdem propenso gratificarentur, vel certè in ea regnum suum stabilirent, qua nihil est ad oppugnationem Christianæ religionis accommodatius. Aliquando etiam in humano corpore humanam sexus distinctionem ementiendo, vel reuera hanc assumendo, modo cum fœminis, modo cum maribus suo concubitu permiscentur: ex quo, vt antea dictum est, quidam incubi, alij sucubi appellantur: sicut nobilibus historiis testati sunt Palladius discipulus Diui Euagrij, in vita sanctorum Patrum qui vixerunt temporibus DD. Anthonij & Hieronymi, Alexãder ab Alexandro libris de diebus Genialibus & Hieronymus Cardanus lib. 16. de rerum varietate. Est & alius modus superioribus omnibus longè frequentior, quo ille qui suapte natura spiritus quidam est, nulla corporis imagine extrinsecus assumpta, se ipse in hominis spiritum, quem animalem vocant, insinuat, non solum dormientis, sed etiam vigilantis: eiusdémque imaginationi falsas apprehensiones persuasionésque de ipso bono atque vero suggerit: quibus mentẽ sollicitãs hanc auocare conatur à vera cognitione cultúq; Dei, in quo est ipsum bonũ ipsúmq; verũ. De quo valdè mihi placet quòd à Marsilio Ficino dictũ est in epistola quadã li. 10. quã hoc loco describam: quoniã breuissima est & ad id de quo nũc agimus, maximè accõmodata. Deus veritas est & bonitas, inquit, ideóq; omnia ex veritate & bonitate cõposuit. Res enim quælibet quantum in integra sui puritate, id quod à Deo facta est permaner, vera denominatur. Quatenus verò aliis conducit, ad aliquid bona aliis nuncupatur. Item quatenus intra se aliud sui conducit ad aliud, bona sibi. Impressit autem Deus veritatem rerum, verisimili quasi nota: bonitatem verò voluptate perfudit quasi esca: vt occulta cuiusque veritas per imaginem verisimilem indagaretur: ac demum per omnium veritatem Dei veritas. Rursus vt per vo-

luptuariam escam singula ad bonum per se latens allicerẽtur: pérque bona omnia, ad Dei bonum. Cum verò dęmon inuidus, Deum partim verisimili nota, partim bonisimili esca, ad se trahere cuncta contueretur, machinatus est tanquam diuinitatis æmulus, qua potissimum ratione ipse similiter omnia ad se traheret. Itaque notam verisimilem & boni similem escam ad diuinæ illius expressit similitudinem: adhibuítque tum illam falso, tum hanc malo. Quo fit vt per illam mentes ad falsum, per hanc affectus trahat ad malum, ac denique ad se ipsum. Ipse enim cum à diuina veritate bonitatéque quasi rebellis & alienissimus sit, falsitas quædam est atque malitia. Atque in iis quidem falsis rerum imaginibus, inferiori animi parti suggerendis, malorum dęmonum potestas maximè communis est posita. In qua exercenda circa ipsas imagines, quas hominum cogitationi obiecturi sunt, delectũ adhibent pro maiore minoréue naturæ propensione ad res varias in his quorum rationem & mentem per illas inescare conantur & de suæ dignitatis gradu deiicere. Itaque hac sua potestate viros bonos & malos exercent, quanquàm non pari facilitate: neque in vtrísque eodem effectu consequente. Etenim cui in nostra religione *permanenti*, dubium esse potest quin virorum piorum in solitudine *viuentium*, summa vitæ asperitate animum purgãtium, & ad ascensum in cælum præparãtium, impura de Venere somnia, quæ nulla præcesserit eiusmodi cogitatio inter vigilandum, ab istis dæmonibus in illorum imaginationem hoc modo immittantur? In quibus, vt ait Iustinus Martyr quęstione 21. à Gentibus posita, quanquam eo non peccent quod ista somniant (quia vt id effugiant omnino non est in eorum potestate) si tamen somno excitati in illis sibi placent, hoc ipso certè *peccant*: ad quod dæmon eosdem sollicitat cum eiusmodi somnia immittit. Ergo vt Dei spiritus, dæmónque bonus, vel vt Platonici loquuntur, prima mens, aut externus intellectus agens, nobis semper adsunt suóque lumine nostram cogitationem illustrant: mentẽ supra sensilia excitant, imo hanc aliquando à sensilibus & corporeis omnibus ad se rapiunt, perficiúntque vt nonnulli post maximam partis inferioris purgationem, rapti extra se iam non suo spiritu sed diuino agi omnino videãtur: sic dæmõ malus peruersis imaginibus eandem cogitationem implere conatur, ad háncque illis imbutam mentem deprimere, & de cæléstibus ad terrena caducáque deiectam ad se rapere, quam postea ipse suis motibus agat. Idémque diuinos honores affectans, sibi habet sua sacra verbáque solemnia, atque horum nonnulla nihil significantia, quibus coli vult fingítque se allici, atque adeò cogi: imo horum pleráque ex iis sacris deriuata quibus Deus diuiníque spiritus coluntur ac nobis conciliãtur: sed rebus nefandis accommodata: vt hac

arte homines vana superstitione impleat & in dubitationem de vera religione inducat. Atque hic nonnunquam tranquillioribus motibus minusque extrinsecus apparentibus, humanam cogitationem sollicitat, aliquando verò violentioribus: qui in corpore quod ille occupat, manifestè deprehenduntur, per ea scilicet quæ ab ipsius corporis natura aliena sunt, vel etiam eidem omnino contraria. Sic enim in Sybylla, vt est apud Vergilium Æneidos 6. cum à dæmone in suo antro corripiebatur,

Non vultus, non color vnus,
Non compta manserè comæ, sed pectus anhelum
Et rabie fera corda tument, maiórque videri,
Nec mortale sonans, afflata numine quando
Iam propiore Dei. Et paulo post.
At Phœbi nondum patiens, immanis in antro
Bacchatur vates, magnum si pectore posset
Excussisse Deum: tanto magis ille fatigat,
Os rabidum, fera corda domans, fingitque premendo.

Sic quoque energumeni per certa interualla dæmone correpti, miris modis naturam excedentibus & tamen inter homines manifestis, vexantur. Quibus quanquam negari non possit quorundam astu ad imponendum multitudini, nonnulla esse adiecta: sunt tamen eius rei penè infinita exempla quæ inter Christianos tam certæ fidei esse debẽt, vt de his nemo dubitare possit nisi qui eadem pietate, religionis nostræ fundamenta prima in quæstionem voluerit reuocare. Circa eadem verò hoc mihi admirandum esse videtur, quod plerúmque malus dæmon, hominum inter cæteros non omnino improborum, imo in communibus vitæ officiis inter suos optime audientium, corpora sic inuadit statísque interuallis diuexat, quódque si attẽtè consideres, magiæ species omnes & in singulis cæremonias quibus ille à suis ministris allicitur, vel cogi se fingit ad respondendũ de interrogatis, in illísque maximè speciem eam quam à diuinitate Theurgiã nominãt, deprehendes eundem per ea inuocari, quæ magna ex parte de nostra religione deprompta sunt: his tamen accommodantur quæ in eadem religione sunt omnino detestanda: atque etiam pleráque eorum quibus à suis allicitur, sacrorum nostrorum ministris esse potentissima ad hunc de humanis corporibus Dei imperio deiiciendum. An horum diuinitate à nostris reuera expellitur eisque cedere cogitur? A suis verò per eadem, sed cum aliis multis permixta, fingit se allici, vt hominum animos vana superstitione impleat, adducátque in aliquam dubitationem de rebus his quarum veneratione & cultu valdè offendiatur? Eiusdem in illo fraudulentæ artis est, quod vt libris quibus ista

necromantica & malefica continentur, maiorem authoritatem conciliet, per ſuos perſuadere conatur hos à viris optimis & ſanctiſſimis eſſe conſcriptos. Ad quam rem confirmandam non alio authore vtar quam Cornelio Agrippa, cuius nomen hac in parte valere debet plurimum. Hic verò ſic ſcribit in libro retractationum de magia capite de Goetia & Necromantia. Hodie adhuc confictis titulis, inquit, circumferuntur libri ſub nominibus Adæ, Abelis, Enoch, Abrahæ, Salomonis: item Pauli, Honorij, Cypriani, Alberti, Thomæ, Hieronymi & Eboracenſis cuiuſdam, quorum nugas ſtultè ſecuti ſunt Alphõſus rex Caſteliæ, Robertus Anglicus, Bachon & Apponus & plerique alij deplorati ingenij homines. Præterea non homines modo & ſanctos & Patriarchas & angelos Dei tam execrabilium dogmatum fecerunt authores, ſed & libros à Raziele & Raphaele, Adami & Thobiæ angelis traditos oſtentant. Qui libri tamen acutius inſpicienti ſuorum præceptorum canonem, ritum, conſuetudinem, verborum & characterum genus, extructionis ordinem, inſulſam phraſin, apertè ſe produnt non niſi meras nugas & impoſturas continere, ac poſterioribus temporibus ab omnis antiquæ magiæ ignaris, perditiſſimis perditionum artificibus eſſe conflatos, ex prophanis quibuſdam obſeruationibus, noſtræ religionis ceremoniis permixtis, inſuſq; ignotis multis nomiminibus & ſignaculis: vt perterreant rudes & ſimplices & ſtupori ſint inſenſatis, & his qui neſciunt bonas literas. Ad hæc vero omnia quæ de dæmonum poteſtate dicta ſunt, illi rerum quæ ad nos pertinent cognitione indigent: eáque non modo præſentium & præteritarum, ſed etiam futurarum. Quæ qualis in eis ſit & quouſque progrediatur, nunc nobis eſt inquirendum. Quoniam iſtud ex iis omnibus quæ initio de dæmonibus propoſita ſunt, videtur eſſe reliquum. A Deo qui ſumma eſt ratio eadémque Platonicis exemplaris & idealis, dæmones hominéſque ſic procreati ſunt vt in vtríſque ſummæ illius & exemplaris rationis imago quædam ſit expreſſa, ſed non eodem gradu. In dæmone enim ab initio expreſſus eſt rationis & intelligentiæ actus, per ingenitum lumen, quo præſente & in ſuo actu vigente, ille ſemper intelligit nec ad intelligẽdi principium notionibus nouis indiget, beneficio ipſius imaginationis excitatis. In homine autem ingenita tantum eſt ad intelligendum facultas, quæ vt in ſuum actum excitetur, tempore opus eſt quo notiones per cõparatio em ſingularum imaginũ efformẽtur eadémq; beneficio, ſuperioris luminis illuſtrẽtur. Ex quo accidit vt homo non intelligat, niſi cũ diſcurſu cogitationis per eas imagines quarũ initia hauſta ſunt ex ſenſibus: vnde & error multiplex in huius cognitionẽ poteſt cadere: quoniã multa ſunt quæ eiuſmodi diſcurſum

Qualis in dæmonibus rerum cognitio.

perturbant & impediunt. Dæmon autem sine hoc discursu intelligit, per præsentem actum luminis ingeniti: in cuius fruitione sunt ea posita quæ eiusdem naturalia à Theologis appellantur: quibus ne dæmon quidem malus orbatus est, cum propter peccatum cœlo deiectus. De qua quæstione vt sobriè philosophemur, in re maximè difficili & lubrica, lubens insistam vestigiis D. Thomæ in opere quod inscripsit de quęstionibus disputatis. Hic articulo sexto, quæstione de dæmonibus, in Angelo & dæmone malo, de hac re sic statuit. In Angelo qui dæmon bonus antea appellatus est, ex naturæ proprietate reipsa inesse perfectam cognitionem omnium eorum ad quę cognoscendi facultas naturæ viribus potest peruenire: neque tamen eũ more humano progredi discurrẽdo à principiis ad conclusiones multóque minus ab imaginibus rerum per sensum obseruatarum, ad notiones vniuersas, quod fieri necesse est in ea humanæ cognitionis parte quæ διανοητικὴ nominatur. Ex quibus concludit circa omnia quę huius naturali facultati cognoscendi subiecta sunt, eum errare non posse: Idémque statuendum esse de dæmone malo, quandiu permanet intra fines eos qui ad rerum cognitionem huic quoque sunt ab opifice & & moderatore rerum omnium Deo constituti. Quoniam huius peccato, propter quod cœlo deiectus est, naturalia deprauata non sunt, sed integra permanserunt: etiam si Dei aspectu priuatus sit eóque lumine quod per gratiam influens, in angelo siue in dæmone bono ad naturalia accedit. Alia verò cognitio est, quęvtriusq; naturalia excedit hæcq; vel dirigitur lumine gratię ab ipso dei influẽte: vel ipsorũ naturaliũ accõmodatione ad ea quæ suprà naturã sunt. De qua in vtrisque dæmonibus nõ est eodem modo statuendũ. Nã in bonis lumẽ gratiæ multũ est quod influit, neq; tamen idẽ in omnes, neq; semper eodem modo: sed prout Deus se illis aperit & in se detegit res eas quæ horũ naturã excedunt. Ex quo accidit vt neq; semper eã cognitionẽ habeãt parem quæ hunc gratię influxũ comitatur: neque hanc suo labore aut discursu acquirant: sed prout Deus se illis nunc magis, nunc minus aperit: cum tamen suo conatu nihil vnquam appetant supra naturalia, neque horum viribus ad nouam cognitionem aspirent quæ ipsa naturalia excedat. Quare quanquam hi multa ignorent (ea videlicet quę eorundem naturalia excedunt, & ad quæ nullo gratiæ lumine illustrantur, vel in quibus Deus se illis non aperit) circa ea tamen errare, aut falli non dicuntur. Quoniam non amplius appetunt, quam quod in ipsis naturalibus positum est: aut diuino lumine gratiáque illustratum. In malis autem nullum lumen gratiæ: nullus Dei aspectus: sed sola vigent naturalia. Et tamen magnus conatus in excitandis naturalibus suprà ea ad quæ non possunt naturæ lumine peruenire: ísque ab

Thomas.

ea ſuperbia profectus propter quam iidem cœlo ſunt deiecti. Itaque in iis, quanquam ſolertia ſua naturaéque præſtantia multa conſequantur, in quibus homines ipſos ſuperant, variè tamen & multipliciter in eiſdem errare poſſunt. Quia naturalibus ſuis non ſunt contenti & nullo gratiæ lumine ad naturam accedente diriguntur. Quibus poſitis, explicari etiam poteſt quæſtio altera, an dæmones res futuras cognoſcant & noſtras cogitationes poſſint perſpicere. Nã vtrique, boni inquam & mali, ex naturalibus res futuras cognoſcunt in ſuis cauſis, eaſdémque variè, prout hæ ad ſuas cauſas variè ſe habent: cum quibus quædam vinculo neceſſario cohærent, aliæ verò vinculo diſſolubili & contingente. In qua quidem cognitione dæmones mali homine ſuperiores ſunt: quia ex ſuis naturalibus eiſdem ſunt præſtantiores. His autem ſunt, ſuperiores angeli: quoniam ſuprà naturalia lumine gratię illuſtrantur: cuius beneficio multa poſſunt, quæ in dæmones malos nullo modo cadunt. Iam verò quoniam interiores cogitationes noſtræ plerumque ſe produnt per externa quædam ſigna, ex horum obſeruatione (in qua longo interuallo iidem homines ſuperant) de illis dęmones mali multa ſine errore plerumque coniectant, etiam ſi in iis nonnunquam fallantur. Adde quod hi cum ſoli ſumus, frequenter nobiſcum verſantur, etiam ſi ſenſus noſtros fugiant, nobiſque inſidiantes, pleráque notant ex quibus de noſtris cogitationibus poſſunt aliquando ſine errore iudicare. Atque hæc quidẽ de dæmonibus fortaſſe plus ſatis: nunc in Alcinoi contextu pergamus.

Dæmones an cognoſcãt res futuras.

2 Cæleſtes intelligentiæ globis cæleſtibus horúmque ſtellis non modo aſſiſtentes, ſed ex Platonicorum ſententia inſitę, horúmque corpora informantes & animantes (de quo antea in Peripatetica doctrina quæſitum eſt) conſtituunt ſingula animalia immortalia ratione vtentia, quæ iidem Platonici cõparantes cum Deo patre eiuſdémque prima mente, deorum minorum appellatione exornauerunt. De quibus dictum eſt ad finem capitis ſuperioris. Quare nunc Alcinous ſubiicit præter illos minores deos cæleſtes, alios eſſe dæmones quos etiam appellare poſſis intelligentiæ participes Deos: ſed illis cæleſtibus vno gradu inferiores: ſiue in his corpora ſpectes quibus conſtant, ſiue facultatem intelligendi. Nam in cæleſtibus intelligentiis corpus eſt cæleſte, in his verò elementare: & facultas intelligendi in illis tanto præſtantior quanto corpus in eiſdem eſt perfectiùs quã in ipſis dęmonibus. Itaque vt apud eundem Platonem dæmones qui elementarẽ regionẽ incolũt, in hâcque partim aſpectabiles, ſunt partim inaſpectabiles, medij eſſe dicuntur inter cæleſtes intelligẽtias & homines: ſic cæleſtes intelligẽtię mediæ inter Deũ & dæmones, pro diuerſaque cũ his tanquã extremis cõparatione, diuerſam ſortiuntur appellationem. Nam relatæ ad Deum patrem & opificem cui in procreatione rerum & moderatione ſubſeruiunt, dij minores nominãtur. ad dæmones verò quibus ipſæ ſuperiores ſunt, dij deorum ab eodem Platone in Timæo appellantur. Quoniam vt dictum eſt ex eiuſdem ſententia, dæmones dij quidam ſunt, quibus cæleſtes intelligentiæ ſuperiores. In quo ab eodem videri

potest adumbratum quod in nostra religione expressum est de duobus angelorũ generibus, quorum quidam in cęlo permanserunt, qui in procreatione eorũ quę continentur mundi parte inferiore & elementari, Dei patris ministri extiterũt: alij suo peccato é cælo deiecti sunt, nec tamen suis naturalibus orbati. Cùm verò eos qui in vtroque genere continentur, Platonici Deos appellant, hoc vulgarium hominum opinionibus indulgent ídque ex eo faciunt quod omnem naturæ ratiocinantis excellentiam hac appellatione dignam existimant. Sic enim & in nostra religione nomen hoc eis etiam attribuitur in quibus diuinæ virtutis simulachrum relucet. Ex quo illud, Ego dixi: dij estis & filij altissimi omnes.

3 Sic enim apud Platonem in Timęo, Deus pater alloquitur Deos minores, quos diximus esse in singulis orbibus siue globis cælestibus, in hisque sibi subiectos habere dęmones vt vno gradu inferiores Deos: atque idcirco hos Deos deorum nominat. Dij deorum, inquit, quorum opifex ego & pater sum, hęc attendite. Quæ à me facta sunt, me ita volente indissolubilia sunt. Omne si quidem quod vinctum est, solui potest. Sed mali est quod pulchrè compositum est, séque habet bene, velle dissoluere. Quapropter quia generati estis, immortales quidem & indissolubiles omnino non estis. Nec tamen vnquam dissoluemini. Nam voluntas mea maius præstantiúsque vobis est vinculum ad vitæ custodiam, quam nexus illi quibus estis cum gignebamini, colligati. Paucis verò interiectis idem Deus pater istis minoribus diis ita imperat vt reliquis operibus præsint. Sed nũc quid subiiciam, inquit, cognoscite. Tria adhuc genera mortalium nobis generãda restant: absque horum generatione cælum imperfectum erit. Omnia enim animantium genera non continebit. Contineat autem oportet, si est mundus omnino perfectus futurus. Hæc si à me fiant solo, vitáque donentur, diis adæquabũtur. Quapropter accedite vos secundum naturam ad animalium generationem, ita vt vim imitemini meam, qua in ortu vestro sum vsus. Atque eius quidem animalis quod in ipsis tale futurum est vt cum immortalibus appellatione conueniat, diuinúmque vocetur & principatum teneat & iustitiam, simul ac vos vltro colat, ego vobis semen & initium tradam. Vos cætera exequi par est, vt immortali naturæ mortalem attexentes, faciatis generetísque animalia, submínistrantésque alimenta augeatis, & cõsumpta rursus recipiatis. In quibus omnibus fortasse Plato imitatus est, sed in intelligendo deceptus, id quod in Genesi Deus pater qui verbo suo cætera solus procreauerat, iam de homine cogitans, de hoc quasi sua consilia cum aliis communicare videtur, cum ita loquitur, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: quasi iam alios secum in hoc opus velit incumbere, angelorúmque ministerium requirat. Quod Lodoicus Viues obseruat Commentario in cap. 24. lib. 12. de Dei ciuitate: quódque plerique ex Iudæis, imo etiam nonnulli ex veteribus Christianis probauerunt. Quanquam alij recentiores quidem Theologi, loco eodem quem ex Genesi citauimus, in Deo suo substantia vno, trium personarum distinctionem adumbratam arbitrantur. Sed redeo ad Platonem: qui in sua Philosophia eo loco quem nunc Alcinous commemorat, hoc ratum habuit, omnia quæ à Deo sine vlla alia causa intermedia procreata sunt, immortalia esse: etiam si ex lege proprietatéque naturæ talia non sint. Idque vt hac ipsa immortalitate quasi gratuita, & naturę leges excedente, quandam similitudinem retineant cum eo à quo sunt immediatè procreata. Alia verò quæ per intermediam aliquam causam ab eodem Deo habent id ipsum quod sunt, mutabilia esse atque caduca. At D. Augustinus cap. 24. lib. 12. de Dei ciuitate, locum hunc de animalium mortalium procreatione angelis vel diis minoribus à Deo patre demandata, reprehendit.

Nefasque esse scribit vllius rei naturalis, vel eius quæ abiectissima esse putatur, procreatorem alium à Deo Optimo Maximo agnoscere. Nec verò magis horum animalium angelos creatores esse, quam agricolas frugum vel arborum. Quæ quanquam intermediis angelis ipsósque naturalibus causis, in suo semine nunc propagentur atque conseruentur, partim ad numerum eædem, partim in sua specie, primum tamen procreari nouæque omnino nulla antecedente materia, excitari (quod in nostra religione receptum est) a nemine potuerunt, nisi ab ipso Deo cui omnino propria est eiusmodi procreatio. Et tamen idem Augustinus cap. 17. lib. 9. de Genesi ad literam, fatetur in primi hominis procreatione, Dei quidem ministros angelos extitisse: sed quo modo id factum sit se omnino ignorare. Illud verò huius opinionis Platonicæ fundamentum, quod paulò antè indicauimus, obseruat Bessario Cardinalis capite septimi libri secundi contra Trapezuntium eodémque argumento Marsilius Ficinus capite 13. libri quinti Theologiæ Platonicæ, probare conatur mentem humanam esse immortalem: quia à Deo est, sine vlla causa intermedia. Quod verò hic dicitur de Dei voluntate suprà naturæ leges quædam ab interitu vindicante, quæ sua natura caduca sunt, hoc nonnulli Platonici ad mundum quoque referentes, sic occurrunt ei quod obiicit Velleius apud Ciceronem lib. 1. de natura Deorum, non videri eum primis labris physiologiã gustasse, qui dicat hunc ortum esse, nec tamẽ vnquam interiturum. Sed hoc Aristoteli fabulosum potius quã physicum esse videretur & commentum hominis optantis, potius quam philosophiam docentis. Quanquam quod in eo secundas causas ex diuina prouidentia mundum regentes, *idem Plato* agnoscit, hoc etiam Aristotelicum videri potest. Nam præterquam *quod libro* 12. Metathysic. de intelligentiis cælestes orbes mouentibus, idem sentire videtur, libro etiam de mundo ad Alexandrum, hoc ipsum apertissimè exprimit ducta similitudine à magno rege Persarum, cuius authoritate in regno gerebantur omnia per eos magistratus quos ipse singulis vrbibus atque prouinciis præesse voluerat. Atque vt in eodem regno quędam gerebantur iuris communis authoritate & ordine, cuius potestas erat penes eosdem magistratus, alia principis arbitrio seruata, qui supra scriptam legem esse dicitur, ex quo manant ea quæ priuilegia nominantur: sic in vniuersitate communem naturæ ordinem, qui secundis causis continetur, & supra hunc diuinum numen, idem videtur indicasse libro primo de Cœlo, cum scripsit, Deum & naturam nihil frustra facere. Qua etiã ratione dij minores atque his inferiores dæmones sub Dei Optimi Maximi nomine, pastores quidam ab eodem Platone esse dicuntur in Politico. Primis temporibus, inquit, totius circuitus princeps curatórque primùm deus extitit, vt nùc per varias mundi plagas singulæ ipsius partes à Diis principibus sunt distributæ. Animalium quoque genera gregatim distincta: dæmones quidam, tanquam diuini pastores, sortiti sunt. Quorum quisque ad munus suum obeundum sufficiens cum esset, singuli singulis, sic vt ille voluit, præficiebantur: quibus præerat ipse. Nec verò dæmones solum, Deo summo rerum omnium opifici parent, sed etiam ministri sunt minorum Deorum qui præsunt duodecim orbibus vniuersi: & vt docet Proclus libro de anima & dæmone, ad eorum diuisionem pariter diuiduntur. Aliter enim respondent seruiúntque diis penitus absoluris, ante mundum cuncta exordientibus atque ducentibus: aliter verò mundanis, qui distinctis mundi partibus proximè præsunt, quique secundum duodecim Deos super cælestes distribuuntur. Hi autem secundum omnes mundanorum deorum proprietates distributi sunt. Omnis mundanus Deus alicui dæmonum imperat: cui propinquo suam impartit potentiam. Atque circa vnunquemque Deum cum sit eius-

sit eiusmodi dæmonum innumerabilis multitudo, eadem cum diis ducibus cognomenta reportant: adeo vt ipsi sibi gratulentur quando Mercurij, vel Ioues nominantur. Quippe cum illa propriorum deorum proprietatem in ipsis exprimant. Sicque mortalia hæc diuinos influxus per varias causas intermedias nanciscuntur, & in se recipiunt: nec animalia modo, sed etiam plantæ ita procreantur vt hæ quidem horum, illæ illorum deorum imagines præ se ferant. Imò distinctionem hanc virtutum pro deorum, dæmonum, stellarúmque varietate, etiã ad lapides & metalla nonnulli deriuarunt & in iis virtutis occultæ per quam agunt supra elementares materiæ qualitates, causam esse existimauerũt. Vt quod magnes ferrum attrahit, adamas sua præsentia virtutem magnetis tollit: electrũ & Balagius calefacti paleam ad se alliciunt, aëtites fœtus mulierum & plantarũ superpositus corroborat, suppositus trahit: Iaspis sanguinem comprimit. De quibus sic scribit Cornelius Agrippa capite. 13. lib. 1. de occulta philosophia. Deus imprimis, inquit, vitutum omnium finis & origo, sigillum idearum ministris suis præstat intelligentiis: qui tanquam fideles executores res quasque sibi creditas ideali virtute consignant, cælis atque stellis, tanquam instrumentis, materiam interim disponentibus ad suscipiendum formas illas quæ in maiestate diuina, vt ait Plato in Timæo, per astra deducenda residentur: eásque dator formarum distribuit per ministerium intelligentiarum, quas super opera sua constituit rectrices & custodes, quibus ea facultas in rebus sibi commissis credita est, vt omnis virtus lapidum, herbarum, metallorum & cæterorum omnium, sit ab ipsis intelligẽtiis præsidentibus & regẽtibus: postea à cælorũ aspectibus disponẽtibus, porrò ab elemẽtorũ dispositis cõplexionibus correspõdẽtibus cęlorũ influxibus, à quibus ipsa elemẽta disponuntur. Habent igitur operationes eiusmodi in rebus istis inferioribus per expressas formas, in cęlis autẽ per virtutes disponẽtes, in intelligentiis per rationes mediantes, in archetypo per ideas & formas exemplares, quas omnes in cuiusque rei effectus & virtutis executione conuenire necesse est. Atque hæc quidem de causis ordinatis per quas in naturæ vniuersitate communes effectus deus excitat: qui, vt paulo ante dictum est, ab Arist. absolutè ipsi naturæ tribuuntur. Præter naturam verò vel potius supra hanc, quæcunque in mundo accidunt sine vlla externa vi, aut humana arte, ea distinguendi gratia ab eodem Aristot. Dei esse dicuntur, cum scribit Deum & naturam nihil frustra facere. Non quod illa priora Dei etiam non sint: sed quia habent definitas & proximas causas ad quas commodius referantur, hæc verò non item. De quibus dignissimum est obseruatione quod eodem capite scribit Agrippa. Licet, inquit, Deus per intelligentias & cælos in hæc inferiora operetur, nonnunquam tamen omissis his mediis, aut suspenso eorum ministerio, immediatè ex se ipso illa facit, quæ tunc miracula vocantur. Nam cum primæ causæ imperio & ordine, secundariæ causæ, quas ministras Plato & alij vocant, necessario agant & effectus suos necessariõ producant, nonnunquam tamen pro libitu suo, sic illas absoluit, aut suspendit eas, vt ab illius imperij & ordinis necessitate penitus desistant. Et hæc maxima Dei sunt miracula. Sic ignis in fornace Chaldaica non combussit pueros: sic Sol ad imperium Iosuæ à cursu suo vnius diei spatio retrocessit: sic ad Ezechiæ petitionem per decem lineas siue horas regressus est: sic patiente Christo, in plenilunio defectum sol sustinuit. Et harum operationum rationes nullo rationis discursu, nulla magia, nulla quantumcunque occulta seu profunda scientia inuestigari aut attingi possunt sed solis diuinis oraculis addiscenda sunt & exquirenda. Quæ omnia eò libentius ex illo commemoro, quod apud plerósque qui hodie in rerum naturalium contemplatione ad sobrietatem non sapiunt, sed humano ingenio omnia metiuntur, nec suprà naturæ ordinem potestatis

quicquam Deo relictum arbitrantur, imo qui huius summam potestatem naturæ legibus omnino addictam esse volunt, hęc plus authoritatis habitura videantur, quam si ex nostris Theologis (quorum scriptis in eandem sententiam abundamus) essent adducta.

4 Cum omnis præsagiendi ratio, quæ Manticæ est, genera multa complectatur, hic Alcinous eorum duas differentias indicasse videtur. Vnam quæ externo afflatu constat: siue hic verè diuinus sit, vt in prophetia, siue diuinitatis falsam speciem præ se ferat, vt in aliis infinitis modis quibus à malo dæmone creduli homines deludantur. Alteram quæ aliquid habet humanæ artis. In priore genere quatuor hîc enumerantur κληδόνες siue sortes, ἐνθουσιασμοὶ siue furores, ὀνείρατα siue somnia & χρησμοὶ siue oracula. In posteriore, quanquam huius quoque multæ sint particulæ, nullæ tamen hoc loco ponuntur. De quibus omnibus nobis pauca suo ordine explicanda sunt, & de singulis indicandum quibus ex locis eorum fusior explicatio possit repeti. Cicero lib. 1. de diuinatione, scribit animos nostros duobus modis sine ratione & scientia, suo motu soluto & libero incitari, vno furente, altero somniante: furorísque diuinationē maximè Sibyllinis versibus cōtineri. Eodem etiam loco addit Dicæarchū Peripateticum cætera diuinationis genera sustulisse, somniorum & furoris reliquisse. Sed magis coniunctum cum nostro Alcinoo quod idem subiicit, duo esse diuinandi genera, quorum alterum artis est, alterum naturæ. Quæ est, enim gens, inquit, aut quæ ciuitas, quæ non aut extis pecudum, aut monstra aut fulgura interpretantiū, aut augurum, aut astrologorum aut sortium (ea enim ferè artis sunt) aut somniorum, aut *vaticinationum* (hæc enim duo naturalia putantur) prædictione moueatur? *Diuinationi* per sortem in his locus est quæ humana industria non videntur commodè posse terminari. De quibus quædam sunt politicæ, vt apud plerosque populos magistratuum electio: aliæ diuinæ, quæ Dei spiritu ministerióque bonorum angelorū reguntur: aliæ vana superstitione plenæ, in quibus mali dæmones dominantur. Quarum omnium exemplis in sacris literis & prophanis abundamus: de quibus vide Agrippam cap. 52. lib. 3. de occulta philosophia. In furoribus autem sunt ea quæ Vaticinia nominantur: in quibus qui res futuras prædicit, extra se rapitur externóque spiritu impletur, cuius vi res futuras prænuntiat, eásque quas ipse plerumque non intelligit. Spiritus verò hic aliquando diuinus est, vt in prophetis, aliquando malignus vt in veterū vatibus notat Plato dialogo de furore poëtico & in Sibylla paulò ante obseruatum est ex Vergilio lib. 6. Aenetidos. De quo genere sic scribit Iamblichus, lib. de mysteriis Aegyptiorum. Vaticinium ipsum, inquit, nec ab arte, nec à natura, nec à naturalibus vel animalibus rationibus, motibúsve efficitur: nec fit vllo modo, sed vtrinque sempiternum est, missum ád nos vsque diuinitus. Totáque potestas præsaga refertur ad Deos, & omnis huius authoritas consistit in eis: atque inde trahitur diuinísque operibus signísve perficitur. Spectacula quidem habet diuina & contemplationes vera scientia præditas. Cætera verò cuncta velut instrumenta subiiciuntur, misso diuinitus præsagij dono. Idémque de somniis hoc modo. Somnia, inquit, quandóque incitantur in nobis ab innatis intelligentiis, vel ab imaginationibus curísque diurnis: quæ aliquando verum assequuntur, plurimum verò falluntur. Atque hæc humanis principiis oriuntur, dormientibúsque contingunt vigiliæ nihil habentibus. Somnia verò missa diuinitus non ita contingunt, sed veniunt vel inter vigiliam atque somnum: vel inter somnum atque vigiliam vel in ipsa vigilia. Tunc breues audiuntur voces quid agendum sit admonentes & aliquando spiritus quidam, non corpulentus, non tractabilis se iacentibus circūfundit. Qui tamen non perspicie-

tur sed alio quodam sensu & animaduersione, quæ in consensu percipitur, impetu quodam ingrediens & se vndique circunfundens absque contactu, atque mirificè passiones animi corporisque expellit. Aliquando verò lumen sincerum quietumque fulget: sub quo visus clauditur, anima patens. Sed alij sensus iterum peruigiles sunt persentiuntque quo modo Dij in lumine se ostendunt & quæ illi loquuntur aguntque & continuata animaduersione percipiunt. Perfectius verò id totum discernitur quando visus quoque perspicit, atque intellectus corroboratus, quæ fiunt assequitur: & qui spectant similiter commouentur. Marsilius Ficinus in Plat. lib. 5. de Legibus docere conatur quo modo in istiusmodi somniis dæmonum vires in homines influant. Quanto ignis, inquit, cæteris elementis efficacior est, & igne cælũ, tanto efficaciores cęlo sunt spiritus qui vel viuificant, vel mouent cælum vel viuificantium & mouentium sunt consortes. Spiritus ergo superiores in nostros, vt pote consortes, imaginum duntaxat suarum influxibus operantur, quemadmodum vultus in speculum, atque agendo in eas, formant simillimásque efficiunt, vsqueadeò vt animæ tam fermè mirabiliter quam cęlestes solent, operentur. Quemadmodum verò speculum ad imagines à vultu susciendas quinque modis prȩcipuè præparatur, primo quidem natura vitrea, deinde perspicuitate, tertio leuitate, quarto resistentia, quinto positione: sic & animę nostræ ad influxus numinum prȩparãtur primò quòd intellectuales naturę sint, sicut & illa: secundo quando per intellectum fide illis adhęrent indubia: tertio per voluntatem amore in illa sese ardentissimè transferunt: quartò tota in illis memoria firmiter sperant: quinto si corpus & natura illis accommodatum & diligentia præparatum, tunc in mentes nostras ita labuntur instinctus, vt à fidibus lyræ in fides similiter temperatas. Possidonius diuinorũ somniorum tres modos statuit, primum cum animus per se diuina prȩuidet, quod diuinus ipse sit, & à corpore ad aliquod tempus quasi separatus, excitet insitas rerum intelligibilium notiones, per quas futura quadam ex parte, sicut prȩsentia cognoscit. Alterum quòd cum aër plenus sit immortalibus animis, in his tanquam in speculo veritatis notę animo nostro somnianti appareant, aut illi propter occultum naturę consensum, cum nonnullis hominibus maiorem, cum aliis verò minorem, multa admoneant, doceant, consulant, reuelent, nunc voce suáque prȩsentia, nunc verò formas ipsarum rerum menti nostrę obiicientes, ipsi verò non apparentes. Tertium quando non aërei spiritus, sed dij, vel supercęlestes angeli, cum dormientibus colloquuntur & oracula inspirant. In primò genere, quoniam totum nostrum est & in animi nostri puritate positum, malus dęmon nihil habet, quod possit imitari: in posterioribus verò duobus, hic infinitis modis nos quotidie decipit. Quoniam & falsas rerum imagines dormientibus obiicit, & ipse bonos spiritus aëreos ementitus, plerá que fraudulenta dictat, quibus à bene viuendo hominem reuocare conatur: ac nonnunquam vera quędam immiscet, quò per ea facilius nobis fucum faciat. Aristoteles autem naturę semper addictus, hanc in somniis diuininitatem parum probauit, nec ea à diis immitti credidit. De illa enim sic scribit initio libri de diuinatione per somnum. De diuinatione autem quę in somnis oritur, inquit, euenirèque à somniis dicitur, hoc verè dici potest, nec eam contemnere facilè esse, nec ei fidem habere. Nam & omnes vel plerosque assentiri somnia aliquam notam habere, fidem facit aurhoritatémque habet, quasi id ita esse experientia compertum sit: & ex quibusdã somniis diuinationem esse, non est incredibile. Quadam enim ratione nititur. Itaque de aliis somniorum generibus existimare licet eodem modo. At verò nullam causam consentaneam cernere qua eueniat, id denique facit vt eius nulla sit

authoritas. Nam Deum esse qui somnia mittat, præter alia quæ à ratione aliena sunt, etiam illud alienum & Dei maiestate indignum, eum illa non optimis viris nec prudentissimis sed quibusuis mittere. Cornelius Agrippa cap. 51. lib. 3. de occulta philosophia, scribit ea somnia quæ aliquid diuinitatis habitura sunt, constare debere ex spiritu phantastico & intellectu inter se vnitis, aut per illustrationem intellectus agentis in anima nostra, aut per meram reuelationem numinis alicuius: in illâque vnione phantasiæ & intellectus, videre somnia potentis esse imaginationis minimèque perturbatæ, eadem verò intelligere, virtutis in ipso intellectu singularis. Ex quibus concludit ad hęc certam præparationem esse adhibendam. Quoniam, inquit, cum corpore sani sumus, non cibo potúve grauati, nec mœrentes inopia, nullísque nobis obstrepentibus libidinis aut iracundiæ vitiis, castè cubitum euntes dormimus, tunc anima nostra pura atque diuina ab omni noxia cogitatione soluta, per somnum iam libera, diuino spiritu vt instrumento freta, radiantes & refulgentes in se susçipit radios & effigies atque tanquam in quodam deifico speculo, omni intellectus vulgati indagatione, rationisque discursu, longè quidem certius efficaciúsque continetur etiam ab ipsis diuinis numinibus instructa. Sine hac enim pręparatione quæcunque somnia nobis dormientibus apparebunt, ea nullam rerum futurarum significationem continebunt, sed ad naturales causas antecedentes erunt referenda: nempe aut ad humores in nostro corpore dominantes, aut ad prędecedentes nostras cogitationes sensuum ve functiones. Siquidem solet accidere (quòd Cicero obseruat initio Somnij Scipionis) vt *nostrę diurnæ* cogitationes pariant aliquid in somno tale, quale de Homero *scribit Ennius* de quo videlicet vigilans solebat cogitare & loqui. De quo genere posteriore pluribus disseremus cap. 17. lib. huius. Diuinationis verò quarum genus est in oraculis: de quo primò loco quęrẽdum est quò à furore, quem in secundo genere posuimus, distinguatur. Quoniam horum duorum in veterum loquendi consuetudine & vsu coniunctio iustam occasionem affert dubitandi. Apud Vergilium Aeneidos. 6. numen Apollinis ex suo antro erumpens, ad oraculum pertinet: at cum hoc Sibyllam implet eóque illa bacchatur, hic eius furor esse dicitur. Oraculáque certis locis addicta erant, vel propter locorum ingenium & naturę proprietatem (quę causa commemoratur à Plutarcho libro de deficientibus oraculis) vel potius quòd dæmon ipse ad sui cultum, certas regiones eásque ad certum tempus sibi deligeret in quibus quę proprium sacerdotem habebant, hunc furore implebant prius quàm de rebus futuris posset respondere: quod in Sibylla Vergiliana paulò ante obseruatũ est cum de dęmonibus ageremus. At in prophetis itémque in poëtis de quibus Plato in dialogo qui Io. inscribitur, furor est ísque quanquam non addictus loco, certas tamen & manifestas temporum intermissiones habet. De quo dictum ab Ouidio,

Est Deus in nobis, sunt & commercia cæli,
Sedibus Aethereis spiritus ille venit.
& ab alio
Est Deus in nobis, agitante calescimus illo.

Oraculorum magna varietas apud veteres, in qua dæmon ante enatam religionem Christianam, miserè illos delusit, eosdèmque à Deo auocans ad sui cultum traduxit. Nam in illis numerãtur antiquissima duo Dodoneum & Hammoniũ. Quibus postea adiecta sunt Pythium, Trophonium, Amphiarai, Branchidarum

in Milesia, Sabæum in Phocide. Annis etiam singulis sex menses continuos Apollo in Lycia per sacerdotem de rebus futuris respondebat: totidémque reliquis mensibus sex, in Delo. Quod Vergilius spectasse videtur libr. 4. Aeneidos, cum dixit,

Qualis vbi hybernam Lyciam Xanthíque fluenta
Deserit, ac Delum maternam inuisit Apollo, &c.

Reliquum est eius diuisionis quæ primo loco posita, membrum alterum: in quo ea insunt quæ cum diuinationis aliquid habeant, hominum arte potissimum tractantur. In quibus numerantur diuinationes omnes ex obseruatione intestinorum in animalibus quę diis sacrificabantur: itémque auguria omnia posita in obseruatione vel auium, in volatu, Garritu, Tripudio: vel cæli & fulminũ, vel quadrupedum inopinati conspectus. Quorum omnium obseruationi & interpretationi apud Romanos præerant qui Augures nominabantur eorundémque illic celeberrimum collegium extitit. De quibus sic Cicero lib. 2. de Legibus, Interpretes Iouis Optimi Maximi, publici Augures signis & auspiciis postea vidento, disciplinam tenento. Sacerdotes vineta virgultáque & salutem populi auguranto. Quíque agent rem duelli quique populi, auspicium præmonento, ollique obtemperanto. Diuorum iras prouidento, ollísque parento: cælíque fulgura regionibus ratis temperanto. Vrbémque agros & templa liberata & effata habento. Quæque Augur iniusta, nefasta, vitiosa diráue dixerit, irrita infectáque sunto. Quíque nõ paruerit, capitale esto. Fœderum, pacis, belli, inducíarum Oratores, fæciales, indicésue sunto. Bella disceptanto. Prodigia, portenta ad Hetruscos & Aruspices, si Senatus iusserit, deferunto. Hetruriæque principes disciplinam docento. Quibus diuis creuerint procuranto: iidem fulgura atque obstita pianto. Idem Cicero lib. 2. de diuinatione, duo genera diuinandi statuit, vnum artificiosum, alterum naturale. Artificiosum constare ait partim ex coniectura, partim ex obseruatione diuturna: naturale verò esse quod animus arriperet, aut exciperet extrinsecus ex diuinitate, vnde omnes animos hausros, aut acceptos, aut libatos haberemus. Artificiosa autem diuinationis genera ponit extispicum, eorúmque qui ex fulguribus ostentísque prædicunt: tum augurum eorúmque qui signis aut ominibus vterentur, omnéque coniecturale in hoc ferè genere positum esse ait. Illud autem naturale, aut concitatione mentis edi, & quasi fundi, aut animo per somnium sensibus & curis vacuo præuideri. Omnémque diuinationem à tribus rebus duci, à Deo, à fato, à natura. Atque hæc quidem de vniuerso diuinationis genere huiúsque differentiis, satis multa ad intelligendum Alcinoum ex Platonica doctrina dicta sint.

5 Sic de terra Plato loquitur in Timæo. Terram altricem nostram inquit, circa polum per vniuersum extensum, alligatam, diei noctísque effectricem & custodem Deus esse voluit: nec non primam antiquissimámque Deorum omnium qui intra cælum sunt geniti. Nam cum ex eiusdem Platonis doctrina in vniuerso orbes, vel potius globi duodecim, octo quidem cælestes quatuor verò elemẽtares, dij quidam sint in iisque elementa quatuor intra cælum dicantur genita, inter hæc terra omnium antiquissima est. Quia antea dictum est ex igne id est cælo & ex terra, vt ex duobus corporibus natura primis, mundum esse factum: deinde reliqua omnia inter hæc esse interiecta, aut horum ambitu comprehensa. Imo terram inter stellas Platonici ex Pythagoreorum doctrina numerare ausi sunt, sicut & hoc loco Alcinous, quod ab Arist. exagitatum est in Metaphysicis. Idque ab illis dictum est quod ea noctem diemque efficere videatur: vel certè ea

cum Sole lunáque coefficere: noctem quidem per conum quem huius vmbra parit, diem verò quatenus à Sole illustratur. Atque etiam iidem addiderunt aliã esse terram huic oppositam, lunam significare volentes, quam cælestem terram esse putauerunt: siue quoniam illa terræ instar variis maculis quasi infecta est, ac alieno lumine indigens: siue quod cælestis solarisque luminis defectus, nobis propter lunæ ac terræ obiectionem contingant. Quod Heraclidi Ponticomagna quoque ex parte placuisse Cicero scribit lib.1.de natura Deorum. Quia verò etiam terra, sicut hoc capite scribit Alcinous, in vniuerso debet hominibus alimenta suppeditare, ex quo ea cæli coniux & magna mater appellatur, idcirco Plato in Menexeno, terram Atticam primam omnium hominẽ procreasse hoc argumẽto colligit quòd illa fœcundissimè genus omne alimẽti hominibus suggerat. Tellus nostra, inquit, propriè ex omnibus animantibus hominem genuit, qui cæteris intelligentia præstat, solúsque ius ac Deos animaduertit. Quod verò hęc regio & eorum quos pro concione celebramus, maiores & nostros progenuerit, hinc euidentissimè licet colligere, quia omne quod gignit, alimentũ conueniens genito continet. Quò plane discernitur mulier illa quæ peperit, ab ea quæ infantem simulãdo suppositum. Nam quæ peperit, lacte abundat ad eius quod genitum est alimoniam, alia verò nequaquam. Tellus itáque nostra matérque, perspicuum argumẽtum præbet quod homines procreauerit. Nam & sola & prima tunc pabula humana porrexit, tritici hordeique fruges quibus commodissimè genus humanum alitur: vt pote quę verè id animal produxerit. Potius autem de terra quam de muliere coniectare id licet. Neque enim terra mulierem conceptu partúque, sed terram mulier imitatur. Huiusmodi verò pabulum sine inuidia non hominibus solum abundè verumetiam brutis subministrauit. Posthæc oleum laborum subsidium natis suis suppeditauit. Nutritis autem adolisque filiis principes præceptorésque Deos induxit: quorum nunc prætermittenda sunt nomina. Neque enim nos latet qui vitam nostram munierint, tam attuitionẽ ad quotidianum victum pertinentium, quam traditione peritiáque armorum, ad regionis ipsius custodiam. Atque hęc quidem Plato de terra quæ post cęlum dicitur nobis abundè alimenta suppeditare. De eadem verò in medio vniuersi paribus ponderibus examinata, atque idcirco immota quid eidem Platoni videatur in Timæo & in Phedone, atque in hoc quibus rationibus illius sententia ab Aristotele exagitetur cap.13.lib.2.de cælo, à nobis obseruatũ est cap.7.lib. 2.prioris nostræ descriptionis physicæ. Vbi alia nonnulla collecta sunt quæ ad hunc locum illustrandum valere possunt.

6 Singulis stellis quæ sunt in extimo orbe, Plato respondere putauit in mundo inferiore singulorum hominum animas, illarúmque virtutibus has quodammodo regi. De quibus amplissimus locus est in Timæo, quem nunc Alcinous sequitur. Cum vniuersum Deus constituisset, inquit, astris parem numerum distribuit animarum, singulis singulas adhibens: eísque tanquam vehiculo impositis, monstrauit vniuersam naturam ac leges fatales edixit. Ostendens quidem primam omnibus generationem ordine quodã vnam fore: ne quis ab ea minus aliquid sortiatur. Satis autem & quasi sparsis animis, per singula singulis conuenẽtia temporum instrumenta, fore vt animal nasceretur quod omnium animalium maxime esset diuino cultui deditum. Esse autem naturam hominis geminam: cuius id genus fore præstantius quod viri nomine sit appellandum. Cum verò animæ corporibus necessitate quadam insertę fuerint & corporibus earum accesserit aliquid, vicissimque abscesserit, primùm vtique necessariò ex sensibus omnibus vnum intimum & naturæ coniunctum illic à violentis passionibus excita-

ri: deinde voluptate ac dolore mixtum amorem: posthæc metum & iram, & quæcunque vel ista sequuntur, vel ab istis, vt contraria dissident. Hæc qui superauerint, eos iustè victuros: iniustè verò, qui ab iis fuerint superati. Atque illum qui rectè curriculum viuendi à natura datum confecerit, ad illud astrum cui accomodatus fuerit, reuersum, beatam vitam acturum. Contra verò agentem, cogi in ortu secundo, mutato sexu fieri mulierem. Et qui ne tum quidem finem peccandi faciet, quatenus deprauatur: eatenus in brutorum naturam suis moribus similem, permutare: nec prius à mutationibus laboribusque cessare, quam illam sibi insitam eiusdémque ipsius similisque naturę conuersionem, secutus ipsæ eíque turbulentos multiplicésque affectus postea ex igne, aqua, aëre & terra contractos, ratione sedauerit, & ad primum optimumque sui habitum iam redierit. Quo modo Cicero dixisse videtur lib. 1. de natura Deorum, humanos animos è diuina mente esse decerptos & ex sempiternis stellarum ignibus demissos: Et in Somnio Scipionis, homini animum esse datum ex illis sempiternis ignibus, quæ sydera & stellæ vocantur. Quale etiam, quod Arist. scribit cap. 3. lib. 2. de animalium ortu, solam hominis mentem extrinsecus aduenire, eámque astreo elemento participare. Et quoniam cęli astrorúmq; natura eidem Aristoteli cap. 2. li. 1. de cælo, quinta est simplex essentia, à quatuor elementis diuersa, hinc fortasse emanauit quod idem Cicero scribit 1. Tusculana, animos humanos quinta essentia constare: quam ἐντελέχειαν, ait nominari, quasi perennem & continuatam motionem. In quo nonnulli notauerunt Homeri Catenam auream, per quam cælestia descendunt in terram, terrenáque contra in cælum rapiuntur. Instante verò hominum generatione, animę secũdum eundem Platonem facere dicuntur vitæ futurę optionem: & quanquam semel electam vitę periodum impleri necesse sit, nulla tamen vi coactę, sed sua sponte vitam eligere. Non quod contemplandi munus generationi postponant: sed quia ipsa contemplatio euanescit, dum cupiditas regendi corporis inualescit. Quandoquidem contemplationis generationisque munera simul obire nequeant. Ideóque de his quę ad istã generationem se parant, dictum est lib. 10. de Rep. eas suum dęmonem eligere, non singulas suis dęmonibus sorte contingere. Ergo illę paulatim generationis amore descendentes eò declinant vt assumpto terreno corpore, sui oblitę plerúmque fato obruantur. Leuantur autem rursum hoc onere quando cupiditate contemplandi accensæ, sensus corporeos contemnunt, vel etiam omnino odisse incipiunt: Vt non sine causa in Phedro dictum sit philosophiam & amorem, reditum in cælum parare nosque ad obsequendum fato instruere. Qua etiam ratione scriptum est à Plotino lib. de dialectica, animas per Capricornum ad superna ascendere: per Cancrum, in generationem descendre. Quia in horum vno lunæ domicilium esse dicitur, quæ præest generationi: in altero, Saturni, ad quem pertinet contemplatio. At, inquiet aliquis, si anima natura sua cælestis & diuina est, quo modo in corpus hoc impurum descendit? Primùm vt essent animalia in omnibus vniuersi partibus, quæ opificis Dei excellentiam testarentur: ac ne ipse intellectus vi quadam in corpus traheretur, per naturam animalem adnatam, corpori conciliatur. Deinde, vt Plotinus ait, libro de descensu animæ in corpus, cum duplex omnino natura sit, vna quidem intelligibilis, altera vero sensilis, satius quidem est animæ in intelligibili viuere, necessarium tamẽ est cùm eiusmodi natura sit prædita, sensilem quoque naturam participare. Neque grauiter ferre debet si non omnino est ipsum bonum. Quippe cùm in rebus ipsis medium ordinem obtineat, & diuinæ quidem sortis particeps sit, in postremo autem gradu intelligibilis naturæ posita, velut affinis naturæ sensili. Sic naturaliter insti-

tuta vt de ſuis hinc aliquid exhibeat, recipiat etiam hinc quoque nonnihil, niſi propria integritate ſeruata gubernet. An igitur ab aſtris hæc tantum patietur, vt etiam illa motibus animæ neceſſitatem imponant? Hoc idem Plotinus pulchrè explicat cap. 8. lib. quo inquirit vtrum ſtellæ aliquid agant. In præſentia, inquit, operepretium eſt in memoriam reuocare, fuſum illum quem apud antiquos Parcę contorquent: per quę Plato ſignificat quod in mundi circuitu erraticum dicitur, vel non erraticum. Hunc apud eum Parcę & neceſſitas Parcarum mater torquent, & in cuiuſque generatione conuoluunt. Atque per hunc circuitum reuolutionémque in generationem prodeũt quæcunque gignuntur. In Timæo quoque artifex mundi Deus tradit animæ ipſius principium. Dij verò qui hominis generationi præficiuntur, graues neceſſariáſque adhibent paſſiones, iras, libidines, voluptates, dolores, aliámque animæ ſpeciem ex qua perturbationes eiuſmodi oriuntur. Hęc vtique Platonis verba, inquit, ſtellis nos deuincire videntur, animas videlicet ab illis accipientes: itémque nos huc labentes neceſſitati ſubiicere. Ab eiſdem quoque mores habere dicit, atque ſecũdum mores, etiam actiones, atque poſſiones à paſſiuo quodam habitu procedentes. Quare perquiédum eſt quid nos præterea ſimus. Fortè verò reliquum eſt quod ipſi reuera ſumus quibus & natura dedit vt paſſionibus dominari poſſem⁹. Et enim præter id quod ob ipſam naturam corporis, his malis circumuenti ſumus, Deus virtutem largitus eſt à ſeruitute liberam. In quo mirum eſt profectò veteres philoſophos ſolo naturæ lumine id videre potuiſſe, in quo adhuc hodierno die plerique cæcutiũt, humanam ſcilicet voluntatem ad bene agendum ex ſeſe liberam eſſe & tamen propter corporis contagionem, ad malum eſſe propenſiorem. *Id verò eſt quod* à Vergelio ſignificatum lib. 6. Aeneidos,

Igneus eſt ollis vigor & cæleſtis origo
Seminibus quantum non noxia corpora tardant.

Itémque à Socrate philoſopho, cum hic reſpondiſſe dicitur naturā futurum ſe, vt Zopyrus Phyſiognomon ex vultu & oculis denunciauerat, bardum, libidinoſum & vinolẽtum, niſi philoſophię præceptis animum excoluiſſet hiſque paruiſſet. Vnde etiam ſapiens aſtris dicitur dominari.

7 Perturbationes has à corpore exoriri, indicant quæ ex Platonicorum doctrina ab eodem Poëta ſuperioribus verſibus ſubiiciuntur.

Terrenique hebetant artus moribundáque membra:
Hinc metuunt cupiúntque dolent gaudéntque, nec auras
Reſpiciunt, clauſæ tenebris & carcere cæco.

Itémque quod Plato ipſe in Timæo ſcribit, Animæ morbi, inquit, propter corporis motum ita naſcuntur. Morbum animæ dementiam eſſe cenſemus. Eius genera duo ponimus, inſaniam & imperitiam. Quæcunque igitur paſſio alterutrum iſtorum infert, ægritudo eſt nuncupanda. Idcirco voluptates doloréſque admodum vehementes, morborum omnium grauiſſimi iudicandi. Quiſquis enim vel nimia geſtit lętitia, vel nimio dolore deprimitur, dum illā auidius importuniúſque aſciſcere, hunc vitare obnixè conatur: neque cernere, neque audire rectè quicquam poteſt, ſed rabie furit, & in eo habitus conſtitutus, minimè rationis eſt compos. Qui verò fluido ſtupidóque circa medullam abundat ſemine, vtque arbor pluribus quam conueniat fructibus grauida, nimia vbertate luxuriatis profectò multis paſſim doloribus, multis item voluptatibus in libidinibus ipſis earúmque fœtibus fructibúſque affectus, per omnem ferme vitam ob ingentes voluptates doloréſque inſanit ac furit. Cũmq; huius animus propter corpus

æger sit & insipiens, vulgo tamen non æger sed pro voluntate sua vt libet affectus falso putatur. Veritas autem sic habet. Nempe venereorum intemperantia, maxima ex parte propter vnius generis habitum, per ossium raritatem in corpore lubricum madidumque, animi infirmitas est. Ac fere omnis voluptatum incõtinentia, quæ perinde ac si sponte improli simus, vituperari solet, non rectè ita vituperatur. Nemo enim sponte malus, sed propter prauum quendam corporis habitum rudémque educationem, malus omnis, fit malus. Omnibus autem aduersa inimicáque hæc sunt, & mala obnoxiáque contingunt, Rursus dolore afflictus animus, similiter propter corpus in prauitatem plurimam incidit. Acris enim & infesta pituita, amari item felleíque humores, quando oberrantes per corpus non exhalãt, per viscera reuoluti, vaporem suum penetralibus animæ ipsius infundunt, languores animæ varios & magis & minus, tum plures, tum pauciores efficiunt. Et in Phædone, Omnis voluptas atque dolor, inquit, animam corpori affigit atque connectit, efficitque corpoream: adeo vt iam opinetur esse vera quæ suadet corpus. Nempe ex eo quod eadem opinetur cum corpore eisdémque oblectetur, cogitur, vt puto, eiusdem moris eiusdémque alimoniæ fieri: vt nunquam possit pura in vitam alteram proficisci: sed semper plena corporis labe proficiscatur. Ideóque cito cadat in aliud corpus, & quasi sata iterum innascatur, ac propterea à commercio diuinæ, puræ, vniformis essentiæ, aliena prorsus euadat. Quod etiam secutus Galenus, morum nomine intelligens varias animi propensiones ad istiusmodi motus & perturbationes, vno libro docet mores animi sequi variam corporis temperationem. Et idem alio loco, ex eo dubitat sit ne animus aliud à corporis temperatione, quod animaduertit animum corpore immutato variéque affecto, immutari solere & variè affici. Quod verò sequitur apud Alcinoum, de his quæ iustè viuendo ad astrum cognatum sibi reditum parant, id pertinet ad communem iustitiam positam in superandis illis omnibus perturbationibus, quas ex corpore nasci diximus. De qua sic idem Plato lib. 10. de Legibus. Nunciam tibi quid iustum, quid ve iniustum dico, inquit hospes Athenienſis, clare absque vlla ambiguitate exponam. Iræ námque atque timoris, voluptatis & doloris inuidiæque cupiditatis, tyrannidem in animo siue noceat, siue non, omnino iniustitiam nomino. Sed opinionem optimi, qua videlicet ratione ciuitas vel priuati aliqui putabunt, si animo dominata, omné virum exornet, etiam si quid minus rectè illi succesſerit, iustitiam nomino: & quidquid inde gestum sit, iustum appello. Atque eos, qui eiusmodi principatui libenter parent, optimè viuere dico. Hæcque ea iustitia est de qua, vt Aristoteles ait cap. 1. lib. 5. Ethic. Factum est hoc iam tritum sermone, Iustitia vna omnes reliquas virtutes cõtineri. Nam cum per iustitiam tribuatur cuique quod debetur: rationis autem esse debeat imperium, & perturbationes quæ sunt in parte animi inferiore, ad eius regulam sint reuocandæ: is iustè viuet qui ratione quasi rectum clauum tenente, actiones reget, perturbationes omnes reprimet. In quo posita est perfectio virtutum omnium, quæ morales appellãtur. At speciales altera iustitia (quæ vna est ex virtutibus morum) ad commutationes præmiorúmque & pœnarum distributiones tantum pertinet. De qua distinctione postea pluribus disseretur in postrema parte libri huius.

IOSEPHO FVLLONI

D. GENOVEFAE COENOBIAR-chæ vigilantiſs.

Iac. Crapentarius S.

LAborum omnium quos in humanioribus literis non omnino fortaſſe, pœnitendos poſuimus, primitiæ iampridem tuo cœnobio denotæ ſunt & cõſecratæ, Cœnobiarcha Vigilantiſsimè ex eo, ſcilicet, tempore quo noſtra ætate adhuc ineunte Ornatiſsimum virum & multis pietatis monumentis (quæ quidem adhuc extãt) ſpectabilem, Philippum Bellum, eiuſdem Cœnobÿ rectorem (quem fortunarum tuarum exornatorem merito fateris) ego rerum omnium mearum parentem agnoſcerem, & quibus rationibus tum poterã, apud omnes celebrarem ac prædicarem. Quare æquum viſum eſt vt in ſtudiorum philoſophicorum ſumma, quam hoc opere colligimus, pars aliqua ad te rediret quæ me & tui cœnobÿ & beneficiorum ab illo Optimo parente quondam acceptorum, memorem apud omnes teſtaretur. Præſertim cum ipſe ad hoc conficiendum atque edendum me ſermone tuo quotidie hortareris, aperteque declarares quantam ex eo voluptatem cum publica ſtudioſorum omnium vtilitate coniunctam expectares. Quam vtinam animo tuo non falſo conceperis, aut in hac tuo cãdore

concepta, minimè eum perdideris quem ad maiorem nominis celebritatem alliciendo, tu certè cum multis aliis ornatissimis viris, videris in eas angustias coniecisse ex quibus hodierno die pedem referre non potest. Quãto verò erat tutius, domi hoc nostris auditoribus continere? externorum iudicia non subire? Soláque expectatione eius in quo iampridem animi pendeo, aliorum animos, sicut plerique faciunt, tãtum lactare? Sed iam iacta est alea. In cuius euentu vt omnes intelligant quid tibi debeatur partem hanc de Pythagorica Metempsychosi, quæ nostram religionem nonnihil attingit, tibi consecrandam existimaui. Quam si recipis, si placet, hoc etiam intelliges vocari te ad reliqui operis defensionẽ. Quod cum te vrgente maximè, ante tempus fortasse sit editum, æquum est vt ad eorum quorum patrocinio in hoc nitimur, authoritatem accedas. Hoc verò vt ex animo facere velis, etiam atque etiam per tuam humanitatem rogamus. Bene Vale.

DE METEMPSYCOSI PYTHAGORICA, DISPVTATIO,

QVAE DIGRESSIO EST QVINTA.

VT ad explicãdam Pythagoricam Metempſychoſin, de qua hoc loco agitur, nobis viam paremus, conſiderandum eſt, quæ apud Platonem animæ humanæ conditio prius quàm cum corpore cõiungatur, quæ in ipſo corpore, quæ denique cum ex hoc exceſſerit. Et in eiſdem tribus temporibus Ariſtotelica cum Platonicis, ſicut cepimus, conferenda: deinde de hac ipſa Pythagorica Metempſychoſi veterum Platonicorum in excuſando magiſtro ſententiæ conſiderandæ, & cum noſtris theologis conferendæ. Ille libro 10. de legibus, animam corpore antiquiorem eſſe ait: & in Phædone ſcribit eam prius quã in corpus demittatur, alicubi eſſe, illſcque in aperta rerum omnium cognitione vigere: ipſius verò corporis contagione, in obliuionem vitæ ſuperioris incidere idem ait in Phædro: nec eam quicquam intelligere niſi ſecundum ſpeciem ex multis procedentem ſenſibus, in vnum ratiocinatione conceptum. Hoc autem, inquit, recordatio eſt eorum, quæ olim vidit cum Deo perfecta, & illa deſpiciens quæ nunc eſſe dicimus, & ad id quod verè eſt, ſurſum reflexa. Et in Phædone, ſi acceptis ſcientiis, inquit, non ſemper obliuiſceremur, oporteret & cum ipſis naſci, ſemper etiam per omnem vitam ſcire. Nam ſcire id eſt, acceptam rei alicuius ſcientiam retinère, nec amiſiſſe. An non obliuionem, ſcientiæ iacturam eſſe dicimus? Ita proſus ô Socrates. Sin autem acceptam ante ortum ſcientiam, nati amiſimus, deinde verò freti ſenſibus circa ipſas ſcientias, illas quas ante habueramus, recipimus, nónne id quod diſcere appellamus, eſſet ſcientiam propriam recuperare, atque id reminiſci nominantes, rectè nominaremus? Rectè. Fieri enim id poſſe apparuit: videlicet vt cum quis aliquid ſenſerit vel videndo, vel audiendo, vel aliter ſentiendo, aliud quiddam ex hoc cognoſcat cuius erat oblitus: cuiquidem hoc quodãmodo propinquabat, ſiue id ſimile ſit, ſiue diſſimile. In Menone, poſt-

Anima qualis, antè corpus.

Diſciplina noſtra, recordatio.

quam pusionem, qui Geometrica nunquam antea in vita hac didicerat, interrogant de dimensione quadrati, hic cum respondere videretur vt doctus, Socrates eum sermonem ita concludit. S O C. Quid tibi Meno videtur? Respondit ne hic vnquam ex alterius quam ex sui ipsius opinione? M E N. Nequaquam, sed ex propria semper. S O C. Veruntamen haud nouit, vt paulò ante confessi sumus. M E N. Vera loqueris. S O C. Inerant ergo huic opiniones huiusmodi. M E N. Inerant. S O C. Huic igitur ignoráti, opiniones de his quæ ignorat veræ insunt. M E N. Apparet. S O C. Nunc igitur huic opiniones quasi per somnũ suscitatæ sunt. Quod si quis interroget hunc talia quædam sæpè & multa, certè scies hunc ista si quis alius nouit, perfectè cognituru̇m. M E N. Videtur. S O C. Nonne igitur nemine prorsus docente, sed interrogante potius ista sciet, ex se ipso scientiam ad se reuocans? M E N. Sic est. S O C. Recuperare verò scientiam in se ipso, an non reminisci? M E N. Prorsus. Animam verò in singulorum hominum ortu idem voluit è cælo demitti, nõ tanquam in naturale domiciliũ, sed quasi in carcerem vel ergastulum. Ideóque scribit in Crarylo corpus esse dictum σῶμα quasi σῆμα id est sepulchrum, quod in hoc anima quasi sepulta iaceat. Cui simile est quod à Philolao Pythagoreo dictum commemorat Theodoretus lib. 5. de curatione græcarum affectionum, ob quædam supplicia animam corpori esse coniugatam & quasi consepultam. Quòd in Platone Arist. reprehendit cap. 3. lib. 1. de Anima, vultque inter animam & corpus naturalem quandam cognationem intercedere hócque etiam ab illa appeti. Quia in se cõtinet instrumenta necessaria ad eas actiones obeũdas, quarum eadem anima est principium. In quo ipse Plato quasi sui oblitus, quodãmodo huic posteriori Aristoteles opinioni assentiri nonnunquam videtur, cum scribit talem esse inter animam & corpus cognationem, qualis inter ignem & bitumen cernitur: aut cum lib. 3. de Repub. ait curandum esse corpus propter eam harmoniam quam habet cum anima. Per corpus enim (inquit) viuere nobis licet, ac certè: si veritatem clara voce testari velimus. Ideóque in horum cum superioribus comparatione, eodẽ libro á Theodoreto sic exagitatur. Si anima per corpus viuit, inquit, ac rectè viuit, fit vtique vt antè corpus ea nõ fuerit. Quod si fuit etiam ante corpus, vtique & viuebat, immortalem sortita rationalémque naturam. Quod si erat olim & ante corpus, nec tamen rectè viuebat cum sejuncta esset à corpore, at vbi venit in corpus, eo ipso bene instituto, tunc denique rectam vitam anima duxit, necessariò sequitur, vt anima per corpus ea bona consequuta fuerit quorum particeps ea non erat antequam corpori iungeretur. Quid ita igitur insepultam corpori veluti monumento cuidam Plato dixit?

Animæ cum corpore duplex cõparatio.

Quanquam hæ Theodoreti & Aristotelis obiectiones commode poterunt explicari ea distinctione duplicis comparationis animæ cum corpore, quæ postea tractabitur cap. 18. lib. huius. Iam verò videamus quo modo in corpus demitti dicatur, In hominum ortu hæc duplici lumine dicitur exornari. De quo sic Marsilius Ficinus in Sympos. Plat. Anima statim ex Deo nata, inquit, naturali quodam instinctu in Deum parentem suum conuertitur: quemadmodum ignis in terra vi superiorum genitus, confestim naturę impetu ad superiora dirigitur. Conuersa in eum, radiis eiusdem illustratur. Sed primus hic fulgor in animæ substantia per se prius informi, receptus, fit obscurior atque ad illius tractus capacitatẽ, proprius ipsi & naturalis euadit. Ideóque per eum, vt pote sibi æqualem, se ipsam & quæ infra se habet, id est corpora omnia anima videt. Deum verò & alia superiora non videt. Sed enim per primam hanc scintillam Deo facta propinquior, aliud iterum clarius accipit lumen: quo etiam superna cognoscit. Lumen igitur habet geminum, naturale alterum siue ingenitum, diuinum alterum & infusum: quibus vna coniunctis seu duabus alis, per sublimen volare valeat regionem. Cum verò in vita hac corpore consistemus & anima, ex eodem Platone intelligi potest nos corpus ab elementis accipere, naturalem speciei constitutionẽ à cælestibus spheris, partes animæ quæ trahuntur affectibus, à dæmonibus & animis syderum spherarum, accedente etiam ipsius corporis contagione: rationem verò & mentem nostri parentis imaginem, ab ipso mundi totius opifice, sine vllo cælestium orbium, aut dæmonum ministerio. Quod hic etiam Alcinous significauit, pluribus verò Plato in Timæo sic exposuit. Hæc omnia, inquit, primùm Deus exornauit. Deinde ex his hoc vniuersum constituit, animal vnũ in se animalia omnia mortalia & immortalia continens. Et diuinorum quidem ipse author est. Mortalium verò generationem natis suis tradidit absoluendam. Illi igitur suum imitati parentem principiúmque animæ suscipientes, animam ipsam mortali corpore clauserunt, rotúmque corpus animæ quasi vehiculum subdidere: atque in eo aliam animæ speciem fabricauerunt mortalem, quæ grauibus necessariísque perturbationibus afficeretur. Quarũ prima foret voluptas, esca maxima mali, dolor deinde, fuga impedimentúmque bonorum, audacia præterea metúsque consultores amentes, & implacabilis iracundia, spes etiam blanda conciliatrixque cum irrationali sensu amoréque omnium inualere. Atque hæc quidem Platonica, de anima humana in corpore & ante corpus: nunc reliquum esse videtur vt eiusdem conditionem cum è corpore excesserit, inquiramus. De qua sic loquitur Socrates in Phædone. Si pura discesserit, corporeum nihil secum trahens: vt pote quæ

Anima quo modo in corpus demittatur.

Anima qualis post vitã hanc.

sua cum illo inuita communicauerit, sed fugerit illud semper séque in se collegerit, tanquam semper id meditata, quod quidem nihil est aliud quam rectè philosophari, mortemque reuera facilè commentari, an non hęc est commẽtatio mortis? Est omnino. Anima, inquam, si sic affecta discesserit nonne ad aliquid sibi simile diuinum abit? Diuinum & immortale & sapiens? Quo cum peruenerit, euadit fœlix ab errore, dementia, timoribus duríque amoribus cæteríque humanis liberata malis, & quemadmodũ de initiatis dici solet, reuera reliquum tempus vitam cum diis agit. Ita ne est ô Cebes, an aliter? Ita per Iouẽ, inquit Cebes. Sin autem polluta impuráque decedat, vt pote quæ corpus semper amplexa, ipsum duntaxat coluerit & amauerit, eiúsque voluptatibus & libidinibus quasi veneficiis quibusdam delinita fuerit & vsqueadeo capta vt nihil aliud putet esse verum nisi quod corporeum sit, quod tangi, quod videri possit, quódve bibat & quod edat & quod venereis vtatur: quod verò oculis occultum & inuisibile sit, veruntamen intelligibile & philosophia compræhendendum, habere odio consueuerit, tremeréque & fugere: sic inquam institutam animam putas ne ipsam per se sinceram euadere. Nullo pacto, inquit. Sed infectam inuolutámque, vt arbitror, contagione corporea, quam cõsuetudo congressisque cum corpore propter continuam familiaritatem, plurimúmque eius cultum, efficiet congenitam? Ita putamus. Ponderosum verò ô amice id putandum est & graue terrenúmque & visibiles quod anima eiusmodi secum trahit: ideóque ab eo grauatur & ad visibilem trahitur locum, metu inuisibilis atque occulti. Et, quemadmodũ dicitur, circa monumenta sepulchráque versatur: circa quæ iam nonnulla apparuerunt animarũ vmbrosa phantasmata: qualia præferunt simulachra, tales animę quę videlicet non pure decesserunt à corpore, sed visibile aliquid trahentes: quo fit vt videri possint. Consentaneum est ô Socrates. Consentaneum tamen ô Cebes non esse has bonorũ animas: sed malorũ: quæ circa hæc oberrare cogãtur, pœnas dantes vitæ improbe actæ. Itaque iamdiu circũuagantur, quoad cupiditate naturæ corporæ dominãte, rursus induãt corpus. Induũt autem, vt decens est, eiusmodi mores quales in vita exercuerunt. Amplius verò idem sub fiem eiusdem dialogi, accomodatius ad religionẽ nostram, distinguit triplicem conditionem animarum è corporibus excedentium. Cum hæc ita natura dispositа sint, inquit, quando in eũ locum defuncti peruenerint quo dęmon vnumquémque perducit, primò illic iudicantur, & qui honestè sanctéque & qui aliter vixerũt. Itaque quicunque in vita qnodammodo tenuisse medium quoddam comperiuntur, ad Acherontem profecti, vehiculis quæ vnicuique adsunt, in paludem perueniunt Acherusiam: ibíque habitant purgan-

Animarum triplex conditio, post vitam hanc.

túrque, pœnas dantes iniuriarum: & cum purificati sunt, absoluuntur: rursúsque pro merito singuli benefactorum præmia reportant. Qui verò ob scelerum magnitudinem insanabiles esse videntur, qui videlicet sacrilegia multa & magna & cedes iniquas, vel alia horum similia perpetrauerunt, hos omnes conueniens sors mergit in tartarum, vnde nunquam egrediuntur. Qui autem sanabilia quidem, sed ingentia commiserunt, veluti si qui contra parentem vel matrem irati per vim aliquid fecerint, sed pœnitentia ducti, eos in reliqua vita coluerint, vel qui simili quodam pacto fuerint homicidæ: eos in tartarum quidem necesse est cadere, sed ibi per annum commorati, à fluctu eiiciuntur: homicidæ quidem per Cocytum, parentum violatores per periphlegetontem. Postquam verò ab iis delati fluminibus, ad paludem Acherusiam peruenerint, clamant illic vocántque eos quos vel necauerunt, vel iniuriis affecerunt: supplicitérque rogant ac deprecantur vt eos permittant progredi per paludem, ibique absolui. Ac si impetrauerint, penetrant illuc finémque malorum accipiunt. Sin minus queant persuadere, referuntur in tartarum atque inde rursus in flumina: neque per hæc mala deferri prius cessant, *quam ab iis* quos affecerant iniuriis, veniam impetrauerint. Hęc enim *pœna illis à* iudicibus est imposita. Qui autem piè præ cæteris vixisse inueniúntur, hi sunt qui ex his terrenis locis tanquam è carcere soluti atque liberati, at altiora transcendunt purámque supra terram habitant regionem. Atque hæc quidem fundamenta sunt eius sententiæ quam hoc loco inquirimus. Apertius verò illa ab eodem sic explicantur in Phędro. Regula Adrastiæ deæ, id est inæuitabilis numinis hæc est, inquit, vt quæcunque anima Deum comitata, aliquid verorum inspexerit, ea vsque ad circuitum alium sit indemnis: & si semper hoc facere queat, sit semper illęsa. Si verò impotens assequendi, non inspexerit, & casu aliquo v a, repleta obliuione & grauitate, grauetur, grauata autem pennas confregerit, in terrámque reciderit: tunc prohibet lex hanc in prima generatione, in aliquam brutalem ire naturam, sed iubet eam quæ plurima viderit, in genituram viri philosophi, aut pulchritudinis cupidi, aut musici atque amatorij: eam verò quæ secundo loco, in regem legitimum aut bellicosum virum & imperatorium descendere. Tertio in gubernatorem Reip. aut rei familiaris dispensatorem, vel quæstuarium. Quarto, in laboriosum gymnasticum, aut circa medelam curámque corporis versaturum. Quinto, in eos qui vates futuri sunt & circa mysteria quædam. Sexto, in poëtam, vel aliúquemuis eorum qui aptè in imitatione versantur. Septimo in artificé vel agricolam. Octauo, in sophistam & popularem. Nono in tyrannicum. In iis autem omnibus quicunque iustè vitam egerit, sortem po-

ſtea nãciſcitur meliorem: qui verò iniuſtè, deteriorem. In idem enim vndè profecta eſt, cuiuſque anima annorum decem millibus non reuertitur. Nam alas ante hoc ſpatium non recuperat: præter illius animam qui philoſophatus eſt ſine dolo, vel vna cum ſapientiæ ſtudio pulchritudinem amauit. Hæ quidem tertio ambitu mille annorum ſi ter hanc ipſam deinceps elegerint vitam, ſic recuperatis alis, poſt tria millia annorum euolant abeuntes. Aliæ verò animæ, primæ vitæ finem conſecutæ, iudicantur. Iudicatæ autem aliæ ſub terra in iudicij locum euntes, meritas illic pœnas ſuſtinent. Aliæ in cæli quendam locum per iudicium eleuatæ, ita degunt vt dignum eſt ea vita qua in hominis figura vixerunt. Milleſimo anno ambæ redeuntes, ſortem & electionem ſecundum vitæ genus ſuſcipiunt. Deligit vnaqueque eam vitam quam velit. Sic & in beſtiæ vitam anima humana tranſit, & ex beſtia rurſus in hominem: ſi modo anima prius quandoque fuerit hominis. Nam quæ nunquam veritatem inſpexerit, in hanc figurã venire non poterit. Oportet verò hominem intelligere ſecundum ſpeciem ex multis procedentem ſenſibus in vnum ratiocinatione cõceptum. Hoc autem recordatio eſt illorum quæ olim vidit anima noſtra cum Deo perfecta & illa deſpiciens quæ nunc eſſe dicimus: & ad id quod verè eſt, ſurſum reflexa. Idem in Phedone, animæ malorum, inquit, circa ſepulchra oberrare coguntur, pœnas dantes vitæ improbæ actæ. Itaque tandiu circunuagantur, quoad cupiditate naturę corporeæ comitante, rurſus induant corpus. Induunt autem, vt decens eſt, eiuſmodi mores quales in vita exercuerunt. Quales dicis mores ô Socrates? Eiuſmodi. Eos quidem qui ventri dediti, per inertiam atque laſciuiam, vitam egerunt, nec quicquam pẽſi pudoríſque habuerunt, decens eſt aſinos ſimiliáque ſubire. An non putas? Cõſentanea loqueris. Qui verò iniurias, tyrannides, rapinas præ cæteris ſecuti ſunt, in luporum, accipitrum, miluorum genera par eſt tranſire. Num alio has migrare dicendum eſt? Ita potiſſimum, inquit Cebes. Similiter & in cæteris. Abeunt enim in genera quælibet, quibus in vita ſimiles mores contraxerunt. Atque hæc quidem de tribus temporibus quæ in vita animæ ab initio diſtincta ſunt, Platonis ſententia. In quibus ſi Ariſtotelem cum illo attente comparamus, facilè intelligemus non modo quam differẽtes ſint in quæſtione de animæ natura (de qua poſtea diſſeretur) ſed etiam ſi vterque agnoſcat mentis immortalitatem, de hac tamen maximè diuerſas eſſe & differentes horũ ſentẽtias. Primũ enim non exiſtimaſſe Ariſt. animã tẽpore priorẽ eo corpore quod informat, duę rationes potiſſimũ ſuadere videtur. Vna quod ca. 2. li. 12. Meraph. eo diſtinguit cauſam efficiẽtẽ externam, ab interiore forma, ꝙ illa tẽpore prior eſſe ſoleat, forma verò nunquã. Formę monẽtes, in

N3. *Anima an prior corpore apud Ariſt.*

quit,tanquam antea ortæ,exiſtunt:quæ verò vt ratio,ſimul ſunt.Cum enim ſanus ſit homo, tunc etiam ſanitas eſt, & forma æneæ ſpheræ, ſimul atque ænea ſphæra.Si autem aliquid poſterius permaneat,conſiderandum eſt.In quibuſdam enim nihil prohibet. Veluti ſi anima tale ſit,non omnis,ſed intellectus. Omnem namque fortaſſis impoſſibile eſt.Altera ratio, quod anima ante corpus eſſe non potuit ſine aliqua energia & actu. Quoniam in vniuerſitate naturæ cum ipſæ res cõpoſitę,otioſę eſſe nullo modo poſſint,formę certèmulto minus,vt poteſt colligi ex eo quod de Deo Ariſt.ſcribit cap.8.lib.10. Ethic. Animæ autem antè corpus exiſtentis,actus alius eſſe non potuit,quam intelligendi.Quare ſi ex huius ſententia illa erat antequam cũ corpore coniungeretur,intelligebat & contemplabatur.Id verò quo modo, niſi per ſpeciem ingenitam, quæ poſtea per corporis contagionem obliuione obliteretur.Quod qui in Ariſtotelis doctrina reciperet,in eo illum faceret Platonis ſectatorem,in quo magno ſtudio Platoni contradixit. Primum enim non erit intellectus humanus quando cum corpore coniungetur,ſimilis tabulæ nudæ , in qua nihil omnino fuit depictum,quod tamen Ariſt.ſcribit cap.4.lib.3. de anima:*ſed potius*, vt Plato loquitur,tabulæ raſæ,in qua rerum in intelligentiam cadentium,ſpecies omnes ingenitæ,ſed tenebris corporis obſcuratæ.Deinde diſciplina noſtra erit vitæ ſuperioris recordatio , non noua notionum ex viſis efformatio :quod idem in Platone reprehendit cap.1. lib.1.Analyt.poſt.& cap.vltimo lib.2. At, inquiet aliquis, quomodo apud Ariſt. intellectus humanus,ſi ante corpus non fuit, æternus erit vbi è corpore exceſſerit:cum idem contra Platonem diſputet lib.1.de cœlo, omne quod principiũ habuit,eadem lege qua incepit,finẽ quoque aliquando eſſe habiturum. Difficilis eſt huius rei in Ariſtotelis doctrina explicatio:eáque , ſicut mihi videtur , effecit vt nonnulli in ea auſi nõ ſint affirmare intellectum qui in ſingulis eſt,immortalem, ſed vnam eſſe communem mentem,quæ ſua eſſentia cum externa ſit, radiis ſui luminis cum noſtro intellectu vniatur & notiones in eo illuſtrando,faciat vt actu intelligamus.Difficultatem hoc etiam adauget quod cum mentem ſeparabilem à corpore & immortalem affirmet locis multis,qui poſtea colligentur, nuſquam tamen futuram eius conditionem cum è corpore exceſſerit,apertè exprimat, Sed cap. 11.lib.1.Et hic.vbi in hanc quæſtionem incidit,de mortuis,vtrum boni alicuius participes ſint,de hac frigide admodum reſpondeat:& lib. 10. cum ſapientem ipſo contemplandi munere beatiſſimum & Deo ſimillimum eſſe velit, non attingat tamen quæ in altera vita eius conditio ſit futura.Quæ omnia,cum aliis quæ collecta ſunt cap.11.lib.4. prioris noſtræ deſcriptionis phyſicæ, ſedulo comparanti, fatendum

esse videtur Aristoteli naturam in omnibus sequenti, non satis definitam fuisse de quæstione hac sententiam: aut cum fortasse vnam tãtum communem mentem externam immortalem esse crederet, non satis tutum fuisse hoc apertè exprimere: ne hac opinione publicam Athenienſium religionem offenderet & illis qui antea Socratem morti adiudicauerant, quod noua de diis sentire videretur, iterum peccandi in philosophiam occasionem daret. Scio de quæstione hac aliud statui posse ex eo opere quod de secretiore parte diuinæ sapientiæ secũdum Ægyptios, inscriptum Aristoteli tribuitur à nonnullis: sed quia hoc multis de causis mihi suspectum est, eius authoritate vti non audeo ad colligendam huius sententiam de animæ natura. De qua in eo ipso opere pluribus à nobis est disputatum. In Metemphycosi maior est inter hos & apertior dissensio. Aristoteles enim quia in omni naturali corpore præparationem certam inesse vult ad eas actiones quæ sunt propriæ formæ, hac in parte Pythagoreorum sententiã reprehendit cap. 3. lib. 1. de anima. Quod in corpore belluæ non sit apta præparatio ad eas actiones quarum humana forma principium, est & causa: multóque minor in corpore plantarum. Illud alienum inquit, & huic sententiæ & plurimis earum quæ de anima ponuntur, accidit quod coniungunt & collocant animam in corpore, nec quam ob causam, exponũt, nec quemadmodum corpus affectum esse oporteat. Quod necessarium videtur esse. Vtriusque enim societas & coniunctio, facit vt anima agat, corpus accipiat atque patiatur & hoc moueatur, illa moueat. Cum mutua ista affectio in quibusuis non temere reperiatur. At verò hi solum exponere conantur quidnam sit anima: de corpore autem quod illius est domicilium & receptaculum, nihil præterea explicant. Quasi verò fieri possit ex Pythagoricis fabulis, vt quæuis anima in quoduis corpus quod occurrerit, immigret: cum in suo quicque genere permanere videatur. Similiter autem dicunt vt si quis fabrorum artẽ, in tibias ingredi asseueret. Vt enim ars instrumentis, sic anima corpore vti debet. In cuius loci interpretatione non assentior Hieronimo Cardano libro de animæ immortalitate, aut Io. Genesio Sepulueda in epistola quadam ad Gaspardum Cardillum, in qua ne animarum infinitum numerum apud Aristotelem concedere cogantur, posita earundem immortalitate mundíque æternitate (de quo postea suo loco in quæstione de immortalitate disputabitur) existimant illũ improbauisse quidẽ animarũ humanarum transitum in corpora belluarum. At hoc eundem in Platone sequutũ, quod credebat illas aliquando noua hominum corpora ingredi, neque id esse contra eam rationem quam de corporis præparatione ad formam ex lib. 1. de anima paulo antè attulimus. Neque vero magis

Arist. sententia de Metemphycosi.

placet quod eodem loco subiicit Sepulueda, cum ab Arist. dictum est animam à corpore separatam nõ recordari, ab illo videri significatũ, intellectum qui nunc per migrationẽ est Iullius & prius fuerat Alexander, non meminisse eorum quæ ab Alexandro visa auditaue fuerunt. Propterea quod, vt ait, intellectus passiuus, id est phantasia seu facultas imaginandi, sine qua nec intelligere datur, nec meminisse, cum corpore extinguitur. Vtrumque enim Aristotelicæ physiologiæ mihi aduersari videtur: etiam si animaduertam in priore Platonis opinionem laudari eodem opere de secretiore parte diuinæ sapientiæ secundum Aegyptios. Ex quo fortasse Sepulueda in hanc de Aristotele sententiam est impulsus. Apud Mercurium Trismegistum, scriptorẽ Platone longe antiquiorem, hæc mentempsycosis etiam ad belluarum corpora refertur in Pimandro, initio Sermonis 10. Animarum humanarum, inquit, permultæ mutationes partim in melius fœliciusque, partim autem in contrarium. Nam reptilium quædam in aquatilia transmutantur, aquatilium animæ in terrestria migrant, terrenorum in volatilia scandunt, aereorum vertuntur in homines, hominum deinde immortales animæ, in demones transeunt, demum in deorum chorũ fœliciter reuolãt. Quanquã ad finem, eiusdẽ sermonis, scribitur humanam animã nõ nisi humanũ corpus posse subire. Humana anima, inquit, postquam per mortem à carcere corporis est exempta, cum omnis subierit virtutis pietatisque mandata, certe aut mens aut Deus efficitur. Certamen autem religiosæ pietatis hoc est, recognoscere Deum, iniuriã inferre nemini. Anima autem impia in natura propria remanet, ac se ipsam nimium cruciat: corpus querit quod ingrediatur, terrenum & humanum. Aliud quippe corpus quam humanum, animam non capit humanam: nec fas est in corpus animę ratione carẽtis, animã rationalẽ corruere. Lex enim diuina generationẽ tã nefariã prohibet. Vnde Platonicorum de hac, magistri sententia variæ opiniones extiterũt. Nonnulli enim hãc omnino dãnauerũt: alij vt cũ aliqua probabilitatẽ retinere possent, ad verborũ allegoriã confugerũt quia in verbis vix quicquam erat quod tolerabile videri posset. Improbatã hãc a Porphirio nobis author est D. Augustinus cap. 30. lib. 10. de Dei Ciuitate. Idq; ex eo potest intelligi, quod ille libris tribus de abstinẽtia ab esu carniũ, eos reprehendit qui arbitrãtur Pythagorã in cibis aliorũ animaliũ carnibus nõ esse vsum, quod in eorũ corpora anima humana aliquãdo cõmigraret. Plotinus cõtra, libro de proprio cuiusque demone, in eadẽ sentẽtia, verba fine vlla allegoria sequutus esse videtur. Anima tandem è corpore migrãs, inquit, id id ipsum quo abundauit, euadit. Itaque ad superiora confugiendum, ne in sensualem speciem delabamur, simulachris videlicet

Mercurij opinio de Metempsychosi.

sensilibus obsequuti. Neue in vegetalem animam precipitemur, mancipati libidini generandi & irretiti suauitate saporum. Sed ad intellectuale, ad intellectum, ad Deum totis viribus assurgendum. Quicunque igitur proprietatem seruauerunt humanam, homines iterum renascuntur. Quicunque vero solo vsi sunt sensu, bruta animalia redeunt. Ita tamen vt qui sensu precipue vna cum ira, animalia fera exoriantur: atque in iis differētiam quoque talium afferāt. Qui vero sensu per concupiscentiam voluptatémque vsi sunt, salacia & ingluuiosa animalia reuertantur. Verum si non tam sensu vna cum iis, quam sensus degeneratione vixerint, vna cum ipsis plantis repullulant. Solum namque, vel maxime in iis viguit vegetale: omnísque illis cura fuit vt in plantas commutarentur. Proinde qui musicis modulis nimium deliniti vixerunt, in ceteris non deprauati, animalia musica renascuntur. Et qui sine ratione regnarunt, fiunt aquilæ, nisi prauitate alia sint infecti. Qui absque sapientia confidentius sublimia tractant, in cœlum sæpe suspicientes: mutantur in aues altiora semper volatu petentes. Qui ciuilem virtutem consequutus est, reuertitur homo. Sed qui ciuilem virtutem haud satis est assequutus, in ciuile animal, vt in Apem, vel similia se transformat. Idem cap. 13. lib. 1. de diuina prouidentia, hac in parte doctrinæ Platonicæ, admirandam esse vult rerum omnium iustissimam vicissitudinem. Spernendum preterea non est, inquit, quod dici solet, non decere semper spectare presentia, sed preritos quoque circuitus & futuros. Inde namque pro dignitate iustè rependitur, dum commutatio fit ex dominis in priori vita, in seruos in vita sequenti, si modo improbi fuere domini. Et profecto ita mutari his hominibus expedit. Præterea si diuitiis abusi sunt, in pauperes transferuntur. Vbi bonis quidem esse pauperes, non est inutile. Item qui iniustè quempiam occiderunt, iniustè similiter occidentur. Iniustè quidem quo ad eum spectat qui interficit: iustè verò quoad eum pertinet qui necatur. Sane qui patietur ita in idem conducet vna cum illo qui ad hæc perpetranda fit promptus, quæ illum pati decebat. Nemo putet quempiam temeraria sortè fieri seruum: neque casu quodā fieri captiuum, neque absque ratione violari corpus. Sed quōdam ille perpetrauit, quæ in præsentia patitur. Et qui olim extinxit matrem, in posterum extinguetur à filio, aliquando natus fœmina. Et qui vitiauerit mulierem, ortus deinde mulier, vitiabitur. In huius autē sententiæ allegoria cum multis locis repetita sit Marsilij Ficini sententia, nunc ea prætermittam quæ dicuntur lib. 17. Theologiæ Platonicæ: ac tantum breuiter persequar quæ idem in Platonis & Plotini interpretatione commemorat. Primum verò in 9. de legibus, Soli Plotino visum est, inquit, ani-

mam hominis fieri aliquando animam belluæ: cæteris Platonicis hoc displicuit. Consentiunt tamen eam vicissim in homines alios transmigrare. Quodquidem etsi Plato non habet certum, habet tamẽ valdè probabile. Quod verò migret in bestias, sepè quidem recenset, sed dedita opera adeo prẽter solitam grauitatem ridiculè narrat, vt planè demonstret negandam quidem esse rem ipsam: allegoriam verò esse quærendam. Scilicet vt transire in brutum duobus modis accipias: primo quidem in affectum, imaginationem habitúmque bruto conuenientem: deinde in habitationem cõsuetudinémque inter feras ad tempus, supplicij gratia. Nono vero de Repub. belluarũ in quas transitus fieri dicitur, varietatem refert ad ipsius concupiscentiæ varietatem in nobis. Idémque sequitur in Phædone. Commentario autẽ in Plotinum cap. 2. lib. de dęmone proprio. Quanquam hominis anima, inquit, quodam modo in se ipsa mutetur, nunquam tamen vltra certos humanæ speciei terminos transmutatur. Quod etiam videtur placuisse Iamblicho, cum dixit animam in qualibet trãsmutatione suam speciem seruare. Quoniam eius motus exordium habet ab ipsa & agitur intra se ipsam. Quæ vbi dicitur esse omnia, intelligenda est esse omnia, nõ quolibet modo, sed suo, id est speciei propriæ *propria*. Noli itaque dicere animam si est omnia per potentiam naturalem, ergo quãdóque fit omnia. Nunquam enim anima ipsa fit forma corporea, siue corpus: quia videlicet anima non est quomodolibet eiusmodi forma vel corpus, sed propriè secundum ipsum vitæ modum. Ita neque fit bestia: quoniam anima non est simpliciter animal, sed modo duntaxat humano. Et eodem loco, Proclus vna cum omni Platonicorum schola, inquit, intellectualem animam negat ferino corpori admodũ alieno sic accommodari posse vt ei quandóque in vita communicet. Cõmunicare verò cum brutis aliquando illi putant in quadam similitudine vitæ, idque sensisse Platonem. In quam sententiam Io. Reuchlin lib. 2. artis cabalisticæ, scribit Metempsichosin Pythagoricam nihil aliud verè doctis viris significare, quam similitudinem motuum & studiorum (quæ in aliquo iam mortuo antea exiterunt, in alio nunc viuo renasci. Sicque olim dictum, in Pythagora renatum Euphorbum: quòd quæ virtus bellica in Euphorbo Troiano claruerat, ea in Pythagora quodammodo appareret, propter amorem quo athletas prosequebatur. Quare admirantibus ipsis athletis, quod in philosopho literarum studioso tantus esset amor pugnæ, hic respondisse dicitur hoc minimè mirum videri debere: quod in se vigeret anima Euphorbi: hoc est, ingenium, studium, motũ & voluntatẽ. Euphorbi apud se residere: qui tametsi esset pacis præceptor & quietæ contemplationis author, tamen in se ipso sentiret quasi belli Troiani

quoddam desyderium. Quo audito, vel ignorantia mysteriorum Pythagoricorum, vel peruersitate inuidorum qui semper optima quæque peruertunt & aliena dicta recitando immutant, fama percrebuit animum Euphorbi in bello Troiano peremptí, transmigrauisse in Pythagoram. Quæ opinio poëtarum fabulis & aliorum scriptorum additionibus postea aucta est. Cum tamen nihil eiusmodi reperiatur in operibus Pythagoræ: in quibus commemorantur πολιτικὸν, φυσικὸν & eiusdem aurea carmina. Et tamẽ Tertullianus libro de anima, scribit Samium sophistam (sic enim Pythagoram nominat) huius opinionis authorem Platoni extitisse. Illum vero vt hoc persuaderet, mortem simulasse: sub terra septemnio latitasse: se illic patientia damnasse: deinde quasi ab inferis excitatum, hæc de mortuis & inferis aliis narrasse: dixisse olim se Euphorbum fuisse: hócq; eo probare voluisse, quod recognosceret Clypeum quem Delphis Euphorbus aliquando consecrauerat. Nonnulli in eadem sententia arbitrati sunt animam similem brutis effectam, ad tempus, pœnæ gratia, inter illa versari, atque per eiusmodi imaginationem suam, imaginationibus belluarum insinuari: sicut plerique tradunt inferiores dæmones corpora humana ingrediẽtes, imaginationibus se inserere eásque mouere: fere eo modo quo Auerroes existimauit intellectum vnum & communem in animas nostras influere, aut alia aliqua ratione. Nam quod dixit Daniel Propheta, Babiloniæ regem ob grauissima scelera inter boues diuinitus esse translatum, donec repurgatus resipisceret, hoc Hebręi interpretantur imaginationem regis illius diuinitus fuisse peruersam vsqueadeo vt se bouem factum opinaretur grauitérque doleret. Quod solet magus vel atra bilis in humanis corporibus efficere propter cognationem quam hæc habet cum ipso dæmone vt antea indicauimus cũ de dæmonibus ageremus. Cum verò in iis quæ ad naturæ explicationem pertinent, certum sit Platoni fuisse propositam doctrinam Timæi Locri, ex quo Pythagorea didicerat: ex huius opinione facile poterit intelligi quid ille senserit de eiusmodi transitu animæ in nouum corpus. Timæus autem libro de vniuersitate, cum animam ab ineunte vita optimis moribus imbuendam præcepisset, hæc subiicit. Peruersis, inquit, & iis qui in ipsis vitiis anima sunt ob peccandi consuetudinem obfirmata, legibus decernenda sunt inaudita supplicia: perficiendúmque vt metu alterius vitæ & supplicíorũ quæ in ea vitari nullo modo possunt, ad virtutem resipiscant. Vt enim ægris aliquando valetudinem restituimus cibo insalubri aut medicamento, cum remedia salutaria primum admota parum profuerint: sic fabulis aliquando animos reprimimus & in officio cõtinemus. Qui nisi rectis monitis parẽt, existimo nouas & inauditas pœnas esse pro-

Tertullianus de Metempsychosi.

Timæi opinio.

ponendas: vt improborum animas diuersa corpora assumere, pró variis vitiis vitæ anteactæ. Animam timidi ingredi in corpus fœminę: iniusti autem & crudelis, ferarum: libidinosi, suis: lenis & superbi, auis: otiosi & negligentis, piscis. D. Augustinus libro de genesi ad literam, in eiusdem sententiæ interprætatione id ipsum sensisse videtur quod paulo ante ex Marsilio Ficino retulimus. De hoc, inquit, Pythagoreorum ludibrio eorum etiam posteri erubuerunt: nec eos hoc sensisse, sed non recte intellectos esse dixerunt. Et credo ita esse. Veluti si quisquam de scripturis nostris hoc sentiat, vbi dictum est, homo in honore positus non intellexerit: comparatus pecoribus insensatis & similis factus est eis: aut vbi item legitur, ne tradideris domine bestiis, animam confitentem tibi. In hac vero quæstione de conditione animæ ante corpus, in corpore, & cum ex hoc excesserit, Platonem cum Pythagoreis esse deceptum minus mirabitur qui rei difficultatem considerauerit & hanc ex nostrorum theologorum scriptis spectauerit. Nam quod illi aiunt animam ante corpus, omnia in cælo cognouisse, hoc Tertullianus damnat libr. 1. de anima, & hereticorum esse ait. Doleo bona fide, inquit, Platonem omnium hereticorum condimentarium factum. Illius enim est opinio in Phædone, quod animæ hinc euntes sint illuc, & inde huc. Item in Timeo, quod germina Dei delegata sibi mortalium genitura, accepto initio animæ immortali, mortale ei circungelauerint corpus. Tum quod mundus hic imago alterius alicuius. Quæ omnia vt fidei commendet & animam retro in superioribus cum Deo egisse in commercio idearum, & inde huc transuenire, & hic quæ retro norit de exemplaribus recensere, nouum elaborauit argumentum μαθήσεις ἀναμνησις, id est discentias, reminiscentias esse. Veniētes enim huc inde animas, obliuisci eorum in quibus prius fuerint. Dehinc ex his visilibus recordari edoctas. De quo postea pluribus à nobis differetur commentario in capit. 17. In quæstione verò altera de conditione eiusdem animæ cum è corpore excesserit, ne nostri quidē primi theologi erroré vitare omnino potuerūt. De hac enim sic scriptum ab Origine ca. 12. li. 2. de principiis. Puto, inquit, quod sancti quique discedentes de hac vita, permaneant in loco aliquo in terra posito, quem Paradisum dicit scriptura diuina, velut in quodam eruditionis loco, &, vt ita dixerim, in schola, vel auditorio animarum. In quo de omnibus his quæ in terra viderant, doceantur. Indicia quoque accipiant etiam de consequentibus & futuris: sicut in hac quoque vita positi, indicia quædam futurorum, licet per speculum in ænigmate, tamen aliqua ex parte conceperant: quæ manifestius & lucidius in sanctis suis & locis & temporibus reuelantur. Si quis sanè mundus corde & purior mente & exercitatior sensu fuerit

D. August. de Metempsychosi.

fuerit, velocius proficiens, ad aëris locum ascendet & ad cælorum regna perueniet, per locorum singulorum, vt ita dicam, mansiones, quas græci spheras id est globos nominauerũt. In quibus singulis primo perspiciet ea quæ ibi geruntur, secundo rationem quare geruntur agnoscet: & ita per ordinem aggredietur singula: sequens eum qui transgressus est cælos, Iesum filium Dei dicentem, volo vt vbi sum ego & isti sint mecum. Cum ergo ad cælestia loca peruenerint sancti, tunc iam rationem astrorum per singula præuidebunt: & siue animãtia sunt, siue quicquid illud est, compræhendent. Sed & alias rationes operum Dei quas eis ipse reuelabit, intelligent. Iam enim tanquã filiis rerum causas & virtutem suæ conditionis ostendet, & docebit, quare illa stella cæli in illo loco posita est, & quare ab alia tanto spatio dirimente separatur. Verbi gratia, si propinquior fuisset, quid ex hoc esset futurum: si verò longius, quid accideret: aut si maior fuisset hæc stella quam illa, quomodo similis non seruaretur diuersitas, sed in aliam quandam formarentur. Sic decursis omnibus quæ in astrorum ratione & in iis conuersionibus quæ in cælo sunt, continentur, venient etiam ad ea quæ non videntur, vel ad ea quorum sola nomina nunc audiuimus & ad inuisibilia: quæ multa quidem esse Paulus Apostolus docuit, quæ autem sint vel quam habeant differentiam, ne exiguo quidem aliquo intellectu coniicere possumus. Et ita crescens per singula rationabilis natura, non sicut in carne vel corpore & anima, in vita hac crescebat: sed mente & sensu aucta, ad perfectam sciẽtiam mens iam perfecta perducitur. Nequaquam vltra istis carnalibus sensibus impedita sed intellectualibus incrementis aucta, semper ad purum & vt ita dixerim, facie ad faciem rerum causas inspiciens. Potiturque perfectione primo illa qua in id ascendit, secundo qua permanet, cibos quibus vescatur habens theoremata & intellectus rerum rationésque causarum. Atque hæc ille de anima beata. Animæ vero purgationem idem duplicem esse vult: vnam in corpore, alteram cum ab hoc erit separata. Hancque posteriorem omnem certo temporis spatio definitam, nullam omnino æternam videtur agnoscere. De qua sic scribit commentario in epistolam ad Romanos. Qui verbi dei, inquit, & doctrinæ euangelicæ purgationes spreuerit, tristibus & pœnalibus purificationibus semet ipsum reseruat: vt ignis gehenne, cruciatibus purget, quem nec apostolica doctrina, nec euangelicus sermo purgauit. Secundum illud quod scriptum est. Et purificabo te igni ad purificationem. Verum hęc ipsa purgatio quę per penam ignis adhibetur, quantis temporibus quantisve seculis de peccatoribus exigat cruciatus, solus ille potest scire, cui pater omne iudicium tradidit: qui ita diligit creaturam suam vt pro ea semetipsum euacuaue-

rit dei forma. Nam si angelos qui lapsi sunt, in suum statum tandem aliquãdo pòst multa secula restitui idem Origenes existimauit (quod indicat cap. 6. lib. 1. de principiis, non omnino dissentiente D. Ambrosio cap. 3. Commentarij in epistolam ad Ephesios) in homine multo magis dei bonitati & iustitiæ consentanea esse videtur purgatio certo tempore definita, quam perpetua damnatio. Imo hoc ipsum nominatim vult eodem loco: in quo à D. Hieronimo reprehenditur in epistola Epiphanij ad Ioannem Episcopum Ieroſolimitanum. Illud etiam Pythagoræ commentum posteros variè in omnes partes affecit, nonnullosque in grauissimos errores impulit. Nam Tertullianus lib. de anima, scribit Simonem magum qui in actis apostolorum spiritum sanctum pecunia vult redimere, cum Helenam quandam Tyriam de publico libidinis loco eadem pecunia ad se reuocasset: aliis persuadere voluisse, illam esse Helenam pro qua græci ad Troiam pugnauerant: eamque ex illo tempore per multorum corpora volutam: qua iam ad hominum salutem ipsæ vti vellet. Quibus similia sunt quæ nostra ætatè nescio quis persuadere conatus est de sua matre Ioanna, libro de claris mulieribus. Et Nicephorus Callistus lib. 10. historiæ ecclesiasticæ, refert Iulianum apostatam dicere solitum se habere animam Alexandri, aut esse ipsum Alexandrum in alio corpore. At Tertullianus in Apologetico contra gentes, hac Pythagorica opinionè vtitur pro argumento ad confirmandum quod in religionè nostra dicitur de mortuis ad meliorem vitam excitandis, dèque animæ humanæ reditu in idẽ corpus. Si quis Philosophus, inquit, quod Laberius ait de sententia Pythagoræ hominem fieri ex mulo, colubri ex muliere affirmet & in eam opinionem argumenta omnia eloquij virtute detorserit, nonne confessum mouebit & fidem infiget etiam ab animalibus abstinendi? Propterea persuasum quis hoc habeat, ne fortè bubulam de aliquo proauo suo obsonet & prandeat. Atenim Christianis si de homine hominẽ ipsumque de Caio Caiũ reducet repromittat, lapidibus magis, nec saltẽ cedibus à populo exigetur. Si quæcúnque ratio præest animarum humanarum reciprocandarum in corpora, cur non in eandem sententiam redeant: cum hoc sit restitui, id esse quod fuerat? Idem facit Gregorius Nyssenus libro de anima & resurrectione, vbi de hac metempsychosi varias veterum opiniones ita colligit. Qui à nostra philosophia alieni sunt, inquit, in diuersis opinionibus alius aliter ex parte quadam de resurrectione doctrinam attigerunt, nec plane cum nostris sentientes, nec penitus ab huiusmodi spe aberrantes. Nam nonnulli quidem rem communicando, contumelia afficiunt ac dehonestant humanũ genus, eandem animam censentes inuicem tum hominis, tum ratione carentis, ac bruti

Gregorius Nyssenus, de Metempsychosi.

fieri animalis, alia post alia subindè corpora induentem & ad id quod placeat semper transeuntẽ, vel volatile, vel aquatile, vel terrestre animal post hominem fieri, ac rursus ab his ad humanã redire naturam. Alij vero etiam ad frutices eiusmodi deliramentum extendunt, vt etiam arborem ac ligneam illi vitam conuenientem atque accommodatam esse putent. Nonnullis vero hoc solum videtur, videlicet quod ex hominè semper alium hominem inuicem sumat & per easdem omni tempore humana vita exigatur atque regatur: cum nunc quidem in his rursus item in aliis eædem in perpetuum animæ sint. Nos autem commodissimum esse censemus vt ab ecclesiasticis sententiis atque decretis exordientes iisque quasi fundamentis nixi, tantum duntaxat de opinionibus eorum qui hæc philosophico more tractauerunt, accipiamus quantum satis sit ad demonstrandum eos aliquo modo conuenire cum doctrina resurrectionis. Nam quod dicunt animam postquã à corpore disiuncta fuerit, rursus penetrare & insinuare se in aliqua corpora, non admodum discrepat, ab ea quam speramus, resurrectione. Quoniam & nostra quoque scriptura dicit ex elementis mundi & nunc constare nostrum corpus, & in posterum conflatum & constitutum iri: & idem externis philosophis placet. Non enim aliunde conflari corpus excogitare possunt quam ex concursu elementorum. Differẽtia autẽ & conuersia in eo existit, quod à nobis quidem dicitur idem rursus circa animam eandem concrescere corpus, quod ex eisdem elementis cocat & concinetur: illi verò putant ad alia quædam corpora tum ratione predita, tum rationis atque adeò sensus expertia, animam redigi atque transire: quæ quidem corpora quin ex partibus mundi conflentur, non dubitatur: nec de ea re controuersia est: sed in eo dissensio quod illi non putant ex iisdem partibus ea conflari quæ partes ab initio in carnali vita animæ adhæserant. Et rursus eodem libro. Audiui, inquit, ex iis qui talia tradunt, quod nationes quasdam animarum esse ponant, in peculiari quadam ciuitate, antequam ad corpoream vitam deueniant, viuentes: quæ in tenui atque agili sua natura vna cum reuolutione atque conuersione vniuersitatis vagentur & oberrent. Propensione vero quadam ad vitium atque nequitiam, quasi defluentibus pennis animas intra corpora redigi, primum quidem humana, deinde eodem modo propter consuetudinem rationè carentium affectuum ac perturbationum, postquam è vita excesserint, in pecora degenerare atque deinde vsque ad hanc plantarum sensúque carentem vitam delabi: adeo vt natura tenuè atque agile, sicut anima est, primum quidem ponderosum ac deorsum vergens efficiatur, in corpora humana propter vitium atque nequitiam immigrans: deinde ratione prædita

vi, extincta, in rationè carentibus vitam degere: sensuum quoque dono adempto, hanc plantarum vitam, quæ sensus expers est, inuicem susciperè ac postea rursus per eosdem gradus ascendere & restitui in locum cælestem. Atque eiusmodi doctrina ab iis qui vel mediocriter exercitato iudicio fuerint, ex se ipsa facile deprehẽditur nullũ in sese stabile firmamentum habere. Nam si a cælesti vita propter vitium & nequitiam ad ligneam vitam anima detrahitur, ab ea verò rursum propter virtutem ad cælestem recurrit, reperitur eorum oratio dubitare quid præstabilius magisque præferendum putet ligneam ne, an cœlestem vitam. Circuitus enim & quasi orbis quidam est, qui per similia peragitur atque conficitur, anima semper, vbicunque fuerit, nullum firmum certumque consistendi locum habentè. Nam si ex incorporea vita ad corporeã delabitur, & ex hac ad eam quæ sensu caret, itemque illinc rursum ad incorpoream recurrit, nihil aliud nisi indistincta atque indiscreta tum malorum, tum bonorum confusio ab iis qui hæc tradunt, fingitur & existimatur. Neque enim cælestis vita in beatitudinè permanebit: siquidem vitiositas illic viuentes inuadit: neque ligna & stipites virtutis expertes erunt: si *quidem hinc* ad bonum recurrere, illinc vero vitiosæ vitæ initium *sumere animam* putant. Nam si anima quæ vna cum cælo versatur, cum vitio atque nequitia conflictatur ac propter vitiositatem ad materialem ac sylueſtrem vitam detrusa, rursus hinc subuehitur, vt vitam degat in sublimi, res nimirum inuersa ab illis asseritur atque affirmatur: nempe quod materialis quidem vita vitiositatis expiatricem vim contineat: stellarum verò inerrantium cæloque inherentium conuersio atque reuolutio, malorum causa atque principium animabus existat: si quidem hinc per virtutem alas adeptæ, sublimes abeunt atque cælestia contemplantur: illinc verò per vitium atque nequitiam quasi alis amissis, humiles & abiectę fiunt & ad terram depressę cum crassitudine materialis naturæ commiscentur. D. Hieronimus in epistola ad Auitum, scribit Origenem hanc Pythagoræ opinionem probauisse ex eaque multa absurda in religionem nostram inducere voluisse ex cuius lib. 1. de principiis idem hæc citat. In fine & consummatione mundi, inquit Origenes, quando velut de quibusdam tegulis atque carceribus missæ fuerint à Domino animæ & rationales creaturæ, alias earum tardius incedere ob segniciem, alias pernici volare cursu, propter industriam: cumque omnes liberum habeant arbitrium & sponte sua, vel virtutes possint caperè, vel vitia: illæ multo in peiori erunt conditione quam nunc sunt, hæ ad meliorem statim peruenient. Quia diuersi motus & variæ voluntates in vtranque partem diuersum accipient statum: id est vt

Origenis error.

angeli,homines vel dæmones, & rursus ex his homines & angeli fiãt. Quibus verbis Origenis,D.Hieronimus hæc subjcit.Cum vario sermone Origenes hæc omnia tractasset, inquit, asserens diabolum non incapacem esse virtutis, & tamen necdum velle capere virtutem, ad extremum sermonem latissimè disputauit angelum, siue animam aut certè dæmonem, quos vnius asserit esse naturæ,sed diuersarum voluntatum,pro magnitudine negligentiæ,iumentum posse fieri & pro dolore pœnarum & ignis ardore magis eligere vt brutum animal sit & in aquis habitet & fluctibus, ac corpus assumere huius vel illius pecoris:vt non solum quadrupedum sed etiam piscium corpora sint timenda.Ex eiusdem opinionis vanitate Auicẽna cap. 2.lib.de Almahad, siue de conditione animæ post vitam hanc, scribit à Mahumete dictum esse animalia progredientia super terram, & aues suis alis volantes, turbam esse copiosam hominibus similem & in ipsius animæ natura cum his communicãtem. Atque quod in illius Sarracenorum principis lege positum est,non prius animarum humanarum in noua corpora transitum,finem esse habiturum quam Camelus per foramẽ acus penetrare possit, hoc idem ait nonnullos ita interpretari vt significari velint animam hominis vitiosi non prius gratissima quiete frui posse,quam per varia corpora iactata,à Camelo transierit in eum vermen qui corporis sui tenuitate & paruitate per foramen acus possit penetrare. In quibus opinionis inconstantiam Platoni obiicit Theodoretus lib. 11. de curatione græcarum affectionum eámque sic explicat. Hæc, inquit, non modo sunt perridicula, verum his quæ Plato superius dixit,pœnitus contraria.Ibi enim puniri animas affirmat aliàs quidem in Acheruntem fluuium paludémque Acherusiam: aliàs verò in Stygem cochytúmque ac Periphlegetontem abiectas. Quęque inexpiabile quid peccauerint,fluxu Periphlegetontis coniectas in Tartarum rapi. Quæ verò ita deliquerint vt expiari possint, nihilo secius deferri per vndas fluminis: sed tamen suppliciter ab his veniã petere,quos à se olim iniuria affectos ibi in ripa fluminis adesse conspiciant.Rursúsque ab vnius defluxu in paludẽ fontes ad illos deferri ait.Hoc autem loco eos qui voluptatibus fœdè seruierint,asinos inquit fieri:qui verò tyrãnicam vitã rapacémque adamauerint,trãsire in luporum,accipitrũ miluorúmque corpora.Egregia verò ac beatissimorũ præmia illis decreuit qui politicã vitã virtutémque obierint: quandoquidem illos inquit euadere in vespes, apes atque formicas. Hoc enim honoris genus homo philosophus illis attribuit, qui virtutem officiúmque coluerunt. Atqui hæc sunt supernè dictis contraria. Ibi enim eos ad beatorum insulas destinauit. Philosophorum

autem habitacula ne verbis quidem explicari posse asseruit: : hic autem eis attribuit vesparum , auicularum ac formicarum vitam. Quisque olim in vita neminem iniuria affecerint, præmium innocentiæ hoc ait accipere,vt aliis quam maximè noceant. Apes enim & vespæ natæ sunt stimulis aculeisque ictus inferre. Ipsæ item formicæ segetes deprædantur sibíque cum agricolis terræ fructus compertiũtur:tametsi minus in laboribus tolerandis sociæ fuerint,Vespæ autem plantarum cultoribus molestissimæ sunt. Arboreos enim fructus terebrant ac corrumpunt.Idem quoque & apiculæ ipse faciunt. Neque tamen horum quicquam incommodorum sapientissimo atque optimo philosopho in mentem venit: sed ad solam Pythagoræ illius,qui primus hasce animarum commigrationes commentus est,authoritatem respexit. Hæc quidem Theodoretus. Neque verò hoc loco prætermittendũ est nonnullos magicis artibus (in quibus excelluisse Pythagorã scribit Pliniusca.17.li.24.)etiam in viuis hoc assequi potuisse, vt humanã animam in alienas corporũ formas immutare viderẽtur. Quorum hęc exempla quodam loco commemorat Cornelius Agrippa: Plinium narrare, Demarchum quendam parasitum in *sacrificio* quod Arcades Ioui Lycæo humana hostia faciebant, *immolati pueri* exta gustasse & in lupum se conuertisse:testari D. Augustinum dum esset in Italia quasdam fœminas magas,Circes instar,dato viatoribus veneficio in caseo, hos in iumenta vertisse cúmque portassent quæ illa voluerat, onera, rursus in homines restituisse, ídque patri cuidam Præstantio tunc accidisse. Quod, inquit ille, minus mirabitur qui in sacris literis legerit Nabuchodonosor regem mutatum in bouem,& septem annis fœno vixisse,tandem Dei misericordia in hominem rediisse. Cuius corpus post mortem filius dedit in escam vulturibus,ne resurgeret à mortuis qui iam de bestia redierat in hominem. Hæc locum dederunt variis fabulis,quæ apud Ouidium in Metamorphosi & apud Apuleium de Asino aureo. Illam verò Platonicorum opinionẽ variis rationibus exagitauit D.Augustinus cum aliis locis multis,tum maximè cap.30.lib.10.& cap.20.lib.12.de Dei ciuitate.

HOMINIS ORIGO EXPLICATVR. IN QVA animi cæleſtis principatus in cerebro conſtituitur: partes eiuſdem ſiue facultates duæ inferiores, iraſcendi & concupiſcendi, ſedibus ſuis ab illa diſtinguuntur. Atque vt corporis totius conformatio intelligatur, partium in illo ſimplicium & ſimilarium natura ſpectatur ex elementis quibus hæ conſtant: compoſitarum & diſſimilarium, ex officio cui ſubſeruiunt.

CAP. 14.

1 *Dij autem imprimis hominem ex terra, igne aëre & aqua efformarunt,* 2 *quaſdam partes quæ aliquando redderentur, ab illis mutuati: eaſque occultis vinculis componentes, corpus vnum ex omnibus confecerunt. Ac eius animi qui è cælo demiſſus, principatum in capite collocarunt,* 3 *cerebrum ei ſubiicientes tanquam agrum prius excultum. Atque circa faciem poſuerũt inſtrumenta ad ſenſuum functiones accommodata.* 4 *Ex leuibus autem & ſine inflexione triangulis, ex quibus elementa fuerant conformata, medullam compoſuerunt, ipſius ſeminis futuram originem. Os verò ex medulla atq; terra irigatis* 5 *crebróq; in igne & aqua quaſi confectis. Neruos ex oſſe & carne. Caro verò procreata eſt ex ſalſo & acuto, quaſi quodam fermento. Medullæ oſſa circumpoſuerunt, & oſsibus coniũctionis gratia,* 6 *neruos adiecerunt: vt per hos faciles eſſent inflexiones & artilorum coniunctiones. Quibus ipſa caro eſt pro velamento cáque pro corporis vſu & cõmoditate partim alba, partim nigra. At ex his interna viſcera exiſtunt inuoluta vẽtérque & circa hunc inteſtina conuoluta. Ad ſuperiores verò partes, ab ore arteria & gula, hæc quidem in ſtomachum, illa in pulmones delata.* 7 *Porrò cibi in ventre calore ſpiritúque*

conficiuntur & emolliuntur: indéque in vniuersum corpus distribuũtur, secundũ proprias cuiusque mutationes.[8] *Duæ autem venæ iuxta spinam euntes, sibi inuicem obuiæ, caput contrario modo complicant, inde in multas partes finduntur.*[9] *Cum igitur diÿ hominem effinxissent atque animum corpore, cui erat imperaturus, induissent, eius partem principẽ, cuius est ratio, in capite collocarunt. Hinc medullæ neruorúmque principia atque pro variis læsionibus, mentis abalienationes. Capitíque circumpositis sensibus tanquam satellitibus, animi principatum vimque ratiocinandi in eo posuerunt itémque vim cõtemplandi & iudicandi. Partem verò alteram in qua motus existunt, loco inferiore: irascendi quidem in corde, concupiscendi verò circa abdomen & eas partes quæ vmbilico adiacent. De quibus postea disseretur.*

Ia. Carpentariÿ Commentarius in cap. 14.

1 Plato in Timæo, vniuersæ naturæ explicationem instituturam, ita distribuit vt primo loco agat de Idæa mundi, deinde de mũdo hoc in sensum cadente, postremo de homine vt minore mũdo, in quo illius maximi imago in duobus principiis anima & corpore videtur esse expressa. Eundem ordinem secutus noster Alcinous, egit antea de mundo vtroque: nunc ad hominis explicationem descendit. In qua primum considerandum est ex veterum Academicorum & Peripateticorum doctrina quę similitudo homini cum mundo intercedat: vt ex ea intelligatur quo iure hic ab illis minor mundus appelletur. Magno corpori vniuersi ex totis quatuor elementis coagmentato, simile est humanum corpus, compositum ex quatuor humoribus qui elementis vniuersi proportione respondent: vt bilis igni, melancholicus humor terræ, sanguis aëri, pituita aquæ: quod etiam à medicis, copiosius explicari soler. Atque amplius de partibus humani corporis quædam totius cæli, aliæ stellarum in orbibus inferioribus errantium, rationem habere dicuntur. Spiritus quidem, is præsertim qui vitalis est, perenni sua agitatione cæli perpetuæ conuersioni respondet: semen verò & ea membra quæ generationi subseruiunt, Lunæ & Veneri dicata creduntur: Cor, Soli: Lingua, Mercurio, Fel Marti, Hepar, Ioui, Saturno caput. Vt verò (quemadmodum Poëta ait

Principio cœlum ac terras campósque liquentes

Lucentémque globum Lunæ, Titaniáque aſtra
Spiritus intus alit: totámque infuſa per artus
Mens agitat molem & magno ſe corpore miſcet.

ſic de hominibus ex eodem verè dici poteſt

Igneus eſt ollis vigor & cæleſtis origo
Seminibus: quantum non noxia corpora tardant,
Terrénique hebetant artus moribundáque membra.

Et certè Plato ipſe ſcripſit in Timæo, animam noſtram in eodem cratere cũ mundi anima ex reliquiis eorundem generum eſſe commixtam. Vt ſignificaret hanc cum illa eandem excellentiam in viribus eſſe adeptam. Niſi hoc intereſt, quod impurioris corporis contagio facit, vt quæcunque huic inſunt, deteriore ſint cõditione. Quoniam vt eodem loco poëta ſubiicit

Hinc metuunt cupiúntque dolent gaudéntque, nec auras
Reſpiciunt clauſæ tenebris & carcere cæco. ———

Iam verò in varietate partium quibus conſtat corpus humanum, Alcinous duo potiſſimum hoc loco perſequitur, propriam cuíque temperationem, ex quatuor elementis, & vſum cuius gratia, illæ ſunt à natura datæ. Quæ duo pertinent ad ea genera cauſarum quæ in explicandis partibus animalium diligenter eſſe cõderanda Ariſt. docet cap. 1. lib. 1. de partibus animalium, ad materiam ſcilicet & formam. Ipſa enim ex elementis temperatio, materiæ eſt: vſus verò ex fine intelligitur, in quo prima eſt ſummaque partium organicarum perfectio, quæ eadem propria formæ. Ideóque illæ ſuam naturam amiſiſſe dicuntur, cum amplius illi vſui ſubſeruire non poſſunt: nec manus quę non poteſt apprehendere & retinere, magis manus eſt, quàm quæ picta aut lignea. Quod etiam Ariſtoteles ſcribit eodem loco & 1. politic. itémque cap. 1. lib. 2. de Anima.

2 De compoſitione humani corporis ex quatuor elementis igne, Aëre, Aqua & Terra, vel vt dicitur cap. 1. lib. 2. de partibus animalium, fortaſſe potius ex eorum virtutibus calido, frigido, humido & ſicco, eadé eſt Ariſtotelis ſententia lib. 2. de Ortu & lib. 4. Meteor. In ea tamen obſeruandum eſt aliud eſſe agere de ipſius corporis conſiſtentia, aliud de his quæ eandem regunt, aut in hac dominãtur Conſiſtentia enim & firmitas eſt ab ipſa terra: quam humor aqueus formabilem reddit. Vis autem ipſa regens conſiſtentiam vt primarium animæ inſtrumẽtum, in calore igneo, pabulum ſuum habente in humore pingui & oleoſo: quem ab aqueo diſtinguentes, aëreum ſolemus nominare. Calorem verò hunc igneum & elementarem dicimus: quia ſua ſubſtantia eiuſmodi eſſe videtur, etiamſi ab Ariſtot. diuinus nonnũquam nominetur. Quia dum formæ diuiniori in noſtris corporibus, vel etiam in ſolo fœcundo ſemine ſubſeruit, actionum quoque diuiniorum cauſa eſt, quam in puro & ſimplici ignis elemento. Quod quia libro 4. prioris deſcriptionis phyſicæ iam attigimus, & ad eam diſputationem nobis alius locus eſt deſtinatus in eiuſdem deſcriptionis poſteriore parte, omittamus hoc tempore: idque tantum agamus, vt intelligatur pro hac diuerſa ratione conſiſtentiæ corporis, & eorum quæ illam regunt, variè quoque de eiuſdem communi temperamento poſſe iudicari. Nam ſi de conſiſtentia agitur, hoc dicetur frigidũ. Quia illa in terra & aqua eſt poſita: quorum vtrumque ſua natura frigidum eſt. Atque idem potius ſiccum quàm humidũ, etiam ſi aqua conſtet, natura humida. Quoniam conſiſtentia ipſa potiſſimum teræ debetur: aquæ verò tantum prout glutinis loco eſt, ne terra ſua ſumma ariditate in tenuiſſimas partes & quaſi ramenta

quædam comminuta, loco suo non consistat. Itaque cùm vnumquódque corpus ratione consistentiæ locum habeat ad requiem, naturæ suæ accommodatum, scribit Arist. ca. 4. li. 4. Meteor. cætera animalia, quibus eiusmodi cõsistentia, cũ homine communis est, in terra & aqua solum quiescere: & certè in terra multo verius quam in aqua. In aëre verò & igne nullo modo. De quo etiam amplius à nobis disseretur in posteriore parte descriptionis physicæ. Si verò in viuentis hominis corpore id spectes, quod consistentiam regit: non immerito hoc calidum esse dicetur. Quoniam illius vita calore continetur, qui in humido pingui & aëreo fouetur. Quo modo etiam sanguis quandiu in viuo animali calore conseruatur, calidus potius est quam frigidus. At quia idem, sicut & reliqui tres humores, secundum speciem suæ consistentiæ aqueus est, minime calidus esse videtur, sed frigidus. Quod Hippocrates significauit libro de corde, & amplius Arist. ca. 11. lib. 4. Meteor. Quædam, inquit, cum suam naturam habent (id est, vt hoc loco interpretor, cũ in animali viuo à suis causis reguntur) calida sunt, vt sanguis, semen, hominis medulla, coagulum cæteráque eiusdem generis. Cum verò intereunt à naturáque sua discedunt, non item. Materia enim quæ terra vel aqua est, remanet. Itaque vtrumque nonnullis videtur, aliíque frigida, nonnulli calida hæc esse tradunt: quod ea cum in natura sua manent, calida esse, cum seiuncta sunt, tum eadem frigore concrescere animaduertant. Quam distinctionem idem repetit cap. 3. li. 2. de partibus animalium. Quod autem Alcinous subiicit, minores Deos ad hominis procreationem, certas partes ex quatuor elementis esse mutuatos, quæ aliquando eisdem redderentur, referendum est ad hominis dissolutionem in morte. In qua pars vnaquéque redit ad idem elementum ex quo orta est: nempe ignea rursum ad ignem, aërea ad aërem, itémque aquea & terrena ad aquam & terram. Antè verò dissolutionem eiusmodi, ex illis omnibus natura differentibus atque adeo contrariis, totis per tota transfusis, vi mixtionis, maximè propriè vnum efficiebatur, cuius quælibet pars verè erat mixta. Quam summam vnionem nulla ars omnino assequi potest, sed ea vt Galenus ait lib. 1. de Temperamentis, soli Deo & naturæ cognita. De qua pluribus disserimus ex Arist. cap. 1. lib. 3. prioris descriptionis Physicæ. Nunc quibus vinculis talis vnio contineatur, videamus. Hæc primùm posita sunt in ea proportione, quam elementorum qualitates habent inter se, & per quam contraria cõtrariis certo quodam modo temperantur, atque, vt Empedocles dicebat, amica pace ligãtur. Nec verò solum calor frigore, humor siccitate temperatur: sed calori & frigori insurgendo potentissimis, ex altera parte opponuntur patibilia, quæ non facilè superantur. Quod vt in magno corpore vniuersi idem Empedocles retineret, igni quem animaduertebat efficacissimum, reliqua tria elementa opposuit: vt his coniunctis, ad resistendum vis maior inesset: sicque quatuor elementis pro duobus vsus est, quod Arist. scribit lib. 1. de Ortu. Atque hoc est naturale vinculum partis materiæ. Aliud verò ipsius formæ cum sua materia: quod quidem positum est in huius qualitatibus organicis, sine quibus illa non potest eas actiones edere, quarum causa est primaria. Sic enim efficitur quod alio loco diximus, vt materia appetat formam, à qua primam perfectionem capit, & forma materiam: quoniam sine hac non potest agere. Quæ Peripateticis interna causa omnia vinciens & continens esse videtur: nec fortasse in naturalibus ea superior vlla quærenda. At Stoici naturæ effectum omnem extare arbitrantur externa causa continente eáque compositæ rei cuiúsque partes deuinciente: quæ pars naturæ cum ipsa non sit, eam tamen sua præsentia & virtute conseruet. Quam indissolubilem illi aiunt, per dissolubiles rerum naturas penetrare. Hæc verò illis vel Deus est

vel æthereus quidam calor: de quo multa sunt apud Ciceronem lib. 2. de natura deorum, vel necessitas fati, vel ipsa prouidẽtia. Quam fortasse hoc loco Alcinous per occulta vincula voluit significare.

3 Sic enim in iis quæ oriuntur, materia ad formam excipiendam præparatur, cum vel qualitatibus, vel partibus instruitur, quæ necessariæ sunt ad subseruiendũ actionibus, quarum ipsa forma debet esse principium & causa. Quare in natura illa dicitur obtinere rationem finis: quod ad formam materiæ præparatio in rerum ortu referatur: & si in illa locum habẽt necessitas, hæc non in ipsa materia absolute ponenda sit, sed ex forma per quandam conditionem spectandam. Sicut Arist. contra veteres physicos docet lib. 2. physic. & cap. 1. lib. 1. de partibus animalium. Nunc, inquit, necessitatem in ortu inesse existimant, vt si quis domum necessario effectam putaret, propterea quod grauia deorsum leuia in sublime natura duce ferantur. Itaque lapides & fundamenta infimas partes, terram autem superiores, propter leuitatem occupare, summum autem locum ligna maxime obtinere: quòd in eis maxima sit leuitas. Quanquã autem non sine his extitit: non tamen eorum causa, nisi vt propter materiam, sed abdendi quædam conseruandique gratia. Itémque in aliis omnibus quibus finis aliquis propositus est, non sunt illa quidem sine his, quæ necessariam naturam habent: non tamen eorum causa sunt, nisi vt materia, sed alicuius gratia. Vt si quæratur cur serra sit talis? respondebitur vt hoc sit & huius gratia: cum tamen finis ipse extare non possit, nisi sit ex ferro. Sit igitur ex ferro necesse est, si serra sit & munus eius exteret. Quare cum Plato vellet cerebrum sedem esse rationis & intelligentiæ: dicendum fuit ex eiusdem doctrina, hoc ab ipsa natura accomodatè ad eum finem esse conformatum & quasi excultum. Id vero ex eo confirmatur, quod in illo apparent instrumenta sensuum, quod etiam Galenus docet cap. 3. lib. 8. de vsu partium: in sensibus autem principium rationis & intelligentiæ. Quódque in interioribus eius ventriculis spiritus animalis ex vitali elaboretur, qui vt idem Galenus ait, lib. 7. de decretis Hipp. & Plat. vel anima ipsa est, vel animæ primum domicilium. Aristot. autem horum omnium principium cordi attribuens, de cerebri vsu aliter loquitur cap. 7. lib. 2. de partibus animalium. Quod nonnulli, inquit, statuunt importunè animam esse ignem aut aliquam eiusmodi vim, melius fortasse dixeris animam in quodam eiusmodi corpore constare. Cuius rei causa est, quod ad exequenda animæ officia, calor omnium maximè administrandi vim obtinet. Cum enim animę officium sit alere & mouere, hæc ea ipsa facultate potissimum efficiuntur. Igitur animam esse ignem arbitrari perinde est ac si serrã aut asciam, fabrum aut artem fabrilem esse ideo arbitrareris, quia opus non nisi iunctis his efficiatur. Sed quam genus omne animalium coloris particeps esse necesse sit, apertum hinc est. Cum autem omnia momentum requirant contrarium quo mediocritatem ad medium assequãtur (in hoc enim essentia ratióque consistit, non in alterutro extremo seorsum posito) idcirco aduersus cordis sedem & calorem, cerebrum natura molita est. Et ea de causa pars ista animalibus iuncta est, naturam obtinens terræ & aquæ communem. Atque ob eam rem cerebrum omnia sanguine prædita habent: ex cęteris nullum fere, nisi per proportionem, vt Polypus. Parum enim caloris obtinet omne id genus, propter sanguinis priuationem. In quibus Galenus Aristotelem exagitat libro 8. de vsu partium: sicut & alio loco in quæstione de animæ sede: de qua postea disseretur exactus.

4 De medula Platonis locus est amplissimus in Timæo quem nunc sequitur Alcinous. Ossium, carnis cæterorúmque eiusmodi, inquit Plato, natura ita est

composita. His nempe omnibus medullæ generatio initium præbuit. Vincula enim vitæ illius, quam anima corpori iuncta ducit, applicata medullæ ex eaque per omne diducta, vinciunt fulciuntque corporis nostri constructionem. Ipsa verò medulla est ex aliis generata. Sunt quidem trianguli primi quidam & indeflexi lenésque, ad ignis, aëris, aquæ & terræ exactissimam generationem accommodatissimi. E quorum generibus singulis, Deus secernens singulos & inuicem contemperatos permiscens, totius generationis mortalium sementem fomitémque constituit, dum medullę ex his substantiam procrearet. Postea verò sereus in ea, animarum genera alligauit. Figuras præterea quotcunque & qualescunque ex singulis speciebus adesse medullæ oportuit, tot penitus & tales statim in prima illa distributione distinxit. Et illam quidem medullæ partem in quam velut agrum quendam, diuinum sæmen iaciẽdum erat, globosam & vndique teretem finxit: atque ἐγκέφαλον id est cerebrum idcirco voluit nominari: quia vnoquoque animali denique absoluto vasculum cerebri capax, κεφάλαιον id est caput vocandum erat. Quod autem reliquas animæ vires comprehensurum erat, rotundis simul oblongisque figuris ornauit: totúmque medullam voluit nominari. Atque ex his quasi quibusdam ancoris, iaciens totius animę vincula, circa illas iam vniuersum nostrum corpus absoluit, ossiúmque textura extrinsecus ea fulciuit. Hæc de medulla à Platone dicuntur, quæ nobis hoc loco attentius sunt considerandа, & cum doctrina Aristotelis atque Galeni comparanda. Medulla Platoni videtur elementum aliarum partium, vt ossis, carnis, nerui. Quia eam arbitrantur sanguineam esse: quasi ortam de sanguine per coctionem albescente, *sicut in semine experimur.* Quod etiam Arist. scribit cap. 6. lib. 2. de partibus animalium: ex eóque illam in teneliis animalibus colore cruentam esse obseruat cap. 10. lib. 3. de animalium historia: quòd in his non satis adhuc recocta sit. Similares autem partes Galeno ex sanguine ortæ sunt: etiamquæ spermaticæ nominantur. Sic enim ab eo scriptum est cap. 3. lib. 2. de naturalibus facultatibus, Os, Cartilaginem, arteriam, venam, neruum, adipem, glandulam, membranam, medullam exanguia quidem esse, ex sanguine tamen facta esse. Quod idem sic interpretatur comment. 1. in librum Hip. de natura humana. At verò, inquit, cum bifariam sanguis dicatur, tum hic quem in sanguinis missione & vulneribus euacuari videmus vtriusque bilis & pituitæ participem, tum purus ille & integer cum aliis humoribus non confusus, ex sanguine priore significato conformari fœtum fortasse verum sit: ex sanguine altero non item. Nunquam enim solus ille in prægnantibus inest. Quid autem sermone illo, fortasse, adiecerim, non esse obscurum vobis arbitror. In Commentariis enim de semine, corporis pleráſque partes ex semine apertum est fieri: cum solę carnosæ ex sanguine fingantur. At quatenus seminis parua est in vterum deiecta moles, nutrit autem istud & amplificat sanguis hactenus corporis partes ex sanguine propè omnes fingi dixerim. Pro eo verò quod ex sanguine semen genitum sit, qui ex sanguine fœtum generari dicente, rem ipsam dicere videbitur. At non ex mero sanguine & aliorum humorum experte: sed pro eo qui per excellentiam nomen id est sortitus. Itaque hic medullæ originem Plato retulit ad prima etiam ipsorum elementorum principia: quę antea cap. 11. cum de vniuersi partibus ageretur, in primorum triangulorum figuris sunt posita. Quare quod apud Galenum & Arist. de sanguine diceretur, id hoc loco de medulla dictum putemus. Vtque illi in sanguine, quatuor primarum qualitatum tanquam principiorum, temperationem considerant ex huiusque varietate partes cæteras variè conformatas docent: sic hoc loco animaduertemus in medulla spectari varietatem triangulorum, quibus, vt pri-

mis omnium corporum principiis, antea vtebatur: ex eáque partium reliquarum originem explicari siue per intermedias alias mutationes, siue nullis aliis omnino intercedentibus. Medulla verò Galeno triplex est, prima quidem cerebri, secunda spinæ, quæ vt idem ait lib. 7. de placitis Hipp. & Plat. ipsius cerebri quædam est propago, hoc tamen ab illa differens quod hæc sua substantia durior est & magis condensata: tertia ea quæ ossibus inest. Quæ, vt idem docet initio lib. 1. de motu musculorum, humidior est, propemodum diffluens & mollitie sua pinguedini similior. Et lib. 2. de Temperamentis, non est, inquit, eiusdem generis cum cerebro & spinali medula ea quę in quolibet osse habetur: sed cerebrum & spinæ medulla eiusdem generis sunt, reliquæ omnes medullæ, alterius naturæ habẽtur. Et tamen calidius & humidius cerebrum quàm spinalis medulla, eoque etiam mollius. Præterea ipsius cerebri priores partes tanto sunt humidiores, quanto molliores. Quibus omnibus Aristoteles lib. 2. de partibus animalium, partim assentitur, partim etiam aduersatur. De ea enim sic scribit cap. 6. Medulla, natura quædam sanguinis est: non, vt quidam volunt, vis genituræ seminalis. Patet hoc in his quæ nuper in lucem prodierint. Medulla enim in ossibus quoque eorum sanguinea continetur: vt porè cum omnes corporis partes ex sanguinè constent, & partui alimentum præstetur à sanguine. Sed per incrementum concoctionémque efficitur, vt quemadmodum cætera membra, sic viscera quoque immutentur colore: per copiam enim sanguinis viscera cum recentia adhuc sunt, colorem sibi sanguineum trahunt: sic etiam medulla afficitur. De cerebro verò idem Galeno aduersatur capite septimo libri eiusdem, Cerebrum, inquit, medullam esse atque originem medullæ, compluribus placuit authoribus: argumento quod dorsi medullam iunctam cum cerebro cernerent. Sed res contra se habet, omnino propè dixerim. Cerebrum enim partium omnium corporis frigidissimum est: cum medulla calida suaptè natura sit. Quod autem ex Platone hoc loco Alcinous scribit de genitalis seminis origine ex medulla, quodque idem semen appellat quendam medullæ defluxum, desumptum id videri potest ex Hippocrate lib. de genitura. Ad medullam spinæ, inquit Hippocrates, ex vniuerso corpore viæ permultæ concurrunt seménque ipsum ex cerebro in lumbos & corpus vniuersum & spinæ medullam diffunditur: ex qua etiam vasa quædam protenduntur, adeò vt facilè tum in eam humor subire possit, tum ex ea abscedere. Porrò cùm genitura in ipsam medullam peruenerit, postea defertur in renes, ad quos per venas via patet: quibus exulceratis, nonnunquam etiam sanguis vna delabitur. Quod quanquam Arist. quodammodo reprehendere videatur, eo loco quàm ex cap. 6. lib. 2. de partibus animalium paulo ante citauimus, vbi negat medullã esse vim genituræ seminalis, idem tamen problemate 56. Sect. 10. hac in re Hippocratem secutus est, cum causam reddit cur Spadones, calui non efficiantur. An eo, inquit, quod multum cerebri obtinent? Quod sanè his contingit quia rem veneream non agunt. Semen enim labi per spinam è cerebro videtur. Qua de causa boues quoque castrati, cornua gerere maiora videntur: nec non & mulieres & pueri, cur calui non sint, eadem ratio esse creditur. Cùm quibus conferendum est quod idem Hipp. scribit lib. de Aere aquis & locis, homini venas esse datas post aures, quæ si alicui secentur, eum in sterilitatem incidere. Quod Scytharum eunuchis eodem loco ait accidere. Ex quibus omnibus intelligi potest Sebastianum Foxium, in huius loci explicatione non esse assecutum Platonis sententiam in Timæo, quando ita scribit. Cum alio modo, inquit, animal in vtero ex semine formetur, aliò verò iam formatum augeatur: minime quidem intelligamus illud ex medulla fie-

ri in matrice (nec enim antè est medulla quàm semen) sed potius putemus perfecti iam animalis augmentum generationémque accedentem ex sanguine in medullam conuerso in dies fieri. Nisi fortè hic medullam pro semine capiamus, ita vt ex ipso non modo cerebrum, aut ossa, sed reliquum etiam corpus primo fiat. Quoniam Galeno authore fœtus in vtero formatur ex semine imprimis, accessione menstrui facta. Imò verò, Foxi, quia platoni semen medullæ quidam defluxus est, antè medulla est quam ipsum semen: & primo eiusmodi partes dicuntur ex medulla per intermedium semen exoriri. Nec est necesse vt eo loco intelligamus fœtum, ex sua medulla conformari, nihilo credo magis quam ex suo semine, aut sanguine, sed ex parentis medulla, de qua genitale semen dicitur profluere. Ex quo etiam medulla ipsa genitalis à Platone appellatur cùm de nutritione agit in Timæo. In quem locum sic scibit Galenus in fragmento Commentarij de his quæ à Platone dicta sunt medicè in Timæo, Genitalem medullam, inquit, dorsalé Plato intelligit. Cùm & hæc vetus opinio sit: ita vt Hippocrates quoque eiusdem particeps fuisse videatur, censuisseque à dorsali medulla semen ad maris pudendum descendere.

5 Scribit Arist. cap. 6. libr. 4. Meteor. Omnia quæ concrescere possunt, eiusmodi esse, aut quia aquæ naturam imitantur, aut quia terræ & aquæ. Atque id illis accidere vel frigoris vi, vel aridi caloris. Itaque resolui solent, inquit, à contrariis omnia, quæ vel frigore, vel calore concreta soluuntur. Quæ enim aridæ rei calore concreta sunt, ea igne qui calidus est, soluuntur. *Quare vt Plato* significaret ossa quibus corpus humanum confirmatur & *sustinetur*, resolui nullo modo posse, dixit ea contrariarum causarum, caloris scilicet & frigoris, alternis actionibus esse concreta. Os ipsum, inquit, ita Deus composuit. Terram atterens leuem puramque miscuit madefecitque medulla. Id postea in ignem iecit, deinde in aquam mersit, rursum in ignem, iterum in aquam. Atque ita sepè transferens in vtrunque, tale reddidit vt neutro liquescere posset. Caloris, non item frigoris, in conformatione ossium agentis, Galenus etiam meminit cap. 7. lib. 1. de semine. Natura vsa est, inquit, ad ossium procreationem caloris maximè facultate: qua torreret ea ac prorsus arefaceret. Id quod melius sanè ipsis fuit, tum quia dura esse debebant, tum propterea quod omnis quæcunque inerat pinguis pars, quasi efferuescentium spuma quædam, effundi atque exprimi ita maximè poterat. In eandem sententiam scripsit Hipp. lib. de natura pueri, ossa durescere à calore conglutinata, itémque libro de dieta. Ossium vero duplicem vsum Galenus explicat cap. 2. lib. 16. de vsu partium, vnum, quòd in iis sedes sit aliis partibus subiecta, alterum quòd pro muro ac propugnaculo. Idem etiam Aristoteli placet cap. 6. & 8. lib. 2. de partibus animalium.

6 De hoc neruorum vsu sic Plato scribit in Timæo. Arbitratus Deus ossium naturam aridiorem, rigidioréq; quam oporteat fore, & cum ignita euasisset atque etiam frigefacta, illisuram corrupturámque cito semen internum, neruorum carni sque genus effinxit. Vt neruis quidem membra reliqua vincientibus intensis remissisque circa cardines ipsos, corpus omne ad flexionem tenuionemve promptum & agile redderet: caro verò tegmen foret aduersus frigus atque calorem: & quemadmodum externa corporis fulcimenta solent, ad calus vanos munimentum: præsertim quia talis erat futura, vt molliter lenitérque corporibus cederet. Quem locum quanquam Foxius interpretetur de neruis propriè dictis, qui a cerebro & spinæ medulla orti, motum & sensum per medium spiritum animalem præstant: mihi tamen de ligamentis intelligendus esse videtur.

Quoniam hæc ossium vera sunt vincula: quæ non modo vulgares, sed etiam veteres philosophi neruorum nomine sunt complexi, atque etiá Hippocrates ipse hos neruos colligantes aliquando appellat. De quibus sic Arist. loquitur cap. 5. lib. 3. de Animalium historia, Summæ neruorum partes, inquit, ea quidem quæ membrum ad saltiendum accommodatum continet, poples dicta: quæ se geminam portigit, tendo: & quæ ad vires corporis, attendo & humerarius. Reliquæ quibus ossium nodi deligantur, nomine vaccant. Nam ossa omnia siuè foris vicissim tanguntur: siuè alterum inseritur alteri, neruis ligantur: & circiter ossa quæuis neruorum copia ducitur, capite excepto. Hoc enim non neruis, sed futuris ipsorum ossium continetur. Idémque apertius hoc ipsum confirmat. cap. 9. lib. 2. de partibus animalium. Cum corpus inflecti per animalis motum necesse sit, inquit, spina dorsi ita constat vt & vna sit propter continuitatem, & multipartita, propter vertebrarum distinctionem. Hinc fœmorum brachiorúmque ossa dependent continua, eodémque arctius adnectuntur, qua flectendum est. Neruis deligantur extremáque sibi coherent alterum cauum, alterum rotundum: aut vtrunque cauum, medio talo quasi clauo complexo, vt flecti extendíque possint: Aliter enim aut nullo pacto, aut non benè motus eiusmodi agi possent. Eundem vsum quem hic Alcinous neruis, Galenus ligamentis attribuit cap. 2. lib. 12. de vsu partium, & lib. 1. de Anatomicis administrationibus: cum ligamenta vocat ea quæ ex ossibus procedunt, vt nerui ex cerebro & spinali medulla. Qua verò ratione effectum sit vt nerui nomine in ligamento veteres sint abusi, idem ostendit cap. 17. lib. 1 de vsu partium. Album, inquit, & exangue & solidum expérsque concauitatis cum sit ligamentum, quemadmodum & neruus, propterea plerisque imperitis neruum esse putantibus, imponit. Verum, non est natum ex cerebro vel spinali medulla, sed ex ossibus ad ossa transit, neruóque multo durius & sensus omnis expers, nec mouere quicquam potest.

7 Alimenti quod nutriturum est, in nostram substantiam conuersio, per quàm illud reipsa nutrire incipit, multis mutationibus intermediis indiget: in quibus coctio triplex à medicis obseruatur. Primùm enim cibus ipse solidior, in ore dentibus a teritur: vt in tenuissimas partes comminutus & in ventriculum delatus, in hoc à calore natiuo, qui coctionis est opifex, vel certè, vt antea ex Arist. dictum, primarium instrumentum, facilius in chylum mutetur. Hoc verò qua ratione, quoque naturæ scopo perficiatur, Galenus docet lib. 6 decretis Hipp. & Plat. Constringitur venter, inquit, ad cibos, accommodatum sibi ex illis alimentum eliciens: quoad saturatus & perfectè repletus, quicquid superat in iciunum expellat. Attrahit inde etiam iecur in ventre prius concoctum. Non ea verò de causa à ventre immutatur vt iecori suppeditetur: sed quia non datur vt cum simul duo corpora in mutuum congressum venerint, non mutuo agant & patiantur. Natura enim comparatum est vt fortius & validius, alterum quod imbecillius fuerit, vincat & immutet. Atque in eiusmodi immutatione, prima coctio perficitur: in qua explicanda non satis Galenus prouidentiæ naturæ attribuit. Secunda verò chylus per venas mesaraicas ab hepate attractus, in sanguinem conuertitur, hicque ab hepatè in venas delatus, repurgatur & quasi recoquitur. Ideóque venæ ipsæ vim quandam sanguinis conficiendi habere dicuntur ab eodem Galeno cap. 17. lib. 4. de vsu partium. Coquitur alimentum, inquit, & in ipso per intestina transitu, vt in venis etiam omnibus sanguis. Cum tamé neque intestinorum quoduis coquendi alimenti, neque venæ sanguinis gignendi gratia extiterint: sed, vt antea dictum est, natura alias quidem vnoquóque organorum in melius abutitur, aliàs id sequitur necessario omnia, quæ alicuius gratia

extiterunt. Quemadmodum igitur venis, cum eas distributionis instrumenta fecisset, facultatem sanguinis generatricem indidit, ne dum per eas fertur, tempus ipsi alimento frustra periret: ad eundem modum & intestinis distributionis gratia in venas institutis, facultas quædam concoctrix ciborum inest. Postrema verò coctio est, sanguinis in substantiam partis ad quam per venas delatus est, conuersio: qua quod de illa effluxerat, quoad potest reparatur. Ad has verò omnes mutationes subeundas, cibus ex ore per Oesophagum in ventriculum defertur. Via autem est altera, in arteria aspera: quę initio Oesophagi comes non ad ventriculum sed ad pulmones tendit: qua expiramus & inspiramus. De quarum viarum distinctione & vsu eadem est Aristotelis sententia cap. 3. lib. 3. de partibus animaliũ & Cornelij Celsi cap. 1. lib. 4. de medicina, itémque Ciceronis lib. 2. de natura deorum, Sed hac in parte inter Platonem & Arist. nonnihil interest, quod ille in Timæo existimat potum per arteriam asperam rectà ad pulmones ferri: hoc verò Arist. eodèm capite reprehendit. De quo vide multa apud Galenũ ad finem lib. 8. de placitis Hipp. & Plat. Apertior verò locus hic apud Platonem in Timæo. Principio riuos occultos, inquit Plato, sub conflatione cutis & carnis, duas scilicet venas in tergo diuiserunt: secundum geminam ipsius corporis figuram ad dextram & sinistram. Has vtique ad spinam demiserunt medullámque mediam genitalem comprehenderunt: vt & hęc quàm maximè vigeat pullétque & vberior hinc & alia quasi decliuis effusio, irrigationem æquabilem præbeat. Post hæc partientes circa caput venas, eásque inuicem ex *opposito implicantes, partim à dextris ad sinistra, partim à sinistris ad dextra corporis dispertierunt*: vt capiti ad reliquum corpus vna cum cute connexio foret: *postquàm* neruis quidem non erat circulo quodam secundum verticem comprehensum atque distinctum: atque etiam vt sentiendi vis ab vtrísque partibus per totum corpus vndíque dimanaret. In quorum explicatione interpretem sequamur, vel potius censorem Galenum in fragmento libri de his, quæ à Platone medicè dicta sunt in Timæo. Ab hortorum exemplo, inquit, riuorum seu canalium appellationem transtulit ad venas. Maximarum autem venarum meminit, à quibus omnesque in toto existunt corpore oriuntur: atque has dorsales appellauit: quod per totum dorsum ab internis nimirum ipsius regionibus extendantur. Vera igitur loquitur cum vasa quæ in dorso sunt venas appellat. Quandoquidem ita etiam arteriæ ab antiquis vocabantur. Haud vera autem dicit, cum duas id circo esse venas quod geminum sit corpus. Neque enim eiusdem speciei sunt dorsi vasa, cum terum tenuem & pulsu priuatam tunicam habeat, alterum pulsantem venaque crassitudine quincuplam vel sexcuplam, quam peculiariter arteriam vocamus. Neque etiam ex his alterum in dextris, alterum in sinistris est partibus: sed amba in media spina sunt. Ab vtráque vero horum regione neruus vnus, alter in dextris, alter in sinistris existit. Illud quod sequitur aliam quasi decliuem effusionem irrigationem æquabilem præbere: non admodum rectè dictum est. Quippe sublimiores partes quæ circa collum & caput sunt, per venas nutriuntur. In iis igitur spinæ partibus quę infra septum transuersum sunt, tum vena caua, tum maxima arteria super vertebras iucumbit, quoúsque ad eiusdem spinæ finem in cura scissio facta fuerit. Eis vero partibus quæ supra septum sunt, arteria quidem longissime super vertebras exporrigitur: ipsi vero vena parua adiacet, eas duntaxat infernas thoracis partes quæ in octo nothis costis habentur, nutriés. Reliqua autem spinæ pars superior, in qua tum quatuor primæ thoracis vertebræ, tum supra has etiam ad caput vsque, vniuersæ colli vertebræ sitæ sunt, nec venam nec arteriam sibi incumbentem habet. Sed nihil mirum, inquit Galenus, ea quæ ex

anatome

anatome conſpiciuntur ignoraſſe Platonem, quemadmodum & Homerum qui ita cecinit.

totam venam abſcidit enſe
Perpetuo, quæ ad ceruicem per dorſa recurrit.

In quo quod venę nomine arterias etiam complectitur, commune illi eſt cum veteribus non modò philoſophis, ſed etiam medicis. Sic enim Hippocrates frequentiſſimè loquutus eſt & eam quæ propriè vena dicitur diſtinguendi cauſa venam iecorariam appellauit, arteriam verò venam pulſantę, cùm in hunc modum ſcribit lib. 2. Epid. Cum naſcitur infans, inquit, cui vena quæ in cubito eſt pulſauerit, furioſus ille & iracundus euadet: cui ſenſim mota fuerit, lentus. Atque eodem modo Plato dixit in Timæo, cor principium eſſe venarum & fontem eius ſanguinis qui magno impetu fertur per vniuerſum corpus. Quod Galenus lib. 6. de placitis Hippocratis & Platonis, obſeruat de arteriis eſſe intelligendum. Quia in his ſanguis concitatior eſt, quàm in ea quæ propriè vena dicitur. Et tamen idem Hippocrates venas ab arteriis nonnunquam diſtinguit, vt libro de alimento. Radicatio venarum, inquit, hepar: radicatio arteriarum cor. Ex his aberrant in omnia ſanguis & ſpiritus: & calor per hæc permeat. Quanquam illo priore modo venæ nomine pro arteria veteres latini frequenter vſi ſunt, vt Cicero libro de Fato. Si cui venæ ſic mouętur, inquit, is habet febrem. Vnde venam tangere apud Ouidium, tangit ſalientem pollice venam: & apud Celſum, cap. 4. lib. 3. venæ, inquit, credimus, rei fallaciſſimæ.

DE SEDE PARTIS VEL FACVLTATIS ANIMAE PRINcipis disgressiuncula, quæ sexta est.

SPINAE medulam, esse quandam cerebri propaginem, ex Platone & Galeno antea dictum est. Vtrum verò etiã cerebrum neruorum sit origo & animæ sentientis prima sedes, non perinde videtur apud ipsum Platonem definitum. Certum quidem est hanc esse Galeni sententiam, quam Hippocrati & Platoni ascribit: *sicut & contrariam Aristotelis & Chrysippi, conatur euertere libris de decretis* Hippocratis & Platonis. Sed qui diligenter ipsius Platonis verba considerauerit, is de vtroque meritò dubitabit. Atque si, vt videtur, apud ipsum Platonem in cerebro non est facultatis sentiendi sedes primaria, neque ab illo nerui exoriri dicentur: si modò verum est quod in hac quæstione Galenus libris de decretis frequenter vsurpat, motui & sensui neruos primo subseruire, prima autem cuiusque facultatis instrumẽta ex ea parte oriri oportere, in qua facultatis ipsius primaria sedes est. Atqui ille sentiendi principium in cerebro non videtur ponere, sed (quod fortasse nouum erit plerisque) potius in corde. Imò neque sentiendi prima instrumenta in neruis, per quæ differentiæ rerum sensilium ad animum tanquam ad iudicem deferri dicantur, sed potius in venis, quarum appellatione etiam arterias complectitur. Tẽduntur à lingua, inquit ille in Timæo, venæ ad cordis sedẽ, saporũ nuncię. In quas si quę ita inciderint vt humidã carnis mollitiem penetrantia, terrestri sua natura modicè liquefacta, venas ipsas contrahant arefaciantque, sapores eiusmodi pariunt. Et de odoratu eodem loco, duæ, inquit, in odoribus varietates absque nomine sunt, nec ex pluribus, nec ex simplicibus speciebus: sed duo ibi nomina tãtùm manifesta sunt, suaue scilicet & molestum. Hoc quidem disturbat violátque omnem eam capacitatem, quæ à summo capitis vertice ad vmbilicum protenditur: illud verò eandem demulcet, & amico quodam ingressu naturalem eius seruat habitum. Itémque de auditu.

Plato videtur sensus sedẽ ponere in corde.

Tertiam, inquit, sentiendi vim, auditum scilicet, ita considerare debemus, vt quibus ex causis passiones eius proueniant, exponamus. Omnino igitur vocem ponamus pulsationem quandam ab aere per aures cerebrúmque & sanguinem vsque ad animam penetrantem. Natam quoque ex ea motionem à capite & in sedem iecoris desinẽtem, auditum vocemus. Adde quòd idẽ in Thæeteto, apertissimè significare videtur memoriam & recordationem, quæ interiori sensui adiuncta sunt, nec ab eo re separata, in corde sedem habere. Cùm alicuius in animo, inquit, cærea effigies illa profunda & multa, leníque & probè subacta est, quæ per sensus influunt in hoc insculpta quod Homerus animæ cor vocauit, cæræ hanc similitudinem intelligens, vt pote pura signacula & funditus insidentia diuturna fiunt. Ac primò quidem homines sic instituti, dociles sunt & acuti: deinde etiam memores: postremò sensuum simulachra non commutant, vnde vera nimirum opinantur. Nam cùm sint ea perlucida & ampla in regione, velociter distribuunt diuidúntque in propriam effigiem singula, quæ quidem existentia veráque vocantur, viríque tales sapientes esse dicuntur. TH. Mirum in modum. SO. Quando igitur densum alicuius est cor, quod sapientissimus poëta laudauit, vel cùm lutulentum, nec ex defecata cæra, vel molle nimis, vel durum, non rectè omnino se habet. Nam mollis nimiùm cera, celeres ad percipiendum efficit: sed eosdem obliuiosos. Dura vero contrà, diu memores, sed ineptos tardósque ad percipiendum: & qui densam & asperam lapideámque, vel terream, vel fæculentam habent, obscura simulachra continent: obscura quoque qui duram: profunditas quippe non adest. Obscura prętereà qui molliorem: nam ex confusione facile euanescunt. Sed si præter hæc, inuicem quoque cõgesta sint, ob sedis ipsius angustiam, si quidem exigua sit animula, obscuriora quoque illis simulachra fient. Quo loco Plato sedem memoriæ, quæ coniuncta est cum interiore sensu, in corde videtur ponere: & ex huius diuersa temperatione, facultatis memorandi differentias repetere. Aristoteles verò contrà, quanquam locis penè infinitis animam re vnam in corde velit habitare, nisi tamen rectè intelligatur, sedem eiusdem memoriæ & sensus in cerebro videbitur agnoscere, cùm ad finem libri de memoria & recordatione scribit eos qui superiores capitis partes maiores habent atque pomiliones sunt, obliuiosiores esse his qui contrario modo affecti. Propterea, inquit, quòd magno pondere depressa sit illa eorum pars in qua sensus sedes est: nec possit ab initio motus animi in eis consistere, sed dissipentur, nec facile in recordando recto ordine progredi. Quæ omnia mihi attentè consideranti longè tutius esse videtur in hac quæstione tantum indicare quod dubitandi iustam oc-

Aristotelis vtrùm sedes primi sensus in corde.

casionem affert, quam cum Sebastiano Foxio lib 4.de consensione Platonis & Aristotelis, temerè affirmare, Platonem, Aristotelem Galenum omnésque Philosophos in capite non modo omnium sensuum vires, sed rationẽ ac mentem posuisse. Nam de Galeno id quidem indubitatum est. Quem etiam memini cum aliis locis multis, tum maximè cap. 14. lib. 7. de placitis Hippocratis & Platonis, eandem sententiam Platoni attribuere: sed, quemadmodum antea dixi, hoc ob illo non satis esse videtur huius testimoniis, sicut decuit, confirmatum. De Aristotele verò atque etiam de ipso Hippocrate (quem cum Platone in hac quæstione consentire Galenus arbitratur) nemo facilè idem mihi persuaserit: præsertim cum in eorum doctrina pleraque extent quæ apertè cõfirmant his aliud placuisse. Nam vt ab Hippocrate incipiam, si is quidem author est libri de insania, cuius fragmentum sub eiusdem nomine inter epistolas extat, videri poterit meritò à Galeno dictum animæ sentientis & intelligentis sedem ab illo in cerebro tanquam in arce esse positam. Quoniam de hoc eo loco sic loquitur. Insanienti necesse est præ humiditate cerebrum, *in quo* animæ opera sunt, moueri: vbi videlicet humidius quàm *pro natura* fuerit. Eo verò commoto neque visum, neque auditum *quiescere: sed* alias alia & videre & audire & linguam talia loqui qualia singulis vicibus viderit ac audierit. Quandiu hoc cerebrum quieuerit, tandiu etiam homo sapit. Quæ etiam fuerat Democriti sententia in epistola de natura humana, ad Hippocratem. Cerebrum, inquit Democritus, supremam corporis partem custodit & securitatis tutelam sibi commissam habet, intra membranas neruosas cohabitãs. Super quod duplicatorum ossium naturæ necessariæ firmatæ, dominum mentis custodem, ipsum cerebrum tegunt. At libro de Corde (quem Hippocratis esse mihi verisimilius est, quàm illum de insania) nominatim scriptum est mentem habitare in sinistro cordis ventriculo, eamque reliquę animæ imperare: nutriri autem neque cibis, neque potibus à ventre, sed pura & illustri substantia ex sanguinis discretione nata. Et initio libri de morbis virginum, delirij in illis causam idem ita explicat, vt velle videatur sensus, imaginationis & rationis sedem in eodem corde existere. A falsis rerum imaginibus, inquit, multi iam se strangulauerunt: plures autem mulieres quàm viri. Est enim muliebris natura animi magis deiecti & imminuti. Cæterùm virgines nubiles & maturæ viro hoc magis patiuntur, vnà cum mensium descensu: antea non valde hinc afflictæ. Postea enim in vteris sanguis confluit, velut affluxurus. Cùm igitur osculum exitus nõ fuerit apertum, sanguis autem amplius influxerit, propter cibos & corporis augmentum, tunc sanguis non habens effluxum, præ multitudine resilit ad

Hippocrates sedem mentis ponit in corde.

cor & ad ſeptum tranſuerſum. Cùm igitur hæc repleta fuerint, cor fatuum fit: deinde ex fatuitate torpedo, poſtea ex torpedine delirium apprehendit. Libro verò de oſſium natura, motus cauſam venis ſicut & Plato, non neruis attribuit, earumque originem non ſatis ſibi perſpectam fatetur. Venæ per corpus diffuſæ, inquit, ſpiritum & fluxum ac motum exhibent, ab vna multæ germinantes. Atque hæc vna vnde oriatur & vbi deſinat, neſcio. Circulo enim facto principium non inuenitur. Multo verò minus eidē Foxio quiſquā cōcedet ſedē ſenſus in cerebro ab Ariſtotele eſſe poſitam: ſi modò meminerit ab hoc contra Platonem diſputatum cap. 10. lib. 3. de anima, cap. 1. & 10. lib. 2. de partibus animalium, itemque cap. 4. lib. 3. & lib. de animalium motu, animam re vnam ſubſtātiáque ſimplicem, facultate triplicem, in corde tanquam in centro reſidere. Ex eodémque, vt ſua ſubſtantia neruoſo, neruorum originem repetitam cap. 5. li. 3. de animalium hiſtoria. Quanquam hæc fortaſſe in eam opinionem Foxium impulerunt, quòd Ariſtoteles problemate 15. Sectione 33. ſenſus omnes capite contineri ſcribit & cap. 10. lib. 4. de partibus animalium idem, ait naturam ſenſus nonnullos in capite collocauiſſe, rationémque ſubiicit, quòd ſanguis eius membri modicè temperatus ſit & idoneus tum ad cerebrum tepefaciendum, tum ad ſenſuum tranquillitatem atque integritatem. Quod etiam repetit extrema pagina libri de memoria & recordatione. Adde quòd idem ſcribit cap. 10. lib. 2. de partibus animalium, malè affecto cerebro deliria ſolere contingere. Quæ omnia vt eam Foxij opinionem probabilem videntur efficere: ſic hoc amplius querendi occaſionem illi afferre debuit, quòd idem dixit cap. 2. lib. de ſenſu, ſedem ſenſus odoratus propriam in loco eſſe qui cerebro vicinus. Quoniam, inquit, rei frigidæ materia, caloris vim habet. Eam verò partem in qua ineſt tangendi principatus, terrenam eſſe, ſicut & eam qua guſtamus: quoniam guſtatus quædam ſpecies tactus eſt. Ob eámque cauſam vtrumque & tangendi & guſtandi ſenſum, cordi adiunctum & annexum eſſe. Nam in illis omnibus, quæ prima ſpecie inter ſe non omnino conſentire videntur, quærenda erat aliqua conciliatio cáque ex eiuſdem Ariſtotelis doctrina petenda. Pro qua dici poſſe videtur primam facultatis ſentiendi ſedem ex huius ſententia in corde eſſe, neque quicquam prius reipſa ſentiri, id eſt ab anima per eiuſmodi facultatem primā diiudicare, quàm eius imago ad cor peruenerit: inſtrumenta autem quinque ſenſuum qui externi appellantur, in quibus rerum obiectarum imagines primùm recipiuntur, indéque ad animam quæ ſola indicandi vim habet, deferuntur, in nonnullis ſita eſſe in capite, vt in aſpectu & auditu: in aliis, vt in guſtatu & tactu, omnino in corde. Vel potius in aſpectu & auditu

vias per quas rerum sensilium imagines deferuntur, primùm ad cerebrum tendere, hinc rursum ad cor descendere: in gustatu & tactu vias quoque eiusmodi esse aliquas, sed has ab instrumentis ad cor rectà ferri. Sic enim Aristoteles ipse mentem suam explicare videtur cap. 2. lib. 5. de animalium ortu, & cap. 10. lib. 2. de partibus animalium. Nec audiendi sunt, inquit, qui si caput hominis carnosum esset, viuacius futurum hominum genus censent: sed vt melius sentiret carnem ademptam existimant. Vim enim sentiendi sitam in cerebro: sensum autem per partes nimiùm carnosas nequaquam admitti posse arbitrantur. Neutra enim eorum ratio vera est. Sed si cerebrum à carnis copia circundaretur, contra efficeret quàm institutum exigeret, cuius gratia adiũctum est animalibus. Nec enim refrigerare posset, cum valde ipsum temperet. Nec sensus vllius causam cerebrum obtinet: quandoquidem expers omnino sensus, non aliter quam quoduis excrementum. Verùm cùm intelligere causam quamobrem sensus nonnulli in capite habentur, nequeant, quòd eam partem esse cæteris peculiariorem animaduerterent, ideo sensum cum cerebro coniungendum ratiocinantur. Sed enim principium sensuum esse *cordis locum*, definitum iam est cum de sensu ageremus, & quam *ob causam duo*, id est tangendi & gustandi sensus ex corde apertè dependent, vnus ex reliquis tribus, id est olfaciendi, medium tenet: duo, id est audiendi & videndi, maximè in capite positi sunt, propter sensoriorum naturã. Visũsque omnibus in capite est. Auditus autem & olfactus piscium & reliquorum eiusdem generis, declarant quod dicimus. Audiunt enim atque olfaciũt, cùm nullum sensorium eorum sensuum in capite habeant manifestum. Qui Aristotelis locum aperte confirmat eam distinctionem quam paulo ante exposuimus. Porrò de eadem quæstione varias veterum philosophorum opiniones sic colligit Theodoretus Cyrensis lib. 5. de curatione Græcarum affectionum, vt communem de illis opinionem sequi potius videatur, quàm eorum sententias accuratè expendere. Hippocrates, Democritus & Plato, inquit, principem animæ vim in cerebro sitam esse affirmant. Strato, in medio sincipitio. Erasistratus autem medicus, iuxta membranam cerebri quam Epicranidem vocat. Herophilus in ventre cerebri. Parmenides & Epicurus in toto hominis thorace. Empedocles & Aristoteles vniuersaque Stoicorum societas, cor animæ sedem dicunt. Horũmque rursus alij eam in cordis ventre constituunt: alij verò in sanguine: alij in cartilagine quæ cor obsepit: alij autem in ipso diaphragmate. Atque hæc quidem isto loco satis abundè de sede facultatis principis. De reliquarum autem facultatum distinctione, deque earum propriis sedibus amplius differetur cap. 17. Vbi etiam illa quæ-

ſtio Platonicis & Peripateticis nobilis tractabitur, an animā tota ſit in toto copore & tota in qualibet huius parte.

Quinque ſenſuū, qui externi nominātur, propria ratio & eorum quæ ſingulis obiecta ſunt, varietas explicatur. Ac in ipſo aſpectu ſomni & vigiliarum inſomniorúmque inter dormiendum & imaginum in ſpeculis apparentium cauſæ quęruntur. Ad extremum verò tactilium qualitatum differentiæ ex figuris geometricis petuntur, vt ex primis apud Platonem rerum omnium principiis.

CAP. 15.

CVM autem luciferos oculos circa faciem collocaſſent, in iis lucidum ignem incluſerunt. Qui quia leuis eſt & craſſus, eundem diurni luminis germanum eſſe oportere exiſtimauerunt. 2 *Atque hic ſane cùm per totum quidem oculum, tum maximè per pupillam erumpit, qui eſt omnium puriſsimus & valde ſyncerus. Qui cum externo conſentiens, ſimilis cum ſimili, videndi ſenſum præſtat. Quare cùm lumĕ noctu euaneſcit vel obſcuratur, interior ignis non amplius à nobis cum proximo aere coniungitur, ſed ad interiora receptus, eos motus qui in nobis ſunt, adæquat atque diffundit, ſomni irritamentum inducens: vnde & palpebræ clauduntur. At in maxima requie, ſomni ferè inſomniorum ſunt expertes.* 4 *Relictis autem quibuſdam motionibus, viſis frequentibus exercemur. Atque has quidem viſiones ſiue verè ſiue falſò, directè natas ſic conſtitui.* 5 *Quæ verò ſequuntur in ſpeculis aliiſque corporibus pellucidis ac leuibus imaginum figurationes, eas non aliter quàm per reflexionĕ exiſtere. Pro varia enim figura extremitatis concauæ vel conuexæ, in ſpeculo diuerſæ imagines*

apparebunt ex diuersa reflexione luminum ad alias atque alias partes: quæ in conuexis quidem resiliunt, in concauis autem coëunt. Sic enim in quibusdam dextra atque sinistra contrario modo apparent: similiter autem in aliis, quæ sunt inferiora, ea superiora, & contrà. [6] Auditus vero ad vocis perceptionem datus est. Exoriens enim ab ea agitatione quæ circa caput contingit, ad hepatis sedem desinit. Vox autem ea, quæ per aures influens pérque cerebrum & sanguinem, in animum percussum trãsfunditur: acuta quidem quæ mouetur celeriter, grauis quæ tardè: magna quæ multa, parua quæ pauca. His autem est consequens narium facultas, ad odorum sensum constituta. [7] Odor verò est affectio è narium venulis vsque ad ea loca quæ circa vmbilicum sunt, defluens. Cuius species suis nominibus expressæ non sunt, præter duas maximè communes, fragrantis odoris & graueolentis: quæ suauis & fœtidi appellationem habent. Omnem verò odorem aëre crassiorem esse, aqua tenuiorem. Quoniam genus odoris in iis merito dicitur existere, quæ nondum perfectam mutationem susceperunt: sed cum aëre & aqua communionem quãdam habent. Talia verò sunt quæ ad fumum & caliginem accedunt. His in seinuicem transeuntibus, sensus odoratus perficitur. [8] Gustatum verò variorum admodũ saporum iudicem, Dij constituerunt ab illo ad cordis sedem productis venulis quæ probatrices essent saporum & diiudicatrices. Hæ enim dum colliguntur & distrahuntur, prout sapores occurrunt, definiũt eam quæ in his est varietatem. Sunt autem saporum differentiæ septem. Dulcis, Acutus, Acerbus, Austerus, Salsus, Acer, Amarus.

Amarus. In quibus dulcis reliquis omnibus contrariam habet naturam, humorem circa linguam familiariter diffundentem: reliquis partim perturbantibus atque proritantibus, quales acuti: aliis calefacientibus, & ad superiora euolantibus, quales acres: aliis valde abstergentibus, abstergendóque liquefacientibus, quales amari: aliis sensim purgantibus & abstergentibus, quales salsi. Ex aliis verò meatus obstruentibus, qui id asperiùs faciunt, acerbi: qui leuiùs, austeri esse dicuntur. 9 *Tangendi verò facultatem à diis constitutam ad suscipiendas & diiudicandas calidorum ac frigidorum, mollium & durorum, leuium & grauium, politorum & asperorum differentias, & eas quæ illis insunt. Cedentia quidem dicimus quæ tactum recipiunt: renitentia, quæ illi minimè cedunt. Hoc autem secundùm corporũ ipsorum bases contingit. Quæ enim illas amplas habent, hæc stabilia sunt & firma: quæ his angustiis innituntur, cedentia sunt & mollia, eadémque facilè mutationem subeuntia.* 10 *Asperum autem sit quod cum duritie coniunctam habet inæqualitatem: politum, quod æquabile est & densum. Cùm verò caloris & frigoris affectiones sint maximè contrariæ, hæ ex contrariis causis oriuntur. Nam quod acumine partium & asperitate discindit, id calidam gignit affectionem: frigus autem quod ingressu densius. Dum tenuia expelluntur, & in illorum locum alia coguntur, tunc sanè concussio quædam & tremor exoritur: indéque in corporibus qui nascitur affectus, rigor existit.* 11 *Graue autem ac leue, ratione superioris & inferioris loci nequaquam definienda sunt. Quoniam nihil est sursum aut deor-*

ſum. Nam cum cælum omnino rotundum ſit & accuratè in extremitate ſua conuexa æquabile, non aptè quoſdam in illo hoc ſuperius, illud inferius nominare. Verum id quidem graue eſſe quod non niſi magna vi in locum à ſua natura alienũ trahitur: leue verò, quod facile. Adhæc, graue quidem quod ex pluribus partibus concretum eſt, leue quod ex pauciſſimis.

IAC. CARPENTARII COMMENTARIVS IN Caput 15.

In quo prima eſt diſputatio de modo videndi, & de natura oculorum, quæ digreſsio eſt ſeptima.

HVNC locum pluribus explicat Plato in 2. Timæi parte. Ex omnibus faciei partibus, inquit, primi luciferi oculorum orbes coruſcant, hac cauſa dati. Ignis certè illius qui non vrit quidem, ſed illuminando ſuauiter diem inuehit mundo, participes oculorum orbes dij fecerunt. Intimum quidem noſtri corporis ignem, huius ignis germanum ſyncerúmque per oculos emanare voluerunt: in quibus leuis congeſtúſque vbique ignis huiuſmodi ſit, ſed per eorum duntaxat ſolidiorem anguſtámque medietatẽ, ignis purior euoler, craſſior verò cohibeatur. Itaque cùm diurnum Lumen applicat ſe viſus radio, tunc ea duo inter ſe ſimilia concurrentia atque commixta, quo oculorum acies diriguntur, ibi iam in vnius domeſtici corporis cohærent ſpeciem: vbicunque videlicet tam intimi quàm externi luminis fit concurſus. In quibus obſeruanda ſunt de aſpectu duo decreta. Primum enim oculis ineſſe vult naturam igneam: deinde rationem videndi potiùs conſiſtere in emiſſione radij in obiectam rem, quam in receptione imaginis de illa excitatæ. De quibus, quia inter Platonem & Ariſtotelem nobilis eſt controuerſia, diſſerendum hoc loco pla-

tibus:vt in hac opinionum dissidentiũ varietate deligamus quod sequamur,& in quo contrarijs aliorum rationibus possimus resistere. Atque primùm de aspectus natura dicamus. Quemadmodum antea obseruatum est astris naturam igneam à Platone tribui, non quamuis,sed lucentem, minimè verò adurentem (tres enim ille ignis species facit in Timæo) sic existimandum oculos, vel potius oculorum radios,ab eodem igneos appellari. Quia, vt ait,participes sunt eius ignis qui non vrit, sed illuminando suauiter diem inuehit mundo. Cuius opinionem sequutus Galenus cap. 10. libr. 3. de Vsu partium, scribit, quam rationem habet Sol in vniuerso, eandem oculum obtinere in homine, vt minore mundo. Quia est,inquit,organum lucidissimum eóque Soli quàm simillimum. Istius verò luminis in oculorum radijs,hæc argumenta pro Platone colligi solent. Quod quorundam animalium oculi noctu in tenebris videant: videre autem non possent nisi oculorum radio natura sua lucido, partem aliquam medij illustrarent: quódque etiam in nonnullis præsertim iracundioribus,oculi noctu quasi ardeant, vel certè coruscent. Quibus hoc Aristoteles addit cap. 2. libr. de Sensu, oculum cùm mouetur ac torquetur, tum ignis speciem elucere ac prodire, quod in tenebris vel cùm palpebræ obductæ sunt, solet contingere. In quo hic Platonem eodem loco, exagitat. Galenus libr. 7. de Decretis Hippocratis & Platonis, existimat ab animæ sede, per neruos spiritum lucidum ad oculos permeare, ídque hac coniectura confirmat. Noui ego quendam,inquit,qui cùm suffusionem in oculo passus esset, narrabat nobis se priùs quàm in eam calamitatem incidisset, in somnis, patefactis repentè palpebris, magnam ante oculos lucem solitum videre (quod scilicet & mihi & alijs multis euenit) quæ tamen lux subinde diminuta fuerit,vt nihil ampliùs appareret:atque ita videndi sensum sibi obscuratum simili modo penitus interijsse. Ad id etiam pertinet (sicut & ad opinionem alteram de modo videndi per emissionem) quod eodem libro Galenus adijcit, iterúmque repetit cap. 5.lib.10. de Vsu partium, in suffusis saluam adhuc videndi vim existimari si altero oculo clauso, alterius pupillæ foramen laxius apparet, quòd à lucido spiritu ex oculo prodeunte, dilatatio eiusmodi efficiatur:in Leonibus etiam & Pardis aliísque animalibus quibus oculi lucidi admodum splendidíque sunt, noctu circa pupillam splendidum orbem apparere, vbi eum ad nares contorserint. Vt colligere possimus, inquit, tantum à pupilla in medio spatio auctum visorium conum,quantus pro rata interualli portione ipsius orbis extiterit. Quiquidem conus quibus maior est natura, in ijs maior etiam splendoris orbis conspicitur:quibus minor, in ijs pro ratione paruitatis tan-

Aspectus natura igneane an aquea.

Platonis rationes de natura oculorũ ignea.

to minor etiam orbis apparet. Neque verò dissimile est quod eodem libro de sensu, Aristoteles scribit, nonnullis qui in bello circa tempora vulnus acceperant, quo viæ & itinera oculorum essent excisa, tenebras offundi visas, quasi lucerna extincta: quòd parte ea quæ perlucida est & pupilla excisa, quasi splendor quidam ademptus esse videretur. Quibus etiam adde cætera quæ de C. Mario, & T. Cæsare à nobis obseruata sunt cap. 5. libr. 4. prioris descriptionis Physicæ. Idem verò ex Prisciani Lydi commentario in libr. Theophrasti de Anima, cum aliqua probabilitate sic confirmari posse videtur. Quod cùm sentire sit quodammodo agere, itémque pati, in aspectu siue oculus agat, siue color (neque enim adhuc de eo quærimus) eo certè facilior futura est actio, quo maior inter oculum & colorem naturę communio intercedet. At colores natura sua quodammodo sunt lucidi, & vt Aristoteles ait cap. 7. libr. 2. de Anima, lumen est quasi color naturæ transluciduæ, vel vt Plato scribit in Timæo, color est veluti flammula quædam fulgórque à singulis corporibus emanans, partes habens visui ad sentiendum accommodatas. Quibus effici videtur oculis flammulam quandam, vel fulgorem inesse: non tamen in his, *sicut neque* in coloribus, adurentem: *sed vel suapte natura, vel certè concurrente* medij lumine, tantum splendoris fundentem quantum ad huius sensus functionem est necessarium. Sic enim huic sensui, quia reliquis diuinior est, lumine opus est, vt qualitate omnium maximè diuinæ: sed hæc aliquando est & in oculo, & in medio, & in obiecto: aliquando medio deest, reliquis verò duobus inest, non tamen æquabiliter, sed nonunquam oculo magis, rei aspectabili minùs: vt in his animalibus quæ noctu vident ea quæ in tenebris sita sunt: aliàs verò contrà, vt in his quæ in tenebris tantùm flammea videntur, quia splendorem quendam ex se emittunt. Qualia ab Aristotele enumerantur, Cornu, fungus, capita piscium & squamæ. Nunc contrariam Aristotelis sententiã audiamus. Quòd Democritus aspectũ aquę naturã imitari (inquit ille libr. de Sensu) rectè sentit: quòd autem aspectum emphasim ipsam, hoc est imaginis veluti apparitionem esse ait, non rectè. Et eodem loco, Ac illud quidem verũ est, inquit, aspectũ aquæ naturam imitari: sed tamen non cernimus quia aqua est, sed quia perlucibus est oculus, quod etiam cum aere commune habet: sed faciliùs & diuturniùs aqua quàm aer seruari & retineri potest. In quo suam sententiam his rationibus confirmat. Nam & quod defluat ex oculis cùm læsi sunt, aqua planè videtur: & in his qui admodum pueri infantésque, splendore ac fulgore præstant: & albugo oculorum in iis quidem animantibus quæ sanguinem habent, pinguis est. Quod eo à natura effectum est, vt humor ipse concretionis expers permaneat.

Aristotelis opinio de natura oculorum.

neat. Ob eámque causam pars nulla est corporis quæ tardiùs ac minùs quàm oculus, frigoris incommoda sentiat. Neque enim adhuc ea pars quam palpebre obducunt, frigore obriguit. Platonis verò opinionem eodem loco his argumentis exagitat. Si oculus ignis esset, inquit, quemadmodum Empedocli placet & in Timæo scriptum est, aspectúsque exeunte quasi è lucerna lumine eueniret, cur etiam in tenebris oculi non cernerent? nam aspectum extingui dicere in tenebris cùm exit, id quod Timæus confirmat, prorsus nihil est. Quæ enim luminis extinctio est? Omne enim quod calidum & siccum est, vel humore, vel frigore extinguitur: vt ignis qui in prunis est & flãma: quorum neutrum lumini contingit. Quod si fortè contingit, sed propter paruitatem id nos fugit: profectò & interdiu & in aqua extingui lumen oporteret, & cùm gelu omnia obrigescunt, maximè tenebras existere. Flammæ enim hoc hísque naturis & corporibus quæ deflagrant, contingit. In quibus facile est videre ab Aristotele satis quidem probari in aspectu non dominari elementarem ignem patibilibus qualitatibus preditum, sed hoc parum pertinere ad mentem Platonis, cuius minimè obscura est sententia de igne tertiæ speciei, cœlesti scilicet lucente non adurente: Qui non à frigore sed à tenebris restingui dicitur: non vt à contrariæ qualitatis habitu patiendo, sed priuationi in eodem subiecto cædendo. Sic enim tenebras ad lumen se habere ipse etiam Aristoteles nos alio loco docuit. Quo etiam modo Hipp. lib. de structura hominis, visum ait esse ex æthere, olfactum ex aëre: auditum ex igne: gustatum ex humido: tactum ex terra. Sed hoc mihi in hac quæstione mirum est quòd animaduerto Galenum in philosophãdo Platoni & in re medica Hippocrati non minus addictum, quàm in Aristotele exagitando plerumque nimium acrem, libris de Decretis Hipp. & Plat. cùm in aspectu spiritum facultatis videndi quasi vehiculum considerat, assentiri Platoni volenti sensum hunc constare natura ignea, id est lucida & ætherea: qualem ipsius spiritus ille esse vult: eundémque nulla prorsus adhibita distinctione, lib. 10. de vsu partium, cum Aristotele docere, oculorum naturam esse aqueam, idque confirmare ex iis humoribus quibus oculi substantia constat. Cùm tamen eiusmodi distinctio facilis esse videatur & ad Platonem cùm Aristot. hac in parte sine errore comparandum sit necessaria. Dicamus itaque ad prioris quæstionis explicationem in oculo duo spectari posse, spiritum lucidum ab anime sede influentem, & ipsius oculi corpus huiúsque temperationem ex suis humoribus & tunicis, accomodatam ad eam functionem ad quam oculus ipse est comparatus & cuius primaria causa, vel potius primariũ instrumentum in spiritu consistit. Atque intelligamus Platonem il-

lius ſpiritus rationem habentem, dixiſſe aſpectum igneum, non adurentem. ſed æthereum & lucidum: Ariſtotelem autem propter eos humores qui in oculi corpore variis tunicis inuoluuntur, eundem dixiſſe aqueum. In qua varietate opinionum non tam fortaſſe diſſidentium quàm vulgo videntur, ſi in alteram partem omnino deſcendendum ſit, Ariſtoteli certè potius quàm Platoni hac in re aſſentiar.

19. Si quidem hoc loco quæritur de diſtinctis inſtrumentis quinque ſenſuum externorum, de eorúnque cùm quatuor elementis comparatione. Non igitur in ipſo aſpectu ad ſpiritum in oculum influentem confugiendum eſt: ſed de cryſtallino humore in oculo ſpiritum per medium neruum excipiẽte agendum. Aut ſi eius ſpiritus ratio in hoc ſenſu erat habenda: eodem argumento dicendum videbatur ſenſus omnes igneos eſſe, id eſt æthereos & lucidos. Quoniã ad omnia inſtrumenta, pro quorum varietate potiſſimum ſenſus externos diſtinguimus, portio quędam huius ſpiritus eandem originem habentis, influit. Cuius virtute rei obiectæ imago in inſtrumento excepta cum adhuc corporea ſit, repurgatur & diuino quodam modo *in incorpo*ream commutatur, talíſque ad animum tanquam ad *iudicem, ab ipſo* ſpiritu ſua origine communi & quinque ſenſuum *externorum quaſi* internuncio, defertur. Cur igitur non eodem iure auditum igneum quoque, id eſt æthereum eſſe dicemus? An quia aſpectus diuinitas maior eſt quàm ſenſuum reliquorum? Equidem facile concedam aſpectum ſenſum eſſe auditu longe puriorem, hoſque duos reliquis lõgè præſtantiores, quod etiam à Platone dictum eſt in Hippia maiore: in his tamen omnibus ſpiritum æthereum primarium inſtrumentum eſſe exiſtimo: ſed qui intentione remiſſionéque naturæ ſuæ diſtinguatur, prout in diuerſis ſenſibus magis minúſve cùm noſtro corpore cõmunicat. Quemadmodum apud Ariſto. omnia quæ ſunt ſupra regionem elementarem, naturam habent ætheream, ſed in hac puritate quadam maiore & minore differre dicuntur. Sic enim ille ſcribit cap. 4. lib. 1. Meteor. Corpus quidem diuerſum diſtinctúmque & ab igni & ab aëre cenſemus eſſe id quod ſupra eſt & ad Lunã vſque pertinet. Ita tamen vt iidem eius partem vnam per ſe puriorem eſſe, alteram minùs ſynceram putemus gradúſque ac diſſimilitudines habere, maximéque qua parte cùm aëre ac inferiore mundo copulatur. Sed de priore quæſtione ſatis: nunc ad alteram de modo videndi, veniẽmus. In qua quæ ſit Platonis ſententia antea dictum eſt: hanc vero quibus rationibus Ariſtoteles exagitare ſoleat, inquiramus. Hoc plánè abſurdum eſt, inquit cap. 2. lib. de ſenſu, quod aiunt nonnulli aſpectum emiſſa ex ſe quadam natura cernere, permanaréque vſque ad aſtra: aut ad aliquem vſque terminum egrediendo, cùm aliena lu-

De modo videndi

ce coniungi atque confundi, vt quibusdã visum est. Hoc enim præstat dicere ipsum lumen initio cum oculo coniungi. Quamquam hoc etiam stultum est putare. Quid est enim lumen cùm lumine coniungi? aut qui tandem hoc fieri potest? Neque enim quæuis res cùm quauis coniungitur, & res quæ intus est cũ externa quo tandem modo, cùm membrana interiecta sit? Est etiam in Topicis hæc ratio eidem familiaris, nos cernere aliqua re in oculo recepta, non inde emissa: quoniam eodem modo audimus, gustamus, & odores rerúmque tactilium differentias percipimus. Omnium verò sensuum in obeundis propriis functionibus vna communis ratio esse videtur. De quo contra Aristo. rationibus multis pro Platone disputat Galenus lib. 7. de Decretis Hippo. & Plato. Corpus quod videtur, inquit, duorum alterum, vel ex se ipso ad nos aliquid mittit, quo cũ propriam etiam sui dignotionem nobis ostendit, vel si nihil mittit, vim aliquam sensuam à nobis ad se vsque peruenire expectat. Vtrum verius sit ita iudicabimus. Per pupillæ exiguum foramen inspicimus. Quod si expectaret vt partem aliquam, aut facultatem, aut simulachrum, aut qualitatem ex corporibus extrinsecus obiectis ad se accederet, rerũ magnitudinem nullo modo perciperemus, verbi causa, vasti alicuius montis. Tam magnum siquidem spectrum quantus ipse est, in oculos nostros ingredi oporteret. Quod penitus est absurdum. Vt omittam interim quod vel vno eodémque tẽporis momento, etiam si innumerabiles essent qui viderent, ad singulos cædẽ imagines ferrentur. Si contra spiritus visiuus exiret, nulla ratione posset tanta diffusione dilatari vt omnes visui expositas res circunfusus complecteretur. Nam quid aliud esset quam illa commentitia Stoicorum gutta, quæ cum toto mari cõmiscetur? Restat igitur adhuc vt aër circunfusus tale instrumentum nobis sit, quale est semper neruus in corpore. Siquidem eodẽ pacto aër nos ambiens à spiritus visui occursu, quo à Solis fulgore, affici videtur. Nam & ille supremo aëris termino cõtacto, statim vim suam fulgidam in totum dispergit, & nostra per visorios neruos acies progressa, spiritali substantia prædita, cùm in aetem incidit, primo appulsu in eum alterationem inducit: quæ longe latéque in continuum scilicet nos ambiens corpus, sparsa, repente in totum diffunditur. Id quod etiam liquido in vi Solis inesse conspicimus. In hac etiam quæstione Aristotelem eodem loco inconstantiæ arguit. Quanquam mihi, inquit, Aristoteles videtur vbi de refractione loquitur quæ à sensilibus ad nos peruenit, animaduertisse hanc absurditatem: atque ideo minimè audere ea alicubi vti: sed eam semper quasi omni carentem probabilitate eludendo euadere. Nam cùm dissert quo modo Iris efficiatur, quomodo item vel circa Solem vel

Galeni rationes contra Arist.

Lunam, qui obsolani vel antesolani nominantur, existant: tum quomodo in speculis visiones fiant, omnia hæc in refractionem visionis refert: nihil interesse affirmans siue intuitum ipsum, siue aëris ambientis ex rebus quæ videntur, alterationes refringi ac reflecti existimemus. Atqui ita meritissimè ipsum argueret quispiam: si nihil refert hoc an illo modo dicere, quid tu relicta tua vera opinione, aliena falsa veteris? In contrarium enim in præsentia tua tibi cedet cauillatio: cùm nullam causam tam absurdæ decretorum mutationis adduxeris. In quibus quoniam ille grauiter Aristotelem exagitare videtur, & cum aliqua probabilitate ei inconstantiam obiicere, quo vir quisquàm in proposito retinendo fuit constantior: pro eo pauca hoc loco dicenda sunt, priùs quàm rei huius explicationem tentemus. Ac primùm quod ait per exiguum pupillæ foramen cùm rei magnitudo penetrare non possit, vix vnquam futurum vt aspectus de magnitudine iudicet, si recipiendo in oculo, non emittendo videmus: ad id pro Aristo. facilis est responsio. Non enim hic vult rem ipsam aspectabilem in oculo excipi, sed eius imaginem beneficio luminis excitatam. Per quam sensus interior de re non aliter iudicat, quàm intellectus vel ratio per vniuersam notionem, de cõmuni natura quæ verè est in singulis. Quare vt oculus de montis magnitudine iudicet, minimè hanc reuera per pupillam ferri necesse est: sed illius tantùm imaginem. Cur autem in diuino sensu oculorũ imago minima, imò si propriè loquimur, quantitatis expers, ingentem montis magnitudinem non poterit animo repræsentare, cùm idem penè pictorum ars per imitationem assequatur? Amplius etiam hoc mihi verè videor posse dicere, Galenum ipsum quod in ratione hac affert incommodi contra Aristotelem, ne in sua quidem sententia de modo videndi per emissionem vitare vllo modo potuisse. Nam cùm hoc illi datum sit vt aspectu magnitudo montis alicuius sentiatur, ab oculo aliquid ad ipsum montem ferri oportere: si sensus non est sola sentientis corporis alteratio, vt ille docet penè extrema pagina lib. 7. de Decretis Hipp. & Plato. sed de ea siue in medio, siue in instrumento facta, animi iudicium: de magnitudine eius montis ad quem radius aspectus delatus est, sentiendo iudicari oportebit. Minimè verò iudicium hoc perficietur in ipso monte, in quo radius sistitur (quis enim hoc dicere audeat, nisi idem velit simul cum spiritu & radio animum quasi peregrinari & ad montem deferri?) Quare erit hoc iudicium interioris animi: ex eóque dictum ab Aristot. capit. 2. libr. de Sensu, id quod videt, id est vt interpretor (quanquam repugnantibus nonnullis, qui de Crystallino humore vt primo & interiore aspectus instrumento hoc intelligi volunt) quod de re aspectabili iudicat, non esse in extrema

Aristoteles contra Galenum defenditur.

tremo oculo, sed interius quiddam. Quomodo verò animus de mõtis magnitudine iudicabit cùm ad montem radium aspectus emiserit, nisi hic etiam referatur, atque secum per pupillam quantumuis angustam, magnitudinis imaginem deferat? Vt verò hac in parte etiam suspicione inconstantiæ Aristotelem liberemus, non videtur valde laborandum. Siquidem cùm ille de iride disputans cap. 5. lib. 3. Meteor. scribit nihil interesse hoc ne an illo modo aspectum fieri dicamus: id non ita accipiendum est quasi vtriúsque sententiæ parem probabilitatem esse velit, aut eam probabiliorem quàm ex opticis eo loco repetit. Sed cùm illa de modo videndi per emissionem, recepta esset communi Opticorum consensu & Platonis authoritate firmata, neque in hac euertenda vellet laborare eo tempore, ne institutæ disputationis ordo perturbaretur: dixit nihil interesse hoc ne an illo modo nos videre dicamus. Vt significaret tam commodè causas iridis explicari ab his posse qui affirmant nos videre per emissionem: quàm ab aliis qui hoc ipsum in receptione imaginis positum esse arbitrantur. Quod genus loquendi his familiare est qui in philosophando non omnia vno loco docere volunt: aut de re eadem nonnumquam ex cõmuni opinione aliter loquuntur quàm cùm ad eius euersionem, id agunt vt propriam sententiam confirment. Neque fortassè in re proposita verum est radium aspectus à nube soli opposita ad solem reflecti, indéque accidere vt colorum varietas in iride appareat: sed potiùs dum Solis radius partim in oppositam nubem, partim in terram huic subiectam, ac plerúmque virescentem emittitur, in illis triplicis coloris speciem excitat, quæ deinde ad oculum eius qui nubem intuetur, ita defertur, vt in huius pupilla aliquid simile iridi possis intueri. Sed istud alterius loci est: Nunc verò hoc magis me mouet quòd capit. 2. libr. de Sensu, eo ipso loco quo de modo videndi contra Plato. ex professo disputat, radij aspectus relationem à corporibus specularibus videtur admittere: quæ tamen nisi eundem radium priùs ex oculo in id quod pro speculo est, emissum fateamur, non potest retineri. Quòd Democritus (inquit) aspectum emphasim ipsam, hoc est imaginis veluti apparitionem esse ait, non rectè sentit. Hoc enim contingit propterea quòd oculus leuis & planus est: nec in ipso oculo est, sed in alio oculum videnti. Relatione enim id efficitur. An etiam ex hyppothesi tantùm hæc disputatio contra Democritum est intelligenda? Nempe vt significet etiam si relatio radij aspectus à speculis admittenda sit: minimè tamen per eam explicari potuisse causam propter quam pupilla, in qua velut in speculo rerum obiectarum imagines apparent, vim videndi habeat. Quandoquidem hoc ipsi pupillæ accidit non quia videt, sed quia ab

alio ipsa videtur. Quæ omnia quoniam sic in partes contrarias cum aliqua probabilitate disputantur: media quædam ratio tenenda est, in qua partim recipiendo, partim emittendo, aspectum in nobis fieri dicamus. Eáque, vt mihi videtur, neque ab ipso Galeno neque à veterum Academicorum vel Peripateticorum sententia aliena. Nam vt à Galeno incipiam, hic emittendo nos videre sic confirmat libr. 7. de Decretis Hippocratis & Platonis. Spiritum quendam, inquit, per meatus neruorum opticorum ad oculos transuehi, cùm fabrica ipsa docere te potest, tum hoc argumento percipies. Videbis enim si claudatur alter oculus, alterius pupillam dilatari: si aperiatur, in naturalem suam magnitudinem redire. Neque illud dubium tam velocem exinanitionem & repletionem, non ab humore aliquo, sed à spiritali sola influente substantia effici. Nam quia vtrique hi meatus in vnum concurrunt (quod ex dissectione euidenter patet) verisimile est communem eum locum vbi vtrorúmque coitio est, susceptum spiritum, dum alter oculus conniuet, ad alterum totum transmittere. Cui rei id vel maximè attestatur quod in suffusis videmus. *Quibus si* altero oculo clauso, alterius pupillæ foramen laxius *appareat, indicat* saluam adhuc inspiciendi facultatem esse: si nihil *eiusmodi contingit*, penitus interiisse. Oculum verò ex eiusdem doctrina splendoris aliquid in se recipere à lumine & à rebus obiectis, indicant quæ commemorat capit. 4. libro 10. de vsu partium, de Dionysio Siciliæ tyranno: à quo qui ex densa caligine carceris, in clarissimam lucem educebantur, huius aspectu occecabantur. Itémque de his qui cùm per niuem iter faciunt, huius candore grauiter offenduntur. Quæ certè contingere nullo modo possent, si oculus videndo emitteret tantùm, nihil omnino reciperet. Idem videtur de Aristotelis sententia colligi posse ex capit. 2. libr. de Somniis. Simul, inquit, illud perfici licet, aspectum vt pati & accipere, sic etiam aliquid efficere. In speculis enim valde nitidis & splendidis si mulieres cùm menstruas fluxiones patiuntur, speculum intueantur: in summo speculo quasi nebula quædam cruorem imitans, nascitur. Quòd si nouum sit speculum, non facilè ea macula detergitur: sin vetus, facilius. Idque fit propterea quòd aspectus non solùm ab aëre afficitur, sed etiam aliquid facit & mouet: quemadmodum res illustres & magno splendore nitentes. Siquidem pupilla in iis rebus est quæ micant coloréque infectæ sunt. Apertiùs hoc ipsum declarat Priscianus Lydus capit. 15. Comment. in librum Theophrasti de Anima. Multa in visu, inquit, varietas accidit. Videtur enim extra prodire, propterea quòd circa sensibile agit. Quinetiam aliquid à re videnda suscipere: quia videlicet illinc aliquid patiatur. Et amplius Marsilius

Ficinus in explicatione loci huius. Tres sunt, inquit, præcipuæ regulæ ab Iamblicho traditæ in omni sensu firmiter tenendæ. Prima, aliquid fieri à sensibili in instrumentum sensus, quod necesse est illinc quodammodo affici. Quæ affectio tum passio est ab externis illata, quia instrumentum hoc, est corpus. Tum actio in instrumento resultat: quia viuum. Eiusmodi quidem actio quodammodo rei sentiendæ fit similis. Secunda regula, post hanc affectionem instrumenti quoquomodo viuentis, fit species quædam admodum spiratilior in ipsa animalis vita, accomodatior iam ad sensum, etiam sensibili similis. Tertia, ad speciei huius præsentiam expergiscitur ratio quædam rei sentiendæ priùs in anima latens: quæ experrecta congruit speciei & per hanc affectioni & per affectionem sensibili foris posito. Hæc quidem expergefactio atque congruitas, communiter est sentire. Neque verò ista omnia à Platonis sententia sunt aliena. Si quidem in Timæo indicat motum eum qui in sensu fit, constare emissione quadam per spiritum in rem obiectam: deinde relatione per medium corpus ad animum. Diurnum lumen, inquit, se applicat visus radio. Tunc ea duo inter se similia & concurrentia atque commixta quo oculorum acies diriguntur, ibi in vnius domestici corporis speciem cohærent, vbicunque videlicet tam intimi quàm externi luminis fit concursus. Totum igitur hoc propter similitudinem, passionem eandem sortitum, cùm quid aliud tangit vel ipsum ab aliò tangitur, motum huiusmodi ad corpus omne pérque id ad animam vsque diffundens, sensum efficit qui visus vocatur. Nec in eandem sententiam minùs apertum est quod eodem libro scribit de natura & varietate colorum. Est color, inquit, velut flammula quædam fulgórque à singulis corporibus emanans, partes habens visui ad sentiendum accõmodatas. Causas verò ex quibus visus gignitur, suprà tractauimus. Nunc de coloribus potissimum hoc pacto probabilia dicenda videntur. Quæ ab aliis delata partibus in aspectum cadunt, partim minora, partim maiora, partim visus ipsius partibus æqualia sunt. Æqualia quidem sentiri non possunt, quæ diaphana id est vtrinque perspicua nominantur. Minora verò aut maiora partim discernere, partim contrahere visum dicimus, instar eorum quæ acrimonia vel acuminè caliditateue linguam contrahunt vel discernunt. Atque ea quæ visum sic afficiunt, alba nigraue vocamus: quæ quidem passiones eorum sunt quæ modò narrabam, & illorum quidem germana eadémque quodammodo, sed in genere alio, diuersa tamen propter has causas esse videntur. Sic vtique appellanda sunt ista. Quod visum disgregat, album: nigrum verò, quod congregat. Motionem profectò acutiorem alteriúsque ge-

neris ignis, incidentem dispergentémque visum vsque ad oculos, orbésque ipsos oculorum meatúsque vi diuerberantem liquefacientémque ignem esse dicimus ex opposito obuiantem, cuius occursu lachryma, corpus ex igni & aqua mixtum effunditur. Et vno qui de igne velut è coruscatione quadam exiliente, altero verò penetrante, & ab humore extincto, varij creantur ex huiusmodi mixtione colores: atque ipsam passionem fulgorem coruscationémque vocamus: quòd re id facit, splendidum atque coruscum. Horum medium ignis genus ad oculorum humorem perueniens illíque se miscens, miniméque quidem coruscum, sed ex ipsa ignei radij ad humorem admixtione sanguineum creantem colorem, rubeum nominauimus. Ex quibus manifestum esse videtur Platonem quoque voluisse de coloribus & corporibus coloratis aliquid ad oculum perferri in eóque, quando videmus, recipi. Quare constituendum esse videtur in oculorum sensu aliquid in animo recipi, nempe rei obiectæ speciem per quam de ipsa re iudicet: ídque habere sensum hunc cùm reliquis commune. Et ab eodem radios spiritus animalis saltem in oculos emitti, vt in his imaginem obiecti corporis *excipiant*. Vtrùm verò etiam ab oculo per pupillam eosdem *radios ad obiectum* peruenire oporteat, an ad pupillam rei aspectabilis speciem beneficio externi luminis deferri, indéque ab interno spiritu lucido ad animam transmitti, hoc est, meo iudicio, in quo Plato & Aristoteles reuera dissentiunt, nec facilè conciliari se patiuntur. Cardanus libr. de animorum immortalitate pro Platonis opinione contra Aristotelem duo potissimum argumenta colligit: quòd si oculus patiendo solùm videret, nulla, inquit, causa esset propter quam qui acutè propè vident, longius videre non possunt. Nam in patiendo quelibet virtus sufficit, modò instrumentum non sit corruptum. & quòd acutissimè prope videant, hoc arguit instrumentum quidem oportunum, verùm spiritum exilem & imbecillum. Alterum petitum est ex perspiciliorum (sic enim ille nominat id quod aliis specillum est) auxilio. Quod quidem tam euidens, inquit, non posset apparere, si videremus radiis ad oculum delatis. Nam iam facti debiles, tam breui interuallo non possent fortiores effici: sed potius iuxta rem ipsam apponi deberent perspicilia, quippe quæ radium ex initio à re prodeuntem validiorem efficerent. Cùm tamen contrà eueniat. Nam proximi oculis validos suscipientes radios ob propinquitatem quadam ratione adaugent, vt virtus illorum diu possit perdurare. Quorum prius non incommodè forsasse explicabitur si intelligamus apud Aristotelem oculum similem esse speculo, rerum obiectarum imagines in se recipienti: hoc tamen

Rationes Cardani contra Arist.

ab illo differre, quod in ſpeculo nulla vis eſt animæ quæ ſpeciem receptam ad aliud tranſmittat, tanquam ad iudicem, quam oculo ineſſe, & ſpiritu contineri antea dictum eſt. Itaque vt ſpecies corporum ſpeculis obiectorum, ad certum vſque terminum diffunditur, intra quem omnia quæ exiſtunt, ipſo ſpeculo repræſentari poſſunt, non tamen ex æquo: ſed prout in illo toto interuallo gradus ſunt diſtincti, quæ verò illum terminum excedunt, in ſpeculo non apparẽt: ſic de oculo rerum obiectarum ſpecies in ſe recipiente dici poteſt. Præterea vt de ſpeculis provt ex diuerſa materia conſtant, variáque arte ſunt compoſita, quædam per maius interuallum, alia per minus rerum ſpecies recipiunt, eáſque ad viuum repræſentant: idem quoque de ipſo oculo debet intelligi. Poſterius autem de perſpiciliis nihilo plus ponderis habere videtur. Quoniam apud Ariſtotelem eodẽ modo dici poteſt ſpecies rerum aſpectabilium quę ad oculum ferunrur, in illis colligi coëuntéſque præſtare, vt meliùs videamus: quo apud Platonem radij manantes ex oculis, in eiſdem vniũtur, atque videndi facilitatem præſtant. Iam verò de illo ſpiritu quam naturam habeat: & ſi corporeus, per quas vias & quomodo deferatur, magna inter Medicos contentio eſt, de qua ſic Galenus lib. 7. de Decretis Hippocr. & Plat. Vtrùm perinde vt in cauis cerebri ſpiritus continetur, quo euacuato totum animal ſtupidum redditur: ita quoque in ſingulis neruis ſpiritum quendam eſſe exiſtimandum ſit: vtrùm item ſpiritus is innatus inſitúſque maneat, atque illo qui à fonte promanat, tãquam nuncio quodam pulſatus excitetur: an inſitus quidem minimè ſit, ſed illo tempore quo membrum mouere, aut parte aliqua corporis ſentire volumus, de cerebro denuo influat, ego non poſſum abſolutè ita pronunciare. Sed in medium diſcutienda hæc proponantur. Quinetiam & illud, quomodo ſcilicet alteratio qualitatis in continuo corpore efficiatur: quam innuere videntur illi qui quandam ſine ſubſtantia vim influere dicunt: à quibus qualitatum per alterationem in continua corpora, facultatis & virtutis influxus appellantur. Quẽadmodum cùm à Solis ſplendore in ambientem aërem profecta quędam qualitas in totum huius corpus, Solis ſubſtantia immota permanente, diffunditur. Non igitur fieri poteſt, vt abſolutè, ſinéque vlla probatione pronunciemus, vtrùm è cerebro ita vis quædam per neruos influat ad membra, an ſpiritus ſubſtantia, vel vſque ad partes eas quæ ſentiunt & mouentur, perueniat, vt vehementer illam immutationem in eos perducat, quæ poſtea ad ipſius vſque quæ mouentur partes, diffundatur. De quo ſubtiliùs philoſophatur Marſilius Ficinus Comment. in Sympoſ. Plat. Sicut cor mundi Sol, inquit, ſuo circuitu lumen, pérque lumẽ virtutes ſuas ad inferiora demittit: ſic cor-

Spiritus in æ ſpectu quam naturam hæ beat.

poris noſtri cor motu ſuo quodam perpetuò, proximum ſibi ſanguinem agitans, ex eo ſpiritus in totum corpus, pérque illos luminum ſcintillas per membra diffundit quidem ſingula, ſed per oculos maximè. Ad altiſſimas quippe corporis partes, ſpiritus maximè cùm ſit leuiſſimus, euolat: eiúſque lumen per oculos cùm ipſi perſpicui ſint, atque omnium partium nitidiſſimi, vberiùs emicat. Quare etiam nónulli faſcinandi vim ipſis oculis ineſſe crediderunt. Influat quidem ſpiritus hic ab animæ ſede ad omnes animales actiones motus & ſenſus, eſt neceſſe, ídque per neruos, præſertim ſi hac in parte Galeno credimus: ſed copioſior influit ad aſpectum, quàm ad reliquos ſenſus. Ideóque idem Galenus obſeruat lib. 7. de Decretis Hippocr. & Platon. non omnibus neruis manifeſtam cauitatem eſſe datam, ſed opticis tantùm. Quanquam de hoc non ſatis definitam videtur habere ſententiam. Nam eodem libro primùm ſcribit omnium neruorum naturam triplici ſubſtantia conſtare, media quadam & intima, arborum medullæ ſimillima, per quam è cerebro haud dubiè ortũ habentem, ſpiritum deferri vult: exterioribus præterea duabus, prima quidem quam è tenui membrana, altera quam è craſſa & dura exoriri compertum eſt. Deinde verò cùm incidit in comparationem aſpectus cum reliquis ſenſibus, in ambiguo hærere videtur. Quid igitur, inquit, nunquid ſicut per neruos viſiuos ſpiritus hic tranſmeat, ita in reliquis omnibus fieri ſentiendum eſt? An id in tenuiſſimis neruorum fibris concedi non poteſt? Neceſſe enim erit meatui illi circumiectum quoddam nerui, vel aranearũ telis tenuies corpus excogitemus, adeò vt & ipſum quàm facillimè diſcerpi, & meatus in ſingulis, penè dixerim, momentis obturari queat. His de cauſis ego non omnibus meatus eſſe dãdos crediderim. Sed diceres fortaſſe quiſpiam, ſi datur vt vnus omnino neruus ſine vllo foramine, facultates inferioribus membris ab origine traducat, dabitur etiam vt omnes. Quid igitur dicendum? cùm in exortu ſpinalis medullæ adeò ſenſui patens meatus, ſicut etiã in viſoriis neruis exiſtat? Quid aliud, niſi ideò factum eſſe, quoniã imbecilla cùm ſit virtutum facultatúmque traductio ad continua, præcipuè cùm vel maiora paulò fuerint, vel duriora, vel vehementiori aliqua alteratione indigeant, ſi ſubtilioris ſubſtantiæ quodantenus cum violentia & ictu immiſſio fiat, augeri alteratio ita poſſe videbatur. Dictum enim eſt, eam quæ à ſpiritúſque virtutis facultatíſque diffuſio nũcupatur, alterationis eſſe traductionem. Atque hæc quidem de duabus propoſitis quæſtionibus ſatis multa dicta ſunt.

Subſtantia neruorum opticorũ qualis.

2 Senſus oculorum, quia maximè diuinus eſt, hac qualitate vt maximè diuina indiget, ad exercendam functionem ſuam, ſicut ait Pri-

scianus Lydus cap. 14. Comment. in lib. Theophrasti de Anima. Est verò ipsum lumen quodammodo in eo à quo manat, vt in Sole, & in medio, vt in aëre vel aqua, atque etiam in obiecto, vt in colore, ratione quidem diuersa: sed ea tamen quæ ad communem vnum finem, nempe ad huius sensus functionem refertur. Quanquam in Sole magis propriè Lux quàm lumen appellatur: in quo affectio est vel proprietas essentiæ, in eo ipso cui inest, per se aspectabilis eadémque luminis causa: lumen verò quasi lucis species vel repræsentatio: quæ in medio est, & in obiecto corpore colorato, vt causa cuius vi per media quæ interminata sunt corpora, reipsa videre possumus colores qui obiectis corporibus terminatis insunt. Sine eo verò neque oculus videre, neque color per medium aërem, vel aquam videri vllo modo potest. Sed hoc aliquando manat à vidente (sicut anteà dictum est de his animalibus quæ noctu in tenebris vident) aliquando ab eo quod videtur: frequentiùs autem à quarto quodam corpore, secundum naturam vel in se lucente, sua verò præsentia, vel substantiæ suæ radiis medium, quod Diaphanum, siue perlucidum appellant, illustrante. Quare actus & perfectio tam medij huius interminati, quàm coloris in corpore terminato, lumen esse dicitur. Sic enim hoc vt cum medio interminato comparatur, Aristoteles definiuit cap. 7. lib. 2. de Anima. Lumen, inquit, actus est & perfectio rei perlucidæ, qua ex parte perlucida est. Nam perlucida ex vi, modo & facultate sunt: in quibus modò ipsum lumen, modò tenebrę inesse conspiciuntur. Lumen autem quasi color est naturæ translucidæ, cùm eam ignis reipsa talem fecit, aut aliquid eiusdem generis. Id quod naturis cœlestibus contingit: in quibus aliquid vnum atque idē inest. Vt verò refertur ad corpora colorata, quæ terminata sunt, ab eodem cap. 5. libr. 3. de Anima, dicitur facere, vt colores qui esse poterant, reipsa sint. Non quòd omnino color non sit nisi præsente lumine (quanquam ea quorundam fuit sententia, ex qua dictum à Poëta,

- rebus nox abstulit atra colorem.) Sed quia hîc reipsa videri non potest, nisi beneficio luminis. Esse autem hoc in medio aëre vel aqua suapte natura incorporeum, idem Aristoteles confirmat cap. 7. lib. 2. de Anima. Quid sit translucidum, inquit, quid lumen ita diximus, vt nec ignis huius natura esse intelligatur, nec omnino corpus, nec vllius corporis fluxio (sic enim etiam quoddam corpus esset) sed ignis, aut alicuius corporis eiusdem generis, præsentia in re perlucida. Quare neque motus luminis alius est, quàm eius corporis ex cuius præsentia enascitur: neque quauis ratione dici potest, totum medium temporis puncto lumine illustrari. Nam quoniam circum terram Sol in temporis puncto non mouetur, sed eius conuersio diutur-

nitate aliqua indiget: neque certè lumen Solis in temporis puncto totius terræ ambitum illustrat. Quis enim dixerit illud simul diffundi in eam terræ partem quam incolimus, & in alteram quæ nobis est aduersa? Sed ille supra nos, vbi suo motu excitatus est, certè eodem temporis puncto, atque omnino indistincto nos illustrat, & partem aëris supra nos cœlo viciniorem. In quo magna apparet inter ipsum lumen, & cæteras corporeas qualitates in agendo dissimilitudo. Nam si ab igne per medium aërem calor ad nos deferatur, affici primùm oportebit partem aëris igni proximam: neque calor ad nos perueniet, nisi intermediæ aëris partes omnes continuato motu ab illo afficiantur. At luminis ratio est alia, ideóque cùm rerum aspectabilium imagines ab illo excitantur, & ad oculum (si cum Peripateticis recipiendo videmus) per medium aërem vel aquam deferuntur: nihil est necesse illas gradatim medium percurrere. Ex quo aliud quoque accidit quod huic sensui est proprium, nempe vt obiecta quæ maxima inæqualitate ab oculo distant, eodem momento, si volumus, facilè videamus: non item simul audire incipiamus sonos eos qui eodem tempore excitati sunt de corporibus, quæ inæquali interuallo *ab auribus* sunt seiuncta. Quod ad disputationem de modo videndi *contra Aristotelem* traducit Plotinus cap. 3. lib. de Visione. Magnum argumentum est, inquit, non propterea cerni sensibilium formas, quia iam aër illorum species per continuatam traductionem patiendo susceperit: quòd subobscura nocte ignis & sydera horúmque formæ cernuntur. Neque afferet quispiam in aëre tenebroso impressas species sic ad oculum vsque continuari: alioqui non essent tenebræ, vbi ignis illuminando suam speciem traderet. Quando etiam sub profundis tenebris occulentibus stellas & ignem, horúmque lumen prorsus impedientibus, interim ex specula facibúsque prospicitur ignis, atque ex turribus quæ signa nauibus exhibent. Ex quibus idem concludit cap. 4. natura pati posset medium inter oculum & rem obiectam, corpora omnino expers esse, solóque lumine hoc illustrari, tum futurum vt acutiùs multò cerneremus. Quoniam aspectus solo lumine indiget: hoc verò corporibus quibus accidit, vt inter oculum & rem obiectã interponantur (cuiusmodi sunt aër & aqua) impediri videtur potiùs quàm adiuuari. Idque Plotinus ex Democriti sententia, quam Aristoteles sic exagitat cap. 7. libr. 2. de Anima. Color naturam pellucidam, inquit, vt aëra mouet: à qua cùm continuatur, sensus sedes mouetur. Neque enim præclarè hoc Democritus censuit, si inanis esset, & vacaret corporibus locus inter nos & cœlum interiectus, cerni posse etiam formicam quæ esset in cœlo: hoc enim fieri non potest. Aspectus enim tũ denique efficitur, cùm oculos res quæpiã mouet atque impel-

pelli: quod cùm ab ipso colore qui cernitur, fieri non possit, relinquitur, vt ab eo spatio afficiatur, quod est interiectum. Ex quo perspicuũ oportere aliquid in medio esse locatũ. Quod si inane sit, non dico aciter, sed nullo modo quicquam cerni possit. Quod verò sequitur de sensu atque cõiunctione luminis ex oculo manãtis cũ externo, pertinet ad intelligendũ quod antea diximus, de tertia ignis specie lucẽte tantũ, non etiã adurente, quódq; monuimus pro Platone opponi posse, ei quod Arist. disputat lib. de Sensu, futurũ, vt si ex oculis radij ignei in aërẽ frigidũ, aut in aquã incidant, in his à cõtrariis extincti non videant. Sed mirabitur fortasse quis, quod Alcinous adiicit de necessario concursu duorum luminum ad videndi actum, cùm Platonici disputent luminum permixtionem aut confusionem omnino nullã esse, ex eóque huius qualitatis excellentiã colligant. De qua sic Marsilius Ficinus in lib. Plotini de Visione. Lumen nõ fit, inquit, propria diaphani qualitate, quia neque suscipitur paulatim, neque etiam retinetur: neque simul cum hoc inficitur, vel mouetur: neque confundũtur inter se lumina, neque cũ cæteris commiscentur. Non confundi apparet ex eo, quòd si tribus luminibus corpus vnicum opponatur, tres in oppositum vmbræ resultant: quoniã ibidẽ tria lumina sunt distincta. Præterea si tribus candelis opponatur ingens tabula, in cuius medio sit foramen, tria lumina in oppositũ inde resiliũt, aliud quidẽ in rectũ, alia duo è trãsuerso se inuicẽ intersecãtia, non cõfusa. Qualis igitur hæc erit apud Alcinoũ duorũ luminũ coniunctio? vt scilicet quãuis eorum species omnino distinctæ permaneant, concurrant tamen in vnam cõmunem actionẽ, eam scilicet qua imago de obiecto excitatur, & per mediũ ad ipsum oculũ defertur. Quod neque lumen medij per se, neque solus radius aspectus, vt Plato ipse arbitratur, potest perficere. Quare coniunctis, vel etiam vnitis quodãmodo virtutibus opus est: per quas lumen medij excitat de obiecto speciem aspectabilem, & radius aspectus de medio hanc amplectitur, atque ad oculum perfert. Sic enim antea obseruauimus etiam in Platonis sentẽtia videre, nos partim emitendo, partim recipiendo.

3 Idcirco noctu quàm interdiu, & in tenebris potiùs quàm media luce, solemus esse ad somnum propensiores: quod etiam Arist. obseruat Probl. 7. Sect. 6. Quanquam enim somnus affectio sit, quæ (vt hîc docet lib. de Somno) in interiorẽ, siue communem sensum primò cadit, deinde in externos: tamẽ quia media luce sensus externi habent præsentia multa obiecta, quibus ad suã actionem inuitantur, interno quiescere omnino nõ est facile. Adde q; noctes diebus frigidiores esse solent & humidiores: his autẽ qualitatibus somnus cõciliatur. Priorem rationẽ idẽ Aristot. sic explicat Prob. 15. Sect. 33. Quinetiam, inquit, cur dormiamus hæc eadẽ ratio. Cùm enim vigilia motus sit, qui mẽbra sentiendi officio accõmodata, magis cùm vigilamus, exercet: constat somnũ posse accidere cùm eadẽ illa mẽbra quiescunt. Cùm verò vis ignea sit quæ membra corporis nostri mouere potest, &

hæc intus se contrahat, circumsistat in somnis, caput relinquens, quod sensus omnes continet: tunc maximè sensuum sedes quiescere possunt. Quæ quidem res causam affert dormiendi. Sed in sententia quam Alcinous hoc loco Platoni asscribit, id dubitationem aliquam habet: quòd cùm ex oculis fluentes radij non modò lucidi sint, sed etiam calidi, (hoc enim Plato facilè concederet: etiam si eos neget adurere) illis ad cerebrum noctu collectis, & in interiora receptis, hoc magis videbitur incalescere. Quoniam solet esse maior vis cuiusque qualitatis in agedo vnitæ, quàm eiusdem diuisæ: eáque ratione ventres hyeme natura calidiores ab Hippocrate esse dicuntur in Aphorismis. Quomodo igitur noctu quàm interdiu maior erit ad somnum propensio, si vt Galenus arbitratur, naturalis somnus est à refrigeratione spirituum animalium in cerebro? An istiusmodi refrigeratio non tam in interioris sensus sede est intelligenda, quàm in viis per quas spiritus ab illa influens se externis sensibus communicat? Has autem ille primum deserit in somno, nonnunquam adhuc vigentibus his, quæ ad interiorem sensum pertinent. Quanquam verò Aristoteles sedem primi sensus in corde ponens, nõ possit fortasse de causis naturalis somni dicere omnino vera: at certè ea dicit quæ maximè inter se consentanea. Siquidem vult libro de Somno & Vigilia, vapore eum qui refrigeratus somnum parit, de cibo qui in ventriculo coquitur, ad cerebrum excitari, sed non priùs somnum facere quàm Euripi more, vt ait, vltrò citróque commearit, & in illo refrigeratus suo pondere ad cor, vt caloris fontem, descéderit, descendendóque à superis partibus calorem reuocauerit. Quod cùm acciderit, tum has spiritu (in eo enim est caloris substantia) quo sustinebantur, destitutas, suo pondere premi: vt quæ animalia somni cupiditate teneantur, ea nec caput erigere possint, nec palpebras attollere. Hæcque eodem loco ille illustrat tam populari similitudine ex pluuiæ causis repetita, vt vix vlla Physiologiæ parte dixisse videatur magis consentanea suæ sententiæ de animæ substantia vna, huiúsque sede in corde. Et tamen in quæst. de Somno, Gal. lib. 4. de caus. Sympt. negat hunc, non solùm cõsentanea, sed etiam probabilia dicere potuisse. Quanquam Aristoteles, inquit ille, ad ratiocinandum sit vehementissimus, & ad disputationem quocunque velit probabiliter perducendam maximè potens, tamen cur capite repleto primus sensus, si is, sicuti ipse existimat, in corde sedem habet, quiescat, nihil probabile potuit reperire.

4 De somno & insomniis in hoc contingentibus, sic Plato in Timæo. Si profundus ob multam quietem motuum, nos occupet sopor, exigua sequuntur somnia. Sin vehementiores aliqui motus quasi vigiliarum reliquiæ, relicti fiunt, quales quidem & qualibus ex locis haustæ reliquiæ sunt, talia somniorum simulachra nascuntur, eorúmque nobis expergefactis restat memoria. Quam sententiam pluribus explicat Aristotel. cap. 3. libr. de somniis. Ex quibus illud perspici licet, inquit, non solùm vigilantibus motus eos, qui ab iis sensibus, qui extrinsecus obiecta sentiunt, quique in externis corporis partibus insunt, gignantur, incidere, sed etiam tum cùm affectio illa, quam somniũ vocamus, existit, imò verò tũ maximè se offerre. Interdiu enim cùm sensus intenti sunt & occupati vna cum mente, expelluntur obruunturque, vt paruus ignis à magno, & à magnis parui dolores ac voluptates. Cum autem nihil agunt & quiescunt, tum exigui videntur. Noctu verò quia otiosi sunt illi sensus, qui per singulas corporis partes sunt dispersi, nec ipsi quicquam agere possunt, quod calor ex summis membris in intimas se regerit, ad sensus fontem & principium delabuntur, tùmque euidentiores fiũt, omni perturbatione sedata. Sic autem quemque motũ in animo gigni continenter existimare debemus, vt vertigines illæ quæ per summa a-

quarum currere solent: quæ sæpè sui similes permanent, interdum ab aqua cursum alium accipiente mutantur. Itaque post cibum & admodum pueris, vt infantibus, somnia non incidunt: quia multa fit tum agitatio vehemẽnsque motus, propter cum calorem quem cibus gignit. Quocirca quemadmodum aquam aut alium humorem si quis vehementer bacillo commoueat, interdum nullum simulachrum videtur, interdum videtur quidem, sed omnino inflexum & deforme, vt aliud atque aliud esse videatur, sedata autem & tranquilla aqua, purum & illustre videtur: sic in somno visa & motuum reliquiæ quę à sensibus eueniunt, nonnunquam à maiore quodam motu quem dixi, omnino obruuntur, interdum verò turbulenta quædam visa & prodigiosa & ingrata somnia videntur, vt furentibus, febre laborantibus & ebriis. Hæ enim perturbationes cùm spiritus plenæ sint, magnum & motum & tumultum afferunt. Cùm verò tranquillus est & secretus sanguis in iis animantibus quæ sanguinem habent, motiones sensorum, quæ integræ seruatæ sunt à quoquã sensuum, quieta & sedata somnia ita efficiunt, vt aliquid nobis appareat, videamúrque ab iis quidem quæ aspectu delabuntur, videre, ex iis autem quæ ab auditu, audire. Quod fit etiam in cęteris sensibus eodem modo. Quod vero Plato superiore locó scripsit vigiliarum reliquias quales & quibus ex locis haustæ sunt, talia somniorum simulachra parere, non solùm ex eo intelligendum est quod Cicero ait in Somnio Scipionis, fieri cõtingere, vt cogitationes sermonésque nostri, pariant aliquid in somno tale, quale de Homero scribit Ennius, de quo videlicet sæpissimè vigilans solebat cogitare & loqui: sed de eo potiùs quod in somniorum varietate naturalẽ quandam significationem habemus, vel antecedentis perturbationis, vel cibi atque potus, vel humoris in nobis dominantis. Quæ omnia pro varietate temporum, in quæ nox est diuisa, ita distinguit Cardanus cap. 44. lib. 8. de rerum varietate. Aut enim somnia, inquit, initio noctis & cum sanitate cõtingunt, mutantúrque pro mutatione ciborum, & tunc à cibis proueniunt. Bonum igitur est in his perseuerare, quæ iucunda pariunt somnia & absque perturbationibus, ab iis autem abstinere, quæ tristia & terribilia, & cum grauitate ac impedimẽto. Si verò iuxta mediam noctem & cum perturbatione, perseuerántque diũ, nec tamen eiusdem sunt argumenti, tunc humores significant. Si igitur iucunda sunt & cum leuitate, non oportet mutare corpus: si cum timore, tristitia & grauitate, cibum minuere nutrientem, purgare corpus. Si verò iuxta diluculum, lõga, clara, nec tum diu perseuerãt, sed vel vna vel altera die, à cœli imaginibus fiunt imminentiáq; portendũt. Atque hæc postrema vt veritatis significationem habeãt, hominé decet esse ab animi perturbationibus vacuum, bona mente, tũ verò cibo mediocri, ac simplici vtentem, in veritatis cognitionẽ intentũ, nullo animi affectu superatũ. De altera verò interpretatione somniorũ ab humoribus, qui in nostris corporibus abundant, manantiũ, sic Gal. lib. de præsagiis sumendis ex insomniis. Si quis incendiũ per somnũ videat, inquit, eũ quidẽ flaua bile infestari significatur. Si verò fumũ, aut caliginem, aut profundas tenebras, atra bile grauatur: rursus si imbres somniat, ex eo frigidã abundare humiditatẽ in tali corpore intelligitur: sicut qui niuẽ, qui glaciẽ, qui grandiné, hic phlegmatis humidi plenus est. Si quid etiã diuinitatis inest postremo somniorũ generi, quod extrinsecus vt à Deo, vel ab ipso cœlo, cœlestibúsque virtutibus immittatur, id quanquã etiã vigilantibus possit apparere, in dormiẽtibus tamẽ efficacius esse solet. Quia interior animus in iis abstractior est à sensibus, ideóque paratior ad recipiendas imagines, quę influunt, vel ab intelligẽtiis, vel à corporibus cœlestibus. In vigilantibus autẽ, quia animus agitatur impressionibus rerum sensiliũ, illas cœlestes non facilè excipit.

Insomnia

Ex quo etiã accidit, vt plus diuinitatis ineſſe credatur iis ſomniis, in quibus viſa non reſpondent rerum antea ſenſu perceptarum imaginibus, aut humoribus in corpore dominantibus. Quoniam horum cauſæ magis naturales eſſe videntur. De quibus ſi placet Theologos noſtros audire, nobilis locus eſt apud Greg. Nyſſenum cap. 14. lib. de Hominis creatione. Quemadmodum circa ignem, inquit, hæc fieri naturale eſt, vt cùm paleis vndique tegitur, nullóque ſpiraculo ſuſcitatur, nec circumtecta depaſcat, nec penitùs extinguatur, ſed pro flamma quidem fumus exurgat: quòd ſi paululùm commotus fuerit, illico fumus excitatur in flãmam: ſimiliter & mens ocio ſenſuum, tempore ſoporis obtecta, nec elucere per eos poteſt, nec prorſus intercipi, ſed inſtar fumi videtur operari, in aliquo quidem egens, in aliquo verò prævalens. Et ſicut quiſpiam Muſicus reſolutis lyræ nexibus, ſi plectrum cordis iniiciat, non ei modulatio competenter occurrit, (nec enim extentum quod non eſt, aptè reſonabit) ſed plerunque manus artificioſè mouetur, ducens plectrum ad locales poſitiones accentuum, ſonus autem non efficitur, niſi inordinatus ex modo cordarũ: ita per ſomnum naturalibus ſenſuum mẽbris reſolutis, aut omnino quieſcit artifex animus, ſi corpus nimia plenitudine prægrauetur, aũt certè languidiùs & obſcuriùs operabitur, cùm hoc organũ ſenſuale diligentiùs artẽ nequit excipere. Quapropter in ſomnis memoria quidẽ confuſa, præſcientia verò quibuſdã velaminibus obruta, præter rerum ac ſtudiũ, quaſdã ſpeculatur imagines, & aliquid eorum nonnunquã, quę ſunt vera prænunciat. Nã per ſubtilitatẽ naturæ plus aliquid habet, quàm corporis craſſitudo ad contẽplanda ea quæ videntur accedere, ſed non poteſt ratio ordine futura referare: quia nec perſpicua & manifeſta doctrina proponitur eorũ, quæ in ſomniis digeſta cernuntur. Sed quicquid illud eſt, ambigua futurũ ſit denunciatio, quod ænigma vocant, qui videntur iſta diſcernere, quod ſcilicet aliud obtentet in verbis, aliud in intellectibus afferat. Sic pincerna Pharaonis botrum premit in patera, ſic panes in camino ferre piſtor imaginatur, vterque enim intenta ſtudium quod exercuit, ſe in ſomnis eſſe peruidet. Quòd autẽ Daniel & Ioſeph, eorúmque conſimiles diuina virtute, nullis turbatis ſenſibus ad futurorũ informantur ſcientiam, nihil hoc ad præſentem pertinet quæſtionem: quia non hæc quiſque ſapiens ſomniorum generibus imputare debet, alioquin & illas viſiones quæ diuinitùs vigilantibus accidunt, non ſuperna viſitatione, ſed naturæ conſequentia ſponte ſua id operante, putabit poſſe contingere. Sicut ergo cunctis hominibus iuxta ſuum ſeſe moderantibus animum, quidam ſunt qui diuina illuſtrari confabulatione mereantur, ita communiter ſecundùm naturam, nobis ac ſimiliter ſomniorum phantaſiis accidentibus, nonnulli per ſoporem diuinæ cuiuſdam reuelationis participes exiſtunt. Si verò Aegyptius ille vel Aſſyrius rannus ad ſcientiam futurorum per ſomnia diuinitùs inſtruuntur, aliud quidẽ eſt, quod per eos miranda diſpenſatione peragitur.

Speculum.

5 De ſpeculis horũque varietate in repreſentãdis rerũ obiectarũ formis, ſic Plato in Tim. Simulachrorũ, quæ vel in ſpeculis oboriuntur, vel in perſpicua leuique ſuperficie cernuntur, facilis aſſecutio eſt. Nam ex vtriuſque ignis tam intrà, quàm extrà poſiti, communione eiúſque concurſu & congruentia, qui politi terſo leuíque corpori accõmodatus eſt, neceſſariò hæc omnia oriũtur: cùm ignis oculorum, cũ eo igne qui eſt è conſpectu effuſus, circa leue nitidúmque corpus ſe confundit. Dextera verò videntur quæ lęua ſunt: quia contrariis partibus oculorum inſolito more contrarias partes attingimus. Reſpondent autem dextra dextris, læua lęuis, quando commixtum lumen cum eo, cui permiſcetur, tranſlit. Id cùm ſpeculorum leuitas hinc illínque altitudiné aſſumpſit, & ita dextram

oculorum partem in leuam speculi, leuámque in dextram detorsit. Quòd si speculum ad vultus longitudinem conuertatur, vultum reddit resupinum: cùm superior luminis pars ad inferiora, inferior verò ad superiora vertitur. In quibus hoc iã pro rato Plato vsurpat, quod ex illo antea posuimus, videre nos per emissionem radij aspectus in rem obiectam: ex eóque docet accidere, vt radius eiusmodi pro varietate eorum, quibus excipitur, variè etiam afficiatur. Siquidem hic per ea corpora quæ interminata sunt (talia verò sunt quæ diaphana nominantur) penetrat: sed non per omnia pari facilitate. In terminatis autem se habet duobus modis. Nam si aspera sunt & inæquabilia, vt saxa, lateres, & similia, sistitur quidem, sed propter inæqualitatem dissipatur. Si autem omni ex parte æquabilia sunt & tersa, propter horum duritiem cum opacitate & densitate coniunctam, sistitur in superficie: ac propter æqualitatem & leuitatem seruatur. Sed quia in hac æqualitate non potest cõsistere, ad oculũ reflectitur: eóq; fit vt in tali corpore speculi rationem habente, nos videre videamur. Quanquã non omnes hanc rationem eorũ quæ in speculis apparent, admittunt: sed vt ait Seneca cap. 5. lib. 1. naturalium Quæstionũ, omnino de illis duæ opiniones sunt. Alij enim in iis simulachra cerni putant, id est corporũ nostrorum figuras à nostris corporibus per aërem sparsas & in illis exceptas. Alij cũ Platone aiunt nullas seuera imagines in speculo esse, quemadmodũ neq; in iride colores, sed ipsa aspici corpora, oculorũ acie retorta & in se rursus reflexa. Quam sententiam sequitur Alexander problemate 129. lib. 1. Quam ob causam, inquit, in speculis & aquis dilucidis nostrã speciem conspicere valemus? Quoniam oculorum radij profecti in corpora quæ nobis splendida obiecta sunt, refranguntur ac suam repetunt sedem. Speciem enim nostrã iam habent obiectam, postquã refracti sunt: itaq; illam cõspiciunt. At, inquiet aliquis, quo modò reflectitur radius, si corpus non est? Reflexio enim affectio corporis est, aut dimensionis, quæ non est nisi in corpore. An aër qui radium excipit reflectitur: secúmq; radium à speculo ad oculum refert? Ipse certè radiùs est qui reflectitur à speculo: quoniam hic, non aër, in speculũ ab oculo ferri dicitur. Per rationis autem similitudinem reflecti dicitur, quemadmodum & moueri, cùm ab oculo in obiectum fluit: non aliter quã radij qui à Sole in terram manant. Ex quo accidit vt quo ille imbecillior est, eo facilius ab obiectis quæ minùs resistunt aut etiã suapte natura interminata sunt, reflectatur. Quod in quodã ab Arist. confirmatum est cap. 4. lib. 3. Meteor. Cui iter facienti, quia aspectũ imbecilliorem habebat, imago quæ aduersum intuebatur, præire videbatur: idq; accidebat quòd aspectus in eũ referretur. Sic enim, inquit, Arist. imbecillis & omnino tenuis præ infirmitate erat, vt ei speculi locũ etiam aër proximus, sicut is qui remotus & crassus erat, præberet, nec repelli posset. Quod verò attinet ad locũ alterum de variis speculorũ imaginibus, in eo artis vis maximè est admirãda. Quædã enim corporis obiecti magnitudinem exactè æquare videntur, nonnulla maiorem referre quàm reuera sit, alia minorem. Quædam etiam rectã corporis figurã repræsentant, alia inuersam. In plerísque magna oris distortio apparet, in aliis verò nulla. Cuius varietatis causam ex Platone referre licet primũ ad ipsius speculi figuram, deinde ad eiusdem situm & oculi intuentis, motum. Aliter enim res tepræsentantur in speculo plano, scilicet ferè sub imagine pari eadémq; recta: aliter in concauo, plerumq; maiores & inuersæ: in conuexo verò & quasi tumente, ferè minores. In situ autem quanquã non sit facilè in plerísq; speculis partem superiorem ab inferiore discernere, quædam tamen intueri licet quæ modó elegantẽ imaginem repræsentant, eadẽ verò si posteà paululum inuertantur, figurã aliam referent, vel ipso aspectu horrendã.

Sed horũ omnium potiſsima cauſa eſt in varietate eorũ, ex quibus illa componũ
tur,& in certo cõpoſitionis modo. De quo ſic Agrippa ca.6.lib.1.de Occulta Phi
loſophia, Speculorũ quorundã artificio,inquit, quas volumus imagines in aëre
etiam remotæ,extra ſpecula producuntur. Quæ tunc imperiti homines vidẽtes,
dæmonum aut animarum vmbras ſe videre putant: cùm tamen non ſint,niſi ſi-
mulachra quædam ſibi ipſis cognata ac vitæ omnis expertia. Eadem cõpoſitione
hoc etiam ars aſſequitur,vt quædam decrepitos ſenes ſine vllis rugis quaſi ætate
adhuc florentes repræſentent:alia cõtra iuuenum faciẽ rugoſioré. De qua re inter
recẽtiores ſcriptores Io.Baptiſta Portanus,multa collegit lib.4.Magiæ naturalis.

6 Cur ſonorũ differentiæ auditu perceptæ,nõ modò ex Platone, ſed etiã ex Ti
mæo Locro lib.de Anima mũdi & natura,vſq; ad iecur deferri hoc loco dicũtur.
An quod in eo ſedes ſit animę ſentientis? Foxius cõmentatio in Timęũ Platonis
hoc approbare videtur quod ex iis quæ ex Platone commemorata ſunt capite
ſuperiore, veri ſpeciem quandam habet. At verò hoc minimè concedet,qui ex
eodem Platone in Timæo & 4.de Rep.recordabitur,in iecore eã tantùm animæ
partem habitare, qua concupiſcimus quæ ad cibum, potum & res veneréas per-
tinent. An igitur ſignificat ſonorum ſuauitatem,quæ auribus percipitur, affice-
re in vtrámque partem non ſolùm ea quæ rationalis ſunt facultatis & iraſcibilis,
ſed extendi vſque ad iecur, id eſt magnam vim etiam habere ad excitandas vel
reprimendas naturales cupiditates,quarum ſedes eſt in illa corporis parte? Hoc
enim idem Plato probare videtur cùm agit de vtilitate duorum primorum ſen-
ſuum. Nobis, inquit, aſſerendum eſt ob hanc potiſſimum rationem,deum ocu-
los genuiſſe, vt mentis circuitus qui in cælo peraguntur intuiti, in vſum redige-
mus noſtræ mentis, cogitationiſque noſtræ diſcurſiones illis cognatas, ſed per-
turbatas quodammodo ad illorum temperiem reuocemus, & cùm illos agnouerimus, & recta ratione ſecundùm naturam præditi ſingulorum ordinem perperimus, conuerſiones Dei quæ ſine errore aguntur, imitemur: atque ad earum exemplum diſcurſiones noſtræ cogitationis vagas & erraticas componamus. Vocem quoque auditúmque eiuſdem rei gratia Deos nobis dediſſe exiſtimo. Nam ad hæc ipſa,ſermo pertinet plurimúmque conducit, omniſque muſicæ vocis vſus harmoniæ gratia eſt tributus. Atqui & harmonia, quæ motiones habet diſcurſionibus animæ noſtræ congruas atque cognatas, homini prudenter muſis vtenti, non ad voluptatem rationis expertem, vt nunc videtur,eſt vtilis ſed muſis ideo data eſt,vt per eam diſſonantem,circuitum animæ componamus ad concentum ſibi congruum redigamus. Rhythmus quoque ad hoc videtur eſſe tributus, vt habitum in nobis immoderatum gratiáque carentem, aptiſſimo temperemus. Quod Cicero ſecutus videtur lib.2. de Legibus. Aſſentior magiſtro Platoni, inquit,nihil tam facilè in animos teneros ac molles influere, quàm varios canendi ſonos. Quorum dici vix poteſt,quanta ſit vis in vtrámque partem. Namque & incitat languentes & languere facit excitatos, & tum remittit animos, tum contrahit. Atque fortaſſe eodem modo accipiendum eſt quod de duabus primis odorum differentiis ille ſcribit in Timæo. Duæ,inquit,in his varietates abſque nomine ſunt, ſuaue ſcilicet & moleſtum. Hoc quidem diſturbat violátque omnem eam capacitatem,quæ à ſummo capitis vertice ad vmbilicum protenditur: illud verò eandem mulcet & amico quodam ingreſſu naturalem eius ambitum ſeruat. Ampliùs etiam poetæ dixerunt ſuauitatẽ ſonorum vſque ad res inanimatas pertingere,háſque occulto quodam-modo afficere. Ex quo effectus Amphion ſaxa mouere ſono teſtudinis. Quod autem in auditu hoc loco ait Alcinoo dicitur de ſono, qui per cerebrum & ſanguinem ad animum tranſfu-

ditur, & in odoratu, de odore per narium venulas ad ea quæ circa vmbilicum sunt defluente, id ita accipiendum est, vt ex veterum consuetudine arterias venas appellet & sanguinem eum intelligat, cum quo in illis spiritus est coniunctus. Quanquam enim apud Galenum spiritus in arteriis vitalis sit, in neruis animalis, hícque posterior solus pro primo sentiendi instrumento: tamen non sine aliqua ratione Plato voluisse videtur, spiritum hunc animalem à corde per arterias cum tenuissimo sanguine, eóque feruescente, ad cerebrum elatum & huius frigore temperatiorem factum, rursum in omnes corporis partes per easdem vias refluere, & adiuuantibus neruis motum & sensum corpori dare. Vt his non dicatur inesse prima vis efficiendi motum & sensum, sine his tamen illa cõstare non possit. Nam in sententia Galeni duo sunt, quibus non facilè se potest explicare: nempe quo modò per neruos natura sua manifestéque solidos (si modo opticos excepteris qui nonnihil videntur habere, concauitatis ratione mediæ substantiæ mollioris) spiritus corporeus & cerebri frigore fortasse concretior factus, tanta celeritate ad motum & sensum feratur: & qua ratione ex arteriis ad cerebrum ascendentibus, plexu retiformi exceptus, à sanguine cum quo erat in illis permixtus, separetur: & per quas vias ab eiusmodi plexu, cùm origine neruorum de cerebro descendentium, communicetur. De quo nos pluribus aliquando differemus commentario in posteriorem partem nostræ descriptionis physicæ.

7 De odoris natura, déque odoratus imbecillitate in nobis, sic Plato in Timæo. Circa narium vim, inquit, species non sunt. Semigenia enim odorum natura: Speciei verò nulli competit odorem habere: sed nostræ circa hæc venæ ad terræ & aquæ genera angustiores sunt, ad ignis verò aerísque genera, latiores. Quocirca nemo vnquam istorum aliquem sensit odorem: sed in madefactione quorundam, vel putredine, vel liquefactione, vel euaporatione gignuntur odores. Cùm enim in aërem aqua, vel aër in aquam transit, in medio istorum odores fiunt: omnísque odor aut fumus est, aut caligo. Sed horum quod ex aëre mutatur in aquam, caligo: quod ex aqua in aërem, fumus. De huius sensus imbecillitate in nobis, idem scribit Aristo. cap. 9. lib. 2. de Anima. De odore, inquit, eáq; re quæ odoratum mouet, differere difficilius est quàm de superioribus. Neque enim perinde perspicuum quid sit odor, vt quid sonus, quid lumen, quid color. Idque eo fit quòd non inest in nobis acer hic sensus: sed eo à multis animantibus vincimur. Remissè enim homo olfacit, nec quicquam eorum, quæ odorem efflant, percipit sine dolore aut voluptate: quòd non sit in eo subtilis hic sensus. Imbecillitatis autem causa ex eodem hæc reddi potest. Quod cùm homo cerebri copia vincat reliqua animantia (præsertim si hæc ex totius corporis comparatione spectetur, sicut Aristo. docet cap. 7. lib. 2. de partibus animalium, & cap. 3. lib. de Sensu) cúmque cerebrum omni quidem animali sua temperatione frigidum sit & humidum, sed in homine præsertim, sicut excrementorũ frequentia & copia in hoc arguit: ei adiacens, vel etiam in illo situm odoratus instrumentum, quod moderatè calidum & siccum esse debet, tali constitutione læditur, & ad percipiendas odorum differentias, ineptius redditur. Ex quo contingit quod alio loco obseruauimus, vt quibus hominibus cerebri temperies paulò calidior est & siccior, hi sensus huius præstantia reliquos vincant, iidémque ferè minus acutè cernant & reliquis sint ingeniósiores. Quòd talis cerebri constitutio, rerum imagines vi caloris celerrimè excipiat & easdem ratione siccitatis, constantissimè retineat: calor autem & siccitas oculis natura aqueis aduersentur. Cùm verò præstantia sensuum in duobus sit posita, vel in eo quòd per ma-

ius interuallum res obiectas percipiant, vel quòd perfectius subtiliúsque per vnũ & idem medium rerum differentias discernant: priore modo homo ab aliis permultis animalibus in odoratu vincitur, posteriore eisdem superior est, vt colligi potest ex cap. 2. lib. 5. de Animalium ortu, & ex eo quod idem docet cap. 5. lib. de sensu, homini esse proprium vt recreetur odoribus, qui per se ac vi sua voluptate afficiunt: quales sunt qui effiantur è floribus, quique ab alimentis suis separati. De odoris verò natura idem Aristo. contra Platonem ita disputat eodem loco, omnes, inquit, cùm de odore dicunt, ita sentiunt, vt alij vaporem, alij expirationem, quidam vtrumque esse ponant, quorum vapor humor quidam est: expiratio fumi speciem gerens, aëris & terræ communis est: & ex illo aqua conglobatur & cogitur, ex hac quoddam terræ genus. Sed fieri non potest vt odor horum alterutrum sit: cùm præsertim vapor ad aquam pertineat, & exhalatio fumi speciem præbens in aqua non possit existere: cùm tamen odoratui in aqua locus relinquatur. Præterea cùm exhalatio eodẽ modo quo fluxio dicatur, profectò si odor fluxio non est, neque exhalatio rectè esse dicetur. Tandémque concludit odorem nõ esse fumidam exhalationem igneam, vel aëream, sicut de illo vulgo existimari solet. Quoniam non in aëre modo is percipitur, sed etiam in aqua, sicut pisces apertè declarant, qui ad pastum odore allecti accurrunt, in aqua autem nullus aer est, inquit ille, sed cùm ineſt statim eminet: ignis verò multo minùs. Sed quia aër & aqua humida sunt elementa, odórque omnis caloris rim habet, idcirco in humore siccitatis affectionem esse quandam, quæ prius quàm odoratum reipsa moueat, per aërem diffunditur & per aquam, propter naturæ similitudinem, quasi diluitur.

8 Saporum differentias ex agendi facultate & modo, sic Plato distinguit in Timæo. Tenduntur, inquit, à lingua venæ ad cordis sedem saporum vtensilia. In quas si quæ ita inciderint, vt humidam carnis mollitiem penetrantia, verrentia, sua natura modicè liquefacta, venas ipsas contrahant arefaciántque, saporem eiusmodi pariunt. Videlicet si asperiora sunt, acerbos acréſque, sin aspera minùs, austeros & ponticos. Quæ & illas purgant & si quæ, linguæ inhæresc unt, abluunt: si vltra modum id faciant naturæq; illius nonnihil liquefaciant, qualis est in nitro potentia, amara nominantur. Sin autem vim nitro temperatiorem habent leuiúsque abstergunt, salsa sine amaritudinis asperitate, magísque amica nobis apparent. Quæ applicata oris caliditati, ab eóque mollita & feruefacta, vicissim feruefaciunt suáque leuitate sursum ad sensus capitis eleuantur, suóque acumine singula diuidunt, propter huiusmodi vires acuta vocãtur. Quòd autem dulcem saporem reliquis omnibus contrarium Alcinous esse ait, id ex eo intelligendum est, quod apud Platonem, sicut & apud Galenum, hic in varietate saporum medio est. At in omni contrarietate medium cum vtrouis extremo compositum, alterius contrarij rationem obtinet: vt etiam Aristo. docuit in physicis. De quibus sic Plato in Timæo. Omnibus quæ de his dicta sunt contraria passio, à carne contraria proficiscitur. Quando verò ingredientium qualitas humida est, singulæ qualitati naturaliter concors & cõsentanea, ac lenit mollítque eam, contemperque demulcet asperitatem, & quæ præter naturam contracta vel sparsa fuerunt, relaxat vel colligit, ac summatim naturalem singulis restituit habitum: itaque huiusmodi omne amicúmque est omnibus, violentarum quoque passionum medicina atque remedium, dulcéque vocatur. Apud Arist. autem de dulci idem dici non potest. Quoniam in saporum differentiis eo non tanquàm medio, sed vt extremò altero vtitur: cui amarum opponit. Ideóque in eorũ dimensione inter Platonem, quem Galenus sequitur, & Aristotelem interesse alio loco obseruauimus.

seruauimus, quod hîc in extremis differentiis ponit dulce & amarum, rationem habens vel sensus, quem duo hæc extremo quodam modo afficiũt, in eóque longissimo interuallo à seinuicem seiuncta sunt, vel nutritionis: in qua quod dulce est maximè nutrit, quod amarum omnium minimè. Galenus autem hæc referẽs ad temperamenta corporum, quibus insunt & quorum signa sunt, acre & acerbũ pro extremis, dulce pro medio esse vult: quia hoc naturæ maximè tẽperatæ indicium est, acre calidæ, acerbum frigidæ. Sed ad Platonem redeamus. Hic quanquam in rebus omnibus explicandis figuris, quas à Pythagoreis acceperat, valde sit delectatus, saporum tamen differentias ex sensuum affectionibus, quàm ex illis maluit distinguere. Democritus autem cõtrà, singulis saporibus propriam figuram attribuit, saporémque dulcem appellauit, qui rotundus amplúsque est; acerbum, qui figura magna perficitur: asperum, qui multis angulis distinguitur miniméque orbiculatus est: acutum qui mole constat acuta & nucis pineæ speciem gerit, & incuruus, tenuis, nullóque orbe conglobatus est: acrem qui orbiculatus, tenuis, angulatus & incuruus est: salsum qui angulatus, magnus distortúsque est & cruribus paribus constat: amarum qui rotundus, leuis atque distortus, parua cum magnitudine: pinguem qui tenuis, rotundus paruúsque. Quod obseruat Theophrastus cap. 2. lib. 6. de causis plantarum: & in eodem Democritũ Arist. exagitat. cap. 4. lib. de sensu. De saporum autem differentiis sic Theophrastus cap. 4. lib. eiusdem, Saporum genera, inquit, septem esse putantur, sicut & odorum atque colorum. Hoc ita tamen verum erit, si salsum non alium quàm amarum posueris: quemadmodum & si fuscum, non alium quàm nigrum. At si secernas, octauum hunc esse necesse est. Quippe dulcis, pinguis, amarus, austerus, acris, acutus, acerbúsque numerantur, salsúsque octauus subiungitur. Sunt qui vinosum quoque adiiciendum putarunt. Fructibus enim compluribus inest & in terra nonnunquam talis comprehenditur sapor. Adhæc lactis sapor redigẽdus ad dulcem, minus apparet. Hic enim interdum tanquàm species dulcis obiici potest. Nec verò vini saporem tribuere alicui facilè est: sed sui generis is quoque esse videtur, qui & dulcem & acerbum & austerum possit recipere. Verùm hoc nihil forsitan refert ad ceterorum contemplationem. Numerus autem septenarius præcipuus est & naturæ familiarissimus. Galenus Platonis locum, quem nunc sequitur Alcinous, interpretatur cap. 28. lib. 2. de facultatibus simplicium medicamentorum, cum eodémque Theophrasti diuisionem sic comparat. Plato duos sapores, inquit, memorat eiusdem speciei, sed in ratione maioris ac minoris differentes. Eorum vnum austerum, alterum acerbum nominat. Porrò acerbus illius intentione prouenit, sicut & ipse Plato significauit. Atque hos pro vna specie numerabimus. Altera species est eorum, qui illis oppositi sunt, nitrosorum videlicet, salsorum & amarorum: in quibus etiam amarus ex nitrosi prouenit intentione. Salsus verò aut nitroso imbecillior, aut astrictionis quoque aliquid assumens. Deinde à Platone acris expositus est, mox acidus, postremò dulcis. At à Theophrasto additus est vnctuosus siue pinguis: à Plarone quidem in sermone de propriis linguæ sensoriis præteritus, verùm paulò ante plantarum succis ascriptus: vbi vinosum ab oleoso & melleo discernebat. Vbi autem ad sensus gustoria transit, protinus dulcem memorauit. Nihil enim retulerit dulcem an melleum dicas: velut nec pinguem an oleosum. Omisit autem pinguem, vt qui ad gustum nihil attineret. De natura autem corporum, quæ his saporum differentiis sunt prædita, sic idem scribit cap. 7. li. 4. de facultatibus simpliciũ medicamẽtoriũ. Astringens, terrenũ esse & crassum corporis consistentia, qualitate verò frigida, priorémq; differre ab acido. quoniã hoc tenuitate partiũ prẽditũ est, sed per-

inde atque astringens refrigerat. Acido frigidius esse, quod ecerbum appellarur. Quoniam vt ex Theophrasto eodem cap. commemorat, fructus arborum initio acerbi sunt, verùm affluentis humoris copia, progrediente tempore acidi efficiũtur. Deinde ad perfectam maturitatem perducti, ab ipso calore moderato dulcedinem accipiunt. Quare rectè dictum est à Platone quæcumque partes eiusmodi in succis deferuntur terrestres, his liquefactas contrahi atque exsiccari humidas linguæ sensibiles partes: ac si exasperant, acerbas, sin minùs id faciant, austeras apparere. Atque eiusmodi sapores qui infrà dulcedinem sunt, quia substantiam à calore non satis coctam significant, frigoris sunt indices: sed in eo intentione & remissione differunt. Caloris autem immoderatio alios sapores parit superioribus contrarios, amarum, salsum & acrem. Amara enim & salsa immoderatum calorem habere, idem Galenus docet cap. 9. & 21. lib. eiusdem, acrésque sapores omnium esse calidissimos cap. 18.

9 De varietate eorum, quæ sensu tactus à nobis percipi possunt dictum est abundè cap. 9. lib. 4. nostræ prioris descriptionis physicæ: atque eo loco quæsitum, vtrùm hic sensus vnus ex eo deberet censeri, quòd obiecta omnia instrumento vnius modi & eadem ratione affecto, percipiat: an verò multiplex, quòd obiecti differentiæ non possint, sicut in aliis sensibus, ad vnam primam contrarietatem reuocari. Nunc obseruandum est in illis qualitatibus, de quibus hic sensus iudicat, quasdam esse primas, vt calorem, frigus, humorem & siccitatem, alias ex illarum actione atque passione natas. Quales sunt quæ ex Platone *hic* enumerantur: de quibus sic ille scribit in Timæo, Durum, inquit, dicimus *illud* cui nostra caro cędit, molle, quod carni: résque ipsas inuicem duras & molles eadem ratione vocamus. Cedit autem quicquid paruo nititur. Harúmque affectionum causam eodem loco ad suas figuras sic reuocat. Quod ex triangularibus basibus firmamentísque ést, inquit, vt pote plano vehementer innixum, reniti tur maximè atque resistit: quódve summoperè densum est, contra venientia vehementer repercutit. Arist. cap. 4. lib. 4. Meteor. hæc refert ad humidi & sicci variam materiam. Affectionum quæ ad corpus pertinent, inquit, durities vel mollicies in eo quod terminatum est, primæ inesse debent. Quod enim ex re sicca & humida constat, id vel durum sit, vel mollé necesse est. Est autem durum id quod in se per extremitates non cędit: molle quod cędit, nec vndique per oras prementis corporis transfertur. Aqua enim mollis non est: quòd extremæ eius partes iam cùm premuntur, non cędant, sed opprimentis oras vndique cædendo amplectitur. Atque id quidem quod planè absolutéque durum vel molle est, omnino planéque tale est: ad aliud autem, id quod tale est ad illud. Hæcque inter se definita sunt: quòd magis ac minùs & dura sint & mollia. Propiùs accedit ad Platonis sententiam quod eodem capite ita concludit. Itaque id quod radium superat, inquit, durum: quod ei cędit, molle esse dicimus. Idem probl. 10. sect. 22. scribit omnia corpora mixta quæ sicca sunt, eadem quoque dura esse: & quo magis exsiccantur, eo duriora reddi. Quia verò exsiccantur per se à calore humorem absumente, aduentitia autem tantùm vi, à frigore eundem comprimente & constringente, ex eo concludit cap. 3. libr. 5. de animalium ortu, calorem per se in corporibus mixtis causam esse efficientem huius affectionis: frigus autem aduentitia tantùm vi.

10 De Leui & aspero sic Plato in Timæo, Leuis & asperæ passionis causam, inquit, quilibet intuitus, aperire aliis poterit: durities enim hanc inæqualitatem permixta: illam verò æqualitas exhibet densitati. Esse autem ipsam asperitatem ex primarum qualitatum actione ortam, potest ex eo intelligi, quòd siccus

calor agẽs in mixta humida, quæ consistentiam habent terrenam, absumit in eorum extremitate humidũ aqueum, quod glutinis erat loco. Hoc verò absumpto, ipsa extremitas ita hiare incipit, vt simul cum duritie vna pars attollatur, altera deprimatur. Ex quo asperitas enascitur. De igne verò eiusque calore itémque de rigore & tremore quæ à frigore proficiscuntur, sic idem Plato scribit in Timæo. Imprimis, inquit, qua ratione ignis calidus dicitur, videamus. Quod ita demum perspiciemus si discretionem diuisionémque ab eo in nostro corpore factam consideremus. Quòd enim acumen quoddam ea passio est, ferme est omnibus manifestum. Tenuitatem verò angulorum laterũmque subtilitatem, paruitatem, particularum motus velocitatem, quibus omnibus vehemens & penetrans est, velocitérque quod occurrit, diuidit semper & dissipat considerare debemus, figuræ ipsius generationem memoria repetentes. Ea quippe, non alia natura, nostra corpora diuidẽs & in partes exiguas partiẽs, meritò passionem illam quæ calor dicitur, inducit. Contraria verò huic passio licet cuique manifesta, sua tamen explanatione non careat. Humidæ námque partes corporum, partibus nostris humidis grandiores, cùm in corpus influunt nostrum, humorem autem nostrum coagulant atque ex inæquali & agitato, immobilem propter æqualitatẽ coagulumque faciunt inque angustum cogunt. Quod autem præter naturam coactum est, secundùm naturam renititur séque reuocat in contrarium. In hac reluctatione quassationéque tremor rigórque consistit: omnísque huiusmodi passio frigus, quódve eam infert, frigidum nominatur. In quibus licet animaduertere illum caloris causam in ignæ quærere eámque ad figuræ proprietatẽ reuocare. In eóque Galenus lib. 8. de decretis Hipp. & Plat. obseruat quid inter hũc & Hippocratem intersit in quæstione de elementis. Hippocrates elementa non nominauit, inquit Galenus, sed tantùm ex eorum concursu & confusione naturalia corpora constare asserit: nihílque vltra hæc, cùm nulla id actiua postularet necessitas, sibi progrediendum putauit, quippe qui speculatiuam artem minimè tractaret. Plato verò qui contemplatiuam philosophiam nobiliorem existimabat, solus, quæ in elementis extant facultatẽs considerare satis non habuit, sed causam quoque generationis eorum inquisiuit, inutilem nimirum medico speculationem secutus. Nam scire cur humectet aqua, vrat ignis, & cur fluat aqua, sursum feratur ignis, stabilissimáque & grauissima elementorum terra constiterit, ad morborum curationes nihil confert. Illud enim tantum ad sanitatis conseruationem morborúmque medelam sufficit, vt cognoscamus ex calidi & frigidi humidi & sicci temperatura sanitatem effici: ex horum contrà intemperaturis morbos accidere. Indagare autem an ex pyramidis partibus ignis constet, an alia aliqua causa sit, cur occurrentia corpora incidat ac diuidat, speculatiuæ philosophiæ opus est. Nec verò Aristoteles quantumuis acutus in naturæ speculatione, primarum qualitatum in elementis causas quæsiuit, quoniam eas pro formis in illis incognitis vsurpauit. Nec sic quærere voluisset, eas ad figuræ proprietatem retulisset. Hæc enim (vt disputat cap. 8. lib. 3. de cælo & cap. 6. lib. 4.) elementi actionem adiuuare quidem potest: primaria eius causa esse nullo modo potest. Ergo ignis non quia pyramidis figuram habet, calefaciendi vi à natura præditus est, sed fortasse vt celeriter penetrando, promptiùs calefaceret, hac figura ab aliis elementis est distinctus. In eo autem quod postremo loco ex Platone commemoratum est, hunc Galenus reprehendit libro de Tremore & rigore, quòd tremorem cum rigore eundem esse existimauerit. Vnius membri affectus, inquit, tremor est, corporis verò vniuersi rigor. Eo magis admiratio Platonis me subit, qui tremorem idem cum rigore censet. Si náque falsi sunt qui rigo-

rem frigus cum tremore dicunt, quo modo cum tremore rigorem idem esse credens vera dicat? Præter absurda enim quæ monstrauimus, id quoque pugnat, quòd sunt qui procul ab omni frigiditate tremant, & fieri nequeat vt qui rigeãt, alioqui non frigere videantur. Eapropter neq; à vero longè hi mihi visi sunt, qui rigorem esse frigoris sensum affirmarunt. Enimuero non idem frigui sse & tremere frigus dicas. Resoluta námque stupida, malè sentientia, quæque sensum penitus amiserint, frigida sunt omnia. Tremula etiam, attonita, comitialia, venosa, aquosa, inflata, tumida, frigida sunt omnia. Nec qua laborant, corporis frigiditatem sentiunt: propterea nec rigent. Si námque sentirent, vtique & illico rigerent. Vnde affirmem malè censuisse Platonem, qui rem eandem tremorem & rigorem esse voluit. Non enim membri vnius rigor ac tremor est: neque tremẽtibus, vt iis qui rigent, est sensus frigoris. Est & rigentium motus penitus inuoluntarius, trementibus autem, sine voluntate nunquam. Sed Platoni fortè ingeniis medicinæ id genus veniam erroris dabit: cùm aliorum corporis affectum omnium ferè exactissimè ortum explicuerit.

De una grauium et leuium.

11 Hoc loco duo sunt inter Platonem & Arist. controuersa. Vnum de natura grauium & leuium, alterum de distinctione differentiarum situs, ad quas hæc suapte natura dicuntur moueri. Priore loco de posteriore disseramus: quoniam ex eo alterius explicatio faciliùs intelligetur. Illud (inquit Plato in Timæo) absurdum est, esse duo quædam loca natura à seinuicem longo interuallo distincta, & vnum quidem deorsum vocari, alterum verò sursum, ad quem *vi omnia* moueantur. Cùm enim cælum omne rotundum sit, quæcumque *à medio æquè* distantia extrema facta sunt, similiter esse oportet extrema. Medium quoque æqualibus lineis ab extremis vndique distans, è regione æquè omnia respicit. Quoniam igitur ita mundus dispositus est, si quis dictorum quicquàm sursum esse dixerit, vel deorsum, non iniuria errare videbitur. Medius enim locus a ipso, neque sursum, neq; deorsum dici debet, sed mediùs. Quod rursus vndique circuit, neque medium est, neq; partem in se habet aliam ab alia differentẽ, quoad ipsum medium, & omnino quicquid sit è regione locatum. Ei verò quod sui ipsius simillimũ est, cõtraria nomina nullus iure attribuet. Si quid enim solidum æquilibratũmq; in medio vniuersi sit, ad nullam extremorum partem propter perfectam ipsorum similitudinem declinabit. At si quis circa illud obambulet, sæpè sibimet plantis stabit oppositis, eandémque illius partem tum sursum, tum deorsum vocabit. Itaque vniuersum cum sit rotundum, locum habere superiorem aut inferiorem vir prudens minimè affirmabit. Aristoteles autem nonnullum in ipsa vniuersitate terram, quia est in centro, natura inferiorem esse vult, & ad illam grauia omnia, quòd plurimum terræ habeant, suo pondere moueri: sed in vniuersitatis parte suprema, id est in ipso cælo, quia, vt ait, animarum est, non ex nobis tantum, sed ex ipsa natura distinctas ponit sex situs differentias, de hisque ita disputat contra Pythagoreos capit. 2. libr. 2. de Cælo, vt in illo statuat dextram partem in oriente. Quoniam ab ea cælum moueri cæpisset, & incæpisset: & in animalibus ea secundùm naturam dextra pars esse dicitur, à qua fit motus. Sursum item & deorsum in eadem ita spectat ex duobus ventribus, vt eum qui supra nos est ad inferiorem cæli partem pertinere velit, ad superiorem autem alterum qui nobis non apparet. Hoc enim eo loco ita concludit. Perspicuum igitur est, inquit, verticem eum qui obliteſcit, superiorem cæli esse partem, eósque qui illic habitant in superiore hemisphærio esse, & in dextris partibus: nos verò inferiorem & sinistra loca incolere, contrà ac Pythagorei sentiunt. Nos enim illi in superiore & in dextra parte esse faciunt, eos verò

qui illa loca incolunt, in inferiore atque siniſtra. Quod contrà fit. Sed in ſuperioribus ſecundæ circumuectionis, id eſt, eius orbis in quo ſtellę errantes ſunt, partibus, in ſuperioribus & in dextris habitamus: illi autem in inferioribus & ſiniſtris. Et cap. 1. lib. 4. abſurdum eſt, inquit, non exiſtimare aliquid eſſe in cœlo ſuperum & inferum: quemadmodum nonnullis placet. Negant enim eſſe in eo ſuperum locum vnum, alterum inferiorem, ſi vndique ſimile eſt, & omni ex parte aduerſis veſtigiis ſuis quiſque qui iter facit, inſiſtere poſſit. Nos autem extremam & ſummam vniuerſi partem, ſummum locum dicimus: qui & ſitu ipſo ſummus eſt, & primus naturæ ordine. Quoniámque eſt aliquid cœli extremum & medium, profectò eiuſdem erit & pars ſuperior & inferior. In quibus mirum profectò mihi videri ſolet, natura dextrum in cœlo ſtatui ab Ariſtotele in ea parte, à qua Sol nobis oritur, & ab eodem concedi nos eſſe in mundi parte inferiore, alios nobis oppoſitos, in ſuperiore. Nam cùm his ſuum ſit orientis punctum, aliud à noſtro, fatendum eſſe videbatur aut dextrum in toto cælo non eſſe vnicum, neque natura definitum (quod tamen eo loco Ariſtoteles vult) aut illud in Oriente partis ſuperioris mundi, potius quàm inferioris, propter illius dignitatem ſpectandum. De cauſis autem grauitatis & leuitatis (qui locus eſt alter comparationis huius) ſic Plato in Timæo. Si quis in ea mundi regione, quam vt plurimùm ſortitus eſt ignis, & ad quam vndique fertur, inſideat, vímque aliquam nanciſcatur, per quam ignis partes arripiat, librétque, aut vbi in ſtatere lancibus collocauit, vt deorſum in diſſimilem detorqueat aërem, conſtat planè minorem ignis portionem maiori facilius coactum iri. Vbi enim duo ſimul vno robore ſuſpenduntur, minus quidem magis, plus autem minus vim inferenti cedit: & vnum quidem graue, deorſumque ferri dicitur, alterum ſurſum ac leue. Idem nobis terram habitantibus accidit. Nam terræ innixi, per eámque gradientes, tertena genera inuicem ſeparamus ac diſtinguimus, & ſæpè terram in diſſimilẽ aërem iacimus, violenter prætérque naturam, ſæpè partes vtraſque cognatæ naturæ participes. Hic portio minor facilius, quàm maior ad diſſimilem locum iacta, prius violentiæ cedit, eámque leuem cognominauimus, & locum ad quem cõpellimus, ſurſum. Contrariã his affectionem, graue quiddam ac deorſum. Hæc itaque differre inuicem neceſſariũ eſt, propterea quòd generũ multitudines locum aliis contrarium obtinent. Quod enim alio loco leue eſt, leui quod in loco eſt contrario, & graue ſimiliter graui: & ei quod deorſum dicitur, id quod deorſum: eique quod ſurſum, id quod dicitur ſurſum. Omnia enim hæc tranſuerſa inuicem, & contraria, ac penitus differentia eſſe, fieríque reperientur. Vnum tamen de iis omnibus iudicandum, quòd via greſſióque ſingulorum ad ſimile, atque cognatum ferens, graue facit id quod fertur, locum verò in quem tale quid fertur, deorſum. Quæ aliter ſe habent, aliter efficit. In quo quanquã Sebaſtianus Foxius Platonem & Ariſtotel. verbis tantùm differre exiſtimet: mihi tamen eandem affectionem rebus iiſdem minimè videntur attribuere, nec eius in illis eandem cauſam reddere. Si quidẽ Ariſtoteli ignis abſolutè, & ſecundũ quamuis cõparationẽ leuis eſt, ſicut & terra grauis. At Platoni cùm ignis ad ſuum locũ fertur, leuis eſſe videtur: cùm ab eo in quamuis partẽ deſcendit, grauis. Atque apud Ariſt. quò plus ignis, eò leuitas ineſt maior, & quò plus terræ, eò grauitas quoque maior. At quia quò plus ignis eſt, eò difficilius à ſuo loco in alienũ trãsfertur, eò Platoni videtur eſſe grauior. Quod Ariſt. ipſe ſic exagitat ca. 2. lib. 4. de Cælo. Cũ ignis ſemper leuis ſit, inquit, & ſupera petat: terra verò, terrenáq; omnia deorſum & ad mediũ moueantur, non propter paruitatẽ triangulorũ, ex quibus quodque eorum conſtare dicunt, ignis ſuperiora capeſſit. Tum enim maior ignis, minus

& tardius ferretur, idémque grauior esset. Quia ex pluribus triangulis constat. Nunc autem contrà videtur. Quò enim maior est, eò & leuior est, & celerius in sublime fertur: & ex superiore loco deorsum paruus ignis celerius fertur, & maior tardius. Præterea quoniam quod pauciores habet partes, eorum quæ sunt eiusdem generis id leuius esse dicunt, & quod plures grauius: aëra verò, & ignem & aquam ex eisdem triangulis constare, sed paucitate & multitudine distingui, ob eámque causam eorum vnum, leuius esse, grauius alterum, erit aliqua aëris copia quæ aquam pondere superabit. Sed omnia contrà eueniunt. Semper enim maior vis aëris, superiora magis ac celerius petit: omninóque aëris quæuis pars sursum ex aqua euolat. Idem cap. 4. lib. eiusdem, definit graue id esse absolutè quod omnibus substernitur, leue autem quod ex omnibus exeat & eminet. Quæ autem pro diuersa comparatione modò grauia, modò leuia esse dicantur, eodem loco ita concludit. Fit, inquit, vt non vbique eadem grauia & leuia esse videantur, propter primarum naturarum dissimilitudinem. Vt in aëre grauius erit lignum quod talenti vnius pondus habebit, quàm libra plumbi: in aqua autem leuius. Id causæ est quòd in omnibus naturis, præterquàm in igne, pondus inest, & leuitas, præterquàm in terra. Ac terra quidem, omniáque quæ maximè terrea sunt, vbique necessariò pondus habent: aqua autem vbique præterquàm in terra: aër verò, nisi in aqua & terra. In suo enim quicque loco præter ignem, pondus habet, etiam aër. Idque hinc intelligi licet, quòd vesicæ inflatæ plus habent ponderis, quàm inanes. Ita si quid aëra magis, quàm terram & aquam innatare, in aqua alio leuius esse potest, in aëre autem grauius: quòd aëri non eminet, nec innatat, in aqua autem innatat. De figuris autem, ad quas horum motuum in primis corporibus causam Plato retulit, hoc ille statuit cap. vltimo libri eiusdem, illas non efficere omnino, vt quicquam sursum aut deorsum ferretur: sed vt celerius, aut tardius. Sic enim fit, vt ea quę lata sunt, & laxitatis plurimùm habent, quia multum amplectuntur, diutius sustineatur: quia nō facilè id quod subiectum est, disrumpitur. Quæ autem contrariis figuris concluduntur, ea quia paululum cōprehendunt, in fundum ac deorsum feruntur: propterea quòd facilè diuidant, & in aëre multò etiam magis, quo facilius quàm aqua rumpitur. Timæus Locrus, libr. de Anima mundi, & Natura, ab Aristotelis sententia non videtur alienus. Graue & leue, inquit, præiudicat tactus, ratio definit ex inclinatione, aut ad medium, aut à medio. Deorsum autem & medium idem censent, nam globi centrum, id est, deorsum: quod autem extra centrum est, ad extremum ambitum sursum.

Respirationis modus & vsus in homine explicatur: deinde morborum causæ, potissimùm febrium, petuntur ex elementis, quibus nostra corpora constant, & ex humoribus qui illis proportione respondent.

CAPVT 16.

1 *Respiramus verò hoc modo. Ambit nos quidem externus aër multus. Hic autem per os & nares, aliósque corporis meatus ratione cognitos, in interiores partes influit. In quibus calefactus, ad externum cognatúmque refluere nititur. Qua verò ex parte effluxerit, externum aërem rursus in interiora coërcet. Atque eiusmodi circulo sine intermissione, inspiratio & expiratio perficitur.* 2 *Morborum autẽ causas multas esse docuit.* 3 *Primùm quidem elementorum defectum & excessum,* 4 *eorúmque transmutationem in ea loca quæ naturæ minimè conuenientia: deinde præposteram cognatorum originem,* 5 *vt si ex carne fieret sanguis, aut bilis, aut pituita. Hæc enim omnia nihil aliud esse quàm colliquationem. Pituitam quidem recentem carnis colliquationem. Sudorem verò & lachrymas, quasi serum ex pituita.* 6 *Pituitam autem in externis partibus interceptam, inducere vitiliginem.* 7 *At in interioribus, cum atra bile permixtam sacri morbi causam esse.* 8 *Eandem acutam & salsam, eos affectus gignere qui in rigore contingunt.* 9 *Omnia autem ardentia corpora à bile hoc patiuntur. Innumerabiles enim affectus & multiformes, bilis & pituita pariunt.* 10 *Febrem quidem continuam, igne suum modum exuperante: quotidianam, aëre: tertianam, aqua, quartanam terra. Sequitur vt de animo disseramus, oratione*

hinc repetita. Etsi in eundem sermonem relapsi, superiora fortasse repetere videamur.

IAC. CARPENTARII COMMENTARIVS IN Caput 16.

In quo prima est disputatio de respiratione, an insit piscibus, & cuius facultatis sit actio. Quæ digressio est octaua.

De respiratione, quoniam controuersia est Philosophis & Medicis nobilis, de ea hoc loco quærendum, in quem vsum comparata sit, cuius facultatis actio, & quæ corporis partes organicæ ad eam necessariæ: vt ex his intelligatur, quibus animalibus eadem data sit, & vtrùm piscibus in aquis denegata. De quibus non modò Platonis & Aristotelis opiniones examinandæ sunt: sed cum Medicis sedulò conferendæ. Quoniam in quæstione eiusmodi hi vtroque Philosopho accuratiores & exactiores esse debuerũt. Vt totius corporis perspiratione per meatus occultos, calor in omnes partes diffusus creatur, & fuliginosis excrementis humoris in quo fouetur, dum purgatur, arcet eam putredinem, quæ facilè accidit tali perspiratione impedita: sic idem calor vitæ opifex, in corde sedem habens, manifesta respiratione indiget, vt alterna expiratione & inspiratione, spiritũ qui iam plus satis incaluit, expellat, in eiúsque locum nouum attrahat: sine quo subita suffocatio animalibus facilè accideret. Quod quidem in sanguineis in aëre viuentibus manifestum est: in quibus pulmones manifesta dilatatione & contractione, expirationi & inspirationi subseruiunt. Vt verò pro corde sede caloris vitalis, quædam animalia partem habent aliam, quæ huic proportione respondet, cuius non in omnibus facilis est obseruatio: sic pro pulmonibus quædam brãchias habere dicuntur, alia fistulas, nonnulla foramina, aut valuulas, per quæ ea etiam munera obire videntur, quæ manifestæ expira-

expirationi & inſpirationi proportione reſpondent. Quoniam vbi actionum & facultatũ proportio quædam eſt, ibi quoque proportionem adeſſe oportet partium organicarum, quæ illis ſubſeruiunt. Addo etiam illud, quemadmodum aſſumptum alimẽtum non ſolùm reparat quod de noſtri corporis ſolidiore & carnoſa ſubſtantia effluxit, ſed etiam ſi in ea intẽperies quædam ſit, illud idem contraria ſua qualitate hãc immutat & corrigit: ſic aërem per occultam perſpirationẽ & manifeſtam reſpirationẽ, non modò in nouos ſpiritus conuerti, in locum eorum qui diſſipati ſunt, ſed eos qui inſunt, ſuis fuliginoſis excrementis repurgatos, temperare prohiberéque, ne inflammentur. In quo eius de quo quæritur, finis, & in relatione ad ſuũ finẽ vſus eſt poſitus. De expiratione autẽ, & inſpiratione, ſic Plato ſcribit in Timęo. Cùm diſcurſiones duæ ſint, inquit, vna per corpus extrà, altera rurſus per os ac nares, cum anhelitus ad alia impetum facit detrudítque, alia contrà retrahit atque repercutit. Quod autem retractum eſt, in ignẽ incurrens, caleſcit: quod exhalauit, friget. Dum ergo caliditas permutatur, & quę alio tranſitu vtuntur, caleſcũt, ac rurſus quod feruet, ad naturã ſuam emigrat, & hanc emigratione ſua in aliud iter repercutit, rurſúſque hæc idem perpetiũtur, agúntque ſemper, certè anhelitus hic circulo quodam hinc & illinc iugiter fluctuans, expirationẽ & inſpirationem continet. De pulmonũ verò vſu in eadẽ reſpiratione, eodem loco ſic ſcribit. Cùm Dij cognoſcerent, inquit, cor rerum terribilium obiectu trepidaturũ, & ira ſæpius flagraturũ, ídque opus omne per ignẽ fore, æſtus eiuſmodi temperandi gratia, pulmonũ tegmen cordi adhibuerunt, molle primùm atque exangue, deinde cauis extrinſecus fiſtulis ſpongiæ inſtar diſtinctũ: vt ſpiritu potúq; hauſto, cordis ardorem, huiuſmodi reſpiratione & refrigerio, tepefaciat. In quo à Galeno repræhenditur lib. 8. de Decret. Hipp. & Plat. quòd nõ ſatis acutè reſpirationẽ à perſpiratione diſtinxerit. Errauit Plato, inquit Galenus, cùm noluerit Hippocratẽ ſequi, hęc in libello de natura hominis dicẽtem, Et hæc omnia tibi faciet omnibus diebus & noctibus, hyeme & æſtate, donec idoneus ad attrahendũ in ſe ſpiritũ, & rurſus emittendum fuerit. Attrahit verò in ſe homo exteriorem aërẽ per os in pulmonẽ, per cutem in arterias: ac rurſus per eoſdẽ meatus, per quos accepit, remittit. Altera igitur ex his operationibus reſpiratio, altera quæ per cutẽ fit, perſpiratio ſeu diffiatio appellatur. Quas tamen vtraſq; neq; inter ſe connexas, neq; ab vna facultate profectas confundens Plato, vt ex his quæ modò dixi, demõſtratũ eſt, de reſpiratione in Timæo diſſerit, his verbis. Videamus prętereà, inquit, quibus cauſis reſpirationis affectio in hũc modũ qualis nũc eſt, facta fuerit. Quod ita liquebit. Cùm nihil vacuum ſit, in quod ex his quæ fe-

runtur, aliquid possit irrumpere, & spiritus è nobis foras exiliat, omnibus perspicuum est, eum non in vacuum ferri, sed vicinum aërē è propria sede depellere. Depulsum verò illum, proximum atque hūc item alium subinde impellere, eáque necessitate fieri, vt circumagitatus compellatur in eum locum, vnde exierit spiritus: ingressúsque illuc ac repleta sede, halitum ipsum subsequatur, atque hoc totū quasi rota circumuoluatur. Ita fit propterea, quia vacuum nullum reperitur. Quamobrē cùm è pectore & pulmone foras exierit spiritus, ab aëre qui corpus ambit, intróque per raritatem carnis penetrat, ac circumuoluitur, locus eius repletur. Qui aër deinde rursus regrediēs, & foras per corpus exhalans, intrò respirationem per oris & narium tramitem introducit. Quibus omnibus Galenus partim eodē loco, partim in fragmento Cōmentarij, de iis quę medicè à Platone dicta sunt in Timæo, hoc potissimùm reprehendit, quòd dilatationem contractionémque arteriarū, in qua totius corporis perspiratio est, à motu pulmonum, in quo propriè libera respiratio, non distinguat: quòdq; non animaduertit, horum motum voluntarium esse, illarum verò minimè, & quòd in hac ipsa manifesta respiratione, attractionem aëris, quæ à pulmonibus fit, tollat, pro illáque nescio quam ipsius circumuolutionem comminiscatur, vt obseruatum est cap. 14. lib. 8. de Placitis. Idem verò quanquam de Aristotele persuadere conetur, hic tamē occultam totius corporis perspirationem videtur agnouisse, & à manifesta liberáque respiratione distinxisse, cùm ita scripsit in libello de respiratione. Quoniam animantium, inquit, aliæ aquatiles sunt, aliæ terrenæ, his quæ admodum paruæ sunt & exangues, refrigeratio ex circumfuso aëre, vel aqua, satis eas ab interiru vindicare potest. Exiguo enim calore prēditæ, exiguo egent præsidio. Et cap. 6. lib. 3. de partibus animaliū, Pulmo, inquit, animalibus iis quibus inest, datur quia calorem refrigerari necesse est. Quod in iis quæ sanguine carent, natiuo spiritu perficitur, & in piscibus etiam extrinsecus per ipsam quam. Libro etiam de Somno & vigilia, in eisdem animalibus exanguibus satis apertè agnoscit in cordis motu, aut in ea parte quæ cordi respōdet, spiritus insiti, dilatationem atque contractionem, quę non ad respirationem manifestam pertinet, sed ad perspirationem, quam Galenus διαπνοὴν nominat. In iis quæ sanguinis expertia sunt, inquit, & quæ incisuris quibusdam constant, quæque spiritum non ducunt, principium est in parte, quæ cordis locum obtinet. Spiritus enim in iis insitus dilatari & cōtrahi perspicitur: id quod animaduerti licet in iis quæ pennas perpetuas continuatásque habent, cuiusmodi sunt, vespæ, & apes, & muscæ, aliáque eiusdem generis. Superiorem verò Platonis locum idem Aristoteles cap. 2. libr. de Respiratione, sic exa-

gitat. Quæ in Timæo scripta est, inquit, in orbem acta impulsio, nihil de cæteris animantibus statuit, quemadmodum in eis calor cõseruetur, vtrùm ab eadem, an ab alia aliqua causa. Si enim his solis animalibus quæ gradiuntur, respiratio concessa est, eius quod ait, solis, afferẽda fuit causa: Sin aliis quoque data est, sed alius est modus, de eo explicandũ fuit, siquidẽ omnia respirare possint. Prætereà modus causę commẽtitius est. Cùm enim per os calor foras excurrit, circumfusum aëra pulsu agitari, eundémque in locũ illabi dicit per carnes quę rarę sint, vnde calor insitus exierit: quòd nihil sit inane, ita sibi vicissim per quandam antiperistasin succedentibus corporibus. Concalescẽte verò rursus per eundẽ locum foras excurrere, túmque eum qui extra mittitur, in corpus vicissim per os aëra calidum, qui expulsus fuerat, impellere, ídque semper respirando & expirando facere animalia. Hi autem qui in ea sunt sententia, primùm coguntur expirationẽ, prius quàm inspirationẽ concedere. Quod hinc sciri potest, quia hæc mutua quadã vicissitudine inter se consequuntur. At morientes edũt spiritum, ita necesse est principiũ esse inspirationẽ. Prætereà cur animãribus respirario & expiratio data sit, non exposuerunt qui hoc defendunt: sed vt de re fortuita aliqua solùm de eis mentem suam explicauerunt. Quibus exagitatis, ipse de eiusmodi affectione hæc ex sua sententia eodem loco statuit. Respirationẽ in eum vsum esse datã, vt fuliginoso spiritu per expirationẽ pulso, & frigidiore aëre per inspirationem attracto, cordis calor temperetur: eius verò gratia pulmones in animalibus sanguinem habentibus esse conformatos, & ipsi cordi vtilissimè circumpositos: qui in ipsa expiratione ad pellendũ contrahantur, in inspiratione ad recipiendum dilatentur. Ex quibus concludit, piscibus respirandi facultatem non inesse: quia neque hac indigẽt, cùm sint proprietate loci in quo degunt, contra caloris æstum satis temperati: neque ad eam habeant instrumẽta conformata ab ipsa natura. Quæ vt nihil frustrà facit, sic nec vlla indigentia laborat: nec quicquam facit tale, qualem ærarij fabri gladium Delphicum, ad duos vsus propter inopiam, vt idem scribit libro 1. Politicor. Hoc verò nobilem aliam quæstionem continet, quæ nobis etiam hoc loco pluribus explicanda. Propriè dictam respirationem, qua externus aër per arteriam asperam manifestè attrahitur, & in pulmonibus susceptus, ad cor defertur, piscibus non inesse, cum Aristotele sentire videtur Galenus cap. 2. lib. 6. de Vsu partium, & apertius capite 9. libri eiusdem, sed de branchiis, an pulmonis loco esse possint, ab eodem dissidere. Vtilitas vocis, inquit Galenus, piscibus certè nulla est, vt qui in aqua degant: sed ne respirare quidem ipsis licet per pharynga, quomodò ne nobis quidem ipsis, quando in eam mersi fuerimus.

Non igitur quemadmodum volucribus, ac greſſilibus animalibus, ita etiam illis è re fuit, maximum vnum reſpirationis ac vocis ortum eſſe meatum: ſed earum quas branchias nuncupamus, conſtructio ipſis vice pulmonis eſt. Cùm enim crebris ac tenuibus foraminibus ſint branchiæ hæ interceptæ, aëri quidem & vapori peruiis, ſubtilioribus tamen quàm pro mole aquæ, hanc quidem extrà pellunt, illum autem promptè intromittunt. Deinde ſubiicit eandem omnino cauſam cum Ariſtotele: quòd natura piſces frigidiores ſint, quàm vt ipſorum cor magna indigeat refrigeratione. Indicant autem, inquit, eorum temperamentum cùm alia multa, tum maximè ſanguinis penuria. Aut enim carent omnino, aut paucum planè habent ſanguinem. Quocirca quæ aquatilia multo ſanguine ſunt prædita, ac calida, vt Delphinus, Vitulus, Balena, hæc omnia ex aëre reſpirant, incredibili quodam reſpirationis modo. De Delphino & Balena, idem ſcribit Ariſtoteles cap. 13. lib. 4. de Partibus animalium, itémque cap. 9. lib 4. de Hiſtoria. De branchiis quoque quòd pro pulmonibus datæ ſint, eadē eſt huius ſententia, non ſolùm his locis, qui modò citati ſunt, ſed & apertius libro de Reſpiratione. Niſi fortè hoc interreſt, quòd per branchias aquæ tantùm hauſtu, non aëris attractione, piſces refrigerari Ariſtoteles arbitratur: Galenus autē per tenuiſſimos branchiarum meatus, aërē cum vapore penetrare vult, aquā verò tranſmittē repelli. Sic enim hic de vſu brāchiarum & pulmonum in refrigerandis animalibus loquitur cap. 4. lib. de Reſpiratione. Nullum animal, inquit, adhuc viſum eſt, quod pulmonem & branchias habeat. Idque factum eſt propterea quòd pulmo refrigerationis, quę ſpiritu affertur, gratia comparatus eſt: branchiæ verò, propter eam refrigerationem, quæ ab aqua proficiſcitur. Atqui inſtrumentum vnum vni muneri ſui eſt, & refrigeratio ſatis eſt omnibus. Quapropter cùm natura nihil fruſtra, & ſine cauſa facere videamus, & cùm duo ſint, alterū fruſtra & ſuperuacaneum eſſet, fit vt aliis branchiæ datæ ſint, aliis pulmo, vtrumque nulli. Hoc verò Ariſtoteli proprium eſt, quòd negat in aqua aërem putat eſſe poſſe (hoc enim contra Democritum diſputat initio libri eiuſdem) neque ſi inſit, illo cum aqua per branchias tracto, fieri iſtam ſecretionem, quam Galenus loco ſuperiore commiſci videbatur. In quo aſſentior Iulio Scaligero in diſputatione contra Cardanum, & Commentario in librum primum Ariſtotelis, de Plantis. Aërem è ſua ſphæra deſcendere, inquit, atque in fundo maris fluuiorúmve miſceri, monſtrum eſt in Philoſophia. Aër etiam ſi deſcendat, non poteſt aquam findere atque diducere, vt ſubeat ad fundum vſque. Aër aut eſt aquæ commixtus, ita vt vnum ex vtroque mixtum ſit: quod & nos fatemur, & addimus, & terram, &

aquam & etiam ignem. Aut est admixtus aquæ sicut aqua in cauis spongiæ. Quod si ita esset, exiliret ad locum suum. Quòd si maris aqua & fluuiorum est, vt aiunt, elementata, non potest aër in piscium faucibus ab aqua separari, ab hácq; exprimi. Nulla est machina quæ illum percolet. Spiritus cum calore cælesti, quem Arist. scribit lib. 2. de animaliũ ortu, per omnia esse fusum, sicut & Cicero ex Stoicis lib. 2. de natura deorum, aquæ quidem inest, sine quo pisces in ea nõ possent viuere: sed hic aër non est: sed aëre quiddã diuinius. In quo minimè eadẽ est ratio terræ & aquæ. Quoniam in terra certũ est meatus interpositos esse, per quos aër deferri potest ad ea animalia, quæ in ea viuunt, sicut in talpa experimur. Hoc verò de aqua dici non potest. Quia hæc si eiusmodi meatus interpositos haberet, cõpressa in se posset cedere: quemadmodum in terra accidere deprehendimus. Quæ omnia valere possunt ad resistendũ his, quæ de eadem quæstione cõtra Aristotelem Plinius disputat cap. 7. lib. 9. naturalis historiæ. Spirant, inquit, cõfessione omnium, & paucissima animalia in mari, quæ internorum viscerũ pulmonem habent: quoniam sine eo nullum animal putatur spirare, nec pisces branchias habentes anhelitum reddere ac per vices recipere existimant, quorum hæc opinio est: nec multa alia genera etiam branchiis carentia. In qua sententia fuisse Aristotelem video, & multis persuasisse doctrinæ imaginibus. Nec me protinus huic opinioni eorum accedere haud dissimulo. Quoniam & pulmonum vice, aliis possunt alia spirabilia inesse viscera, ita volente natura, sicut & pro sanguine inest multis alius humor. In aquas autem penetrare vitalem hunc halitum quis miretur, qui etiam reddi ab his eum cernat? & in terras quoque tantò spissiorem naturæ partem penetrare, argumento animalium quæ semper defossa viuunt, ceu Talpæ? Accedunt apud me certè efficacia, vt credam omnia etiam in aquis spirare naturæ suæ sorte: primùm sæpè adnotata piscium æstiuo calore quædam anhelatio, & alia tranquillo cælo velut oscitatio: ipsorum quoque qui sunt in aduersa opinione, de somno piscium confessio. Quis enim sine respiratione somno locus est? Hæc quidem contra Aristotelem Plinius colligit, quibus non est difficile ex superioribus respõdere. Quanquam verò non facile sit cogitatione complecti aërem per aquam eodem modo quo per ipsam terram esse fusum: mihi tamen multò magis mirum esse videtur, quid sit in piscibus in media aqua respirantibus, quod aërem ab aqua separet. Neque enim in brãchiis tãta meatuũ angustia esse videtur, vt solũ aërẽ possit admittere, aquã omnino respuere, quod vult Gal. cap. 9. lib. 6. de vsu partiũ. & lib. de vtilitate respirationis, si modò hic eius est: neq; magis probabile, quod quibusdã recẽtioribus placet, pisces aerem cũm aqua

ore haurire: sed posteà per branchiarum rimulas aquã reiicere, ne ab hac vitalis spiritus suffocetur, aërem retinere, vt hoc interiora refrigerentur, & ipse spiritus vitalis recreetur. Quomodò, aiunt, homines in aqua spirare & viuere possent, si his in thorace datum esset foramen aliquod ad aquæ exitum: sed muti essent, quoniam vocis materia, nimirum aër in pulmonibus collectus, per eiusmodi meatum periret. Atqui nulla in piscibus eiusmodi pars interior apparet quæ hanc aëris ab aqua separationem molliatur. Adde quòd in eo ipso in quo hi pro Galeno aduersus Aristo. decertant, Galeni sententiam deserunt. Nam hic cap. 9. lib. 6. de vsu partium, scribit, pisces per tenues branchiarum rimulas aërem attrahere, aquam cum qua aër permixtus, repellere (& certè hoc esset per branchias respirare) Hi verò aiunt à piscibus aërem cum aqua ore attrahi, deinde aerem in interioribus horum partibus retineri, aquam per branchias reiici, sicque suffocationem impediri. Quod etiam si illi concederemus, non tamen per branchias, sed potiùs per os pisces respirare dicerẽtur. Quoniam ore spiritum cũ aqua ducerent, retentóq; spiritu aquam per branchias expellerent. Et certè illi hoc facile cõcessuri videntur si *modò quis attente* consideret quæ ab eisdẽ scribũtur cap. 12. li. 3. *de piscibus*. Quod verò commemorant sine aere & aura vitali nũquam aquam esse posse: ac quoniã perpetuò & sine vlla intermissione cælestes orbes mouentur & vires suas in hunc inferiorem orbem demittunt, aerem cũ vitali spiritu, quoquomodo omnibus commiscere indéque aerem & aquam perpetuò agitari etiam si placidum ventis staret mare: in eo errare videntur quòd in hoc vitalem spiritum & cælestem ab aere nõ distingunt. Sicut neque in eo quod ab ipsa experientia contra eundem Aristotelem repetunt, si in vase oris angusti & aquæ pleno concludantur pisces, illic viuere & natare, non in dies aut menses, sed annos aliquot: At si vel manu vel aliquo operculo ita os vasis omnes, vt omnis aeri aditus intercludatur, subitò suffocari. Cuius rei iunt se sæpiùs periculum fecisse. Quod sanè, inquiunt, non fieret si sola aqua ad refrigerationem satis esset. Hæc enim confirmant animalia imò verò animata omnia, cælesti quodam spiritu perfuso semper indigere, sine quo ne plantæ quidẽ possunt viuere. Quoniam vt Sol & homo hominem, Sol & Planta plantam gignũt: sic Sol horum vitam conseruat. At nihil pertinent ad manifestam respirationem ea qua hoc loco in piscibus quærimus. In quibus si est aliqua, hæc certè tam obscura eiúsque modus tam reconditus est, vt à candido lectore Aristoteles, si in ea nonnihil peccauit, veniam facilè possit obtinere. Vnum nobis est in huius doctrina explicandum, quomodò aer in respiratione dicatur interiora refrigerare cũ suapte natura sit calidus.

Contra Rondeletium.

Quod certè ex cõparatione tantùm est intelligendum. Calidus enim aer est si cum aqua conferatur: frigidus, si cum calore vitali, qui in corde residens, respiratione temperandus est. Adde quòd inspiratione & expiratione aer in pulmonibus sæpius renouatur & agitatur. Hoc verò in illo refrigerationis causa est: sicut in ventis experimur & à nobis obseruatum est lib.2. prioris nostræ descriptionis physicæ. Hoc verò etiam amplius intelligendum, in manifesta respiratione cũ spiritus vel aer per os & nares attrahitur, non esse necesse, etiam in animalibus quæ pulmones habent, omnem eum qui per nares attrahitur, ad pulmones deferri: sed huius quandam portionem ad anteriores cerebri vẽtriculos excitari, sicut in fumida odorum exhalatione experimur. Nam vt à Galeno scriptum est libro de instrumento odoratus, cùm euidentissimum sit, eum quem grauedo capitis ob repletum crassis humoribus cerebrum opprimit, sternutamento iuuari & ipsum cerebrum retentione spiritus impleri atque incalescere: æquum est cerebrum nunc spiritum trahere vt refrigeretur, nunc eundem reddere vt cum illo noxia à se expellat. Id verò fit per illius contractionem & dilatationem. Sed aliter quàm in ipsis pulmonibus. Illi enim cùm excipiunt, dilatantur: cùm expellunt, contrahuntur. In cerebro autem contrà accidit. Ex quo idem Galenus concludit, quod etiam Aristoteli placet cap.9. lib.2.de anima, nos non percipere odores nisi spiritum ducendo. Quoniam, vt ait, cùm cerebrum in se colligitur atque contrahitur, tunc extrinsecus aer ratione continui sequitur & secum odorem defert. Reliqua nunc nobis est vna quæstio de facultate ad quam respiratio pertinet, & cuius hæc actio esse dicitur. De qua hoc primum expediamus, in totius corporis nostri perspiratione, refrigerationem per meatus occultos ab aere ambiente sua tenuitate substantiæ facilè permeante nullius facultatis nostrum corpus regentis actionẽ esse, sed potius huius passionem, aeris vero ambientis actionem. Quod quidem facilè concedetur ab omnibus qui in philosophia & medicina vel leuiter tantùm erunt versati. Cordis verò diastolem & systolem, quæ hanc occultã perspirationem quodammodò habent adiunctam, facultatis cordi insitæ proprias actiones esse: quæ quanquam vt ab ea quæ hepati insita nomine separetur, vitalis soleat appellari, quia in hoc cordis motu vitæ in animalibus cor habentibus, principium est & causa, tamen hoc ipso naturalis dici potest, quòd eius actio in nostra voluntate non est: quoniam cùm volumus neque hanc inchoare possumus, neque sistere. De manifesta respiratione, quæ in pulmonum dilatatione & contractione consistit, non eodem modo videtur esse statuendum. Nam quia hæc perficitur dilatatione & cõtractione thoracis ab huius musculis, quorum

motus liber est, & ab animali facultate per neruos libera quoque esse videtur. Siquidem author est Galenus initio libri.1. de motu musculorum, motus qui ex arteria & vena procedunt, naturales esse & voluntatis expertes: qui autem à musculis, animales & voluntarios. Ac idem lib.2. vult voluntariarum actionum hæc esse signa, si sedare eas possumus cùm volumus, sique easdem modò crebriores, modò rariores, itémque citiores & tardiores edere. Tale autem esse respirationis opus, inquit, declarauit seruus quidam barbarus, qui cũ vehementi ira concitatus mortem sibi conscisscere decreuisset, prostratus humi respirationéque cohibita, longo quidem tempore immobilis extitit, posteà verò paululum volutatus, hoc pacto mortuus est. Modò tamen in hac quæstione teneamus, quod hic quoque admonet initio lib.1. voluntatis nomine, siue hæc προαίρεσις siue βούλησις nominetur, animalem etiam impetum esse intelligendum: qui eius facultatis est quæ ὁρμὴ dicitur. Quoniam priora duo si propriè vsurpentur, non possunt ad ea omnia animalia pertinere, cum quibus nobis est communis respiratio. Quibus omnibus illud etiam ex eodem lib.2. de motu musculorum, addamus non esse existimandum actiones omnes, quæ fiunt in dormientibus & profundiore somno oppressis, naturales esse. Quoniam, inquit, dormientes varie membra mouent & pleraque loquuntur: quorum neutrum in naturæ operibus potest numerari. Quæ omnia etiam si Galeno concedamus, non tamen erit facile ea quæ in contrariam partem afferri possunt, explicare. Quibus idem nonnunquam commotus hanc mediam actionem esse fatetur & facultatis naturalis atque animalis quodammodò participem: si modò eius liber est qui introductio, siue medicus inscribitur. Contra priorem opinionem multa commemorat Auerroes cap. 19. Sectionis.1. collectaneorum de his quæ ad medicinam pertinent. Tandémque cõcludit probabilius videri respirationem compositæ esse actionem, partim ad animalem, partim ad naturalem facultatem pertinentem, quàm animalem dici tantùm: & fortasse omnium optimè eos sentire qui illam naturalem potius quàm animalem esse dicunt. Atque in hac disputatione, logicarum artium ignorationem Galeno obiicit: quod de propriis motus voluntarij instrumentis vitiose concludere videretur. Quibus hoc non leue adiici potest, quamcunque animalis facultatis partem, ad actionẽ suam ab aliquo obiecto posse excitari: quod quidem sub speciem boni apprehensum moueat vel voluntatem propriè dictam, quæ hominum tantùm est, vel appetitionem animalem, quæ nobis communis cum belluis: deinde hanc per calorem & spiritum mouere ea instrumenta, quæ ad facultatis actionem sunt destinata. Sic enim animalem progressionis motum

excitari

excitari Aristoteles docuit cap.10.lib.3. de Anima, & libro de animaliũ motu. Quare si respiratio animalis est actio libera, ea nunquã edetur nisi ab appetitione (sub qua etiam voluntatem cõplector) propositum finem habente. Hoc enim Aristo. eodem loco scribit. Finis verò ipsius sub specie boni antecedẽs apprehensio vel rationis erit, vel certè imaginationis. Quod in animali motu contingere omnibus philosophis est manifestum. Atqui in dormientibus, nihil omnino somniãtibus, neq; ratio operatur, neque imaginatio. Nulla igitur apprehensio, nulla animalis appetitio, quæ ab obiecto fine excitetur. Et tamen in eis nulla est respirationis intermissio. Quo modo igitur hæc animalis actio esse dicetur? In quo mihi videntur dubitationem hanc verbo eludere (quanquã fortasse hoc illi ex Galeno) qui respirationẽ voluntariam esse dicunt, non κατα προαίρεσιν, sed κατ ορμὴν. Quoniam in dormientibus sine vllis insomniis, ne eius quidẽ facultatis siue partis quæ ὁρμὴ nominatur, motus vlli apparent: προαίρεσις verò multo minus. Moueor etiam eo quod animaduerto Galenũ in diuidendis partibus vel facultatibus animæ harũ sedibus distinguẽdis, Platoni omnino assentiri huiúsq; sententiã laudare cũ aliis locis multis, tum maximè libris de Decretis Hippo. & Platonis. Ac Platoni ὁρμὴ in corde sedem habet (quod omnes mihi cõcedent, qui in huius doctrina sunt exercitati & ex cõmentario in caput proximũ facilè intelligetur) Galeno autẽ pars animæ siue facultas, à qua respiratio, in cerebro est: quæ animalis appellatur: cùm tamen hic fateatur ab animali impetu (sic enim τὴν ὁρμὴν interpretemur hoc tẽpore) respirationem plerumque proficisci. Et certè Arist. sub finem lib. de animalium motu, sequutus hæc eadem fundamenta quæ paulo ante vsurpauimus, somnum, vigilias, respirationem, non voluntarios motus appellat. Quoniam horum nulli, inquit, nec visio, nec appetitus planè imperat. Et cap. 6. libr. 8. Physicorum, eandem respirationem, cum accretione & decretione numerat inter motus naturales: quibus, inquit, vnumquodque animal agitatur cùm quiescit: nec eo motu cietur, quo à se ipso mouetur. Atque si de actione qualibet potissimum iudicandum est ex vsu & fine (quoniam in hoc cuiúsque summa & prima perfectio) respiratio quæ ad cordis refrigerationem potissimùm est destinata, talis in hac relatione suapte natura censeri debebit, qualis ipsius cordis in dilatatione & contractione ad eandem refrigerationem actio. Hæc verò quæ propriè vitalis, naturalis etiam appellatur, prout naturale animali ex altera parte opponitur. Et tamen ipsa respiratio animalis facultatis instrumentis, vt musculis & neruis, indigebit. Quia ipsæ facultates nostrum corpus regentes, in plerisque mutuis auxiliis se adiuuant. Quod

cùm accidit, tum ea quæ inferior est & posterior (non dico dignitate sed quasi nascendi ordine: quomodò se habet animalis ad vitalem in his quæ sunt necessitatis) superiori obsequitur, vel ab hac quasi cogitur. Quoniam cordis actio ad vitã magis est necessaria, quàm motus vel sensus, quæ à cerebrò per neruos & musculos proficiscuntur. Itaque quanquam in cęteris neruorum & musculorum actionibus antecedere oporteat animi apprehensionem, quæ cùm appetitione hæc instrumenta moueat: in respiratione tamen hoc non est necessarium. Quia huius indigentia ad vitalem, animalis facultatis instrumenta quodammodo cogit. Quo fit vt etiamsi de dilatandis pulmonibus per neruos & musculos, nullo modo cogitemus, nullaque ad id nos commoueat imaginationis apprehensio, qua animalis facultas excitatur, respiremus tamen: imò plerumque dormientes, nihil omnino somniantes, id magis quàm vigilantes faciamus: quo tamen tempore animalis facultas à proprio munere omnino requiescit. Idque quoniam tum cordis calor maiore indiget refrigeratione. Ad quam cùm non sufficiat proprius cordis motus & arteriarum, huic manifestam respirationem subseruire est necesse: ad hancque superioris naturæ vi (superiorem verò dico, vt paulò ante monui, eam quæ magis vrget & sine qua altera consistere non potest, quomodò se habet vitalis facultas ad animalem) quodãmodo cogi musculos & neruos in quibus sunt alioqui motus tantùm liberi & ab antecedente interioris sensus vel imaginationis apprehensione profecti, propria instrumenta: vel potiùs hæc supra naturæ suæ proprietatem ad totius hominis conseruationem, sua sponte obsequi. Modo fortasse ei non absimili quo in mundo grauia ad fugam inanitatis, sine externa vi sursum aliquando ascendunt & leuia descendunt. Quia naturæ cuiusque proprietas, vt inferior, semper cedit commoditati naturæ uersæ, tanquam superioris. Nec verò satis est quod Galenus lib. 2. de motu musculorum, longa exemplorũ enumeratione conatur efficere, pleraſque alias animales actiones in dormientibus etiam profundissimo somno oppressis, apparere: vt eos in varias partes membra commouere: permulta loqui: nonnumquam etiam longum iter conficere. Quoniam hæc omnia non sine quibusdam insomniis contingunt, in quibus viget imaginatio: in qua satis est vitium ad mouenda propria facultatis animalis instrumenta. At in dormientibus non somniantibus, & tamen apertè respirantibus, nihil eiusmodi dici potest. Cùm in his ad dilatationem & contractionem pulmonum, thoracis musculos & neruos moueri certum sit: à qua tamen parte facultatis animalis moueantur, & quod obiectum interiorem facultatem excitet, in talibus dici nullo modò possit. Et tamen

certissimum est, philosophis præsertim, sine hoc respirationem, actionem animalem dici non posse. Nec enim satis est vt hæc eiusmodi esse dicatur, facultatis animalis instrumenta cooperari, sed multò magis facultatem ipsam ab obiecto primùm moueri necesse est, deinde hanc sua instrumenta mouere: sicut Aristoteles docet, cap.10. libr.3. de anima. Moueri autem illa ab obiecto nullo modò potest, sine huius apprehensione. Nulla verò apprehensio sine imaginatione: quæ in dormiente, nullo modo somniante, ad tempus omnino est sopita. Hæc de respiratione placuit colligere. Quòd in ea mihi longè facilius esset dubitando in partes contrarias, assensionem cohibere, quàm pro rato quicquam definire. Idque feci ea lege, vt apertè testari voluerim, me in his mihi adhuc non satisfacere: sed à philosophis omnibus & medicis vehementer expetere meliora.

1 Plato in Timæo, non vt medicus, sed vt philosophus, morborum causas explicat: in quibus hoc inter hunc & illum interesse Aristoteles obseruat libro de sensu, quòd philosophus in primis & generalibus conquiescit: medicus autem quæ specialia sunt persequitur: vt his scilicet faciendæ suæ artis rationem accómodet, quæ generalium cognitione non est contenta, sed etiam ad singula descendit, quemadmodum Galenus docet initio lib.1. de arte curandi ad Glauconem. Medicus enim, vt idem Aristo.ait lib.1. Metaph. non curat hominem vniuersum, sed Socratem, cui accidit hominem esse. Morborum autem tria genera Plato facit: singulorum generum partes multas. Nam in primo enumerat quatuor elementorum, ex quibus nostrum corpus compositum est, excessum atque defectum, & ex loco proprio in alienum trãslationem. In quo complectitur omnem intemperiem, siue solam, siue cum humoris affluxu coniunctam, & tam simplicem quàm compositam. In secundo, naturæ contrarios affectus partium similarium: in quibus vt Aristoteles ait lib.2. de partibus animalium, secunda est compositio ex quatuor elementis. Ex quo accidit, vt hi superioris generis morbos soleant habere adiunctos. Nam secundùm naturam, inquit, Plato in Timæo, carnes & nerui ex sanguine generantur. Nerui quidem à villis & ligamẽtis propter cognationem, carnes autem à coagulatione quadam eius quod secretum à villis & ligamentis concreuit. Quod rursus à neruis & carnibus emanat, glutinosum & pingue, simul quidem carnem vt plurimùm ad ossium naturã, ac etiam os ipsum medullam circundans nutriendo exauget. Quod rursus per ossium crassitudinem stillat purissimum triangulorum genus leuissimúmque & pinguedine abundantissimum, dum defluit ex ossibus atque delabitur, medullam irrigat. Quatenus igitur singula hunc in modum fiunt, bona valetudo seruatur: mala verò sequitur, quando fit contrà. Nam quoties eliquata caro tabem rursus transmittit in venas, sanguis vnà cum spiritu multus ac varius in venis, coloribus diuersis, amaritudinéque & acidis salsísque infectus saporibus bilem, cruorẽ, pituitam gignit quamplurimam. Quæquidem omnia rursus sic genita & corrupta sanguinem ipsum imprimis inficiunt & ipsa nullum nutrimentum adhibentia corpori, feruntur passim per venas nullo prorsus naturalis circuitus ordine obseruato. Deinde subiicit in secundo hoc genere, graues quidem esse passiones eiusmodi: quæ verò has præcedunt, longe esse grauiores, Quando videlicet os

Morborum tria genera Platonis.

ob carnis craſſitudinem, reſpirationē non habet ſufficientem, ideóq; putredinis calore veratum atque reſtrictum, alimenta non ſuſcipit, rurſuſq; ipſum in illam contrà decidit frigefactum: illa verò in carnem, caro in ſanguinem rurſus delabitur, vnde acriores ſuperioribus morbi naſcuntur. Extremū verò omnium eſt, quando medullæ natura, propter defectum aliquem aut exceſſum ægrotat. Hinc enim omnium vehementiſſimi & ad mortem periculoſiſſimi morbi prouentant. Tunc enim omnis cōpago corporis neceſſariò diſſipatur. In tertio genere cōplectitur omnes morbos, qui aut à ſpiritu, aut à pituita, partibus etiā diſſimilaribꝰ & organicis accidunt. Timæus Locrus lib. de anima mundi & natura, de morbis loquitur. Morbi initia ſunt, inquit, primarū facultatum intēperies ac immoderationes, ſicubi redundent aut deficiant ſimplices illæ facultates, calidi tas, frigiditas, humiditas, ſiccitas. Deinceps ſanguinis mutationes ac variationes ex corruptione, colliquatæq; carnis cauſa natæ vitioſitates, ſi quādo per mutationem ad acerbum, ſalſum, acre, ſanguinis mutationes, aut carnis colliquationes oriantur. Hinc enim bilis & pituitæ origines exiſtunt. Morboſi humores & humidorum putredines, exiles illæ quidem ſunt, quæ ad imum vſq; non peruenerūt: difficiles tamen quæ ortum & originem ab oſſibus ducunt: moleſtæ quæ à medulla pendent. Extremi morborum ſunt ſpiritus, bilis, pituita, cùm augentur, & ad partes alienas aut loca periculoſa fluunt. Tunc enim vice meliorū, membrorum occupantia, & quæ cognata erant abigentia, adhærent illic, & corpora verant & in ſui habem ipſa reſoluunt. Gal. lib. 8. de Decretis Hippo. & Plat. In prima morborū ſpecie à Platone poſita, obſeruat hoc inter illum & Hippocratem intereſſe, quòd ille vt philoſophus, noſtri corporis conſtitutionem primam refert ad elementa quatuor, ignem, aërem, aquam & terram: hic, vt medicus, libro de natura humana, ad quatuor humores, ſanguinem, pituitam & bilem, tam flauā quàm atram. Eximio Platonem laudat, quòd ſimilares partes ex quatuor humoribus ſiue ex quatuor elementis cōponi dixerit, ideóq; earum morbos in ſecundo genere conſtituerit: at in alio eundem reprehendit, quòd ſanguinem inter eiuſmodi partes ſimilares numerauerit. Quippe qui, vt ait, primæ non ſecundæ cōſtitutionis eſt. Idem libro de differentiis morborum, pro varietate eorum, ex quibus noſtrum corpus componitur, morbos diuidit, in eos qui partium ſunt ſimilarium, qui diſſimilarium ſiue organicarum, & qui vtríſque ſunt cōmunes. Partiúmq; ſimilarium morbos docet aut in ſola intēperie conſiſtere, ſiue ſimplici, ſine coniuncta, aut in eam materiæ affluxum habet adiunctum. In organicis autem vel diſſimilaribus partibus, quoniam ſpectari ſolent, figura, magnitudo, numerus, ſitus eorum, ex quibus illæ componuntur, pro horum varietate huius generis morbi ab eodem inter diſtincti. De recentioribus nonnulli morbos ſimilarium partium tripliciter diuidi volunt: quoſdam enim ad earum materiam pertinere: alios ad temperamentum: nonnullos ad interiorem formam, quæ totius eſſentiæ ſumma eſt perfectio. At mihi nemo perſuaſerit morbum vllum in eſſentiæ formam, quæ ſuapte natura impatibilis eſt, primò cadere: ſed omnis videtur ad materiam vel ad naturalem temperamentum pertinere: etiam ſi facilè concedam hanc vt plurimùm quibuſdam manifeſtis qualitatibus oppugnari, nonnunquam verò occultis. In quo tamen meo iudicio, morbum formæ vel totius ſubſtantiæ corruptelam ineſſe voluerunt. Sed ad hanc quæſtionem tractandam exactiùs, locus alius nobis eſt deſtinatus.

3 Elemēta quatuor vel fortaſſe potius elementorū primæ qualitates, caliditatis gidū, humidū & ſiccū, & in vniuerſo hominis corpore, & in ſingulis eius partibus certa quadā proportione, eá q; ad cuiuſque partis actionē accommodata, ſtipsi-

tur, non ea æqualitate quę rei est, sed quæ rationis. In quo quamquam in animali viuo calor semper frigus superat, sicut & humor, qui calori pro pabulo est, siccitatem (neque enim, pace dixerim Galeni, in humano corpore sano potest consistere illud temperamentum, quod perfectissimam ponderis æqualitatem habet, de quo etiam alio loco plurib⁹ ex Aristotele disputabimus) in prima tamen morbi specie, quæ in intemperie consistit, excessus committi dicitur, quando vna qualitas in contrariam plus habet virtutis, quàm secundum naturam in corpore benè affecto habere deberet. Vt cùm calor blandus alimentum coquens, in igneum vertitur, sicut in febribus accidere Galenus dicere solet: aut cùm humor pinguis, in quo natiuus calor fouetur, sic excrescit, vt ab ipso calore amplius regi non possit. Defectus autem, cùm frigus, quodquidem vt Aristoteles docet lib. 4. Meteor. deberet tantum calorem temperare, ne adurat, illum ita languidum reddit, vt pro plena coctione eruditas, hincque putredo consequatur, in qua morborum penè infinitorum est seminarium. Sic enim quanquam in contrariis, vnius excessus committi non possit, quin alterum oporteat deficere, vel certè langueſcere: duo tamen hæc, in morbis penes principes duas qualitates duo vitæ nostræ principia continentes, potissimùm videntur esse distinguenda. Atque, vt Galenus ait cap. 8. lib. 2. de Temperamentis, cùm propter certam ex quatuor illis qualitatibus temperiem, particula vnaquæque propriam functionem habeat, necesse quoque omnino est, propter eius temperiei vitium, aut prorsus functionem extingui, aut langueſcere, aut alio quouis modo deprauari: sicque vel in toto corpore, vel in aliqua parte animal ægrotare. Quam morbi speciem Aristoteles attigit Probl. 1. Sect. 1. Cur exuperantię nimiæ, inquit, committendi morbi vim habent? An quia vel excessum, vel defectum efficiunt? qua quidem re morbum consistere certum est?

4 Hanc humorum μετάϛασιν Sebastianus Foxius Commentario in Timæum, vult intelligi non humorum, à suo loco in alienum translationem, sed qualitatum in illis naturalium, alterationem atque immutationem. Quanquam vtroque modo potest intelligi, eóque multorum morborum causam in se continet: & ipsa alteratio, de qua Foxius, per quam naturæ proprietas in humoribus immutatur, ad exuperantiam atque defectionem, quæ primo loco posita est, potuit reuocari. Nec enim solùm bilis in quantitate exuperat, vel deficit, sed etiam in qualitate, cùm à naturæ suæ modo recedit. Atque hoc modo Plato videtur esse locutus, cùm suæ sententiæ rationem ita expressit. Horum quatuor, inquit, non naturalis excessus defectúsque, & ex loco proprio in alienum translatio, per quem quod sibi conueniens est non tenent, intestinam quandam seditionem & morbos inferunt. Quando enim præter naturam vnumquodque fit, aut transfertur, calescunt vtique quæ ante frigebant, arida madent, graueſcunt leuia, & cætera omnia similiter permutantur. Solummodò verò idem aliquid sibimet secundum idem, atque similiter & debita proportione seruata, accedens vel decedens, permittet se idem sibi ipsi sospes integrúmque manere. Quod autem aberrat, siue accedendo, siue decedendo, mutationes varias, morbos, corruptiones infinitas inducit. Porrò humores, si magna copia in aliquam partem confluunt, in hac tumorem præter naturam pariunt, qui à Galeno lib. 1. de Differentiis morborum, in varias species distinguitur, pro varietate humoris influentis: siquidem aut sanguis, aut pituita, aut bilis, hæcque vel flaua, vel atra, aut quid ex his permixtum, quæ ab eo quod superat, diuersam quoque appellationem habet. Ad eiusmodi autem humoris confluxum, facilè putredo accedit, quæ morbi potissima causa est. Neque enim hoc loco agimus de figura partis,

fluentem humorem excipientis, quæ ipso tumore vitiatur. Nam humores cùm in loco naturali sublata obstructione, liberè fluunt & refluunt, ab ipso natiuo calore reguntur, ab eodémque contra putredinem conseruantur. In alieno autem, destituti natiuo calore, extraneo vincente, facilè putrescunt. Siquidem rerum est quod Aristoteles docet lib. 4. Meteor. natiuum calorem putredini resistere, externum verò eandem inducere. Sic enim dictum videtur à Galeno Commentario in Aphorism. 12. Sect. 2. Omnem humorem alienum à natura eius in quo continetur, cùm non sit aptus ad nutritionem, sed derelictus, ad putredinem conuerti: præsertim si locus in quo collectus est, calidus fuerit. Tum enim maximè & celerrimè putrescere. Id quod in ipso sanguine animaduerti potest. Hic enim in suis vasis natiuo calore regitur, vt alimentum vltimum, & ipsi naturæ maximè familiare. Si autem ex illis in alienum locum exciderit, promptissimè putrescit. Quod ab eodem Galeno obseruatum est, in illo Aphorism. 20. Sect. 6. Si in ventrem sanguis præter naturam effunditur, necesse est suppurari.

5 Foxius eodem Commentario in Timæum, vult carnis nomine hic à Platone intelligi massam sanguinis: quæ etiam si permixtos habeat humores quatuor, tamen ex eo quod superat, sanguis solet appellari. Hic verò, vt opinor, in eam opinionem impulsus est, quòd non facile esset videre, quomodo ex carne propriè dicta, ea quæ hoc loco Alcinous ex Platone enumerat, nascerentur. Contrà verò animaduerteret multis locis a Galeno dictum, in illa sanguinis massa quatuor humores contineri. Id enim ille similitudine eleganti declarat capite 5. lib. 2. de Naturalibus facultatibus, quam hoc loco integram describam, quòd ad intelligendam veram humorum originem, maximè videatur pertinere. Ergo vinum mihi dulce, inquit, quod non dudum ab vuis sit expressum, feruens & efferascens ex eo quem in se habet calore, intellige: postea ex eius mutatione hoc prouenire excrementa, vnum leuius magísque aëreum, alterum grauius ac magis terreum, quorum illud florem, hoc fecem, arbitror, vocant. Horum si vni bilem, alteri nigram assimiles, minimè pecces. Quando non eandem habet hi succi speciem, cùm animans naturæ opera regitur: qualem cùm præter naturá se habent, sæpè exhibent. Quippe quæ flaua est, efficitur vitellina: ita enim nominant, quoniam ouorum vitellis tum colore, tum crassitudine sit similis. Ipsus nigra longè malignior, ea quoque quàm quæ naturalis est, redditur. Nomen tamen tali succo nullum est inditum: nisi quòd aliqui vel radentem eum, vel acrem appellarunt. Quoniam scilicet acris in morem aceti fit, & corpus aliud radit, etiam terram, si supra eam sit effusus. Quãdoque cum bullis veluti fermentationem ebullitionémque excitat: vbi scilicet ascititia putredo nigro illi succo naturaliter se habenti accessit. Mihíque videntur veterum Medicorum plerique, quod è tali succo naturaliter se habet, quod & infrà deiicitur, & sæpè supernatat, atrum vocare succum, non atram bilem. Quod verò ex vstione quapiam putrescentia in acrem migrauit qualitatem, id atram nuncupare bilem. Certum de nominibus habenda controuersia non est, sed veritatem sic se habere intelligendum. In sanguine generando, quicquid abundè crassum ac terrenum in cibis natura in nutrimento fertur, nec commodè à naturali calore alteratur, id lien ad se trahit. Quod verò assum (vt sic dicam) vstúmque nutrimenti fuerit, sanè hoc calidissimum in eo ac dulcissimum, qualia sunt tum mel, tum adeps, cùm in flauam bilem conuersum est, per fellis vocata vasa expurgatur. Est autem hoc tenue humidumque ac fluidum, non quale cùm ad vltimum est excoctum, flauum, igneum & crassum vitellis ouorum simile. Hoc namque iam præter naturam est, alterum verò quod prius commemorauimus, est secundum naturam

Pari modo,& id nigri ſucci quod nondum illam velut ebullitionem, fermentationémque terræ efficit,eſt naturale. Quod autem in talem mutatum eſt vim ac ſpeciem,id iam præter naturam eſt:ceu quod ex vſtione non naturalis caloris acrimoniam aſciuerit,& quaſi in cinerem ſit conuerſum. Sic quodammodo & fex vſta,à non vſta diſſidet. Illa namque admodum calida eſt, adeò vt carnem vrat, liquet & corrumpat. Altera quæ nondum eſt vſta, ad omnia Medicos vti deprehendas,ad quæ terra figulari,aliiſque quæ ſimul ſiccandi ac refrigerandi vim habent. Sanè in atræ bilis ſic vſtæ ſpeciem,etiã vitellina illa ſubinde vertitur,quoties ipſa quoque igneo percocta eſt calore. Reliqua bilis genera, partim ex iam dictorum mixtura conſtant vniuerſa: partim tanquam viæ quædam ſunt ad harum tum generationem, tum inter ſe mutationem. Diſtant verò inter ſe, quòd aliæ meracæ ſunt ac ſolæ,aliæ veluti ſero quodam imbutæ. Verùm ſeri genera quæ in ſuccis habentur,omnia ſunt excrementa: purúmque ab iis eſſe poſtulat animalis corpus. Ea verò quæ prædicta ſunt, vſum aliquem naturæ conferunt,& quod craſſum eſt,& quod tenue: purgatúrque ab iis ſanguis, tum per lienem,tũ per eã quæ iocinori ſubeſt, veſicam:ac ſeponitur vtriuſque partis tanta taliſque portio,quanta qualiſque ſi in totum ferretur animalis corpus, noxam aliquam inferret. Quod enim admodum eſt craſſum & terreum, ac prorſus eam quæ in iocinore fit, mutationem ſubterfugit,lien ad ſe trahit. Reliquum quod mediocri eſt craſſitudine, id & abſolutum iam eſt,& in omnem partem fertur. In quibus omnibus quanquam manifeſtè Galenus declaret, eos humores quos Alcinous hic enumerat ex ſanguine oriri,ſanguinem tamen non potuiſſe apud Platonem,carnis nomine intelligi,mouere Foxium debuit, quòd eo ipſo loco carnem ex ſanguine,& ex carne hos humores naſci ait. Secundum naturam, inquit Plato, carnes & nerui ex ſanguine oriuntur: nerui quidem à villis & ligamentis propter cognationem,carnes autem à coagulatione quadam eius quod ſecretum eſt. At quoties eliquata caro tabem rurſus tranſmittit in venas:ſanguis vnà cum ſpiritu multus ac varius,in eius coloribus diuerſis, amaritudinéque & acribus ſalſiſque infectus ſaporibus,bilẽ, ſerum, pituitam gignit quamplurimam. Et hęc corrupta ſanguinẽ ipſum inficiunt, & nullũ nutrimentũ adhibentia corpori, feruntur paſſim per venas,nullo prorſus naturalis circuitus ordine obſeruato. Adde quòd eodem Dialogo,carnis de qua loquitur, vſum ita explicat. Caro propugnaculum eſt,inquit,ac tegmen aduerſus frigus & calorem,& quemadmodum externa corpori fulcimenta ſolent, ad caſus varios munimentum: præſertim quia talis erat futura,vt molliter leuitérque corporibus cederet. Et alia eiuſmodi permulta,quę non niſi de carne propriè dicta poſſunt intelligi. Quare etiam ſi animaduertam nomen carnis non ſemper vno modo à Medicis vſurpari:mihi tamen ſatius eſſe videtur fateri,quod Galenus contendit lib. 8. de Decretis Hippocratis & Platonis, hoc loco non modò in ponenda humorum materia, ſed in illorum quoque generatione explicanda, Platonẽ ignoratione eorum quę Medicis propria ſunt, eſſe deceptum,quàm nominis apud illum multiplicem vſum eo loco fingere,vbi omnino ſimplex eſt. Parum etiam, meo quidem iudicio,quanquam eodem Foxio repugnante,intereſt vtrùm verbum,πακῆ,quo Plato hîc vtitur,de putreſcentibus,an de liqueſcentibus humoribus interpreteris: cùm illud vtrumque ſignificare poſſit,& in propoſito horum vnum cum altero ſit coniunctum. Hoc verò exiſtimandum,quod ex Galeno eodem loco poteſt intelligi, Platonem ſignificare voluiſſe eo calore qui in carne putredinem parit, varios humores gigni,tũ pro varietate ſubſtantiæ, quæ in ipſa carne ante putredinem ineſt,tum pro intẽtiore remiſſioréque facta, vi caloris putredinem cõmittentis. Vt quod in carne

mollius est, initio putredinis cùm calor adhuc minus est vehemens, in pituitam conuertatur: deinde calore simul cum putredine aucto, ex alia carnis portione primùm bilis flaua, postea atra gignatur. Sic enim in Timæo omnem teneriorem carnis eliquationem, vnà cum spiritu factam, quæ ex humiditate vento circumfusa tumescit, albam pituitam appellari vult, recentis item pituitæ residuum defluxúmque, lachrymas atque sudorem. Portionem verò carnis vetustissimâ cum liquescit, ad digestionem concoctionémque ineptissimam, propterveterem exustionem nigrescere ait: & quia contabuit, penitùsque exæsa est, amaritudinem contrahere. Præterea flauum colorem cum amaritudine coire, quando ob ignis flammam noua caro liquescit. In quo quod de pituita dicitur, id Galenus eodem loco partim approbat, partim reprehendit. De pituita alba, inquit, quod Plato ait eam ex bullis in se inclusis fieri, adeò quidem paruis vt videri nequeant, quæ tamen omnes speciem quandam exhibeant, qua talis color visui conspicuus reddatur, probabile est & rationi consentaneum. At ex colliquatione mollis carnis interdum phlegma existere, illud verò absurdissimum non esse nullo modo potest. Nisi quis, videlicet Prodicus, immutato nomine, amarę bilis humoré phlegma nominet, dicátque à verbo φλέγω, quod est inflammari, eam appellationé habere. Sed nunc reliquam Platonis sententiam expendamus: vt in ea quid probabilitatis insit, videamus. Calor putredine auctus, igneusque factus, colliquationem humorum parere dicitur, primò quidem, vt antea obseruatum est, molliorum, & ad naturam aquæ magis accedentium, quales sunt pituitosi: postremò verò eorum qui terreni sunt, quales melancholici. Quemadmodum in hecticis febribus calor putridus colliquationem inducens, partium humorem primùm exhaurit: deinde agit in carnosam substantiam, quę circa tum fibrosas, tum membranosas corporum solidorum partes hęret: postremò ipsas partes solidas depopulatur: sicut docet Galenus, cap. 11. lib. 10. Methodi medendi. Neque verò omnino dissimile est, quod de colliquatione idem Galenus scribit cap. 2. lib. 9. de Sympt. causis. Fit quædam velut colliquatio, inquit, siue resolutio, siue quomodocunque aliter nominare libet, aliquando totius corporis, aliquando succorũ qui in venis sunt duntaxat. Quod autem ex ea colliquatione prouenit, aliud in ventrem confluit, aliàs ad vrinas, aliàs ad sudores pellitur. Ac succis quidem qui in venis habentur, in serosam saniem solutis, renes qui ad excrementum attrahendum sunt nati, potissimùm cùm sani sunt, serum quidem à venis expurgant, fluxionem autem ad vesicam assiduè mittunt. Vbi autem renes trahere nolent, aut venæ eiusmodi in ventrem mittunt, aut toti corpori id patientes subitaneos hydropum status inducunt. Si autem quod liquatum est, crassius sit, neque renes trahere non possunt, totum in ventrem necessariò confluit. Cum verò genere ita colliquato, tum venter fluxionem eius recipit, vbi sciliceet crassior est, tum sudores multi superueniunt: vbi in halitus est resoluta. Porrò cùm eiusmodi humores tres à sanguine sua ratione separati, pituita scilicet, bilis vtraque, spectari à Medicis soleant, modò vt inter se permixti in massa sanguinis ad alendum apti, qui venis continetur: modò vt impurioris sanguinis naturalia sunt excrementa, sua quantitate tamen adhuc naturam minimè lædentia (qua etiam ratione nonnunquam naturales appellantur) postremò vt non illùm quantitate, sed etiam qualitate naturam lædunt, atque idcirco contra naturam omnino esse dicuntur: hic solo postremo modo Plato humorum originem exposuit, eámque ex ipsa putredine, quæ morbum parit, repetiuit. Quamuis hoc loco non agit de humoribus corpus nostrum componẽtibus: sed de illis in corpore humano morbum facientibus.

De

6 De sudore sic Galenus libr.10.de Facultatibus simplicium medicamentorũ, Hic vnus est,inquit, humorum in animantis corpore prouenientium, eandem habens materiam quam vrina, & eundem generationis modum. Siquidem vtrique ex bibito humore constat generatio, excalfacto simul in corpore,& biliosæ substantiæ nonnihil adepto. Verùm sudor plus est elaboratus, vt pote qui ad cutem vsque permeatis omnibus quæ interfunt, partibus peruenit. Ex quibus intelligi potest, sudorem excrementum esse coctionis tertiæ, & partem quandam serosi humoris,qui cum sanguine in venis erat permixtus. Excitatur verò à calore meatus corporis aperiente, & interiore quodam spiritu pellente: vt colligi potest ex 2.Sectione Problem. Aristotelis. Idem autem Aristoteles Problemate 35.Sectio.5.scribit, lachrymas sudorem esse quendam: atque ideirco has,sicut & sudorem,calore excitari,salsasque existere. De quibus sic Alexander Proble.95. lib.1.Quid est,inquit,quod lachrymas mouet,cùm angimur?spiritus qui per anguorem affectus est.Hic enim ad cerebri membranam effertur,atque humorem ibi positum exprimit.Quod idem vel præ nimia lætitia potest euenire. Ergo sudor & lachrymæ nõ tam seri partes sunt ex pituita(quod Plato ait)quàm ex sanguinis sero quædam excrementa:eo tamen inter se conuenientia quòd communem materiam habent.

7 λέυκας καὶ ἄλφους Alcinous dicit: quæ à Celso duæ vitiliginis species ponuntur, eisque tertia adiicitur, quæ μέλας dicitur. De quibus sic ille scribit libr. quinto, Vitiligo quamuis per se nullum periculum affert, tamen fœda est,& ex malo corporis habitu fit. Eius tres species sunt. ἄλφος vocatur, vbi color albus est ferè subasper,& non continuus, vt quædam quasi guttæ dispersæ esse videantur.Interdum etiam latius, & cum quibusdam intermissionibus serpit. μέλας, colore ab hoc differt: quia niger est, & vmbræ similis, cætera eadem sunt. λευκὴ habet quiddam simile alpho: sed magis albida est, & altius descendit, in eáque albi pili sunt,& lanugini similes. Vitiliginis autem formam hanc explicat Galenus lib.3.de Symptõm.causis. Quando scilicet non tota caro vitiatur, sed in summo corpore velut squamæ quædam enascuntur, vitiligo existit: alba quidem ex pituitoso,nigra ex melancholico succo. Eámque ait accidere ex vitio naturalis facultatis, quæ multo plus succi attrahit, quàm vt eum vis alteratrix possit commutare.Ex quo multa excremẽta gignuntur: quæ laborante quoque vi expultrice, in ipsis carnibus asseruantur. De quibus sic Plato in Timæo, alba pituita propter ampullarum spiritum intus inclusa,difficilis:ad exteriorem cutim delapsa,mitior:sed corpus variis sordibus aspergit, albisque inficit maculis,atque morbos alios eiusmodi generat. Quanquam aliquando ἄλφος, pro vniuerso vitiliginum genere vsurpatur,vt in libro qui Medicus appellatur,& Galeno ascribitur.Morbũ verò hanc accidere quòd vitiosus humor ex interioribus partibus corporis ad cutim feratur,docet idẽ Galenus Cõment.in Aphoris.20. Section.3.

8 Epilepsiam intelligit,eámque sacrum morbum appellat, quòd sacræ naturæ, id est,partis eius animi qua ratiocinamur, sedem in cerebro occupet. Sic enim Plato scribit in Timæo, Pituita atræ bili permixta, inquit, cùm diuinissimos capitis meatus illabitur,dissipare eos solet atque turbare. Si dormientibus id contingat,mitior:sin vigilantibus,expulsu difficilior. Cùm verò sacræ naturæ languor hic sit,haud ab re sacer morbus est appellatus. Extat verò inter opera Hippocratis liber de Morbo sacro, in quo eos reprehendit, qui morbum eiusmodi quasi diuina voluntate immissum,sacrum appellant. Quem librum quanquam Galenus Comment.1.in Prognostica, Hippocratis esse neget, hic tamen libello

de Insania, illum citat vt suum: vbi etiam librorum de morbis popularibus mentionem facit. Aristoteles Problem. 1. Sect. 30. huius nominis aliam rationem reddit. Nempe quod Hercules, quem inter Heroas antiquitas coluit, frequenter hoc morbo corriperetur. Ex quo, inquit, & sacer, & Herculeus est appellatus. Eodémque loco confirmat quod ab Alcinoo hic dicitur, eiusmodi morbum esse ab atra bile, siue ab humore melancholico. Siquidem multos enumerat rebus gestis, & sapientiæ studio claros, qui cùm maximè essent melancholici iidémque, vt ait, ingenioſi, hoc morbo frequentissimè vexati sunt. Quare inter epilepsiam & melancholiam familiaris est permutatio, vt docet Galenus cap. 6. & 7. lib. 3. de Locis affectis. Vbi in hanc sentétiam commemorat illud Hippocratis lib. 6. de Morbis vulgaribus, Melancholici magna ex parte comitiali morbo afficiuntur: & cõtra comitiali morbo laborantes, efficiuntur melancholici. Quanquam eodem loco affirmat non solùm ab atra bile, verùm etiam à pituita nonnunquam morbũ comitialem committi.

9 Pituita suapte natura frigida est, & humida, eóque dulcis, vel potius saporis expers, Galeno lib. 2. de Naturalibus facultatibus. Cùm verò acuta est, vel salsa, tum gignendo morbo illam esse accommodatam, idem docet initio libri de atra bile. Talis verò efficitur, dum vel putrescit, vel permiscetur cum serosa humiditate salsa, vt idem ait, cap. 6 lib. 2. de Differentiis febrium. In qua specie pituitæ inflammata, si quos febricitare contingat, illos eodem loco ait superueniente accessione non rigere, sed tantummodo horrere. Acida verò pituita, aut vitrea, si per sentientes corporis partes deferatur, eam sine febre rigores generare. Quòd si vehementius putrescat, rigorem antecedere, febrem subsequi, superata frigiditate à multitudine caliditatis: adeò vt cùm febris inualescit atque consistit, illa non amplius sentiatur. Rigorem autem ab horrore idem lib. de Palpitatione & tremore, ex eo distinguit, quòd vbi deformis & inuoluntaria motio adest, & frigoris vis ad interiora penetrat, rigor dicatur: si verò sola corporis extremitas afficiatur, reliquo corpore immoto, horror. Vide cætera quæ de horrore & rigore sunt à nobis contra Logodædalum disputata, capite decimoquinto.

10 Commune est Platoni cum Galeno, quòd vt ille febres putridas in elementis versari vult, ita hîc in humoribus, qui in humano corpore proportione respondent ipsis elementis. Sed hoc interest, quod cùm bilis flaua igni respondeat, atra terræ, pituita aquæ, sanguis aëri, vt ipse Galenus docet libro de Humoribus, hic in febre tertiana, sicut & in ardente, bilem inflammari vult, in quotidiana pituitam, in quartana atram bilem. Ex quo apud eundem quæstio existit, quæ non est huius instituti, de ea putridæ febris specie, quæ sanguinea appellatur. Plato autem ardentem contingere scribit ignis excessu, quotidianam aëris, tertianam aquæ, quartanam terræ. Idque, vt ait, quoniam aqua segnior est, quàm ignis & aër. Terra verò omnium tardissima, quarto gradu cùm sit, temporis circuitu quarto feruet. In quo manifestum est, eum in natura humoris putrescentis, causam quæsiuisse accommodatam accessioni febris explicandæ: atque ideirco quotidianam aëri potius, quàm aquæ tribuisse, quòd aëris quàm aquæ motus sit celerior. De quo ita scribit Galenus libr. 8. de Decretis Hippocratis & Platonis. In hac oratione, inquit, primus error est, quod ad communia elementa omnibus corporibus, non ad ea quæ in sanguineis tantùm sunt, redundantium per circuitum febrium causam reducit: cùm melius ea quæ manifestè in corporibus redũdare cernuntur, curari possint. Secundus error ille est, quòd ad veram quoti-

dianæ & tertianæ febris causam ne propè quidem accessit. Nam cùm euidenter pateat in quotidianis phlegmaticum humorem redundare, qui humidus & frigidus est: in tertianis verò flauam bilem, quam contra summè calidam ac siccam esse constat, debuerat dicere, in tertiana ignis, in quotidiana aquæ elementum redundare: sicut & in quartana atræ bilis humorem, & terræ elementum. Idem Commentario 2. in librum Hippocratis, de Natura humana, fatetur hanc Platonis sententiam aliqua verisimilitudine niti, sed eo quòd res ipsa & experientia docent, conuelli. Accessionis autem per circuitus definitos repetentis causam, idem libr. 2. de Differentiis febrium, sitam esse ostendit, non in humoris proprietate, sed in eiusdem naturam grauantis copia. Vt scilicet tum illa repetat, cùm in putredinis foco propter relictam quandam imbecillitatem, aut antecedentis putredinis reliquias, tantum humoris cogitur, quantum satis est ad naturam iterum irritandam. Quare cùm in nostris corporibus, multò plus gignatur pituitæ quàm bilis, & plus bilis flauæ, quàm atræ: multò quoque celerius ab illa, quàm ab hac naturam irritari, atque idcirco quotidianas esse febrium in pituita putridarum accessiones, in bile flaua tertianas, in atra quartanas. Quæ omnia quandiu inter se ratum quendam ordinem obtinent, tandiu, inquit ille, definitum circuitum accessionum permanere est necesse. Sicque in mulieribus etiam accidit. Siquidem in iis quoad æqualis, & similis menstruorum causa permanet, idem etiam ipsorum circuitus seruatur. Id verò amplius significasse videtur Alexander Aphrodiseus Problem. 8. libr. 2. Cur febris tertiana, inquit, quæ ex bile, materia calida, agili, efficaci creatur, die vno intermisso accedit: quotidiana quæ ex pituita prouenit materia frigida, graui, hebete, nullum intermittit diem, quartana duobus diebus intermissis conflictari incipit? Quartana cùm exiguum materiæ habeat, statim à sudore aut vomitu potest digeri. Itaque accessio ad tertium vsque diem extenditur, donec tantum materiæ moueatur quantum valeat infestare. Quotidiana, quod ex larga crassaque materia oritur, frequens est. Morbum verò per copiam materiæ augeri constat ex febre continente. Hæc enim quia sanguine abundante prouenit, nullam obtinet intermissionem. Quotidiana tamen, quia minus quàm continens habet materiæ, nonnihil intermissionis, quod vel sensu percipi potest, ostendit: multóque amplius tertiana, quam materia calida & tenuis condidit: atque etiam longè amplius quartana. Quo enim minus materiæ subest, eò lentius venit accessio.

Sed in ista sententia hoc dubitationem parit, quòd in quibusdam naturis, vt in calidis siccis, vno die plus bilis gignitur, quàm in contrariis frigidis humidis, duobus vel tribus: & bilis ipsa in quantulacunque quantitate vitium facere cœperit, vim videtur habere maiorem ad naturam irritandam, quàm pituita quæ in maxima copia est collecta. Quare videretur esse necessarium, febres ex putrente bile intermittentes, pro varietate naturarum quibus accidunt, accessionis formam frequenter immutare, si ex copia humoris noui inter duos paroxismos collecti, & naturam irritantis, accessio ipsa repeteret. At hoc vix vnquam immutati contingit. Itaque nonnulli non sine aliqua probabilitate, ad rationem Galeni adiiciunt, ex proprietate humorum febres intermittentes committentium, in nonnullis propensionem esse maiorem ad putredinem, in aliis verò minorem, quæ facit vt accessio in nonnullis celerius, in aliis tardius repetat. Pituita enim natura sua frigida, humida, quia in nostro corpore caloris, sine quo animalium

vita non potest consistere, impressionem magnam habet in ventriculo aut intestinis, in quibus putrere solet, ideirco ad putredinem paratissima est. Sicut potest intelligi ex his quæ de putredine dicuntur ab Aristotele lib. 4. Meteor. Idcóque in corporibus in quibus adhuc reliqua est caloris febrilis quædam impressio, illa quotidie putrēdo, quotidianas parit accessiones. De reliquis verò duobus humoribus, melācholicus, quia frigidus, siccus, difficillimè putret: biliosus, quia calidus siccus, facilius quidem putret, quàm melancholicus, sed difficilius quàm pituita. Ex quo in bile extra maiores venas putrente accessiones tertianæ, in melancholico humore quartanæ existunt.

Tres animi partes in homine primùm origine, deinde sedibus distinguntur : earúmque distinctio variis rationibus ex Platone confirmatur.

CAPVT 17.

[1] *CVM humanum animum immortalem (sicut postea demonstrabimus) mortalium generum formatores dij à Deo primo accepissent, ei partes duas mortales adiunxerunt. Quare ne vis animi diuina atque immortalis, mortali fatuitate impleretur, illam cùm ad imperandum instituissent, in summa corporis arce collocarunt, ac eius domicilium in capite esse voluerunt: quod sua figura ipsi vniuersitati est simillimum. Huic autem aliud corpus ad obsequium quasi vehiculum subiecerunt. Quin & duabus partibus mortalibus singulis suas sedes distinctas dederunt. Irascenti quidem in corde, concupiscenti verò in parte media inter vmbilicum & septum transuersum: his illam vnicientes quasi aculeo punctam & feram belluam.* [2] *Pulmonem autem conformarunt cordis gratia mollem & exanguem, fistulosum & spongiæ similem: vt ab illo cor temperaretur iræ ardore exæstuans.* [3] *At iecur ad excitandam partem animi concupiscentem, eandémque sedandam, dulcedinis & amaritudinis particeps: atque ad eam diuinationem illustrandã quæ per somnia cõtingit. In eo enim propter leuorem atq; nitorem vim à mente manantẽ relucere.* [4] *Lienem iecoris gratia: vt hoc repurget nitidúmque reddat. Ideóque corruptiones eas, quæ ex quibusdam morbis circa hepar nascuntur, in ipsum recipi. Triplicem autem esse animum eiúsque partes secundùm facultates at-*

que rationes, ſuis locis eſſe diſtinctas, ex his perſpici poteſt. Imprimis quæ natura diſtinguuntur, ipſa quoque diuerſa ſunt. Natura verò diſtinguuntur paßiuum, & ratiocinatiuum: quorum hoc quidem circa intelligibilia verſatur, illud verò circa triſtia & iucunda. Atque etiam præterea paßiuum aliis quoque animalibus ineſt. Cùm verò duo hæc natura diuerſa ſint, debent quoque locis ac ſedibus ſeparari. Quoniam plerúmque inter ſe ſunt diſſidentia atque pugnãtia. Nihil verò ſecum pugnare poteſt, neque inter ſe contraria circa idem, eodem tempore poſſunt conſiſtere. At in Medea iram cum ratione pugnantem licet animaduertere. Hæc enim eius verba ſunt, Intelligo quæ factura ſum, eſſe mala: ira tamen conſilium ſuperat. Itémque in ipſo Laio Chryſippum rapiente, concupiſcentia rationi aduerſatur. Sic enim inquit, Heu, Heu, diuinum hominibus malum, quando quis bonum nouerit, nec tamen eo vtatur. Ad hæc etiam diuerſum eſſe paßiuum à ratiocinatiuo, ex eo poteſt intelligi, quòd huius & illius diuerſa cura ſit: huius quidem in doctrina, illius in vitæ & morum conſuetudine.

V. O.

O.V. DO. MAZILIO,

REGIS NOSTRI CHRISTIA-nissimi Archiatro.

Iac. Carpentarius. S.

QVàm multa habeant Philosophi cum medicis coniuncta atque adeo communia, dicerem hoc loco pluribus V. O. si mihi apud alium esset agendum: non apud eum cui eadem perspecta sunt, & in cuius exẽplo satis testatum habemus neminem esse posse summum medicum, qui non idem inter Philosophos excellat. Talia verò cùm in hoc opere penè sint infinita, de iis maximè iudicium tuum expetimus, quæ superioribus duabus proximis digressionibus disputata, de natura oculorum modóque videndi & de respiratione: quæq; nunc sequuntur de distinctione facultatum animæ & partium corporis, in quibus illæ residere dicuntur. Quoniam hæc, sicut scis, inter Philosophos & medicos non satis definita & à nostro Galeno abundè sunt tractata: qui in eisdem magna quidem ex parte inter Platonem & Aristotelem arbiter honorarius videri vult, sed hoc ita facit vt illius plerúmq; amãtior sit, in hunc iudex durior quàm philosophum deceat. Hæc si legeris quæ tibi deuota sunt & consecrata, in eisque singulari tua hu-

manitate fauendo, noſtram induſtriam excitaueris, maius aliquid breui conabimur in interpretanda Cornelij Celſi medicina: præſertim in hoc adiuti eo exemplari quod per aliquot menſes nobis vtendum dediſti. Modo tu qui magno tuo meritò maximóque patriæ noſtræ ornamento, profeſſionis medicæ quaſi clauum tenes, genus hoc exercitationis in populari tuo tibi deuinctiſſimo non improbes. Bene vale.

In interpretanda Celſi medicina

IAC. CARPENTARII COMMENTARIVS IN Caput. 17.

In quo primùm disputatur de origine animæ, de distinctione principum partium vel facultatum, déque harum sedibus: quæ digressio est nona.

HIC Alcinous indicat eam animæ partem qua intelligimus & ratiocinamur à Deo rerũ omnium opifice esse datam: reliquas verò duas quarum vna irascimur, altera concupiscimus, a diis minoribus, qui illo ita volente, hominem conformarunt. Idque vt doceat solam illam primam immortalem esse, reliquas duas mortales, & cum corpore interituras. Quæ etiam est sententia Procli lib. de anima & dæmone. Animam in nobis rationalem, inquit, anima irrationali nobiliorem esse dicimus. Quoniam illam quidem primus mundi opifex procreauit: hanc autem dij iuuenes produxerunt. Quibus simillimum est quod à nostris dicitur quódque ab Alcinoo significatum videtur, ad finem capitis proximi inferiores duas animæ humanæ partes traduci cum semine, solam tertiam extrinsecus aduenire & Deo ita volente, cum ipso fœtu iam conformato atque animato vniri. Quam si germanam esse Platonis sententiam concedamus, fatendum erit partes animæ in nobis re substantiáq; esse distinctas. Quoniam non solùm in corpore diuersam sedem habent, sed & originem. Quod quanquam animaduertam plerisque placere, de eo tamen non videtur eadem Plotini sententia. Hic enim cap. 19. lib. 1. de dubiis animæ, docet primum sentientem animam ex se indiuiduam, circa corpus diuidi: quia singulis eius partibus se accommodat. Deinde cum rationem atque mentem omnino impartibilem posuit, quia scilicet huius actio corporis instrumento non perficitur, quærit vtrum hoc

quod in anima indiuiduum est, cum eo quod diuiduum, in vnum cõflari possit: an vt totum quoddam sit, ex partibus vtrisque videlicet puris & per potentiam separatis. Tandémque hæc subiicit, Si quod circa corpora fit partibile, inquit, à sublimiori potentia impartibilem habet dotem, potest vtique hoc idem impartibile partibiléque pariter esse: tanquam tum ex hoc ipso, tum ex virtute quadam desuper in ipsum veniente conflatum. Apertius hoc idem declarat cap. 23. lib. eiusdem. Cum animatum corpus, inquit, sit ab anima illustratum, aliam corporis partem dicimus aliter hinc accipere. Atque secũdum instrumenti aptitudinem ad opus, ferentem secum vim ad opus accommodatam: sic nominari potentiam quidem in oculis visualem, in auribus auditiuam, in lingua gustandi, in naribus olfaciendi compotem. Compotem verò tangendi ponere solemus in toto. Ad hanc enim perceptionem corpus totum velut instrumentum animæ subministrare videtur. Prẽterea cum instrumenta tactus in primis sint neruis, ad animalis motum vim habentibus, atque his vis eiusmodi se accommodet: exoriantur autem nerui à cerebro, nimirum sentiendi prosequendíque initium totiúsque penitus animalis hic potissimum collocarunt, hinc ad alia detiuantes. Vbi videlicet instrumẽtorum principia sunt, ibidem quod his vsurum est, collocantes. Satius vero fuerat illic principium operationis illius potentiæ ponere. Vnde enim mouendum erat instrumentum, ibi oportebat quasi fundari vim illam, artificis congruam instrumento. Imò verò non potentiam, vbique enim potentia viget: ibi autem est principium actionis, vbi est initium instrumenti. Cum igitur sentiendi prosequẽdíque virtus in anima sensuali atque imaginatrice, supra se ipsam habeat rationem quasi ad inferius propinqua: nimirum vbi hæc est in supremo, ibidem posita est ratio ab antiquis, in summa animalis totius arce, ipso videlicet capite. Non quia ratio sit in cerebro: sed in hoc sensuali, per quod quasi medium ratio poni videtur in cerebro. Sẽsuale quidem hoc oportuit attribuere corpori & illi membro potissimum quod actionem eiusmodi suscipere posset. Rationem verò nullo modo cum corpore communicantem, communicare prorsus oportuit illi quod est animæ species: animæ inquam potentis à ratione nonnihil accipere. Quod enim sensuale est, quodammodo etiam est iudex: & quod imaginale est, velut intellectuale videtur. Quinetiam impetus atque persecutio phantasiam rationémque lequuntur. Illic igitur rationale est, non quidem vt in loco: sed quoniam quod est ibi, quodammodo fit rationis particeps. Quo autem pacto sit sentiendi virtus & alia similiter, dictum est. Proinde cum vegetalis & augendi nutriendíque natura nusquam desit in corpo-

re: nutriat vero sanguine, & sanguis nutritorius sit in venis initiúmque venarum, & sanguinis in iecore, vnde vis eiusmodi nititur: haud ab re hîc concupiscens animæ portio à veteribus est collocata. Quod enim gignit & nutrit & auget, hoc atque hæc necesse est concupiscere. Cum verò tenuis, leuis, acutus, purus sanguis, sit instrumentum iracundiæ congruum: huius fons videlicet vnde sanguis eiusmodi ad æstum iracundiæ profluit, ipsum scilicet cor, iracundiæ designatum est habitaculum. Qui locus Plotini in Platonicorum doctrina dignissimus est obseruatione: Quoniam plurimum valet ad intelligendum quomodo hi animæ substantiam vnam ponere potuerint & eam tamen pro varietate trium facultatum primarum tribus sedibus distinguere. Et certè Plato ipse in Timæo, indicare videtur partes istas in anima non tam re esse distinctas quàm in illam re ipsa vnam, iram & cupiditatem ex quadam corporis contagione redundare: fontem verò iræ esse in corde, sicut & cupiditatis in iecore. Quibus si animam vinci contingat, contaminatur & purgatione indiget: si autem hæc omnia aspernatur, aut sua ratione reprimit, reditum in cælum habet maximè expeditum. Sic enim hic loquitur. Hæc fatus rerum omnium opifex, inquit, in eodem rursus cratere in quo mundi totius animam permiscens, temperauerat, superioris temperationis reliquias miscendo perfudit, modo eodem, non tamen perfectas similiter, sed & secundo & tertio gradu à primis deficientes. Denique cum vniuersum constituisset, astris parem numerum distribuit animarum, singulis singulas adhibens eisque tanquam vehiculo impositis, monstrauit vniuersi naturam, ac leges fatales edixit: ostendens quidem primam omnibus generationem ordine quodam vnam fore, ne quis ab eo minus aliquid sortiatur. Satis autem & quasi sparsis animis per singula singulis conuenientia temporum instrumenta, fore vt animæ nascerentur quod omnium animalium maximè esset diuino cultui deditum. Esse autem naturam hominis geminam: cuius id genus fore præstantius quod viri nomine sit appellandum. Cum verò animal corporibus necessitate quadam insertæ fuerint, & corporibus earum accesserit aliquid, viciſſimque abscesserit, primum vtique necessario sensum vnum omnibus intimum & naturæ coniunctum illic à violentis passionibus excitari, deinde voluptate ac dolore mixtum amorem, posthæc metum & iram, & quæcumque vel ista sequuntur, vel ab istis vt contraria dissident. Hæc qui superauerint, eos iustè victuros: iniustè vero, qui ab his fuerint superati. Atque cum qui rectè curriculum viuendi à natura datum

confecerit, ad illud astrum cui accommodatus fuerit, reuersum, beatam vitam acturum. Contrà vero agentem cogi ortu secundo, sexu mutato fieri mulierem: & qui ne tum quidem peccandi finem faciet, quatenus deprauatur eatenus in brutorum animam suis moribus similem permutari. Gregorius Nyssenus inter nostros Theologos nobilissimus, libro de anima & resurrectione, ex iis quæ cum religione Christiana consentiunt, de quæstione proposita sic statuit: nihil in anima eximium esse & insigne, quod non etiam diuinæ naturæ proprium sit. Qui enim, inquit, similitudinem Dei animam esse dixit, quicquid à Deo alienum est, extra definitionem animæ esse declarauit. Quoniam in diuersis ac differentibus similitudo conseruari non potest. Itaque quia nihil quod ad duas inferiores facultates, irascendi & concupiscendi, pertinet, in natura diuina cernitur, ne animæ quidem has insitas & coessentiales existimari rectè posse. Ex quibus tandem concludit, omnia hæc quæ ad inferiores duas facultates pertinent, nihil animæ esse, circa animam tamen existere: esséque velut verrucas ex cogitatricæ animæ parte enascentes: quæ partes quodam modò dici possint, quòd agnatæ sint, nihil tamen eius sint quod animæ secundum naturam & essentiam inest. Et certè apud Platonicos meritò dubitari potest si omnes facultates ad vnam & eandem reuera animæ essentiam pertinent (de quo posteà ex eorundem doctrina pluribus disseretur) cur ea sola pars, siue facultas qua ratiocinamur & intelligimus, à Deo patre immediatam originem habere dicatur, reliquæ à diis minoribus: aut quo modò illa sola immortalis, hæ mortales, quãdoquidem immortale cum mortali re vnum & idé nullo modo esse posse videtur. An dij minores facultatum siue partium animæ inferiorũ authores esse dicũtur, quia ad has corpus præparant cuius ipsi primi opifices extiterunt? Hoc enim video placere Marsilio ficino cap. 3. lib. 18. Theologiæ Platonicæ. Ego verò in eadem Platonis doctrina dicere mallim humanam animã suaptè essentia actum esse efficacem & ad ratiocinandum potentem, cuius solus Deus pater est opifex: quoniam ab illo solo manat actus omnis ratiocinandi & intelligendi, qui proprius est eiusdem essentiæ. Itaque solam facultatem ad intelligendum & ratiocinandum, quæ potens & efficax atq; ad agendum non ad patiendum comparata, ad eius essentiam pertinere, & ab illo Deo datam esse qui in eadem author est & opifex essentiæ. Reliquas verò duas, irascendi & concupiscendi, non esse ad agendum comparatas, sed potius ad patiendum. Quare has redundare in animam ex corpore, in quo principium est humanæ naturæ alterum, non ad agendum efficax, sed ad patiendum tantum comparatum. Ex quo est consequens, vt Dij minores qui cor-

poris humani formatores extiterunt, iidem authores esse dicantur in anima duarum harum facultatum inferiorum, quæ ex tali corpore in eam redundarunt. Non quòd illi nouam animę essentiam adiecerint: sed quod effecerint vt ex communicatione cum corpore, cuius ipsi formatores extiterunt, nouæ in illam faculates redundarint ad aliquid patiendum, quarum eadem suapte essentia omnino erat expers. Itaque facultates hæ cum corpore enatæ, cum eodem deponuntur, mortalésque idcirco apud Platonicos esse dicuntur. Quemadmodum in arte, vitia ex instrumentis enata, actiones artificis quantumuis perfecti, impediunt, etiamsi cognitionem eius siue peritiam nulla ex parte possint immutare. Ideóque pro instrumentorum varietate, artificis eiusdem actiones modò perfectiores sunt, modò imperfectiores ipsa artificis peritia, quæ artis ipsius cognitione continetur, nullam in se mutationem recipiente. In quo actuum omnium, siue formarum generalis quædam distinctio notari potest. Nam quæ formæ omnino expertes sunt corporis (in quo principium est passionum & mutationum omnium) hæ quoque omnino impatibiles sunt, & immutabiles, vt diuinæ intelligentiæ, quæ formæ metaphysicæ nominantur. Quæ verò corporibus omnino addictæ, vt purè naturales, hæ cum corporibus necessariò patibiles & mutabiles, ideóque ab illis inseparabiles & mortales. Media verò humana anima cum corpore deponit eas facultates quas hausit ex corpore, & ab illis Diis dicitur accepisse, qui corporis formatores extiterunt, retinet verò eam solam quæ propria est essentiæ, & quæ à Deo patre est ornata. Quanquam de hac distinctione partium animę, aliud visum est Galeno, non solùm libris de Placitis Hippocratis & Platonis, sed in fragmento libri, De iis quæ medicè à Platone dicta sunt in Timæo, vbi ita loquitur, Superest, inquit, vt eorum mentionē faciamus, qui vnam asserunt esse animæ nostræ substantiam, quæ tres facultates rationalem, irascibilem, & concupiscibilem habeat: cùm & ipse etiam Plato, tum sæpe aliàs, vt ostensum est, tum nihilo secius in præsenti quoque oratione, speciem animę ipsam concupiscibilem esse dixerit: quæ haud aliam quidem in stirpibus, aliam verò in nobis, sed eandem naturam habeat: atque in iecore sedem obtinere, non eodem profecto loco vbi irascibilis & rationalis habitant. Quod tamen tationi consentaneum erat, si vnius substantiæ tres illæ essent facultates, quemadmodum illi asserunt, qui cor eiusmodi esse supponunt. Iure enim illi vnam statuentes substantiam animæ, tres ipsius esse maximè generales facultates esse dicunt. Plato verò non eandem esse rationalis partis animę substantiam, quæ est ipsius irascibilis & cōcupiscibilis, sed inter sese diuersas asserit: ac sæpius quidem rationalē

cum irascibili pugnare: nonnunquam verò irascibilem rationali aduersus concupiscibilem in corpore habitantem opitulari. Sed de hac re paulo post pluribus disseretur. Nunc quoniam partis eius qua ratiocinamur, & intelligimus, originem Deo rerũ omnium opifici Alcinous attribuit, de ea quid aliis, atque etiam nostris, placuerit videamus. Mercurius in Pimandro, scribit ab vna totius mundi anima omnes animas profluere per ipsum mundum distributas atque circũcurrentes. Distribui verò Platonici aiunt per spiritum æthereum, quẽ animæ curriculum in Phædro, eiusdem autem vehiculum Plato vocat in Timæo: cuius beneficio cum hoc corpore elementari & terreno coniungitur. Atque ita coniungitur, vt eiusmodi consortio vehiculi puritatem valdè fedari contingat, simúlque mentis in intelligẽdo facultatem hebescere. Si quando verò in vita hac eadem mens ad tempus aliquod neglecto hoc impuro corpore, ad suum vehiculum redierit, excitatíque huius ætherei liberiores motus sequi cœperit, tũ eam diuina sapere: dæmonum, qui eodem æthereo corpore vtuntur, colloquio frui, & absentia nihilominus quàm præsentia intueri. Quod philosophandi genus quadam ex parte secutus Aristoteles videri potest, cùm cap. 3. libr. 2. de Animalium ortu scribit, eam animæ facultatem quæ propria mentis est, corpus aliud participare, hócque magis diuinum esse, quàm ea quæ elementa appellantur. Atque illud certè est aliud corpus, quod Alcinous hoc loco rationi in capite, velut in arce ad obsequium subiectum esse ait. Illo verò loco etiam si nominatim Aristoteles scribat, eandem mentem extrinsecus aduenire, nec eius actionem cum corpore communicare, ideóque immortalem esse, & à corpore separabilem: quia tamen non explicat, quæ eius conditio fuerit, priusquàm cum corpore coniungatur, aut quomodo huic adueniat, in eo, meo quidem iudicio, nõ est satis authoritatis ad docendum quod nonnulli persuadere conantur, hinc scilicet credidisse reliquas animæ facultates de seminis potestate excitari: illam verò sua substantia cœlestem in fœtum conformatum, atque iam animatũ diuinitus immitti. A Galeno verò, quid in hac quæstione expectare possis dignum Philosopho, cùm dicere soleat, non aliam animam videri à temperatione eorum ex quibus corpus componitur? aut nescire se, si immortalis est, vt Plato affirmat, cur separetur valde refrigerato, vel excalefacto, vel exsiccato, aut humectato cerebro? D. Hieronimus in epistola ad Marcellinum, de eadem quæstione has veterum sententias colligit. Lapsam eam, inquit, de cœlo esse, Pythagoras omnésque Platonici & Origenes putant. A propria Dei substantia oriri volunt Stoici, Manicheus, & Hispaniæ Priscilliani hæreses. Alij volunt in Dei quasi thesauro conditas: alij ex traduce, vt Tertullianus,

Appollinarius & maxima pars Occidentalium: vt quomodo corpus ex corpore, sic anima nascatur ex anima, & simili cum brutis animantibus conditione subsistat. Et idem in epistola ad Pammachium. In Adamo quidem certum est, inquit, animam insufflationem Dei fuisse: at Eua in cuius faciem non insufflauit Deus, vnde animam habuit? Cain & Abel primi ex primis hominibus, vnde habuêre? Diuus Augustinus epistola ad Diuum Hieronimum, de eadem re has quæstiones proponit, vtrum ex vna anima quæ primo homini data est, cæteræ propagentur? An singulis hominibus nouæ à Deo fiant quæ insufflentur, quemadmodum in Adamum? An alicubi iam existentes, vel mittantur diuinitus, vel sua sponte labantur in corpora? Idémque lib. 1. Retractationnm, fatetur se adhuc ignorare animæ originem: & in epistola ad Optatum, scribit de ea in religione nostra tutò disputari posse. Quia in Christum non credimus, inquit, vt nascamur, sed vt renascamur: & quocunque modo nati fuerimus, semper agnoscimus in renascendo idem Dei beneficium. Itaque quanquam de hac parte qua ratiocinamur, & intelligimus, Theologi in eo omnes ferè consentiunt, quod illam reuera incœpisse volunt, nunquam interituram: de cæteris tamen quæ ad eiusdem naturam & originem pertinent, in varias opiniones sunt diuisi. Nam præter eos qui sunt enumerati, Theodoretus Cyrensis lib. 5. de Curatione Græcarum affectionum, de ea sic scribit. Omnes sacri doctores, inquit, concordi oratione nos docent, ex terra & aqua cæterísque elementis, humanum corpus effectum esse, animam verò nequaquam ita in corpus demissam, vt antea per se subsisteret: sed corpore iam plasmato creatam esse. Plasmauit enim Deus hominem, puluerem sumens de terra: & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, factúsque est homo in animam viuentem. Neque verò intelligendum est, inspirationem hanc fuisse quendam anhelitus defluxum, qui de ore Dei prodierit (incorporeus enim Deus est, idémque simplex, neque compositus) sed ipsam animæ naturam, spiritum esse præditum ratione & intellectu. Eodem loco, hoc etiam commemorat ex Mose, Exodi vigesimoprimo, de prægnante muliere, quæ plagis affecta pariat abortiuum, formari prius in aluo matris infantem, ac tum denique perfecto corpore animari, non ita quidem vt anima præexistens, alicunde corpori inseratur, neque vt enascatur è semine: sed diuino instituto, sicut ab initio insita naturæ lex fuit, creationem accipiat. Alia verò est sententia Gregorij Nysseni, hæcque in Theologo obseruatione dignissima. Quam sic explicat libro de Anima, & resurrectione. Restat, inquit, secundum ea quæ antehac examinauimus, vt quæratur quando ani-

mæ principia sui ortus & existentiæ habeant. Nam si datum fuerit, φ ante corpus in peculiari quadam statione anima viuat: omnino necesse est, vt absurdas illas sententias, & fictas opiniones eorum, qui propter vitiositatem animas in corpora deduci volunt, vires habere putemus. Enimuerò posteriorem esse originem animarum, ipsásque recentiores esse corporum compositione, nemo sana mente præditus in animum induxerit: quum manifestum ac perspicuum sit omnibus, quòd nihil ex inanimis habeat in sese vim mouendi, pariter atque crescendi. At eorum qui in vtero nutriuntur, neque incrementũ & augmentum, neque de loco ad locum motus controuersus, & ambiguus est. Relinquitur igitur, vt putemus vnum & idem animæ & corporis constitutionis principium esse. Ac quemadmodum terra, si surculum ab radice auulsum ab agricolis acceperit, arborem inde efficit, non ipsa vim augescendi ei quod nutritur iniiciens, sed incremẽti duntaxat materiam atque subsidium sibi insito immittens: ita dicimus etiam id quod ex homine auellitur ad hominis sationem, ipsum quoque aliquo modo animal esse ex animato animatum, ex eo quod nutritur, id quod nutritur. Quod si non omnes animæ efficientias, pariter ac motus, exiguitas surculli auulsi capere potuit, *nihil mirum.* Neque enim in semine frumentum, quod quidem appareat, protinus spica est (nam quo pacto tantum in tantillo locum habere potuerit?) sed terra frumentum conuenientibus, & aptis nutriente alimentis, in spicam frumentum euadit, nõ immutans in gleba naturam, sed exerens ac prodens, & absolutum ac perfectum sese reddens auxilio nutrimenti. Quemadmodum igitur in nascentibus seminibus, incrementum paulatim ad perfectionem progreditur: eodem modo quoque in hominum formatione atque cõstitutione, pro ratione ac proportione corporeæ magnitudinis, animæ quoque potentia apparet, atque elucet, primùm quidem per vim alendi simul atque augendi, iis quæ in vtero effinguntur, sese insinuans, at innascens. Posthæc verò donum sentiendi in lucem productis inducens, atque ita deinceps quasi fructum quendã, aucta iam planta mediocriter exerens, ac prodens ratione præditam vim, non vniuersam simul in vnum conductã repentè, sed vna cum surgente & excrescente planta per consentaneũ & competentem progressum, atque profectum crescentem & augescentem. Eadem sententia repetita est, & ab eodem authore pluribus exposita cap. 30. libr. de Hominis creatione. Cùm vnus homo sit, inquit, qui ex anima constat, & corpore, vnum ei & commune dare oportet institutionis exordium, ne sibi ipse anterior posteriórque videatur, vt corporis in eo conditio prima, & secunda constat alterius. Et in præsentia quidem diuinæ virtutis, omnem plenitudinem humanæ

næ conditionis ante subsistere ptofitemur, testificante in hoc nobis Propheta, qui dicit, Nosse Dominum omnia antequàm fiant. In singulorum verò conformatione alterutrum non præferimus alteri, nec ante corpus animam, nec è contrario dicimus: ne diuisus homo iuxta differentiam temporis, in semetipso discedat. Nam cùm duplex intelligatur nostra natura, secundum doctrinam Apostoli, visibilis scilicet hominis & latentis, si aliud quidem ante subsistat, aliud autem post superueniat, imperfecta quidem virtus videbitur conditoris, quę non simul vtrobique sufficiat, sed diuiso opere in singulorum medietatibus occupetur. Quemadmodum verò in tritico, aut in alio quolibet semine, cunctam speciem spica videmus quadam potentia comprehensam, hoc est, fœnum, culmum, internodia, nec non fructum, atque aristas, & nihil eorũ ante subsistere in naturæ ratione, aut post accidere dicimus, sed ínsitam vim semini quodam naturali omine declarare, nec aliam ei superinduci naturam: iuxta hanc rationem, & humani causam seminis opinamur existere, quòd in prima constitutionis occasione, satum quidem simul est iuxta naturæ potentiam, tenditur verò & declaratur quadam consequentia naturali, ad id quod perfectum est promouens, nec aliquid extrinsecus ad occasionem suę perfectionis assumens. Semetipsum namque ad id quod perfectũ est, consequenter extendit, ita vt nec ante corpus animam, nec præter animam subsistere corpus affirmari veraciter possit, sed vtrũ sit prius principium iuxta altiorem quidem rationem, in prima voluntate Dei dispositum, iuxta alterum verò in generationis occasionibus institutum. Sicut enim non potest membrorum distinctio ante formationem, in eo quod ad corporis conceptionem iacitur, inspici: ita nec animæ contemplari proprietates in eo possibile est, priusquàm exeant in operationis effectum: & sicut nullus ambigit, in membrorum & viscerum differentiis illud quod est depositum, figurari non alia quadam subintrante virtute, sed ea quæ inserta naturæ est, ad hanc operationem sese virtute ingerente: sic & de animæ portione rationali similiter arbitrantur. Quia & si nondum per aliquas visibiles operationes agnoscitur, nihil tamen in eo vnius rei existere peruidetur. Nam sicut species hominis in eo est vi quadam atque potentia, latet autem propterea quod nequeat apparere priusquàm necessario sinat atque permittat: sic & anima est quidem in illo, licet nondum appareat: apparebit autem proprium & naturalem operationis effectum, corporali simul incremento proficere. Ego quidem memini Commentatio in libr. 4. prioris nostræ descriptionis Physicæ, de reliquis facultatibus quæ cum belluis & plantis sunt communes, idem à nobis esse significatum: sed mirum est profectò virum Theologum, &

inter Theologos notæ optimæ, hoc etiam ad eam facultatem qua ratiocinamur & intelligimus, quam Aristoteles cap.3.lib.2.de Animalium ortu, solã extrinsecus aduenire scribit, pertinere voluisse: de qua eodem capite hæc subiicit. Quemadmodum iuxta corporis portionem, inquit, non illud dicimus carnem, & ossa vel capillos, vel quæcunque conspicimus in homine, sed vi quidem atque potẽtia esse horum singula, nondum verò visibiliter apparere: sic etiam iuxta animę portionem, necdum quidem rationale eius & irascibile, & quæcunque de anima considerantur, locum in illo habere memoramus, proportionem verò formati corporis, & consummationem etiam simul effectus animę dicimus, cum subiecto proficimus. Sic enim perfectus homo inter maiores obtinet animę operationes effectum, in exordio suæ constitutionis apros & congruos, in se præsenti vsui animæ demonstrat adnisus, vt sibi per infusam materiam aptissimum domicilium formet. Nec enim possibile esse credimus, in alienis ædificiis animam competenter inseri, sicut non potest impressum ceræ signaculum, alienæ prorsus sculpturæ congruenter aptari. Quemadmodũ verò corpus ex paruo procedit, ad id quod est perfectũ: sic & operationes conserræ animæ subiectæ similiter concrescunt & proficiũt. Procedit quidem ea in prima constitutione, velut quædã radix abdita cauis tantũmodo quæ nutrimẽtis ac incremẽtis est distributa (nec enim paruitas sumẽda amplius recipit) deinde cũ ad lucẽ prodierit, id quod insertũ est, germenq; protulerit, tunc in eo gratia sensibilis efflorescit, iámq; coalescens, & in magnitudines cõpetenter excurrẽs, veluti fructus quidã, rationalis virtus incipit elucere. Quæ quidẽ omnia ex D. Gregorio Nysseno pluribus commemorare placuit, vt intelligeretur hunc non modò earũ partiũ, vel facultatũ animæ quæ in suis functionibus cũ corpore manifestè cõmunicant, principia in semine posuisse, quæ tẽpore progrediente in cõformatione fœtus, & hominis perfectione suas actiones tũ possint edere, cùm partes organicæ ad has necessariæ, sunt conformatæ: sed idẽ quoque statuisse de ea qua ratiocinamur, & intelligimus. Quã cæteri Theologi vidẽtur excepisse: ne eo dato, hanc cum semine traductã, & cum corpore cõmunicantẽ, mortalẽ fateri cogerẽtur. Et certè D. Thomas Sum.1.quæst.118.art.2.negat hanc, quia immaterialis est, causari per generationẽ: sed solùm per creationem à Deo. Quoniã, inquit, ponere animã intellectiuã à generante causari, nihil est quàm ponere eã non subsistentẽ, & per consequens corrũmpi eam cum corpore. Et ideo hęreticũ esse scribit, dicere eam traduci cũ semine. Quod idẽ pluribus rationibus cõfirmat cap. 86.lib.2.contra Gẽtiles, quas mihi satis est hoc loco indicasse. Et cum cap. 58. libri eiusdem, confirmare esset conatus in nobis re vnam &

eandem esse substantiam animæ nutrientis, sentientis, & intelligentis, hincque dubitatio eiusmodi existeret, si sentiens anima, re eadem sit cum intelligente, illáque de semine excitetur, an non etiam efficiatur intelligentem de eodem excitari, & illi potius facultate fuisse insitam, cap. 88. dubitationem hanc conatur explicare: sed ita sanè, vt in hoc pleraque vsurpet, in quibus, vt liberè dicam quod sentio, mihi nō satisfacit. Quo etiam loco quasdam ex superioribus Gregorij Nysseni rationibus improbat: atque dubitare videtur an liber is ex quo illæ antea depromptæ sunt, verè ipsi Gregorio ascribatur. Et certè mihi promptius est, & tutius esse videtur, de iis quantum quidem in religione nostra conceditur, dubitare: quam pro rato quicquam affirmare. Etenim si fœtus initio conformationis, plantæ modo viuit, sensúsque expers est: deinde post aliquod tempus, sicut Aristoteles scribit cap. 3. lib. 2. de Animalium ortu, sentire incipit atque moueri: tandem verò ac postremò planè conformatus, anima intelligente perficitur, queri meritò potest, quomodo prima animę pars quæ præstat fœtui tantùm, vt viuat more plantæ, se habeat ad secundam, per quam efficitur animal, & hæc ad tertiam, qua efficitur homo? An secundæ aduentu prima deleatur, aduentúque tertiæ secunda, quod D. Thomas locis superioribus scriptum reliquit? An verò in perfecto homine omnes illæ animæ suis gradibus distinctæ manent, vt in eo qui res vna est composita, non vna forma, sed plures esse dicantur? An potius secundæ aduentu, prima quidem adhuc continetur, & aduentu tertiæ secunda, sed tantum potestate: quemadmodum in ternario binarius est, & in quaternario ternarius, ita ramen vt singuli hi numeri ita spectati, vnius speciei sint & simplicis? Hoc enim Aristoteles indicare videtur libr. 2. de Anima, cùm in his siue partibus, siue facultatibus animæ, talem ordinem constituit, qualis est inter species numerorum atque figurarū. Neque verò satis philosophicè dictum esse videtur, quod quodam loco in disputatione contra Cardanū, scribit Iulius Scaliger, in hominis procreatione nouam animam à cœlo creatā post fœtus articulationē aduenire, qua anima, tūc massa illa, homo efficiatur. Quæ cùm secū afferat omnes perfectiones, neque necesse esse antegressas animæ partes manere: neque propterea dici debere fœtu emortuo hominē nasci. Quoniā, inquit, nullū intercedit tēporis interuallū inter vitā priorē & posteriorē. Atq; hæc quidē de nostrorū opinionibus. In quibus quanquā illi inter se sint varii, hoc tamen omnes retinere vidētur, in quo cū Platonicis & Peripateticis cōsentiūt, quod animā humanā mediā esse volūt inter formas omnino diuinas & naturales. Diuinæ enim neq; incipiunt neq; desinūt: naturales cū corpore incipiunt, etiā si vt antea dictū est, cœlestē habeant originem, & cùm

eodem desinunt. Illa verò incipit quidem, nunquam verò desinit. Vt in eo scilicet quod reuera incipit, cum naturalibus formis communicet: quod verò nunquam est interitura, hoc ipso diuinas formas imitetur. Quod vtrum vlli formæ posset accidere, Aristoteles ex naturæ principiis in Metaphysicis dubitauit, sicut postea capite proximo disseretur. Iam verò ad ea intelligenda quæ hoc loco sequũtur, de distinctione partium animę pluribus disseramus. Plato lib. 4. de Rep. discere nos ait vna animæ parte, altera irasci, tertia concupiscere voluptates eas quæ ad mutationem generationémque pertinent: sed non facile discerni posse, vtrum vnumquodque horum totius animæ sit, an vt hæc diuersa sunt, sic ad distinctas eius partes pertineant. Deinde quoniam quod omnino idem est, non potest secundum idem, ratione eiusdem simul contraria facere vel pati, anima autẽ in impotentibus & intemperantibus idem simul appetit & fugit, concludit animę primam distinctionem faciendam in species duas, siue partes (sic enim in re proposita modò speciei, modò partis nomine, sine distinctione vtitur) vnam qua ratiocinamur, alteram quæ rationis est expers. Atque hanc rursum in duas partes esse distribuendam, quarum vtraque (quod etiam Aristoteles scribit cap. vltimo libr. 1. Ethic.) rationis expers esse dicatur, sed non eodem modo. Distinctionis verò in earum trium facultatum sedibus, nullam eo loco mentionem facit. Sed in Timæo hanc manifestè explicat, atque rationem in cerebro, iram in corde, cupiditatem in iecore statuit. Vtrum autem hoc ita faciat, quasi animam substantia triplicem esse velit, an verò substantia vnam, facultate triplicem, pro varietate partium in quibus illarum facultatum actiones primùm apparent, & earum primaria instrumenta sita sunt, hoc inter Platonicos, & eos qui hac in parte Platonem cum Aristotele comparant, non satis videtur esse definitum. Galenus vt antea significatum est, libris de Placitis Hippocratis & Platonis, intoferè totus est, vt persuadeat Hippocratem & Platonem, animam substantia triplicem, sedibus & locis distinxisse: atque hac in parte melius sensisse, quàm Stoïcos & Peripateticos. Sed hoc, pace eius dixerim, non tam illorum testimoniis confirmat, quàm pro sua authoritate ponit. Verùm forrasse hoc illi dandum est, vt animam substantia distinguat, qui eam vix aliam esse arbitratur, à temperamento partis in qua dicitur sedem habere: quia aut in illa sita sunt, aut ab ea originem capiunt prima ipsius facultatis instrumenta. Sed aliud visum est Plotino locis variis, ex quibus vnum paulò ante indicauimus: itémque Marsilio Ficino Platonis interpreti in eiusdem doctrina exercitatissimo. Nam vt sensus interior re ipsa suaque substantia vnus & simplex, in diuersis corporis

partibus quas habet pro instrumentis, diuersus quodammodo esse videtur, eóque etiam ab Aristotele dicitur habere rationem centri in circulo, omnes lineas vna ex parte vnientis: sic ille libro septimo Theologiæ Platonicæ, variis argumentis conatur efficere animam in nobis suapte natura nullam diuisionem cum corpore recipere, diuidi tamen pro varietate facultatum quibus diuersæ partes in corpore subseruiunt. Idémque in hanc sentẽtiam intérpretatur eum Platonis locum quem ex lib.4. de Rep. paulò ante commemorauimus. Apertius hoc ipsum idem Marsilius testatur libro 2. suarum epistolarum ad quendam Alamannum Donatum, ad quem ita scribit. Quæris, inquit, Nunquid Peripateticis illis adhibenda sit fides qui Platonem quod plures in homine animas scilicet rationalem, irascibilem, concupiscibilem collocauerit, calumniari non dubitant? Respondeo equidem vnam tantum esse animam, per quam pluribus eius viribus hæc omnia facimus. Quemadmodum corpus ignis vnum, tribus qualitatibus sufficienter agit tria. Luce enim fulget atque illuminat: Leuitate celer ascendit, calore calefacit & vrit: atque in qualibet ignis particula pariter tres hæ facultates vigent, suntque loco simul, quadam tamen inuicem proprietate distinctæ, sic animæ substantia vna eadémque sufficienter posse videtur tribus viribus officia exequi tria: videlicet ratione tanquam luce quadam, verum bonúmque à falso malóque discernere. Appetitu insuper quasi leuitate, ad ea quæ placent facillimè se conferre. Animositate rursus iracundiæque feruore ceu calore quodam, in ea vel consumenda vel propellenda efferri quæ aliquando ipsam ab eorum quæ petit, consecutione impedire posse videntur. Quid prohibet quominus vna sit anima viribus tribus munita, quæ quanuis proprietate inuicem discrepent, vbique tamen in eadem anima simul sint, vbicunque tota simul est anima? Idem ille confirmat in anima mundi, cum sententiam Platonis explicat lib.10. de Legibus. Caue, inquit, vbi Plato dicit mundum gubernari ab anima scilicet sua, quod addit geminam esse animam vnam quidem beneficam, alteram verò contrariam, ne substantiam accipias geminam, sed potentiam. Si quidem in anima mundi atque cælesti, potentia est altera quidem motrix corporum, intellectualis altera, Intellectualis certè benefica est, ordine cuncta disponens. Motrix verò eatenus benefica id est ordinatrix, quatenus subest alteri. Cui quidem nisi subesset, quanto efficacior est ad motum, tanto magis carens arte, præcipitaret vniuersum atque confunderet. Cardanus lib. de animi immortalitate, eandẽ fuisse arbitratur Platonis sententiam, Galenúmque insectatur quod persuadere voluerit animæ substantiam non virtute tantum, sed sedibus & membris ab illo esse distin-

ctam. Et certè si apud Platonem hominis anima ei respondet quæ in in vniuerso est, imo, vt quidam dicere audent, hæc ex illa quodammodo emanauit, vt nostrum corpus ex illius corpore, quemadmodum in vniuerso vna & eadem reipsa anima communis est, sed vt dictum cap.12. ex eiusdem atque alterius potestate ita commixta vt in illa, idem supremi orbis conuersioni accõmodetur, alterum septem orbibus inferioribus: sic certè anima nostra re vna erit, eáq;, vt Plutarchus docet libro de eius procreatione, iisdem principiis constans, mentem (cui idem respondet) ad rerum intelligentiam adhibebit & in cerebro tanquam in arce sedem habere dicetur. Non quòd eius vera actio cum corpore communicet, aut huius parte aliqua organica indigeat, sed vt ait Marsilius Ficinus in cap.23. lib.1. Plotini de dubiis animæ, quoniam in eo sedes est phantasiæ quæ rationi est proxima & illius quædam imago. Ad alterum vero, quod principium est mutationis, pertinebunt concupiscentia & ira: quoniam hæc ex corporis mutationibus pẽdẽt, atque idcirco in inferioribus eius partibus, iecore scilicet & corde, sedem habere dicuntur. Neque verò ab illa sententia hoc debet reuocare quod ex 4. de Rep. dictum est in impotentibus atque intemperantibus animam eodem tempore circa rem eandẽ in contrarias partes affici: illam scilicet simul appetendo & fugiendo. Si quidem hoc potius arguit animam eandẽ sub ratione diuersa, rem eandẽ apprehendere, quam illam re diuersam esse. Vt enim eadem anima reipsa (sicut Aristoteles docet cap.7. lib. de sensu) simul eodémq; temporis puncto sentire potest calida & frigida, alba & nigra, sed ratione varia, nec sub eadẽ rei obiectæ imagine: sic cum voluptas corporis aliqua impotenti attentius omnia consideranti se obiicit sub specie mali, fugienda videtur: eadẽ vero cum negligentius expenditur, aut vi perturbationis de corpore enatæ, falsam boni imaginem rationi ostentat, accidit vt ab illo etiam appetatur. Et quáquam reuera eiusdem animæ hi duo motus sint, tamen propter huius maximam in suis functionibus celeritatem, accidit vt vnum facere videantur. Quod in iis quæ ad vitam & mores pertinent non video cur magnopere mirari debeamus: cum in veritatis contemplatione idem contingere frequenter animaduertamus. Etenim cum ad vnam rem suppetunt in contrarias partes paria momenta rationum, tum animæ eadem pars, tempore indiuiso (hoc enim facit in eius motibus celeritas admirabilis) in contrarias opiniones distrahitur, pro varietate argumentorũ quæ occurrunt. Atq; duæ illæ opiniones, sunt quidem eiusdem partis animæ vel facultatis: sed cũ in earum vna veritas insit, in altera falsitas, illæ non sunt eodem argumento conformatæ. Cur igitur non licebit etiam dicere in impotente partem animæ eandem

circa id quod in deliberationem, cadit pro diuersa specie sub qua illud obiicitur, contrario modo affici motibus quidem ratione distinctis, sed propter eiusdem animæ celeritatem vnum quodammodo facientibus? In quam rem scitum mihi esse videtur quod scribit Marsilius Ficinus cap. 12. lib. 8. Theologiæ Platonicæ. Formæ contrariorum elementorum, inquit, dum sunt in materia, contrariæ inter se sunt: quia pellunt se inuicem & interimunt. In mente non sunt contrariæ: quia ibi non modò non pellunt seinuicem, sed & iuuant. Simul quidem nostra mens habet contrariorum elementorum formas, quando simul elementa considerat. Simul quoque comprehēdit bona & mala, vtilia & inutilia, pulchra atque deformia, lucem & tenebras, vocem atque silentium, dulce & amarum & reliqua: atque ex cognatione alterius contrarij, sincerius iudicat alterum. Non igitur est corporea: neque etiam propriè corruptibilis. Quippe quod corrumpitur, vt plurimū corrumpitur à contrario. Quid autem esse potest menti contrarium, quæ tantam habet super contraria potestatem vt ab ipsis auferat contrarietatem, & sua pace conciliet inimica? Neque rursus corruptibilis est, quod à suis conseruatoribus disiungatur. Nam si aliena & contraria alienis contrariisque conciliat: multo magis se suis tum causis, tum seruatoribus admouet. Atque hoc modo videtur explicari posse quod ex 4. de Rep. ad docēdum partes animæ reipsa distingui, nonnulli firmissimum arbitrantur. Sed hoc magis me mouet quod quo argumento Aristoteles cap. 2. lib. 3. de Anima (consentiente etiam Platone in Theeteto) confirmat interiorem sensum re vnicum in nobis esse: eodem mihi effici videtur, in anima tres facultates quas initio ex Platonicis proposuimus, vnitas esse earúmq; motus ad vnum commune principiū esse referendas. Nam ille, quia alba & dulcia singulásq; res quæ sensibus percipiuntur, collatas inter se dignoscimus, atq; eas & differre à seinuicem & quò differant sensu percipimus, concludit hoc vno sensu fieri oportere, cui vtrumq; horum, albū inquam & dulce, notum sit. Alioqui, inquit, perinde esset ac si diceres cum huius ego, tu illius sensum habes, constare illa inter se esse diuersa. At impotens & intēperans in se deprehendunt, vt opinor, rationis motum & perturbationis, húncque ab illo differre & quo differat. Quomodo autem hos duos motus inter se compararent & differentes agnoscerent, nisi hi quanquam ex diuersis causis orti, ad idem principium referrentur? Atque cum rationis & perturbationis motus in vtróque illorum contrarij, sibi inuicem impedimento sint, vniúsque horum intentio, alterius quædam sit remissio: videtur necessarium horum facultates ad idem principium pertinere, in quo se ipsa contrarietate potius quam subiectorum

diuersitate, impediant atque peruertant. Idémque etiam ex eo intelligi potest quod cum ex tribus principibus facultatibus vna suam actionem maximè intendit, alterius munus remitti est necesse: nec potest quisquam cùm valde irascitur aut dolet, attente simul contẽplari, aut in sensuum functiones totus incumbere. Id vero cur non posset contingere si hæc ad principia, sua substantia distincta, pertinerent? Ergo quæ anima in nobis ratiocinatur, eadem reuera est fortasse quæ irascitur. Sed ratiocinari tum dicitur, cum rerum notiones inter se comparat, irasci autem, cùm in sanguine spiritus exæstuant. Atque quoniam in cerebro sedes est notionum (illic enim fortasse apud Platonicos phantasia primum apparet, ex cuius imaginibus notiones vniuersæ excitantur) in corde vero fons illius sanguinis simul cum spiritu æstuantis: idcirco ratiocinandi facultas in cerebro sedem habere ab illis dicitur, irascendi in corde. Quanquam neque irascerémur nisi motus à ratione incipiens, in eandem redundaret. Nam cũ in ira sit opinio acceptæ iniuriæ, quam sequitur in feruescẽte sanguine spirituum ad vindictam concitatio: ipsa iniuriæ acceptæ opinio, partis est animi in nobis superioris: sed plerúmque errantis quia in eo ipsa suum iudicium præcipitat. Reliqua ex illo præcipiti iudicio exorta, in eandem rationem desinunt ideóque illam in agendo perturbant. Quod si in nobis triplex esset anima reipsa suáque sede distincta: quærendum esset profecto quomodo homo in suis partibus triplici essentiæ forma constans, vnius speciei esse possit: aut quid sit quod illas tres animæ partes colligat atque contineat: cùm de illis duæ inter se pugnare dicantur. Non certè ipsum corpus illas continet, quoniam vt Aristo. docet in physicis materia à forma continetur potius quam hæc ab illa. Nec indiuiduum animal, quod est hoc aliquid, vnum numero dici posset quia vnam haberet formam essentiæ: sed tantum per suum corpus in quo connexæ & quasi colligatæ partes tres, in quibus distinctæ sedes trium principiorum specie & essentia differentium. Neque vero magis probabile videtur partes duas inferiores, ipsa ratione contineri: cum earum prior in qua naturales cupiditates insunt, nullo modo rationis particeps esse dicatur: altera in qua irarum ardor existit, rationi quidem aliquando pareat, sed ei suapte natura aduersetur. Neque magis dicendum est, quod tamen paulò ante indicaui D. Thomæ placere, fœtum primis diebus anima alente tantum informari, deinde aliquo tempore interiecto nouam excitari sentientem, priorémque perire: ita tamen vt secunda hæc illius perfectionem in se contineat: itémque aduenientе tertia, secundã deleri, ne in eadem re duæ formæ manere videantur, sed hanc illarum duarum perfectionem in se habere: vt scilicet in vtero animali-

lis ex embryone primum animal, tandémque hominis ex animali procreatio, embryonis primum, deinde animalis fit interitus. Sic enim ille ſcribit prima ſecundæ, quæſtione 118. articulo 2. Quod etſi petitum videri poſſit partim ex capit.3. libr.2. de animalium ortu, partim ex capit.3. libr. 2. de Anima: tamen quia ex eiuſmodi animali, id eſt ſentiente tantum, homo rationis particeps fieri dicitur ipſo animali quod prius erat, pereunte cedo illud animal in vtero conformatum ſentiens tantum, nondum ratiocinandi facultate præditum, cuius tum erat ſpeciei? An bellua: cum mortale eſſet & rationis expers? Atqui ex bellua hominem fieri per ſe abſurdum eſt. Et cum inter eiuſmodi formas nulla ſit contrarietas (ſunt enim hæ nudæ ſimplicéſq; ſubſtantiæ, nec adhuc affectæ qualitatibus, in quibus contrarietas conſiſtit) quomodo vnius aduentu altera interibit, cum omnis interitus contrarij ſit à contrario? Probabilius eſt quod à nobis alio loco dictum & ex problemate.4. Sectionis 30. confirmatum, apud Ariſtotelem, ſicut & fortaſſe apud Platonem, ſubſtantiam eandem eſſe animæ alentis, ſentientis, & ratiocinantis. Non tamen hanc eodem tempore præſtare ei quod animatur nutritionem, ſenſum & rationis vſum. Quoniam neque hæc quouis tempore in eo quod animatur ſimul neceſſaria ſunt: neque ad hæc ſtatim à prima conformatione corporea inſtrumenta ſuppetunt. Itaque quia quod in vtero eſt prius nutritione eget quam ſenſu, inſtrumentáque ad illam neceſſaria, quæ magis ſimplicia ſunt quam quæ ſenſui ſubſeruire debent, prius habet à natura conformata & abſoluta: ex eo quoque accidit vt fœtui prius anima alens, quam ſentiens ineſſe videatur, etiam ſi vtriuſque facultatis vnum & idem ſit principium. Quemadmodum in fœtu iam in lucem edito haud dubiè anima re vna & eadem eſt quæ alendi, & quæ procreandi eſt principium, multo tamen tempore ille prius alitur, quàm poſſit procreare. Quia ſtatim à prima origine illi ineſt calor ad coctionem alimenti nutritionémque ſufficiens: at non item ſemen cum calore fœcundo: ſine quo non poteſt procreare. Scio habere hoc maiorem dubitationem in ea animæ parte qua ratiocinamur, & intelligimus. De qua ſi recentiores Theologos ſequimur in interpretatione eius quod Ariſto. ſcribit cap.3. libr.2. de animalium ortu, ſolam mentem extrinſecus aduenire, nec huius actionem cum corpore cõmunicare, ſalua hæc noſtra coniectura manere non poteſt. Sed animaduerto, quod etiam paulo ante ſignificatum eſt, pleroſq; veteres de eius origine dubitaſſe vel ex iis etiam nõnullos aperte ſatis indicaſſe eandem eſſe animæ ratiocinantis & ſentientis eſſentiam: ſed hanc ſentire in

corpore non sine huius partibus organicis, eandem vero à corpore separatam ex se ratiocinari libere & intelligere: quæ cum adhuc est in corpore, intelligendi principium ab hoc quodammodo capit & ab eodem grauiter impeditur. De quo si placet Iustinum Martyrem in explicandis his quæ à Gentibus erant proposita, quæstione 77. audiamus. Si sensuum corporis opera & adiumento (dicebant Gentes) eorum quæ sensilia sunt, sensum anima percipit, bona autem & mala sensu percipiuntur, quid afferri potest, quin anima cum à corpore migrauit, sensu careat? Si non sentit, perspicuum est eam esse mortuam. Mortuos enim à viuis, sensus huiusque priuatio distinguunt. Quod Iustinus ita explicat, Naturæ omnes, inquit, & quæ creatæ sunt & quę rationis sunt participes, duplicem percipiendi vim habent, sentiendi vnam, alteram intelligendi: & ἀντιλητικὴν quidem quæ dicitur, qua & se ipsæ & se inter se percipiunt: intelligendi autem, qua notitiam eius quod supra eas est. Non igitur corporis opera animæ ea percipiunt quæ sensilia sunt, sed anima ipsa præsentia sua sensum suppeditans & afferens, animantem sensus participem facit: & quodãmodo ad corpus particeps est sensus, quodam autem modo ad se sensus est compos, nec vnquam anima moritur. Mors enim est eorum quæ animata sunt, non animæ. Opera igitur corporis eget id quod animatum est, ad ea percipienda quæ sub sensum cadunt, non anima. Aliud est enim id quod animatum est, aliud anima, & aliud id quod est participatione, aliud quod essentia. In quo facile est, opinor, videre essentiam eius partis in qua est sentiendi principium, ab illo immortalem statui, nec re distingui ab altera qua ratiocinamur & intelligimus. Ad quod etiam pertinet quæstio alia quam quidam in nostra religione proponunt. An statim in ipso conceptu, an cum fœtus conformatur, quod ferè quadragesimo die à conceptu dicitur accidere, anima humana infundatur. Quod si hoc tantùm in ipsa conformatione dicatur accidere, mirum, inquiunt, carnes minime sale consperſas vix triduo contra putredinẽ defendi posse: massam verò sanguineam, in embryone siue anima (quæ in sue pro sale esse dicitur) ad dies quadraginta integram manere posse. Ex quo concludunt fœtum statim in hora conceptus omnino animari. Sed de his quæstionibus satis: Nunc Platonem cum Aristotele in ista distinctione partium animæ conferamus. Animam re vnam in corde, vt in centro sedem habere Aristo. docet cap. vltimo libr. 3. de anima, cap. 3. & 4. libr. 3. de partibus animalium, & cap. 2. libr. de somno & vigilia. Eiusdem vero facultates principes quasi distincta prima rerum animatarum genera facientes, tres aliquando ponit, alendi, sentiendi & ratio-

cinandi. Addit nonnunquam quartam mouendi loco, vel etiam quintam appetendi aut cogitatione aliquid fingendi. Quanquam hæ duæ posteriores in distinguendis animalium generibus ab ipso sensu non videntur separari. Quoniam nullum omnino est animal sentiens quod non appetendi & cogitatione aliquid fingendi facultate quadam sit præditum: etiam si hæc in nonnullis minus appareat. Galenus vero, qui in hac quæstione Platonicus maximè videri vult, libris de placitis Hippocrati & Platonis, sicut & aliis locis multis, tres quidem primas facultates statuit atque has sedibus, sicut & Plato, distinguit: eiúsque qua alimur (quam aliquando animæ, aliquando nudæ naturæ esse vult) principium in iecore statuit: vt in prima vltimi alimenti, id est sanguinis officina: Vitalis in corde, animalis in cerebro. In cęteris si is cum Platonis & Aristotelis diuisione conferatur: non facile erit cuiquàm omni dubitatione se explicare. Naturalis quidem facultas quam ille in iecore statuit, ei respõdet quam in eodem Plato esse vult naturalium cupiditatum ad cibum & potum résque venereas pertinentium, principium. Eáque est quam Aristoteles altricem & nonnunquam procreatricem nominat cap. 4. libr. 2. de Anima: sed hanc ab ipso corde non separat. At vitalis quæ in corde à Galeno ponitur, quanquam etiam apud Aristo. vitalis & naturalis dici possit: vitalis quidem, quod principium omnis vitæ hic in corde esse velit, naturalis autem quod actiones ab illa manantes nobis liberæ non sint, nec in nostra potestate sitæ: maximè tamen hæc ex Galeni sententia distincta est ab illa quæ in iecore dicitur residere, & ab altera quam Plato in corde irascibilem nominauit. Nam vitalis facultatis quam in corde Galenus esse vult, actio in pulsu posita, animalibus propria est: nec ab iis alia attingit. Actio vero naturalis facultatis quæ propria iecoris, in eiusdem doctrina animalibus communis est cum omnibus plantis. Irascibilis facultas apud Platonem, sicut & ea qua cor sua vi dilatatur & contrahitur, ad sola quidem animalia pertinet: sed hoc interest, quòd irascibilis facultas in homine rationis imperio regi potest: illa vero altera Galeno vitalis (quam distinguendi causa nominemus pulsatilem) rationis imperio nullo modo continetur. In quo non sine causa mirari possumus vitæ principium à Galeno cordi denegari, vitalis tamen facultatis primam sedem ab eodem in corde poni: & plantis vitam tribui cum omnibus animalibus communem, illis tamen solam concedi naturalem facultatem, vitalem non item. Quid enim? An plante viuent sine vitalis facultatis munere? aut huius facultatis munere fruentur, facultate vero ipsa carebunt? Nec minus fortasse durum est quod animalis facultatis sedem absolutè in cerebro esse vult:

Nihil vero in hac prima facultatum diuisione constituit deirascibili quam in eadem diuisione Plato comprehendit. Quæ animalis esse videtur, quia animalium non minus est propria quam ipse sensus: & tamen à Platone non in cerebro, sed in corde posita. Quanquam de ipsa sede hoc aliam quæstionem habet, an si anima in certa corporis parte, siue vna, siue multiplici, sedem habere dicatur, ea non sit futura tota in toto corpore, nec tota in qualibet eius parte, aut si apud Aristo. hæc in corde est, num sit consequens solum cor per animæ essentiam esse animatum, reliquas vero partes per virtutes tantum & facultates ab illa substantia in corde residente, cum spiritu effluentes? Hæc mihi, repugnante tamen Iulio Scaligero in exercitationibus contra Cardanum, Aristotelis sententia esse videtur. Quoniam libro de mundo ad Alexandrum, Deum sic substantia & loco circunscribit: quem tamen sua virtue vult omnia regere. Augustius, inquit, decentiúsque id existimandum est Deum in summo loco ita esse collòcatum, vt tamen eius vis per vniuersum mundũ pertinens, tum Solem Lunámque moueat, tum cælum omne circumagat simúlque causam prębeat eorum quæ in terra sunt, salutis atque incolumitatis. Et de ipsa Anima hoc ipsum quod dicimus idem sic confirmat libro de animalium motu. Non est necesse, inquit, in quocunque membro inesse animam: sed quia in quodam corporis principio est, cætera viuunt necessario, quòd cohærent: suis autem muneribus natura duce funguntur. D. Thomas cap. 72. lib. 2. contra Gentiles, fatetur hanc fuisse Aristotelis sententiam: Nobis tamen ex D. Augustino lib. 6. de Trinitate, lib. de Animæ quantitate & epistola 28. tenendum, animam sua essentia vnam totam esse in toto corpore & totam in qualibet eius parte. Quoniam, inquit, sua essentia perfectio indiuidua est. Quare nisi tota secundum essentiam in qualibet parte animata esse non potest. Facultatibus tamen variè diuiditur & secundum eas in variis partibus quæ illis subseruiunt, varia esse dicitur: vt in oculo facultas videndi, in auribus audiendi. In corde tamen sedem habere dici potest: quia in eo effectus animæ primi sunt maximéque necessarij. In quam sententiam multa ab eodem acutissime dicta sunt in opere de quęstionibus disputatis, articulo 4. quęstionis vnicæ de spiritualibus creaturis, & articulo 10 quęstionis vnicæ de anima. Sic vero & Deum in cælo poni, scribit D. Hieronimus Commenta. in Esaiam. Quod dicitur Deus in cælo esse, inquit, non est Iudaico more accipiendum, vt Deus vllo claudatur loco & in cælo tantum habitet, qui vbique diffusus est, & à quo omnia continentur: sed excelsa & cœlos meritò intelligamus sanctos atque virtutes. Origenes capit. 1. libro. 1. de principiis, obser-

uat cor in Sacris literis pro mente & intelligendi virtute sæpe vsurpari. Et Tertullianus libro de Anima, multa colligit quibus pro Aristotele docere conatur principem animæ partem esse in corde. Diuus autem Hieronymus in epistola ad Fabiolam, de hac quæstione sic pronuntiat. Plato animæ principatum in cerebro esse ait: Christus in cordis pectore. In quo Diuo Hieronymo aduersatur Gregorius Nyssenus cap. 12. lib. de Creatione hominis. Credendum est, inquit, mentem æqualiter membra singula iuxta ineffabile temperamentum rationis attingere. Et si scripturam nonnulli ad hoc proferunt, quatenus principale hominis in corde esse testentur, non id debemus inexplorata ratione percipere. Qui enim cordis meminit, & renes asseruit, dicens: Scrutans corda & renes Deus. Ita in vtroque, aut neutro hoc intellectuale hominis licebit includi. Et cap. 13. His, inquit, qui mentem localibus includunt partibus, & ad demonstrationem opinionis suæ proferunt, quod non prosperetur intellectus eorum quibus contra naturam, cerebri membrana vexatur, ostendit ratio quod per omnes partes humanæ conformationis, sicut aptum est vnumquodque membrum, naturaliter operetur. Similiter autem vis animæ præter efficientiam subsistit, cùm aliqua pars corporis in natura non permanet. Et propter hæc oblata est sermoni nostro proposita consequenter inspectio, per quam discamus in hominis constructione, à Deo quidem gubernari mentem, à mente verò materialem vitam nostram contineri, cùm in natura persistit. Si verò à natura discesserit, etiam cooperatione mentis eam priuari necesse est. Idémque capite decimo quinto, animam re & substantia in nobis esse vnicam, facultate verò multiplicem, ita pronuntiat. Notandum est, inquit, quòd vna vis est tantummodo vitalis, altera verò sentiendi, tertia ratiocinandi, & intelligẽdi. Sed nemo per hæc existimet tres animas in hominis conformatione, propriis circumscriptas esse limitibus, & velut ex pluribus eam credat esse cõflatam, cum vera & perfecta vna sit anima, naturaliter spiritualis & intelligibilis, quę per sensus miscetur materiali substantiæ. Sed de his satis, nunc ad reliquam comparationis institutæ partem veniamus. Alcinous ad confirmandam partium in anima, distinctionem argumenta quatuor colligit hoc capite. Quorum primum tantum efficit in hac istiusmodi facultates ratione esse diuersas, propter munerum varietatem, & obiectorum circa quæ hæc versantur. Secundum ducitur à rerum animatarum generibus, secundum has facultates, siue partes, distinctis. Tertium ex pugna quæ inter harum facultatum munera existit: quod ex 4. de Rep. Platonis desumptum est. Quartũ ex eo quod vitia animæ non omnia eodem modo corriguntur: nec in

omnibus facultatibus eadem est huius institutio. In primo inter Platonem & Aristotelem consentanea sunt omnia. Siquidem Peripatetici concedunt, non modò principes animæ facultates, harúmque actiones, natura, id est, ratione essentiæ esse distinctas: sed in vna & eadem facultate sentiendi, aspectum ab auditu sic volunt esse diuersum, vt etiamsi vtriusque vnum & idem sit principium, nempe ipsa anima sentiendi, non possit tamen hoc vna eademque ratione simul audire, aliquid & hoc idem vel aliud ab eo videre: quemadmodū colligi potest ex cap. 7. libri de Sensu. In secundo Aristoteles quoque res animatas pro varietate facultatum, ita distinguit cap. 3. lib. 2. de Anima, vt in nonnullis omnes has inesse doceat, in aliis aliquas, in quibusdā vnam tantum. Vnde apud hunc tres principes tantùm huius facultates enumerari solent, alendi, sentiendi, & ratiocinandi, quę manifestè reperiuntur in distinctis tribus generibus rerum animatarum, plantarum scilicet, belluarum & hominum. De quarta, mouendi loco, apud eundē quęstio est, sicut & de his quę Zoophyta nominātur, ad quorū rerum animatarum genus debeant reuocari. Sed hoc inter eosdem interest, quòd in quibus rebus animatis omnes facultates insunt, hæ apud Aristotelem vnam & eandem sedem habent in corde: apud Platonem verò diuersas: nempe vna in cerebro, altera in corde, tertia in iecore. Quæ inde partes tres principes, reliquum corpus regentes, aliarúmque principia à Galeno nominantur in arte parua. Ex quo potest intelligi, cur ab eodem ventriculus (de quo nonnulli dubitant, propter muneris præstantiam in prima alimenti coctione) inter principes partes non numeretur. Nempe quòd in hoc nullius principis facultatis animæ primaria sedes sit. Addidit verò Galenus eodem libro, superioribus partibus etiam testiculos: quoniam in his facultatem procreandi residere vult: atque idcirco de horum comparatione, cum corde multa contra Aristotelem disputat cap. 12. lib. 1. de Semine, sed leuissimis certè rationibus: quæ à nobis accuratius considerabuntur Commentario in partem posteriorem descriptionis Physicæ. Iam verò de tertio argumento, Plato & Aristoteles in eo consentiunt, quòd vterque affectus animæ plerunque rationi contrarios arbitratur (nam & in eis reprimendis, virtutum moralium laudem sitam esse Aristoteles scribit in Ethicis.) sed hoc inter illos quæstionis est, an propter motuum in illis contrarietatem, facultates quoque ad quas eiusmodi motus pertinent, primis sedibus oporteat esse distinctas. De institutione, & diuersa duarum partium vel facultatum conformatione, à qua postremum argumentum petitum est, in eo Aristoteles Platoni assentitur, quòd earum duplicem perfectionem siue virtutem esse vult, quarum vnam morum, alteram intellectus appel-

lat: priorémque consuetudine agendíque more parari, posteriorem doctrina & præceptis contineri ostendit libr. 2. Ethic. Sed in hoc non arbitratur satis esse vitium ad efficiendum quod volunt Platonici, illarum scilicet facultatum ad quas eiusmodi virtutes pertinent, sedes re oportere esse distinctas.

2 De hoc pulmonum vsu. sic Plato loquitur in Timæo, Cùm Dij cognoscerẽt, inquit, cor rerum terribilium obiectu trepidaturum, & ira sæpius flagraturum, idque opus omne per ignem fore, æstus eiusmodi temperandi gratia, pulmonũ tegmen cordi adhibuerunt, molle primùm & exangue, deinde cauis extrinsecus filtulis spongiæ instar distinctum, vt spiritu potúque hausto, cordis ardorem, eiusmodi respiratione ac refrigerio tepefaciat. Quam ob causam arterias tanquam aquæ ductus, per pulmonum substantiam deriuarunt, eámque cordi quasi mollem saltum circumdedêre, vt quando nimia feruet ira, inde ad faciliorem obedientiam temperatum deferueat, sedatóque tumultu, rationi facilius cũ ira ministrare, & obsequi valeat. Vidit quidẽ hoc etiam Aristoteles, calorem scilicet eum qui in corde sedem habet, refrigerio indigere, ne in igneum conuertatur: atque sanguineis animalibus, quæ extra aquas viuunt, in hunc vsum Pulmones esse datos scripsit cap. 4. libr. de Respiratione. Sed præterea addidit cap. 7. libr. 2. de partibus animalium, idem cordi ab ipso cerebro præstari. Adu ersus cordis sedem & calorem, inquit, cerebrum natura mollita est, & ea de causa pars ista animalibus iuncta est, naturam obtinens terræ & aquæ communem: atque ob eam rem cerebrum omnia sanguine prædita habent, ex cæteris nullum ferè, nisi per proportionẽ, vt Polypus. Parũ enim caloris obtinet omne id genus, propter sanguinis priuationem. Cerebrum igitur calorem feruorémque cordis moderatur, & temperiem affert. Quod in eo Galenus reprehendit cap. 3. lib. 8. de Vsu partium. Aristotelem non possumus non valde accusare, inquit, qui cùm ea quæ ex anatome apparent, non neglexerit, in eorúmque vtilitate sit exercitatus, ipséque tradiderit problematum alia quidem solutionem postulare, alia verò supplicium, alia sensum: inuenitur tamen postea ipse neque iis quæ sensibus apparent credere, neque sui ipsius memor. Nam tactus noster calidius inuenit cerebrum, quam ambientem nos aërem. Ille verò caloris ipsius cordis refrigerandi gratia ipsum extitisse confirmat: sui ipsius immemor, qui respirationem huius rei gratia paratam esse dixerit.

3 Hoc copiosius & apertius Plato sic exprimit in Timæo. Quoniam videbat Deus, inquit, partem hanc animæ talem fore, vt rationem non exaudiret, & si quo sensu pulsaretur, nullomodo rationibus obtemperaret, sed simulachris, visisque nocte diéque maximè raperetur: idcirco naturam iecoris procreauit, & in eius habitudinem disposuit, densam inquam naturam, lenem, claram, dulcem, & amaritudinis non expertem: vt cogitationum ex mente descendens potentia, in ipso iecore velut in speculo figuras suscipiente, aspectuíque simulachra reddente, quandoque recepta terreat ipsum, quandoque cognata amaritudinis parte vsa, minásque intendens, & toti iecori repentè suffusa, felleos, terribiléque colores ostentet: contrahens præterea ipsum rugosum & asperũ totum reddat: ac fibras eius, bilem, eiúsque ventriculum, & venas quæ portæ vocantur, sic afficiat, vt partim ex habitu recto deflectens ac contorquens, partim obstruens & concludens, dolores detrimentáque præbeat. Ac rursus quando mansuetudinis ex mente inspiratio contraria visa effingit, amaritudinem quidem sedans ex eo

quod aduersam sibi naturam neque ciere, neque attingere velit, dulcedine verò illi ingenita vtens,& omnia recta, lenia, libera in ipso digerens,tunc sanè pacatam mansuetámque partem animæ in iecore habitátem facit. Adeò vt etiam in somno moderatè affecta sit,vaticinióque vtatur, quando rationis prudentiæque est expers. Qui enim nos composuerunt, paterni illius mandati memores quo mortale genus præceperat, quàm optimum pro viribus fieri,ita deteriorem nostri partem instituerunt,vt ipsa quoque veritatis foret quodammodo particeps. Siquidem in ea expleri vaticinium statuerunt. Quod autem dementiæ humanæ Deus diuinandi vim dederit,illud argumento esse nobis potest, quod nemo dũ sanæ mentis est, diuinum & verum vaticinium vllum assequitur, sed cùm vel somno vis prudentiæ præpedita est: vel oppressa morbo, vel diuino aliquo raptu è suo statu dimota, fieri diuinatio solet. Prudentis verò duntaxat officium est, quæ à fatidico furentéque ingenio, dormiendo vel vigilando pronuntiata sunt, intelligere: & quæcunque visa illuxerint, ratiocinatione ita discernere, vt quæ quicque ratione, & cui futurum aliquid vel præteritum, præsénsve bonum vel malum protendere videatur, explanet. Quod autem hic Alcinous ex illo loco commemorat de iecoris amaritudine & dulcedine, ad id referendum esse videtur,quod in ea parte prima est quatuor humorum generatio: de quibus vtraque bilis amara est,pituita verò & sanguis dulcis. Vel fortasse quod dulcium antecedente perceptione in iecore naturalium cupiditatum sede,appetentia excitetur, sicut & amarorum sensu,eorundem fuga. Pro illis autem quatuor humoribus in humano corpore variè dominantibus, varia quoque insomnia solent contingere. Siquidem in biliosis ferè turbulenta sunt, in pituitosis meticulosa,in melancholicis tristia,in sanguineis iucunda. Ideóque ex insomniorum obseruatione de humore iu corpore dominante,cum aliqua probabilitate iudicamus. Vt si quis per somnum incendium videat,eum flaua bile infestari: si verò fumum aut caliginem,aut densas tenebras,atra bile grauari: sicut si imbres somniet,in eo frigida & humida abundare. Nam vt ait Galenus libro de Præsagiis ex insomnis, videtur anima in somniis profundum corporis ingressa, externis relictis sensibus,ea quæ corporis sunt dispositionis sentire, & nonnunquam etiam omnibus quæ cupit tanquam præsentibus,per imaginationem frui. Vt cùm quis sitibundus somniat se inexplebiliter bibere, aut famelicus se insatiabiliter edere: aut qui semine abundat, se Veneri indulgere. Imò cùm motus humorum in corporibus initiò leues sunt, nec adhuc morbos pariunt, in somniis magni apparent, eóque morbos ex illis nascentes denunciant, vt ab Aristotele significarum est, cap. 3. libro de Diuinatione per somnum. Dicunt clarissimi Medici, inquit, obseruanda esse somnia diligenter. Quod cùm omnes qui arte quauis præditi sunt, existimare debent,tum vel maximè ij quibus aliquid propositum est ad considerandum,quique philosophantur. Motus enim qui interdiu existunt,nisi permagni sint, & vehementes,à maioribus qui vigilantibus incidunt, obscurantur. Quod contra fit in somno, in quo perexigui magni esse videntur. Idque sæpenumerò in iis quæ dormientibus vsueniunt,animaduerti licet. Hi enim & fulminasse & tonuisse putant, cùm soni exigui eorum aures pulsant ac feriunt: & mellis aliarúmque rerum dulcium se succum percipere, cùm leniter pituita diffluit,& per ignem ambulare, magnóque calore affici, cùm calor exiguus eorum partem occupat. Quæquidem omnia cùm excitati sunt,ita se habere intelligunt. Ita fit,vt quoniam omnium rerum parua sunt initia, perspicuum sit morborum etiam esse,aliarúmque affectionum quæ in corporibus posteris temporibus existunt. Quo loco quod ex Medicis Aristoteles commemorat, id ex Hippocrate

desumptum videri potest. Quanquàm illum non nominat: quemadmodum neque in aliis permultis Physiologiæ partibus, in quibus eiusdem doctrinam sequitur, vel etiam nonnunquam exagitat. Eadem enim fere Hippocratis sententia est libro de insomniis. Diurnas actiones, inquit, si in nocte transmittat cogitatio, reddátque in somnis ea quæ interdiu honesto in negotio, aut opera, aut consilio patrata sunt: id homini bonum est. Sanitatem enim significat, propterea quòd anima in diurnis consiliis perstat, neque repletione, neque inanitione vicia est, aliave re quapiam quæ extrinsecus solet euenire. At cum diurnis functionibus somnia aduersantur, ita vt inter ipsa non conueniat: iudicatur corporis perturbatio. Itaque ex forti, forte malum portenditur, ex debili imbecillum. Vtrum vero res hæ sint auertendæ nec ne, non est consilium iudicare: sed hominis corpus curâdum esse statuo. Cum enim corpus plenius est, quod superfluum est, animæ negotium facessit. Igitur id quod aduersatur si validius sit & vomitus confert, & leniorum ciborum vsus, ad diem quintam vsque: tum deambulatio post cibum frequês atque cõcitatior, moderatæque præterea exercitationes. Quod si minus validum sit id quod oppugnat, omisso vomitu tertiam demito ciborum partem. Quam viuendi rationem in dies item quinque promoueto: deambulationibus vigeto: vocis vtitor contentione: diis immortalibus vota cõcipito; atque ita sedabitur perturbatio. Atque hæc quidem naturaliter & medicè in somniis ab Arist. & Hippoc. sunt obseruata. Neque vero apud Platonem in omnium somniorum interpretatione diuinandi vis inest: sed, vt ait initio lib. 9. de Rep. cum quis recte moderatéque habens, quieti se tradiderit, ea parte animi in qua est ratio, excitata & erecta, saturatáque bonarum cogitationum epulis & ad seipsam contemplando conuersa: ea vero quæ voluptate alitur, nec inopia pressa, nec satietate affluenti, vt quiescat maximè, neque optimam partem illam, aut gestiendo, aut merendo perturbet, sed sinat eam per se ipsam solam ac puram considerare, indagare, atque percipere quicquid ignotum hactenus vel præsentium, vel præteritorum, vel futurorum: illa etiam parte animi in qua irarum æstuat ardor, sedata atque restincta vsqueadeo, vt nulli infensa quiescat: atque ita, inquam pacatis duabus partibus, mente vero erecta, somno se comparet, tunc demum mens pura veritatem attingit, neque insomniorum visa nefaria se obiiciunt. Hæc verò quia diuinitatis multum habere videntur, à deo, vel à dæmonibus immitti Platonici crediderunt. Quod Hippocrates quoque probauit eodem libro. At hoc Aristoteles improbat libro de diuinatione per somnium. Deũ esse qui somnia immittat, inquit, præter alia quæ à ratione aliena sunt, etiam illud alienum est, & dei maiestate indignum eum illa non optimis viris, nec prudentissimus, sed quibusuis mittere. De quo vide multa apud Synesium libro de Somnij.

4 De Liene sic Plato in Timæo, quando propter corporis morbum sordibus iecur abundat, lienis raritas id purgans, eam combibit, cuius membrum hoc concauum sit & exangue: vnde purgamentis impletum excrescit tumétque sanie. Ac rursus cum mundatum corpus est restrictum in se ipsum considet. De eiusdem vsu morbisque qui accidunt cum suum officium non facit, hæc Aristoteles scribit capite septimo libro tertio. De partibus animalium. Lien vapores vagantes diuertit & attrahit ex ventriculo, & concoquere eos potest, vt qui sanguineus sit. Quod si plus excrementi sit parúmque caloris ha-

beat lien, corpus præ alimento immodico langueſcit & propter hoc confluuium huc humoræ, ſepe accedit, vt lienoſis ventres præduri efficiantur: quo modo iis qui ſupra modum mingunt, ex diuerticulo humoris. Quibus conſentanea ſunt quę de eadem parte pluribus explicat Galenus. 6. De locis affectis & libro de atrabile.

FINIS TOMI PRIMI.

PARS POSTERIOR

PLATONICAE ET ARISTOTELICAE COMPARATIONIS IN VNIVERSA Philosophia.

Quæ de animorum immortalitate, de fato & libero arbitrio disputationem continet, itémque explicationem eorum quæ ad philosophiam moralem pertinent.

AVTHORE IAC. CARPENTARIO, Claromontano Bellouaco.

Adiecta est eiusdem Carpentarij defensio contra quendam Logodædalum, prioris interpretationis Alcinoi calumniatorem.

Ad O. V. Paulum Foxium.

PARISIIS,

Ex officina Iacobi du Puys, è regione Collegij Cameracensis, sub signo Samaritanæ.

1573.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

O. V. PAVLO FOXIO,

IN SECRETIORE REGIS SENATV

P. C. Vigilantiſſ. & Integerr. Iac. Carpentarius. S.

SVMMO quidem iure, Ornatiſſ. & Humaniſſ. Foxi, noſter hic Alcinous in ſolidum tibi debebatur. Quoniam tua authoritate eiuſdem explicatio tota inſtituta cõfectáque eſt, & te vno potiſſimum vrgente, in lucem edita. Sed cum in multorum aliorum tabulis nomen noſtrum extaret, nec tibi tantum (quanquam vni omnium maximè) eſſem debitor, rationi conſentaneum viſum eſt, vt opus hoc, quod in philoſophico ſtudio facultatis noſtræ, quantulacúmque eſt, ſummam continet, in aliquot partes diſtingueretur, noſtriſque creditoribus diſtribueretur: vt hos aliqua ex parte placaret, quorum ſingulis non poteram ſolidum ſuum cuique ſoluere. Sic enim ipſe, opinor, ſi alio debitore ſuis fortunis cedente ſolúmque vertente, inter varios creditores honorarius arbiter datus eſſes, ex æquo bonóque faciendum ſtatueres. Debeo verò alijs quidem permultis plurima, ſed illuſtriſſimo Cardinali, & Principi Lotharingo Regiæ profeſſionis philoſophicæ beneficiũ, quo ante annos ſex ſum exornatus. At tibi, illo abſente, eiuſ-

dem conseruationem nisi acceptam refero, profectò apud humanissimum creditorem dum debitoris nomen volo occultare, maximam ingratitudinis notam mihi inuro. Non quod ille beneficium conseruare non potuerit, qui à Rege impetrauerat: sed quia in hoc ab eis oppugnabamur, quibus, vt erant tempora, illo absente cedendum fuisset, nisi apud Regem Reginámque nostro nomine interueniisses, atque tuam authoritatem illorum furori, qui postea nobis, vel potius Reipub satis pœnarum dederunt, opposuisses. Quæ cùm non solum antiquissima Foxiorum nobilitate niteretur, sed recenti beneficio fœlicis Britannicæ legationis tuæ, tum in omnem partem splendesceret, ea non modo potuit me in Regia professione seruare, sed apud principes noua laude ornare. Quæ certè tua commendatione postea eoúsque accreuit, vt verè videar esse dicturus illos qui de me perdendo perditè cogitabant, quia te ad nostrarum fortunarum defensionem excitauerunt, non tantum vitam pro morte dedisse, sed ea vitæ ornamenta adiecisse, quibus vix vlla maiora sperari potuerunt. Pro quibus si à me exigis vt tibi solidum soluatur, debitorem hactenus tua facilitate recreatum, nunc quasi in articulo nimia seueritate opprimis. Sed hoc, sat scio, nunquam facies: imò quicquid est quod debeo, id totum potius pro tua humanitate liberaliter condonabis, quàm vel leuissimam eius particulam à tuo cliente oblatam, morosè repudies. Istam igitur, si placet, hoc animo excipe. Permulta enim continet quæ tibi philosophiæ amantissimo, vel potius, in vita tam

occupata, heluoni auidißimo, fortaſſe erunt non iniucunda. Atque ita excipe, vt apertißimè teſtatum à nobis habeas non modò tuam eſſe partem hanc, ſed opus vniuerſum tua authoritate inſtitutum eſſe, atque perfectum: imò verò & ipſum authorem in pleriſque ſingulari tua doctrina valde adiutum. Vt ſi quid poſthac pro eo gratiæ lector deberi exiſtimauerit, id cum ad te, nobis conſentientibus, redierit, poſſit quoque aliqua ex parte noſtro nomine ſatisfacere. Bene vale. Datum ex vrbe, Idib. Ianuar. Anno 1573.

AD EVNDEM PAVLVM FOxium, de Alcinoo Carpentarij, Simeonis Malmediani Regij Professoris & Doctoris Medici, Carmen.

ALCINOVS, Foxi, iam non intelligit vnus
Quicquid Aristotelis docta camœna sapit,
Quódque sapit quem sorbitio tulit atra cicutæ,
Argolicísue modis suauior alta Samos.
Aut recutitorum conscripta volumina turbæ,
Dum profuga Isiacos deserit ipsa focos.
Ex quibus vt stabili sociatis fœdere multis
Partibus, hoc vnum congerit actor opus.
Carpentarius hoc totum explorauit ad vnguem,
Cultius & multò lucidiúsque dedit.
Vt bifera Alcinoi fuerint pomaria Regis
Queis steriles arbor non dedit vlla comas,
Non tamen auratis pomis concertet in artes
Quas promit proprio docta Minerua sinu.
Quas cum mellifluis effundit vocibus author,
Detegit arcanum quod vagus orbis habet.
Iuppiter arce sua quo turbine versat Olympum,
Legibus vt certis sydera celsus agit,
Vt quoque frondifluo brumarum frigore, solis
Stringitur auricomi lux breuiore mora:
Concipit vt celeres rabiosa Canicula flammas,
Atque agiles noctis diuidit ipsa rotas:
Vt disiuncta locis æterna pace ligentur,
Commuténtque suas cuncta elementa vices.
Vt suaues Zephiri reuehunt Aquilone gelatas
Fruges, & si quæ semina condit hyems.
Explicat, & rutilo speciosa colore metalla,
Et quicquid terræ faucibus eruitur:
Vt freta velifragis ante indignata procellis
Eludunt tantum littore cuncta suo,

Squammigerum vt tremula genus enatat æquore cauda,
An mediis mutilo pectore ſpirat aquis:
Et qua vi volucres longum per inane feruntur,
Luſtráve ſponte ſua per nemoroſa feræ:
Arte ab Apollinea repetit medicaminis vſus,
Nectitur vt moles corporis, vtque ruit.
Perſequar an ſileam? nil non memorabile profert,
Et non Deliaca ſorte minora canit.
At quia te (Foxi) totum hoc duce & auſpice cœptum eſt,
Partem opere in tanto ſuaſor & author habes.
Quando erit illa dies (memini te quærere) qua ſe
Optatus nobis proferet Alcinous?
Sera quidem, ſed læta tamen lux illa refulget:
Debetur meritis gratia ſumma tuis.
Perge igitur (Foxi) nec deſine velle mereri
De literis, ingens vox tua calcar habet.
Vtque ſoles, triſtes hac noſtra ætate camœnas
Reſpice, quæ auſpiciis ſtent vigeántque tuis.
Foxia gens generoſa Ducum Regúmque propago,
Vult genus hac gemines nobilitate tuum.

ARGVMENTA VARIA EX VNIVERSA PLATONIS DOCTRINA COLLIGVNTVR, QVIBVS confirmatur immortalitas eius partis animi, quæ in cerebro sedem habens, principium est rationis & intelligentiæ.

CAP. 18.

ANIMVM autem immortalem esse, in hunc modum declarat. Animus cuicunque aduenerit, huic vitam affert, quasi hanc sibi habeat insitam. Quod verò alicui vitam affert, mortis capax non est. Tale autem quicquid est, hoc immortale. Si autem immortalis est animus, interitus quoque est expers. 2 Incorporea enim est essentia quæ naturæ suæ existentia immutabilis: eáque intelligibilis, inaspectabilis, ac semper vnius modi. 3 Igitur & compositionis expers est: neque dissolui potest, neque dissipari. Corpus autem quoduis, contra, sensile est, aspectabile, dissipabile, concretum, multiforme. Etenim animus per corpus sensili adhærens, vertigine tentatur, turbatur, quasique inebriatur. Ipse autem intelligibili secundum se adhærens, consistit atque quiescit. Ei verò similis esse non potest, cui adhærens conturbatur. Itaque illi intelligibili similior est. Intelligibile autem natura est indissipa-

bile atque interitus expers. Quinetiam animus secundum naturam præest & imperat. Diuinitati autem simile est id quod suapte natura principatum obtinet. Quare animus diuinitati similis, neque poterit interire, neque corrumpi. Contraria immediata non secundum se ipsa, sed aduentitia tantùm vi ex se inuicē oriuntur, & fiunt: id autē quod homines vocant viuere, cum contrarium sit ei quod est mori, quemadmodum mors separatio est animi à corpore, sic & vita congressio animi (qui scilicet ante fuerat) & corporis erit. Qui si erit post mortem, & fuit prius quàm cum corpore cōiungeretur, rationi valdè consentaneum est eundem sempiternum fore. Quoniam nihil amplius excogitari potest cuius vi corrumpatur. Síque disciplina recordatio quædam est, immortalem esse animum necesse est. Esse verò disciplinam recordationem, his rationibus inducemus. Neque enim aliter disciplina potest consistere, quàm per recordationem eorum quæ sunt olim cognita. Nam si ex singulis vniuersa intelligimus, quonam pacto per singula, quæ infinita sunt, discurremus? aut ex paucis vniuersa percipiemus? Fallemur enim perinde ac si iudicaremus id solum animal esse quod respirat. Vel quomodo notiones rationem principiorum obtinebunt? Recordando igitur intelligimus, ex paucis mente conceptis: à quibus sigillatim incidentibus, in eorum recordationem venimus, quæ prius quidem nouēramus, sed ea deleuerat opinio à corporis contagione profecta. Præterea animus à proprio vitio minimè corrumpitur. Nequaquam igitur ab alieno: neque omnino ab alio. Cùm autem sit eiusmodi, corrumpi nullo modo poterit.

Item quod à seipso suáque vi mouetur, quia in ijs quæ mouentur, principij rationem habet, semper mouetur. Quod autem tale, idem quoque est immortale. Animus verò à seipso mouetur: & quod à seipso mouetur, motionis omnis & ortus est principium. Principium autem ingenitum & interitus expers. Quare animus vniuersi talis erit, atque etiam humanus, cùm vterque eiusdem mixtionis sit particeps. A se autem mobilem animum esse ait, quòd innatam vitam habeat, semper sua vi operantem. Animos autem rationis participes immortales esse, ex huius viri sententia licet confirmare. [4] *Vtrùm verò etiam rationis expertes, hoc ex ijs est quæ in controuersiam cadunt. Probabile tamen est rationis expertes sola imaginatione ductos, neque ratione, neque iudicio vtentes, neque perceptis, neque horum collectione, neque ratiocinando deductis sumptionibus vniuersis, omnino autem mentis expertes, & non intelligente natura præditos, non esse eiusdem essentiæ, cum ijs qui ratione vtuntur, ideóque illos mortales esse, & interitui obnoxios. Hac igitur ratione cùm sint immortales animi, consequens est eos corpora subire, adhærentes naturis quæ fœtuum sunt conformatrices, eósque in multa corpora, nec in humana tantùm, transmigrare,* [5] *ad numeros temporum manentes, vèl voluntate Deorum, vel propter vitæ intemperantiam, aut corporis amorem.* [6] *Mutua enim quædam est inter corpus & animum cognatio, qualis inter ignem & bitumen cernitur. Atque Deorum quidem animus adeptus est facultatem diiudicandi, quæ cognoscendi dici potest: itémque ad agendum im-*

pellendi & incitandi, atque etiam conciliandi. 7 Quæ omnes facultates cùm insint quoque humanis animis, postquã in corpora demersi sunt, sic permutantur: vis quidem conciliandi in eam quæ concupiscendi est, impellendi autem ad agendum, in alteram, quæ irascendi.

IAC. CARPENTARII COMMENTARIVS IN Caput. 18.

In quo prima est disputatio de Animorum immortalitate.

Quæ digressio est decima.

SCRIBIT Cicero.1. Tusculana, Pherecidem Syrum primum, quod literis extet, dixisse animos hominum esse immortales. Vixit autem hic regnante apud Romanos Seruio Tullio, & nobilem discipulum habuit Pythagoram. Quãquam Pherecide Syro longè antiquior Mercurius Trismegistus (non enim multis annis Mosem dicitur esse secutus ex eóque multa penè ad verbum descripsisse) in eadem fuit sententia: hancque sic expressit cap.1. Pimandri. Solus homo ex vniuersis terrenis animantibus, inquit, duplicis naturæ censetur: mortalis quidem propter corpus, immortalis autem propter hominem ipsum substantialem. Immortalis enim est cunctorúmque arbitrium obtinet: cætera verò viuentia quæ mortalia sunt, eius fato subiiciuntur. Idémque apertius in Asclepio. Audi ô Asclepi, inquit, Cum anima à corpore discesserit, tunc arbitrium examénque meriti eius transiliet in summi dęmonis potestatem. Isq; eam cum piam iustámque præuiderit, in conuenientibus locis manere permittet. Si autem vitiorum maculis infectam, desuper ad ima deturbans, procellis turbinibúsque aëris, ignis & aquæ sæpe discordantibus, tradet. Atque inter cælum & terram mundanis fluctibus, in diuersa semper æternis pœnis agitata raptabitur: vt in hoc obsit animæ æternitas, quod sit immortali sententia æterno iudicio subiugata. Apud Iudæos etiam Essei, eandem sententiam probauerũt. De quibus sic scribit Porphirius lib.4. de abstinendo ab esu carnium. Essei, inquit, Iudæi genere sunt: apud quos firma hæc opinio est, cor-

Primi authores immortalitatis animorum.

pora quidem morti esse subiecta, animos vero tanquam immortales, semper viuere: cúmque à subtilissimo æthere dimittantur, naturali quodam delatos impetu, corporibus coniungi. Cum vero à vinculis corporum quasi à longa seruitute liberati sint, tum summo gaudio altiora petere. Vt ex his possit intelligi tam nobilis sententiæ (sicut & aliarum permultarum, quas pro suis græci venditant) Hebræos authores extitisse. Pythagorea autem Plato didicerat ex Timæo Locro & ex Philolao, quem præceptorem habuit. Et tamen in Phędone, cum in hac quæstione animaduerteret Pythagoreorum aliorúmque rationibus non satis inesse virium ad cogendum, persuasione fidéque non parua opus esse ait, vt credatur animum supersesse post hominis interitum, atque vim aliquam intelligentiámque habere. At vero cõtra hanc immortalitatem capitalis est opinio Plinij cap. 55. lib. 7. Quæ vtinam nullos etiam nunc omnino sectatores haberet. Omnibus à suprema die, inquit, eadem quæ ante primã: nec magis à morte sensus vllus corpori aut animæ, quam ante natalem. Eadem enim vanitas in futurum etiam se propagat & in mortis quoque tempora ipsa sibi vitam mentitur: aliàs immortalitatem animæ, alias transfigurationem, alias sensum inferis dando & manes colendo Deúmque faciendo qui iam etiam homo esse desierit. Ceu vero vllo modo spirãdi ratio homini à cæteris animalibus distet, aut non diuturniora multa in vita reperiãtur, quibus nemo similem diuinat immortalitatem. Quod autem corpus animæ persequitur materiam? Vbi cogitatio illi? Quomodo visus? Auditus? Quæ deinde sedes quantaue multitudo tot seculis animarum velut vmbrarum? Puerilium ista delirameñtorum auídæque nunquam desinere, mortalitatis commenta sunt. Quæ quidem omnia tam absurda in Plinió minime mirabitur, qui cogitabit quæstiones esse duas cõiunctas, vnam de Deo, alteram de anima: nec posse eum de huius immortalitate bene sentire, qui in quæstione de Dei prouidentia omnium maximè est impius cùm aliis locis multis, tum vero apertissime cap. 7. libr. 2. naturalis historiæ. In Seneca de Deo satis piè multis locis scribente, admirabilior eadem opinio videri potest. Et tamen etiam hic ponit interitum animorum simul cũ corporibus, cùm de suo morbo ita scribit epistola 55. lib. 7. Ego mortẽ diu expertus sum, inquit. Quando, inquis? Antequam nascerer. Mors est, non esse. Id autem quale sit, iam scio: hoc erit post me, quod ante me fuit. Si quid in hac re tormenti est, necesse est & fuisse antequam prodiremus in lucem. Atqui nullam sensimus tunc vexationem. Rogo num stultissimum dicas, si quis existimet lucernæ peius esse cum extincta, quàm antequam accederentur? Nos quoque & accendimur & extinguimur. Medio illo tempore aliquid pa-

Authores mortalitatis assertores.

timur. Vtrinque vero alta securitas est. In hoc enim, mi Lucili, nisi fallor, erramus, quod mortem iudicamus sequi, cum illa & præcesserit & secutura sit. Quicquid ante nos fuit, mors est. Quid enim refert vtrum non incipias, an desinas, cum vtriúsque rei hic sit effectus, non esse? Et apertius idem libro de consolatione ad Martiam. Cogita, inquit, nullis defunctum malis affici. Illa quæ nobis inferos faciunt terribiles, fabula est. Nullas imminere mortuis tenebras, nec carcerem, nec flumina flagrantia igne, nec obliuionis amnem, nec tribunalia, nullos in illa reos libertate tam laxa, nullos iterum tyrannos. Luserunt ista poëtæ & vanis nos agitauere terroribus. Mors omnium dolorum solutio est & finis. Vltra quam mala nostra non exeunt: quæ nos in illam tranquillitatem qua antequam nasceremur, caruimus, reponit. Si mortuorum aliquis miseretur, & non natorum misereatur, mors nec bonum nec malum est. Id enim potest aut bonum aut malum esse, quod aliquid est: quod verò ipsum nihil est & omnia ad nihil redigit, nulli nos fortunæ tradit. Sed illos omittamus hoc tempore, & philosophorum principes Aristotelem & Platonem de hac quæstione lumine naturæ non omnino malè sentientes, sicut cepimus inter se conferamus. Ac primùm ad immortalitatem confirmandam, quam vim habeant singula Platonis argumenta, attentè consideremus: vt cum iis postea Aristotelis doctrinã componamus. Omnino octo sunt quæ ad hanc rem ex Platone ab Alcinoo hoc loco commemorantur. De quibus sex priora, ex Phędone: septimum ex decimo de Repu. octauum, ex Phedro est collectum. Omnium vero primum eiusmodi esse videtur. Anima aut vita est, aut certè vitæ causa continens. Si vita est, mori non potest. Quia quanquam contraria in eodem subiecto sibi inuicem succedãt, eorum tamen vnum non potest alteri subiectum manere. Si vero vitæ causa est continens, certè in causam continentem contrarium proprij effectus non potest cadere. Vt quia priuationis luminis in Luna causa continens est terræ interpositio: quod illi priuationi contrarium est, nempe ipsum lumen, non potest cum interpositione terræ consistere. Quare si vitæ causa continens, anima est (continentem verò causam dico eam quæ sicut Aristo. indicat libr. 2. Analyt Post. secundum omnia tempora cum suo effectu coheret vinculo indissolubili) non poterit vitæ contraria mors, in animam cadere. Quam rationem vsurpasse videtur D. Bernardus in Cantica Canticorum. Vita, inquit, anima est, viuens quidem, sed se ipsa: & per hoc non tam viuens, quã vita, vt propriè de ea loquamur. Inde est quod infusa corpori, viuificat illud: vt sit corpus de vitæ præsentia, nõ vita, sed viuẽs. In hoc autem gerit anima similitudinem quandam cũ Deo, quòd non

Platonis rationes ad cõfirmandam immortalitatem.

ſolum eſt vita,ſed etiam viuificans. Sequitur etiam vt ſit immortalis. Quoniam cũ ſibi ipſa vita ſit, ſicut non eſt quo cadat à ſe, ſic non eſt quo cadat à vita. Ex quo etiam Virgilius, animas vitas nominauit Æneidos 6.

Et ni docta comes, inquit, tenues ſine corpore vitas
Admoneat volitare cauæ ſub imagine formæ
Irruat & fruſtra ferro diuerberet vmbras. Et alio loco
Vitáque cum gemitu fugit indignata ſub vmbras.

Sed hæc ratio fortaſſe non minus ad animam belluarum vel etiam plantarum pertinet,quàm ad eam quæ in nobis ratiocinatur & intelligit, Illas enim eadem ratione videor colligere poſſe,quia corporibus quibus inſunt, vitam per ſe adferunt, non modo non poſſe eildẽ adferre interitum, ſed neque ipſas (quoniam hoc abſurdius eſt) interitum ſuſcipere. Niſi fortè ex nonnullorum opinione hoc opponimus formas eas quæ à materia omnino ſuſtinentur,licet formas alias ſibi contrarias non ſuſcipiant, earum tamen aduentu perire: aut materia qua ſuſtinebantur, diſſoluta, diſſolui. Alias vero quæ in ſe ipſis permanent,& ſi quando materiæ inhęrent,illam potius ſuſtinent quã ab illa ſuſtinentur: cõtrariam ſibi vim non poſſe admittere,& ſi qua vis humano corpori infertur,hac qualitates,& formas affici quæ corpori ſunt addictæ: Partem autem eam animæ in qua rationis eſt principium,quia corpore ſuperior eſt, ab eis nihil affici. Quod quãquam meminerim ſcriptum à Marſilio Ficino cap.14. lib.5. Theologiæ Platonicæ, in eo tamen mihi non ſatisfacit,quod ad vnius dubitationis explicationem ea affert,in quibus poſtulat ſibi concedi quod in quæſtione eſt poſitum. Quis enim de his qui animæ immortalitatem negant (eſt enim cum illis hoc loco diſputatio) cõcedet eam partem qua ratiocinamur, in ſe ipſam permanere,& ſi quando materiæ inhęret, illa nullo modo ſuſtineri? Sin hoc loco vitam per ſe dari corpori ab anima cum aliis interpreteris, quod hæc in obeundis vitæ muneribus ſe ipſa contẽta ſit,organico corpore nihil indigeat: ratio eiuſmodi ad eam proximè accedet, quã in Ariſto.doctrina menti propriam poſtea explicabimus: ſed orationis ambiguitate fallet. Quoniam anima plãtis & belluis per ſe vitam dare verè dicitur: neque tamen in illis munera vitæ ſine corpore poteſt obire. Si quidem nutritio & ſenſus munera vitæ ſunt,quorum anima primaria certè cauſa eſt: ſed ad hæc in corpore neceſſaria ſunt organa. Secundã vero Platonis rationem in Phędone, Cicero prima Tuſcula ita explicat ex libro ſuo de conſolatione philoſophica. Animorum nulla in terris origo reperiri poteſt, nihil enim eſt in animis mixtum atque concretum,aut quod ex terra natum atque factum videatur. Nihil aut humidum quidem, aut flabile,

bile, aut igneum. His enim naturis nihil ineſt quod vim memoriæ, mentis, cogitationis habeat: quódque præterita teneat, aut futura prouideat & complecti poſſit preſentia, quæ ſola diuina ſunt: nec inuenietur vnde hæc ad hominem venire poſſint niſi à Deo. Singularis eſt igitur quædam natura atque vis animi, ſeiuncta ab his vſitatis notiſque naturis. Ita quicquid eſt illud quod ſentit, quod ſapit, quod vult, quod viget, cæleſte & diuinum eſt. Ob eámque rem æternum ſit neceſſe eſt. Huius verò rationis vis in eo poſita eſſe videtur, quòd omnis interitus à quadam diſſolutione proficiſcatur: diſſolutio verò eſſe non poſſit, niſi eius quod quadam compoſitione conſtat. Quare hæc non poteſt cadere in animam quæ ſimpliciſſimæ naturæ eſt, & omnis concretionis expers. Sic enim idem Cicero Platonem interpretatur in Catone. Cum ſimplex animi natura ſit, inquit, neque habeat in ſe quicquam admixtum diſpar ſui atque diſſimile, non poterit diuidi. Quod ſi diuidi non poteſt, nec poterit interire. In quo duo Platoni negari poſſunt, & certè à Lucretio ex Epicuri opinione negata ſunt lib. 3. de rerum natura: primum quidem, animum ſimplicem eſſe, quod certè negaturi ſunt, qui eum non alium eſſe volunt à temperatione corporis & eorum ex quibus hoc componitur. Deinde etiam ſi ſimplex eſſe dicatur, ex eo non videri effici illum deſinere non poſſe. Cur enim ſolis radius, etiamſi ſit ſuapte natura ſimpliciſſimus, ſimul cum ſole ſine vlla compoſitionis diſſolutione eſſe non deſinet? Priori Plato occurrit in Phædone, & multis grauiſſimis rationibus confirmat animum qui plerumque in ſuis motibus, temperationi corporis aduerſatur, aut motus ex corporis temperatione natos, ratione reprimit, cum illa eundem dici non poſſe. In quo ei Ariſtoteles aſſentitur cap. 4. lib. 1. de Anima. In poſteriore verò, Obſeruandum eſt dici à Platone eo loco corpus abſolutè diſſolubile: animum autem aut omnino indiſſolubilem, aut aliquid propinquum rei omnino indiſſolubili. Quod Marſilius Ficinus additum arbitratur, quoniam in Timæo probatum eſt Deum ſolum omnino indiſſolubilem eſſe: cætera verò ſi cum eo comparentur, diſſolubilia quodammodo iudicari, quia quodammodo etiam ſunt compoſita. Sic enim antea cap. 12. explicata eſt animi compoſitio ex eodem & altero. Neque multò plus virium habere videtur ratio tertia, qua Plato in eodem Phædone longa oratione oſtendit animum in rebus contemplandis ſolere ſe referre ad ideas, quæ ſemper ſe habent vno modo: eundémq; cum ſe ad corpus demittit per internuntios ſenſus, verſari in rebus ſingulis fluentibus, quæ ſunt ipſarum idearum imagines. Ex quibus ita concludit. Vis ergo duas rerum ſpecies ponamus, alteram viſibilium, alteram inuiſibilium? Ponamus, inquit. Et inuiſibile mo-

do ſemper eodem eſſe, viſibile vero nunquam eodem. Hoc quoque ponamus, inquit. Age iam aliud ne in nobis eſt quàm hinc quidem corpus, inde vero anima? Nihil aliud, inquit. Vtrinam ſpeciei corpus eſſe ſimilius cognatiúſque dicimus? Nemini dubium, inquit, quin viſibili. Quid vero anima viſibile ne aliquid eſt, an contra? Non hominibus quidem ô Socrares, inquit. An de iis quæ ad aliam naturam ſpectant tractabamus? De iis duntaxat quæ ad humanam, inquit. Quid ergo de anima dicebamus? nunquid viſibilem eſſe? Non viſibilem. Inuiſibilem ergo? Ita. Anima igitur inuiſibili ſpeciei ſimilior eſt, quàm corpus: corpus vero viſibili. Neceſſarium id eſt omnino. Nam & hoc euenire in ſuperioribus dicebamus, vt cum anima ad aliquid conſiderandum ſocium ſibi corpus aſſumit, vel per viſum, vel per auditum, vel per alium ſenſum (hoc enim eſt per corpus conſiderare, quia per ſenſus id agitur) tunc quidem à corpore trahatur ad ea quæ nunquam eodem modo ſunt, atque ipſa aberret perturbetúrq;, & quaſi ebria vacillet, vt pote quæ talia quædam attigerit. Prorſus. At vero quoties ipſe animus per ſe ipſum excogitat, illuc ſe confert ad purum, ſempiternum, immortale, ſemper eodem modo ſe habēs: & tanquam ipſius cognatus ſemper inhæret illi, quoties redierit in ſeipſum eíque liceat, ceſſétque ab errore & circa illa ſemper ſecundum eadem, eodem modo ſe habet: vt pote qui talia iam attigerit. Atque hæc eius affectio ſapientia ſiue prudentia nominatur. Simile videri poteſt quod dixit Alcimeon quidam, vt eſt apud Ariſt. cap. 2. lib. 1. de Anima, Animam immortalem eſſe, quòd ſimilis ſit rebus immortalibus: idque ei conuenire, quod ſemper moueatur. Moueri autem etiam diuina omnia continenter, vt Lunam, Solem, ſtellas totúmque cælum. Ad eandem etiam rationem illud accedit quod cum in videndo maximus luminis aut coloris ſplendor aſpectum in aliis hebetiorem reddat, contrà intellectus noſter rei difficilis & arduæ naturáque ſplendidiſſimæ contemplatione, ad cæteras alacrior efficiatur. Ex quo idem cum Platone Ariſtoteles ſic concludit cap. 4. lib. 3. de Anima, Senſus ſuo munere fungi non poteſt, inquit, cum res quæ vehementer ſenſum mouet veluti magnus ſonus, color, & odor incidit: cùm mens ipſa ſi quid intelligentia complectatur quod magnas habeat in cogitando & intelligendo difficultates, nihilominus, imo verò acrius cætera intueri ſoleat. Ea enim pars quæ ſenſus eſt, immerſa eſt & permixta cum corpore: mens vero ab illo ſecreta & ſegregata. In quo poſita ſunt firmamenta ſententiæ peripateticæ, de actione mentis cum corpore nihil communicante, quæ poſtea explicabuntur. Quanquam huic etiam rationi illud Epicurei opponunt,

Lumen ſolis ab oculo ſuſcipi radiúmque aſpectus noſtri ſolis radio illuſtrari eíque magna ex parte ſimilem eſſe: & tamen oculum cum ſuo radio quotidiè interire, ſaluo manente ſole ſolíſique lumine. Quibus variis argumentis reſiſtit Marſilius Ficinus capit. 2. libr. 11. Theologiæ Platonicæ. Cum hac vero tertia Platonicorum ratione coniunctum videri poteſt quod in religione noſtra dicitur, hominem primum ad imaginem Dei eſſe procreatum. Eiuſmodi enim imago in hominis mente relucet: cui cum Deo in ratione & intelligentia, maxima ſimilitudo intercedit. In qua immortalitatis argumentum non leue eſt poſitum. Illa vero quouſque progrediatur & in ea ſimilitudine quid diſſimilitudinis inſit, pulchrè explicat Gregorius Nyſſenus libro de Anima & reſurrectione. Ne dicas, inquit, humanam mentem cum diuina natura eandem eſſe (impia enim hæc eſſet oratio) ſed illam huic ſimilem. Nam quod ſecundum imaginem factum eſt, non per omnia penitus principalis exemplaris atque formæ ſimilitudinem habet: intellectualem, eius quod intellectuale: incorpoream, incorporei: atque ab omni mole corporea liberum eſt, itidem vt illud: & omnem internallarem dimenſionem effugit ſimiliter atque illud: ſed eſt aliquid aliud atque illud, quod ad naturæ attinet proprietatem. Non enim amplius imago fuerit ſi per omnia, per intellectualem, incorpoream, interualli expertem naturam idem cum illo eſſet. Sed per quæ in natura non creata illud perſpicitur, per eadem natura creata hoc oſtendit. Et quemadmodum in paruo fruſto vitri, cum ad radium expoſitum iacet, totus ſolis orbis conſpicitur, non pro ſua magnitudine in eo apparens, ſed prout breuitas fruſti, circuli ſimulachrum atque repreſentationem capit & admittit: ſic in exiguitate noſtræ naturæ, inexplicabilium illarum deitatis proprietatum imagines elucent, vt per hæc manu quaſi ducta, rationéque excidat & aberret ab naturæ mentis deprehenſione atque cognitione, ſi in examinatione quæſtionis coporalis proprietas excernatur & reiiciatur: neque rurſus ex diuerſo eandem cum inuiſibili ſimul & immortali natura, paruam mortalémque naturam eſſe ducat: ſed ratione & intelligentia quidem cerni naturam eius exiſtimet, quoniam etiam mente comprehenſibilis naturæ imago eſt: non tamen eandem cum principali & originali forma imaginem eſſe dicat. Vt igitur per arcanã & ineffabilem Dei ſapiẽtiam quæ in vniuerſitate rerum apparet, diuinã naturã pariter ac poteſtatẽ in rebus vniuerſis eſſe nõ dubitamus, vt omnia permaneant in ſua eſſentia (quanquã ſi quis naturæ rationẽ exigat & exquirat, longe plurimum natura Dei diſtat atque diuerſa eſt à

singularibus rebus, quæ in creatura non solum ostenduntur, verum etiam intelliguntur, attamen in his esse constat id quod natura distat atque diuersum est) ita nullo modo incredibile est animæ quoq; naturam, quæ per se aliquid aliud est (quodcunque tandem etiam esse putatur) non impediri quin sit, etiamsi ea quæ in mundo tanquam elementa considerantur, ei ratione naturæ non conueniant. Nec enim in viuentibus quidem corporibus, quorum natura constat ex elementorum contemperatione, simplici pariter & informi inuisibilíque animæ ratione naturæ, aliqua cum crassa corporum congerie atque concretione communitas est. Veruntamen vitalem animæ efficientiam ratione quadam humanam animaduersionem atque cognitionem superante, permixtam ac diffusam in his esse non dubitatur. Ergo ne resolutis quidem in se quæ in corpore sunt, elementis, periit id quod per vitalem efficientiam ea colligat atque connectit. Sed quemadmodum constante ac durante adhuc elementorum concretione, omnes pariter atque similiter partes corpus complentes & constituentes anima penetrante, singulatim vnumquodque animatur, neque aliquis vel solidam animam esse dixerit ac durã, quæ cum terreo commixta atque contemperata sit, vel humidam, vel frigidam, vel contraria qualitate præditam, quæ in his vniuersis sit & vnicuiq; vim vitalem immittat: ita soluta quoque illa coagmentatione & ad proprias cognatásque res iterum redacta, simplicem & incompositam illam naturam vnicuique parti etiam post dissolutionẽ adesse atque eam quæ semel occulta atque ineffabili quadam ratione cum elementorum concremento coaluerit, etiam in perpetuum permanere cum iis quibuscum mixta est, neque vllo modo ab ea coalitione atque concretione quæ semel ei contigerit, auelli putare, nullo modo est à verisimilitudine atque probabilitate alienum. Non enim quia soluitur compositum, inde necessario consequitur vna cum cõposito dissolui id quod compositum non est. De eadem mẽtis humanæ cum Deo similitudine plura scripta sunt ab eodem Gregorio cap. 17. lib. de hominis creatione. Nec vero ab huius sententia alienum quod pluribus disputat Cicero libro 1. de Legibus, summam primámque legem recta ratione contineri, quæ propria mentis est: ex ea vero tantam naturæ cognationem ac similitudinem inter Deum & hominem existere vt coniues esse videantur. Animus, inquit, nobis à Deo ingeneratus est. Ex quo vera vel agnatio nobis cum cælestibus, vel genus, vel stirps appellari potest. Itaque ex tot generibus nullum est animal præter hominem quod habeat notitiam aliquam Dei. De ipsis quidem hominibus nulla gens est, neque tam immansueta, neque tã

fera, quæ non etiam si ignoret qualem habere Deum deceat, tamen habendum sciat. Ex quo efficitur illud, vt is aguoscat Deum qui vnde ortus sit, quasi recordetur ac noscat. Iam verò virtus eadem in homine, & in Deo est, neque alio vllo ingenio præterea. Est antè virtus nihil aliud quàm in se perfecta, & ad summũ perducta natura. Est igitur homini cum Deo similitudo. Quod cùm ita sit, quæ tandem potest esse propior certiórve cognatio. Atque hæc quidem satis abundè dicta sunt de tertia Platonis ratione, ad confirmandam animorum immortalitatem. Quarta verò cum illa commune fundamentum hoc habet, quòd anima diuinis & immortalibus rebus simillima, diuinitatis quoque & immortalitatis particeps esse videatur. Similitudo verò ex eo colligitur, quòd anima secundum naturam præest corpori, huicque imperat, sicut diuina mortalibus imperant, & præsunt. Quibus addit Plato in eodem Phædone, cùm anima longè sit præstãtior corpore, & corpus ex quo iam illa excessit, ad multos annos adhuc seruari possit integrum (sicut variis vnguentis ab Aegyptiis fieri solebat) non esse probabile illam quæ inuisibile quiddam est, ipsa separatione statim dissolui, sed potius in similem quendam alium locũ migrare, excellentem, purum, inuisibilem, nobis occultum, & vt ait, ad bonum, sapientémque Deum. Omnis quidem naturalis forma suæ materiæ quodam modo præest: quia in ea naturalium motionũ causa est primaria, in materia verò adiuuans, & organicas illius qualitates continens. Quo modo huic rationi nulla prorsus vis ineſt ad docendam animæ immortalitatem. Quis enim nescit animas in plantis, corporibus præesse, mortales tamen esse? Ergo in homine alio modo præesse, & imperare dicetur. Quoniam in plantis nihil agit sine aliqua corporis qualitate organica, etiamsi hæc in nõnullis apertior sit, in aliis paulò obscurior: & in belluis omnino obsequitur iis motibus ad quos propensionem adfert corporis temperatio. In homine autem multa conatur, in quibus corpore impeditur potius quàm adiuuatur, & pleraque perficit contra eam propensionem quam adfert corporis temperatio. Scitum enim illud est Ciceronis de Socrate in libro de Fato, qui cùm natura bardus & libidinosus à Physiognomo diceretur, talem se futurum confessus est, nisi animum excoluisset, & Philosophiæ præceptis reuocasset ab ea propensione ad malum, quã corporis contagio adferebat. In quo magna vis est posita ad docendum animam aliud esse à corporis temperatione, & ab harmonia, qua cum Aristoxeno musico mortalitatis assertores etiam hoc tempore nimium oblectantur. Hanc verò sic exagitat Socrates in Phædone. Quid Simia, videtúrne tibi, inquit, vel consonantiæ, vel alteri

cuiquam compositioni congruere, vt aliter se habeat quàm illa ex quibus conflatur? Nullomodo, neque etiam vt aliud quicquam, vt arbitror patiatur aut agat, quàm illa vel agant vel patiantur? Assentior, inquit. Nō igitur conuenit consonantiam ea ducere ex quibus composita est, sed sequi? Opinor ita. Quare permultum abest vt harmonia in contrarium moueatur, aut sonet, aut quicquam aliud edat partibus suis aduersum. Permultùm proculdubio. In quibus ratiocinationis vnius propositionem habes. Assume verò quæ de motibus animæ temperationi corporis, aut ei propensioni quæ ex corpore nascitur, contrariis paulò ante dicta sunt. Tum ex iis facile efficies animā corporis temperationem, aut harmoniam (quod tamen Galeno frequēs est) dici nullo modo posse. Neque verò minus acutè contra eādem opinionem Aristoteles disputauit cap. 4. lib. 1. de Anima. Alia etiam, inquit, sententia tradita est, quæ plerisque quidem probabilis, nec minus quàm vna alia earum quæ commemoratæ sunt, videtur, sed quæ examinata & reprobata, etiam est in cōmunibus, & quæ apud vulgus fiunt disputationibus. Nonnulli enim eam harmoniam esse tradunt. Etenim harmoniam, temperationem, compositionémque esse quandam contrariorum, & corpus constare ex contrariis. Atqui harmonia ratio est quædam eorum quæ confusa sunt, aut compositio: quorum neutrū esse animā vllo modo potest. Præterea harmoniæ non est mouere: quod maximè omnes animæ tribuūt. Aptius verò in valetudine omninóque in virtutibus ad corpus pertinentibus, harmonia quā in anima dicitur. Quod facilius etiam animaduertetur si quis alicui concentui animæ affectiones atque munera attribuere conetur. Difficile enim est accommodare. Iam verò cùm in duobus, nomine harmoniæ vti soleamus, primùm quidem ac maximè propriè in iis quæ motum & situm habent, aptam magnitudinum compositionem, quando ita conueniunt inter se vt nihil eiusdem generis recipiant, deinde verò in eorum quæ inter se confusa permixtáque sunt, proportione neutro certè modo consentaneum est, animam harmoniæ nomine vocare. Partium enim corporis compositio facilè reprehendi potest. Nam & partium multæ compositiones sunt, & multis modis constant. Cuius igitur aut quomodo existimanda mens, compositio, vel pars ea in qua sensus est principium, vel ea in qua insunt appetitus? Itémque illud absurdum est, animam esse rationem modúmque temperationis. Non enim eandem habet rationem elementorum permixtio, qua caro & qua os temperatum est. Sic fiet vt multæ animæ sint in toto corpore confusæ: si quidem omnia ex elementorum confusione constant, & confusionis ratio, & concentus, anima esse dicatur. Ergo in reprehensione eorum qui animam corpo-

ris harmoniam esse arbitrantur, Plato & Aristoteles mirificè inter se consentiunt. Eiusdem verò imperium in corpus Aristoteles multis locis agnouit, & cap.5. libr.1. Politic. ex eodem deriuauit distinctionem naturalis dominij atque seruitutis. Prima compositione, inquit, animal ex anima & corpore concretum est: ex quibus altera, lege naturæ, compos est imperij, alterum illius subiectum potestati. Inter quos igitur tantum est dignitatis interuallum, quantum inter animam & corpus, inter hominem & bestiam, hi simili naturæ lege sunt constituti. Quorum opera atque actio ab vsu corporis petitur, nec melius quicquam proficiscitur, ab illis hi quidem certè iure naturæ serui: quibus haud aliter atque his quæ diximus, hoc imperio dirigi melius est atque vtilius. Natura profectò seruus, qui ideò est in alterius potestate, quod ei solùm natura concedit, vt alterius esse possit: quique rationis sic est particeps, vt illam sentiat, non habeat apud se. Tantam verò animæ vim esse in corpus veteres arbitrati sunt, vt magi animæ corporísque medici, Zamolxidis & Zoroastris sectatores, sicut est apud Platonem in Charmide, dicere auderent omnia quæ corpori bona sunt siue mala, in hoc ab anima influere: quemadmodum oculorum qualitas fluit à cerebro, cerebri à toto corpore. Atque vt oculi curari non possunt, nisi cerebrum curetur. neque cerebrum, nisi corpus vniuersum: sic corpus totum non posse bene valere, nisi anima bene habeat. Quanquam contra, multa etiam à corpore in animam redundare, idem Plato nobis author est libr.3. de Rep. in eóque id vitat quod Aristoteles cap.3. lib.1. de Anima in veteribus philosophis reprehendit. Curandum est etiam corpus, inquit Plato, ob eã quam habet anima cum corpore harmoniã. Per corpus enim viuere nobis licet, ac rectè viuere, si veritatem clara voce testari velimus. Hoc verò in Platone variè exagitat Theodoretus Cyrensis lib.5. Græcarum affectionũ. Si anima, inquit, per corpus viuit, ac rectè viuit, fit vtiq; vt ante corpus ea nõ fuerit. Quod si tamẽ fuit etiã ante corpus, vtiq; & viuebat immortalẽ sortita rationalẽq; naturã. Quod si erat olim & ante corpus, nec tamẽ rectè viuebat dũ seiuncta esset à corpore, at vbi venit in corpus, eo ipso bene instituto, tũcdeniq; rectã vitam anima duxit, necessariò sequitur vt anima per corpus ea bona cõsequuta fuerit, quorũ particeps ea non erat ante quàm corpori iungeretur. Quid ita igitur insepultã corpori velut monumento cuidam Plato ait. Sed ad Alcinoum redeamus. Quinta huius ratio pro argumento sumit, quòd naturã sequenti non minus dubium est, quàm id ipsum quod in quæstione positũ. Nam ad confirmandum animã futuram immortalem, cùm è corpore excesserit, assumit eam fuisse ante corpus, & in æterna apertáq; rerum omnium cognitione viguisse,

Sed corporis coniunctione vitæ ſuperioris obliuionem induci: quæ in vita hac diſcendo tollitur: quia ex parte obliteratę rerum notiones in anima renouantur. Cum quo altera ratio ſexta coniuncta eſt, qua effici arbitratur, diſciplinam noſtram vitæ ſuperioris recordationem eſſe, ad ídque amplius confirmandum hoc ſigno vtitur in Menone, quod pueri de rebus quas in vita hac nunquam perceperunt, ordine interrogati, reſpondent vt docti. Hoc verò non facerent, niſi res eiuſmodi antea cognouiſſent. Quem locum ſic Cicero expreſſit prima Tuſculana. In libro qui Menon inſcribitur, inquit, puſionem quendam Socrates interrogat quędam geometrica de dimenſione quadrati. Ad ea ſic ille reſpondet vt puer: & tamen ita faciles interrogationes ſunt, vt gradatim reſpondens eò perueniat, quo ſi geometrica didiciſſet. Ex quo effici vult Socrates, vt diſcere nihil aliud ſit quàm recordari. Quem locum multò etiam accuratius explicat in eo ſermone quem habuit eo ipſo die quo exceſſit è vita. Docet enim quemuis qui omnium rerum rudis eſſe videatur, bene interroganti reſpõdentem, declarare ſe non tum illa diſcere, ſed reminiſcendo cognoſcere: nec verò fieri vllo modo poſſe, vt à pueris tot rerum atque tantarum inſitas, & quaſi conſignatas in animis notiones (ἐννοίας vocant) haberemus, niſi animus antequàm corpus intrauiſſet, in rerum cognitione viguiſſet. Quam ſententiam aliquando probaſſe viſus eſt D. Auguſtinus cap. 20. lib. 1. de animæ quantitate. Deinde eandem damnauit cap. 8. lib. 1. Retractationum. Illud quod dixi, inquit, omnes artes animam ſecum attuliſſe mihi videri, nec aliud quicquam eſſe quod dicitur diſcere, quàm reminiſci ac recordari: non ſic accipiendum eſt, quaſi ex hoc approbetur animam, vel hîc in alio corpore, vel alibi ſiue in corpore, ſiue extra corpus, aliquando vixiſſe, & ea quæ ad interrogata reſpondet, cùm hîc non didicerit, in alia vita didiciſſe. Fieri enim poteſt vt hoc ideò poſſit, quia natura intelligibilis eſt, & connectitur nõ ſolùm intelligibilibus, verùm etiam immutabilibus rebus. Eo enim ordine facta eſt, vt cùm ſe ad eas res mouet, quibus connexa vel ad ſe ipſam, in quantum eas videt, in tantum de his vera reſpondeat. Nec ſanè omnes artes eò modo ſecum attulit, ac ſecum habet. Nam de artibus quæ ad ſenſus corporis pertinent, ſicut multa Medicinæ, ſicut Aſtrologiæ omnia, niſi quòd hic didicerit, non poteſt dicere. Ea verò quæ ſola intelligentia capit, propter id quod dixi, cùm vel à ſeipſa, vel ab alio fuerit bene interrogata & recordata, reſpondet. Idem cap. 4. libri eiuſdem, Non approbo, inquit, quod ſcripſi lib. ſecundo Soliloquiorum, quòd in diſciplinis liberalibus eruditi, ſine dubio in ſe illas obliuione obrutas, eruũt diſcendo, & quodammodo refodiunt. Credibilius enim eſt propterea vera reſpõdere, de quibuſ-

dam

dam disciplinis etiam imperitos earum, quando bene interrogantur, quia præsens est eis, quantum id capere possunt, lumen rationis internæ, vbi hæc immutabilia vera conspiciunt, non quia ea nouerant aliquando & obliti sunt. Atque idem cap. 15. libr. 12. de Trinitate, explicare conatur superius argumentum Socratis in Menone, de puero qui de dimensione quadrati respondet, vt doctus. Potius credendum est, inquit, mentis intellectualis ita conditam esse naturam, vt rebus intelligibilibus, naturali ordine disponente conditore, subiecta, sic ista videat in quadam luce sui generis, quemadmodum oculis carnis videt quæ in hac corporea luce circumadiacent: cuius lucis capax, eique congruens est creatus. Non enim ipse ideò sine magistro alba & nigra discernit, quia ista iam nouerat, antequàm in hac carne crearetur. Eandem verò Platonis sententiam pluribus exagitat Tertullianus libro de Anima. Primò quidem, inquit, animam obliuionis esse capacem, non cedam. Quia tantam illi diuinitatem Plato concessit, vt Deo adæquetur. Cæterùm quæ Deus haberi meritò possit, ex peregrinatione omnium proprietatum nulli passioni subiacebit: ita nec obliuioni: cùm tanta sit iniuria obliuio, quanta est gloria eius cuius est memoria: scilicet quam ipse Plato sensuum & intellectuum salutem, & Cicero thesaurum omnium studiorum prædicant. Deinde quæ non debuit obliuisci, si oblita, nescio an valeat recordari. Secundo gradu opponam, natura compotem animam facis illarum ideatum an non? imò natura, inquit. Nemo concedet naturalem scientiam, naturalium excidere artium. Excidet studiorum, excidet doctrinarum, disciplinarum: excident fortasse & ingeniorum & affectuum, quæ naturæ videntur, non tamen sunt. Quia pro locis, pro institutionibus, & pro corpulentiis, ac valetudinibus, & pro potestatibus dominatricibus, & pro libertatibus arbitrij, ex accidentibus constant. Naturalium verò scientia, ne in bestiis quidem deficit. Deinde si in homine naturalis cognitio sensuum permanet: quomodo intellectuum, quæ potior habetur, intercidit? Cúmque Plato huius obliuionis causam referat in corpus, hæc eodem loco Tertullianus subiicit. Quasi verò, inquit, hoc fide dignum sit, naram substantiam, innatæ vim extinguere. Porrò magnæ & multæ differentiæ corporum sunt pro gentilitate, pro magnitudine, pro habitudine, pro ætate, pro valetudine. Num ergo & obliuionis differentię æstimabuntur? Sed vniformis obliuio est. Ergo non erit corporalitas multiformis, in causa exitus vniformis. Tandem eundem locum ita concludit. In eodem certè corpore, & obliuiscuntur animæ, & recordantur. Si qua corporis ratio incutit obliuionem: quomodo cõtrariam eius admittet recordationem? Quia & ipsa post obliuionem recordatio, me-

Contra recordationem vitæ superiores rationes Tertulliani.

moria recidiua est. Quod primæ memoriæ aduersatur, cur non & secundæ refragetur? Denique qui magis reminiscerentur quàm pueruli, vt recentiores animæ? vt nondum immersæ domesticis ac publicis curis: vt ipsis solis deditæ studiis, quorum discentiæ, reminiscentiæ fiunt? Imò cur non ex æquo omnes recordamur, cùm ex æquo omnes obliuiscamur? sed tantummodo Philosophi, ac ne hi quidem omnes. Plato scilicet solus in tanta gentium sylua, in tanto sapientum prato, idearum & oblitus, & recordatus est. Aristoteles contra eandem Platonis sententiam capite quarto, libri tertij de Anima, vult intellectum, quando primùm cum corpore coniungitur, similem esse tabulæ nouæ & nudæ, in qua nihil omnino depictum est. Et capite vltimo, libri secundi Analytic. posterior. idem negat animæ quicquam ingenitum præter facultatem, ad notiones omnium rerum excipiendas, quarum principium proficiscitur ab obseruatione rerum singularum per sensum. Atque cap. 1. libr. 1. ambiguitatem Menonis, qua Socrates impellitur, ad eam ponendam vitæ superioris recordationem, aliter explicare conatur, sed haud scio, an quod vult planè perficiat. Hoc verò aliquando in Descriptionis nostræ Logicæ interpretatione exquiremus. Quæ omnia qui in Aristotelis doctrina attentè considerabit, non facilè assentietur Bessarioni Cardinali, qui cap. vigesimo octauo, lib. tertij contra Trapezuntium, persuadere conatur, illum cum Platone istiusmodi recordationem vitæ superioris quadam ex parte probauisse: statímque agnoscet eundem nimio studio defendendi Platonem, deceptum esse in eo intelligendo, quod scriptum est, cap. 3. lib. 7. Phys. primam scientiæ susceptionem in nobis neque ortum esse, neque commutationem. Quoniam scire & sapere dicimus, inquit Aristoteles, eo quòd quieuerit, & constiterit intellectus. Quietis autē ortus nō est, sicut neque mutationis mutatio, Nam locum hunc, cùm ad confirmationem recordationis, de qua nunc agimus, ille transferre vult Aristotelis sententiam (quod arroganter dictum minimè velim) omnino peruertit. Sed in hac Platonis ratione in disputatione de iisquæ propriè mouentur, pergamus. Cum qua aliam ex contrariorum natura petitam coniungit. Quod cùm inter illa vicissitudo quædam existat, vt ex viuis mortui, sic ex mortuis viui effici videantur. Quo posito concludit mortuorum animas alicubi existere oportere, vnde iterum in corpora reuertantur. Nisi enim, inquit, altera vicissim alteris redderentur, quasi quodam circulo remeantia, sed directa quædam progressio foret, duntaxat ex altero in eius oppositum, neque rursus reflecterentur in alterum, facerétque regressum: omnia tandem mihi crede, eandem subirent figuram atque passionem, fierique cessarent. In quo, sicut & in Politico, cùm

ait homines ex terra reuiuiſcere, rerum præteritarum immemores: quanquam neſcio quid de mortuis hominibus excitandis, in meliorem vitam vaticinari dicatur à Marſilio Ficino: mihi tamen potius ſequi videtur Pythagoreorum ſententiam de reditu animarum in noua corpora. Quæ in eo in quo hoc ipſo illa Plato vtitur, nulla prorſus probabilitate nititur. Quoniam inter priuantia viciſſitudo eiuſmodi nulla exiſtit: nec vt ex videntibus cæci, ſic ex cæcis videntes ſecundum naturam efficiuntur. Quare huic rationi ex Albini cuiuſdam ſententia, ita reſiſtit Tertullianus libro de Anima. Mortuos quidem inquit, ex viuis effici conſtat: non ideò tamen & ex mortuis viuos fieri oportuit. Ab initio enim viui priores: vnde & ab initio æquè mortui poſteriores. Non aliunde quam ex viuis illi habuerant vnde proficiſcerentur, dum ne ex mortuis iſti habuerint vnde magis deducerentur. Igitur ſi ab initio viui non ex mortuis, cur poſtea ex mortuis? Defecerat ille quicunque eſt originis fons? An formæ pœnituit? & quomodo in mortuis ſalua eſt? nun quia ab initio mortui ex viuis, idcirco ſemper ex viuis? Aut enim in vtraque parte forma principij perſeueraſſet: aut in vtráque mutaſſet. Vt ſi viuos ex mortuis poſtea fieri oportuerat, perinde oporteret etiam nunc ex viuis effici mortuos. Si non peræquare deberet fides inſtitutionis, non vſquequaque contraria ex contrariis alternant. Et nos enim opponemus contrarietates nati & innati, viſualitatis & cæcitatis, iuuentæ & ſenectæ, ſapientiæ & inſipientiæ. Nec tamen ideò innatum de nato prouenire, quia contrarium de contrario fiat, nec viſualitatem iterum de cæcitate, quia de viſualitate cæcitas accidat. Nec inuentam rurſus de ſenecta reuiuiſcere, quia ex iuuenta ſenecta marceſcat. Nec inſipientiam ex ſapientia denuò obtendi, quia ex inſipientia ſapientia acuatur. Sequitur ratio ſeptima ſua breuitate hoc loco obſcura: quæ ex decimo de Repub. pluribus ſic explicari poteſt. Proprium cuiuſque malum, inquit, ſuáque prauitas quodlibet corrumpit. Ac niſi corruperit, nihil aliud vnquam corrumpet. Neque enim quod bonum eſt, aliquid deſtruit: neque rurſus id quod nec bonum, nec malum. Quo enim pacto? Si quid igitur tale eſt, vt ei malum aliquod ſit, quod ipſum deterius efficit, diſſoluere tamen ipſum non valet, certè ita naturaliter affectæ rei, nullus eſſe poteſt interitus. Conſentaneum eſt. Eſtne aliquid quod animam prauam faciat? Et maximè quidem quæ commemorauimus, iniuſtitia, intemperantia, timiditas, inſcitia. An quicquam ex his animam perdit? Atqui animaduerte, ne decipiamur, exiſtimantes iniquum & inſanum hominem, cùm in flagitio

deprehensus est, tunc ab iniustitia quæ animæ vitium est, corrumpi. Dic age. Nonne corpus proprium eius vitium morbus liquefacit, resoluit, eóque deducit, vt non sit corpus? & quæ paulò ante diximus omnia, proprio malo quatenus inhæret, inquinante, esse desinunt? Nonne? Ita prorsus. Nunquid & eadem eodem pacto iniustitia, & reliqua prauitas quum inest, sua ipsa præsentia dissipat, & tabefacit, quousque in mortem trahens à corpore separet? Nullo modo istud. At verò absurdum illud est, vt alienum vitium interimat aliquid, cui proprium vitium non præbet interitum. Præter rationem profectò. In quo sicut cùm in hominis corpore interitus duplex causa sit, vna interna in ipso calore pabulum suum absumente, altera externa, hæcque maximè varia, prior ineuitabilem necessitatem habet, quia exhausto humore calorem extingui necesse est: ex eóque dici solet, quod in nobis per se vitæ principium est, idem quoque aduentitia quadam vi interitum afferre, in posteriore verò, nulla eiusmodi necessitas inest: sic in hac ratione significatum videtur à Platone si quid sit quod animæ interitum afferre possit, id potius internis huius vitiis, quàm externis contineri. Quare euerso eo quod magis probabile esse videtur, alterum euertitur, ac tandem concluditur *nullum* omnino vitij genus, huic interitum afferre posse. Propria verò animæ vitia, non alia sunt opinor, quàm quæ ex corporis contagione nascuntur. Hæc verò efficiunt quidem, vt anima purgatione indigeat, nequaquam tamen vt intereat, nisi ex consuetudine loquendi Christiana, animæ æternam damnationem eiusdem mortem appellemus: quæ cum immortalitate de qua hoc loco agimus, consistit. De illis autem animæ vitiis, sic Plato in Phædone. Si polluta, impuráque decedat anima, vtpote quæ corpus semper amplexa, ipsum duntaxat coluerit & amauerit, eiúsque voluptatibus & libidinibus, quasi veneficiis quibusdam delinita fuerit, & vsqueadeò capta, vt nihil aliud putet esse verum, nisi quod corporeum sit, quod tangi, quod videri possit, quod ve bibat, & quod edat, & quo in venereis vtatur: quod verò oculis quidem occultũ, & inuisibile sit, veruntamen intelligibile, & Philosophia comprehendendum, habere odio consueuerit, tremeréque & fugere, sic, inquam, institutam animam, putásne ipsam per se sinceram euadere? Nullo modo, inquit, Sed infectam, inuolutámque, vt arbitror, contagione corporea, quam consuetudo, congressúsque cum corpore propter continuam familiaritatem, & plurimum eius cultum, effecit quasi congenitam. Ita putamus. Et Aristoteles ipse cap. 4. lib. 1. de Anima, scribit intelligendi atque contẽplandi vim extrema senectute in nobis marcescere: non quod mentis substantia quicquam patiatur, sed quia in ipso corpore internum quiddam est

quod interit. Quemadmodum senectus, ait, euenit non quod anima alio modo quam prius affecta sit, sed quia corpus in quo habitat: sicut in ebrietatibus fit & morbis. Quo loco nonnulli ad probandam ex huius sententia immortalitatem, abutuntur. Reliqua est postrema ratio in qua Platonici plus virium inesse arbitrantur, quàm superioribus omnibus: quámque Marsilius Ficinus ab illis differre arbitratur, quod hæc non solum pertineat ad eam animæ partem qua ratiocinamur & intelligimus, sed etiam ad cælestes intelligentias & dæmones: illæ magis propriè naturam humanam videantur attingere. Addit vero Proclus Commentario in Phędrum, quem citat Philoponus libro de mundi æternitate. Scire nos decet, inquit, quod in Phędone tum per reminiscentiam animam immortalem esse confirmat, tum per similitudinem quam ipsa cùm diuinis habet, tum quod iis vitam suppeditat. Hæc autem omnia animæ functiones sunt. Quare in Phædone ab animæ functionibus producebatur demonstratio: hic autem ab ipsa animæ substantía probationem instituit. Quanto igitur substantia animæ, actione est potior & perfectior: tanto quæ hic immortalitatis animæ producitur demonstratio, ea potior est & accuratior quæ explicata est in Phædone. Hanc vero sic Cicero expressit prima Tusculana. Quod semper mouetur, id æternum est: quod autem motum affert alicui, quodque ipsum agitatur aliunde, quando finem habet motus, viuendi quoque finem habeat necesse est. Solum igitur quod seipsum mouet, quia nunquam deseritur à se, nunquam ne moueri quidem desinit. Quinetiam cæteris quæ mouentur, hic fons, hoc principium est mouēdi. Principij autem nulla est origo, nam ex principio oriuntur omnia. Ipsum autem nulla ex re alia nasci potest. Nec enim esset id principium, quod gigneretur aliunde. Quod si nunquā oritur, ne occidit quidem vnquam. Nam principium extinctum nec ipsum ab alio renascetur, nec ex se aliud creabit. Si quidem necesse est à principio oriri omnia. Ita fit vt motus principium ex eo sit, quod ipsum à se mouetur. Id autem nec nasci potest, nec mori: vel concidat omne cælum, omnisque natura consistat necesse est, nec vim vllam nanciscatur, qua primo impulsu moueatur. Quum pateat igitur æternum id esse quod se ipsum moueat quis est qui hāc naturam animis esse tributam neget? Inanimum est enim omne quod pulsu agitatur externo. Quod autem animatum est, id motu cietur interiore & suo. Nam hæc est propria natura animi atque vis. Quam Rationē magna ex parte probasse videtur Athanasius oratione contra idola. Si anima corpus mouet, inquit, nec ab alio mouetur, consequens est ipsam à se moueri, & postquam corpus terræ inhumatum est, ipsam rursus à se ipsa moueri. Non enim anima est quæ moritur: sed ob eius

discessum corpus moritur. Si igitur illa à corpore moueretur, consequens esset discedente motore ipsam mori. Quod si anima mouet corpus, multo magis necessum est sibi seipsam motricem esse: & quia à se mouetur, necessarium est eam post mortem corporis viuere ac superstitem esse. Quo modo hanc rationem Platonicam interpretatus est Contarenus Cardinalis lib. 1. de animæ immortalitate. Quanquam fortasse hoc argumento aut id solum efficitur immortale quod vt à se omnino est, non ab alio, sic à se solo vitam habet & motum, nullo modo ab alio: sicque D. Hieronymus scribit Commentatio in cap. 1. Epistolæ ad Titum, solum Deum immortalem esse, cæteros verò vt Angelos & homines, immortalitatem non à se habere, sed ex illius largitione consequi. Et D. Augustinus libro de quæstionibus septuaginta tribus, negat animam à se esse, aut à se moueri, sed à Deo: eandem tamen fatetur sua voluntate moueri, sed hanc à Deo accipere. Aut si hoc ipsum moueria se, cõmunius Platonici esse volunt, atque id omne inanimum dici quod à se non mouetur: fateantur necesse est aut cætera ab homine esse prorsus animæ expertia, aut si in illis anima est quæ ipsa à se moueatur & corpori motũ det, eam quoque in illis esse immortalem. Ex quo D. Thomas cap. 82. lib. 2. contra Gentiles, cõcludit Platonem credidisse animas belluarum immortales esse. De quo paulò post exactius disseretur. At hoc in Platone quadam adiectione excusari posse significauit Lactãtius cap. 8. lib. 7. de diuino præmio. Plato sic argumentatus est, inquit, immortale esse quicquid per se ipsum & sentit & semper mouetur. Quod enim principium motus non habet, nec finem habiturum: quia deseri à semetipso non potest. Quod argumentum etiam mutis animalibus æternitatem daret, Nisi adiectione sapientiæ discreuisset. Addidit igitur vt effugeret hanc communitatem, fieri non posse quin sit immortalis animus humanus, cuius miranda solertia inueniendi & celeritas cogitandi, & facilitas percipiendi atque discendi & memoria præteritorum, & prouidentia futurorum & artium plerunque innumerabilium scientia, qua cæteræ careant animantes, diuina & cælestis appareat. Quia origo animi qui tanta capiat & tanta contineat, nulla percipiatur in terra. Et certè Plato initio lib. 10. de Legibus. ponit primum omnium motuum eum esse quo quid se ipsum mouet atque hanc omnium antiquissimam potentissimamque esse mutationem: secundam verò illam qua quid ab alio mutatur & alia mouet. Ex isque concludit idem esse animam & primam generationem, ac motum rerum quæ sunt, quæ fuerunt, quæque futuræ sunt. Motúsque eius enumerat, velle, considerare, curare, consultare, rectè & non rectè opinari, letari, dolere, audere, metuere, odisse, diligere. Hinc ve-

ro deducta est illa definitio qua animus esse dicitur, Numerus se ipsum mouens: cuius authorem Xenocratem Platonis discipulum, Cicero facit prima Tusculana. Vt non sine causa dictum antea videatur ex Proclo, rationem hanc ab animæ substantia esse petitam. Quam sententiam Aristoteles cap.3. lib.1. de Anima, retulit ad motus naturales, atque in iis efficere conatus est, non modo animæ essentiam, non esse in eo, vt se ipsa moueat, sed ne posse quidem motum animæ propriè accidere. At moueri animam per se siue à se, apud Platonem fortasse non aliud est, quàm eam propriam habere actionem (hanc enim etiam Aristoteles nonnunquam motum appellat) ad quam exercendam aliunde non pendet, nec adiuuatur. Vt hoc sic intellectum cum eo magna ex parte consentiat quod idem Aristo. ait cap.3. lib.2. de animalium ortu, mentis actionem esse propriam, nec eam cum corpore communicare. Apud hunc verò moueri à se dupliciter video vsurpari, vno quidem modo vt communiter pertineat ad omnia quæ secundum naturam mouentur, siue animata sint, sine animæ expertia. Sic enim naturam ipse definiuit cap.1. libr.2. Physic. principium motus & status in eo in quo est, primo per se, & non aduentitia quadam vi. Atque hoc modo dicere solet grauia omnia per se, siue à se, deorsum moueri, leuia sursum. Alio vero modo proprium hoc esse vult animalibus quæ in motu secundum locum ab elemento dominante non reguntur: sed ab anima motum hunc inchoante eundémque libere finiente. Omnino vero contra superiorem Platonis demonstrationem animaduerto duo ab Aristo. solere disputari. Nam cum ille animam vt primum principium, à se perpetuo motu mouerivelit & cæteris motum præstare: Aristoteles libr.8. physic. hoc ad Deum transferens (hic enim in vniuersitate naturæ principij omnino primi rationem habet) eum mouere omnia vult: non quia ipse à se mouetur, sed dum manet immotus. Contenditque omne quod mouetur, ab alio moueri oportere: & ne in ordine mouẽtium res in infinitũ abeat, constituẽdum esse aliquod primum omnino immotũ, cuius vi cætera in natura moueantur & moueãt. De anima vero quæ singulorum hominũ essentiam constituit, idẽ sic agit lib.1. de Anima. Si hæc à se mouetur, aut vno motu, aut pluribus, aut omnibus moueri oportere. Cum vero hi omnes loco indigeant quo contineatur id quod moueri dicitur, ex eo videri consequens animam si propriè & à se mouetur, loco contineri & corpoream esse oportere. Deinde addit omne corporeum dum mouetur, facile posse ab vno loco in alterum transire. Itaque, inquit, anima eadem, sua sponte corpus idem modo egredietur, modo rursum ingredietur. sicque ea quæ iam mortua sunt, eadem numero iterum reuiuiscent. Quod omnem naturæ

fidem putat excedere. Quibus Platonici hæc respõdent: motum quidem in natura corpoream esse affectionem: Aristoteli verò cum Platone commune esse animam per se corporeis & naturalibus motibus agitari non posse. Alium vero animæ motum esse, vt aiunt, substantificum, nulli mancipatum subiecto, cum nullo corpore communicantem, sed ab agente principio tantum pendentem. Quem rectius dixeris substantiam esse actúmque animæ. Vt hanc moueri à se, iam nihil sit aliud quàm eandem in sua essentia ex se vigere. Quare neque talis motus ab anima statum excludit: imò si verè iudicare volumus, perennis motus hic, idem substantificus in illa status erit, & constantia essentiæ. Vt nemini mirum esse debeat animam à Platone ex motu & statu constitui eiusdémque essentiam in perẽni motu poni. Nisi forte subtilius hoc videtur, in motu animæ substantiam poni, quia in ea potior est ratio motus quàm status: in intellectu vero contra statum motu lõge est potiorem. Itaque vt in intellectu status regnat & cætera quantum status habent, tantum ab eodem sortiuntur & capiunt: sic in anima motus & per eandem res cęteræ mobiles. Idque fortasse est quod Plato dixit in Phędro animam initium esse motionis & fontem, vt pote à qua tanquam à fonte quæ sequuntur omnia, motionis plus capiunt quam status. Hactenus satis abunde dixisse videmur de animæ immortalitate quæ fuerit Platonis sententia & ad huius confirmationem quam vim apud illum singulæ rationes haberent. Nunc vt in instituta comparatione permaneamus, de Aristo. dicendum, ac quęrendum est vtrum hanc quoque immortalem esse voluerit: deinde quibus rationibus in huius quęstionis tractatione sit vsus. Equidem in ea sic varius est & obscurus, vt non immerito dictum videatur ab Attico, hũc sępiæ pisci similem esse. Quod vt hæc attramento in aquam effuso, eam conturbat, ne capiatur: sic in hac quæstiõe magna obscuritate omnia inuoluat, vt cùm vna ex parte prẽmitur, in alteram possit euadere. Multi in re ambigua in peripateticam doctrinam bene affecti, hunc animæ immortalitatem probasse dixerunt. At Plutarchus eundem mortalitatis assertorem facit. Imo ex vna eadémque particula lib. 12. Metaphysic. D. Thomas & Theodorus Metochytes intellectus humani immortalitatem colligunt: Alexander verò mortalitatem. Et de Ecclesiasticis scriptoribus plerique veteres iidémque magni nominis, dixerunt Aristotelem posuisse animam mortalem, vt Gregorius Nyssenus, Theodoretus Cyrensis, Origenes. At recentiores plerique non modò in huius doctrina eam immortalem esse dixerunt, sed iidem suam sententiam de eius partis qua ratiocinamur cælesti origine, atque vnione cum inferioribus facultatibus, in fœtu iam conformato, nondum tamen in lucem edito,

Aristotelis opinio de immortalitate.

cdito, huius teſtimonio cõfirmare ſunt conati. Quanquam haud ſcio an Ariſtoteli, quem veteres non diuinum, ſed naturæ genium appellarunt, poſterior hæc opinio, quæ naturæ leges omnino ſuperat, in mentem venire vnquam potuerit. Sed de hac quæſtione quæ apud illum diſperſa ſunt colligamus, & quaſi ſub vno aſpectu lectori proponamus. Sic enim facilius rei magnitudinem intelliget, & cum quaſi in libra rationes contrarias inter ſe comparauerit, tutius poterit in eam partem declinare quæ probabilior videbitur. In quo illud primũ tenendum eſt, non ſi vllo loco Ariſtoteles partem eam animæ qua ratiocinamur & intelligimus, diuinam & impatibilem eſſe dicit, hoc ad confirmandam huius immortalitatem eſſe ſatis. Quoniam lib. 1. phyſic. omnes naturales formas, quando cum materia comparantur, diuinas appellat, & lib. 1. de anima, inferiores duas animæ partes ſentientem atque alentem ſuapte natura impatibiles eſſe indicat, in ſuis tamen actionibus langueſcere, patiente corpore à quo ſuarum actionum inſtrumenta accipiunt. Atque illo modo calorem eum qui in ſemine fœcunditatis eſt cauſa, diuinum eſſe ait cap. 3. libr. 2. de animalium ortu, proportionéque reſpondere elemento ſtellarum. Non, vt opinor (quanquam repugnantibus nonnullis: ſed de eo alio loco diſputabitur) quod hic ſua ſubſtantia æthereus ſit atque cæleſtis, ſed quia in ipſo ſemine ſicut & in nobis, actionum nobiliorum cauſa eſt, quàm quæ poſſint in nuda ſimpliciáque elementa cadere. Quo modo verè accommodatéque ad doctrinam peripateticam dici poteſt omnes animæ partes ſiue facultates, imo verò vt diſputauimus libr. 1. prioris noſtræ deſcriptionis phyſicæ, omnes rerum naturalium formas, cæleſtes eſſe atque diuinas: ſolam tamen mentem extrinſecus aduenire, quia eius actio cum corpore non communicat: & ita in corpore eſt, vt non modo ſit ab illo ſeparabilis, ſed etiam agendi modo ſeparata. Quoniam ita agit in corpore, vt in propria functione potius ab eo impediatur quàm adiuuetur. Neque vero dubium eſt, opinor, quin ille mentem immortalem eſſe voluerit: ſed quid de natura eius ſenſerit, qualem eam ante corpus, in ipſo corpore & cum ab eodem morte ſeparata eſt, eſſe voluerit, de eo ſumma eſt inter omnes contentio, eáque vtrinq; eiuſdem ſcriptis cum aliqua probabilitate confirmata. Nam cap. 1. libr. 1. de partibus animalium, indicat non eſſe phyſici de omnibus animæ partibus agere: quoniam ille tantum verſatur in contemplatione naturæ & earum formarum quæ cum materia ſunt coniunctæ, vt idem ait cap. 1. lib. 1. de Anima & cap. 2. lib. 2. phyſic. Mens autem neque natura eſt, neque forma cum materia cõiuncta. Non quod ſua ſubſtantia in corpore non ſit (quod hi volunt qui vnam mentem externam ponunt, eámque ſuæ virtutis radiis cum

noſtro intellectu vniri aiunt) ſed quia in eo ita eſt, vt in ſuis actionibus cum illo non communicet. Et cap.4.lib.3.ſcribit ſenſum ſuo munere fungi non poſſe,cùm res ea incidit quæ vehementer ſenſum mouet: velut magnus ſonus,color aut odor: mẽtem autem ipſam ſi quid intelligentia complectatur, quod magnas habeat in cogitando & intelligendo difficultates,nihilominus, imo vero acrius cætera intueri. Quoniam, inquit, ea pars quæ ſenſus eſt, immerſa eſt & permixta cũ corpore: mens vero ab illo ſecreta & ſeparata. Vel quia vt idem docet cap.2.lib.eiuſdem & cap.vltimo lib.2. ſenſuum actiones,partium corporis organicarum certam temperationem deſiderant, quæ ab eiuſmodi obiectis vehementibus diſſoluitur. Adde quod animus humanus in iis eſt quæ intelligunt & intelligũtur (idem enim ſe ipſe intelligit) At cap.4. lib.3. de Anima, ſcribit hoc ſolũ in ea cadere poſſe quæ materiæ & corporis ſunt omnino expertia. Quid vero ad immortalitatem confirmandã eo poteſt eſſe apertius quod ſcribitur cap.5. lib.eiuſdem? Aliquid in animo eſt, inquit, quaſi habitus quidam inſtar luminis quod quidem facit quodammodo, vt colores qui cerni poſſunt,re ipſa cernantur. Atque hæc quidem mens ſeparata eſt,non permixta cum corpore & impatibilis, cum agat natura ſua. Et *paulò* poſt, Separabilis autem hæc vna eſt natura ſua & quicquid ipſa eſt,eáque ſola immortalis æternáque eſt. Poſt mortem verò non eſt in nobis vllus memoriæ locus: propterea quod ſit impatibilis nihilque accipere poſſit. Mens vero quæ vim patiendi,& quaſi accipiendi habet, interit, nec ſine hac quicquam intelligit. Quibus manifeſtè confirmare videtur animæ noſtræ partem aliquã à corpore ſeparatam manere. Niſi fortè abſurdum non eſt & omnino indignum Ariſtotelis ingenio, quærere vtrum id à corpore ſeparatum recordetur, quod omnino extinctum arbitreris. At cur non recordatur,inquies,ſi manet & in aliqua cognitione viget? Quia recordatio præteriti quaſi recognitio quædam eſt per phantaſmata, & imagines rerum antea ſenſibus perceptarum,vel etiam per vniuerſas notiones de viſis excitatas & in intellectu patibili (quem Ariſto. eodem loco interire ait) conformatas. Mens autem à corpore ſeparata, longe alio modo omnia contemplatur atque cognoſcit. De quo ſi placet ipſum Ariſto.(ſi modo hic eius operis author eſt) audiamus cap.1. libr.2. de ſecretiore parte diuinæ ſapientiæ ſecundum Ægyptios. Anima cum eſt in ſuperiore mundo, inquit, intuetur naturam rerum quæ in eo ſunt. Neque in ratiocinando eum modum adhibet, quem in hoc inferiore. Imo neque hæc infima contemplatur, quoniam altiora perſpicit. Vt enim cum eſt in inferiore mundo,purior'propter naturæ præſtantiam ſe ad hæc terrena non demittit: ſic iuſtiore cauſa hoc mundo

soluta, & ad nobiliorem reuersa, non meminit præteritorum. Sed altiora semper contemplans & amans, nunquam satiatur: omnémque actionem, & cognitionem ad illa refert. Quare cum illi in superiore mundo rerum omnium scientia constantissima insit, habeátque semper in promptu ea circa quæ versatur, illorum nulla memoria indiget. In quibus omnibus ille non satis prima fronte cum Platone consentire videtur. Quoniam hic lib.10. de Rep. scribit animas corpore solutas flere, & ingemiscere, malorum pręteritorum memoria. Et in Phædone, impuras animas circa sepulchra oberrare: quoniam suorum corporum desiderio adhuc tenentur. Alias verò ascendentes rursúmque descendentes, pręteritæ vitæ calamitates & ærumnas aut eiusdem delitias inter se commemorare. In quo loquendi genere hic videtur humana ad diuina transtulisse: Cum Platonici, vbi in philosophando accuratiores esse volũt, dicere soleant intellectum à corpore separatum, nihil intelligere per notiones & phantasmata, sine quibus memoriæ, vel recordationi locus in anima propriè esse non potest. In quo hi cum superiore Aristotelis loco consentiunt. Moueor autem plurimum ratione vnica quæ, si de hac quæstione naturæ lumine statui quicquam potest, apud Aristo. mihi videtur superioribus omnibus Platonis argumentis anteponenda: & tamen cum eiusdem ratione octaua quadam ex parte consentiens. Maximè propria animi intelligentia esse videtur, inquit, Aristoteles cap.1. libr.1. de Anima. Quæ si est actio eius partis in qua visa imprimuntur, aut sine ea non est, certè sine corpore constare nullomodo potest. Ac si quod est munus & si qua affectio animi propria, is separari potest. Sin nullum eius proprium est, separari non potest: sed quemadmodum ei quod rectum est, quia rectum, multa accidunt & conueniunt, veluti æneam spheram per punctum tangere, non tamen eam tanget cum separatum erit, id quod rectum est. Separari enim non potest, si quidem semper est alicui corpori coniunctum. Hæc verò vnius ratiocinationis est propositio, non simplex sed coniuncta. Cuius duæ partes sunt hæque rursum singulæ connexæ, quæ hypotheticæ nominantur. Quarũ prior eiusmodi, Si est animi propria quædã functio siue affectio, in qua ille nihil cum corpore communicet, penes hanc à corpore separari potest, & cum erit separatus eandẽ functionem non solum adhuc retinere, sed perfectiorem quã in ipso corpore exercere. Posterior vero, Si non est animi vlla actio in qua cũ corpore nõ cõmunicet, aut in qua eo eiúsue parte, vt instrumẽto non indigeat, separatus à corpore manere nullo modo potest. Quid enim separatus ageret si omniũ actionũ eius instrumẽta sunt in corpore necessaria? aut quo modo nihil omnino agẽs manere posset separatus?

In qua quidem propositione, si quod Plato dixit in Phedro, animam moueri à se, idē in Arist. doctrina intelligas à se & ex se agere, suámq; functionem exercere corpore nihil adiumenti conferente: facile animaduertes, quòd antea indicauimus, vtrunque philosophum in ea ratione quam summam habuit, naturæ lumine eadem pene fundamenta esse secutum, sed non eodem modo esse loquutum: & Aristotelem in loquendo physicorum consuetudinem magis seruasse: Platonem autem ab ea omnino recessisse. Neq; vero in illa Aristotelis propositione duabus partibus cōstante, euerso antecedente consequens euertitur, atq; (pace dixerim Themistij) etiāsi in eius loci explicatione non vtar verbo contingentis, pars posterior nō minus certitudinis habet, quam prior: sed eiusmodi enunciationū genus iis tantum accōmodatum est, in quibus id quod antecedit, consequentis causa continēs est, vel certè propria nota. Vt quia defectionis in Luna causa continens est terræ interpositio: certe si terra interponitur luna deficit, & si illa non interponitur, hæc non deficit. In quo quanquam non vsurpetur verbum contingentis, tamen non minus necessariam significo consequentis cum antecedente connexionē in posteriore, quam in priore. Iam vero istius cōnexionis rationem videamus. Ea primum in eo est posita, quod si operatio animæ non pendet ex corpore: animæ substātia, quæ operatione longe præstantior est, ex illo multo minus pēdebit. Quare si ab anima in corpore existēte, operatio propria sine corpore potest exerceri: eadem à corpore separata, substantiam suam integram videbitur posse retinere. Deinde eadem nititur dissimilitudine quæ inter formas naturales & diuinas, quas metaphysicas appellant, intercedit. Nam quia naturales formæ in suis actionibus cū materia necessariò cōmunicant (ab hac enim actionum quarum principes causæ sunt, qualitates organicas in nonnullis euidentes, in aliis latentes, accipiunt, atq, his tanquā vinculis cum eadem connectuntur) idcirco ab illa separatæ, manere nullo modo possunt: quoniam sine ea non possunt agere. Diuinæ autē, vt cælestes intelligentiæ, quia purissimi actus sunt & in suis functionibus corpore non indigēt, idcirco à corporibus separatæ manent, aut si quando propter quādam naturæ vniuersæ cōmoditatem se ad corpora demittunt (vt fortasse illæ quæ Methaphy. lib. 12. cælestes orbes mouere dicūtur) hæ sunt ab illis separabiles, vel potius adhuc separatæ. Itaq; in illa propositione Aristoteles videtur indicasse, quod etiā Theologis fundamentū est huius disputationis de immortalitate. Nēpe si hominis anima omnino rationem habet formæ naturalis, eā quoq; omnino à corpore esse inseparabilē. Si autem in illa diuinius quiddā est quod corpore impediatur, potius quàm iuuetur, penes id illā posse à corpore separari, atq;

aliquando separatam, eam actionem perficere, quæ in vita hac corporis contagione impeditur. Iam igitur videamus priorisne connexionis, an posterioris partem antecedentem ex Aristotelis sententia retinere debeamus: id est, vtrum in huius doctrina constituendum sit animæ humanæ functionem esse aliquam, in qua illa cum corpore nihil communicet. Eo enim explicato, non erit difficile constituere, quid illum de animæ immortalitate sensisse, existimare debeamus. De hoc verò grauissima est inter omnes, cáque ex huius verbis nata dissensio. Atque cùm functionum in anima humana varietas sit maxima, non in omnibus eadem est dubitatio. Siquidem eas quæ cum plantis & belluis nobis communes sunt, ab anima quidem, vt à principe causa proficisci certum est, easdem tamen corporis qualitate, vel parte vt instrumento indigere. Quare & illas cum materia communicare Aristoteles dicere solet, & ab hac esse inseparabiles. Imò cùm harum ratione habita, physico more animam definiuit perfectionem primam corporis organici, potestate vitam habentis, hoc subiicit cap. 1. lib. 2. de Anima, Illud quidem non est dubium, inquit, quin anima non sit à corpore separabilis, aut aliquæ eius partes, si ex partibus constet: quoniam quędam ex iis, partium corporis perfectiones sunt. In quæstione autem de humana mente, hoc maxime Peripateticos in varias opiniones distrahit, quod cùm multis locis illius separationem à corpore, & immortalitatem Aristoteles testetur, hac tamen admissa, non omnia doctrinæ Peripateticæ principiis consentanea esse videantur. Nam de trium partium, siue facultatum principum in anima, comparatione ita scribit, cap. 3. libr. 2. de Animalium ortu. Aut omnes contingere, inquit, cùm antè non fuerint, necesse est: aut omnes cùm ante fuerint: aut partim cùm ante non fuerint, partim cùm ante fuerint: & contingere, aut in materia subeuntes semen maris, aut eo quidem inde venientes, sed in mare, aut omnes extrinsecus contingere, aut nullam: aut partim extrinsecus, partim non extrinsecus. Cæterùm omnes ante esse impossibile iis rationibus ostēditur. Quorum enim principiorum actio est corporalis, hæc sine corpore esse non posse certum est, verbi gratia ambulare sine pedibus. Itaque extrinsecus ea venire impossibile est. Nec enim ipsa per se accedere possunt, cùm inseparabilia sint. Neque cum corpore. Semen enim excrementum est alimenti vltimi. Restat igitur vt mens sola extrinsecus accedat, eáque sola diuina sit. Nihil enim cum eius actione cōmunicat actio corporalis. Et cap. 1. lib. 2. de Anima, Nihil prohibet, inquit, aliquas animæ partes separabiles esse: quoniam nullius corporis perfectiones esse videntur. Quod de eo intellectu, quem agentem appellat lib. 3. multis locis testatur apertius. Ex quibus videtur effici

Dubia Aristotelis sententia de animi immortalitate.

in huius doctrina pro rato esse ponendũ intellectus humani functionem esse quandam, in qua ille nihil cum corpore communicat: imò multa cõtra corpus ipsum nititur, ab hócque impeditur, potius quàm adiuuatur. Ad eiusdem rei cõfirmationem alia permulta colliguntur, cap. 7. libr. 3. de Secretiore parte diuinæ sapientiæ secundum Aegyptios, quibus hoc loco vterer, si mihi illud opus Aristotelis esse constaret. Contra verò, multa nos vrgent atque efficiunt, vt valde probabile esse videtur, ex Aristotelis sententia, intellectus propriam functionem à corpore separari omnino non posse. Nam cap. 1. libr. 1. de Anima, summam rei de qua quæritur ex conditione tantùm, ita proponit. Si intelligendi munus, actio est eius partis in qua visa imprimuntur, aut sine ea non est, sine corpore constare nullo modo potest. Non posse autem in homine munus hoc intelligendi, sine ea parte extare, apud eundem tam certum esse videtur, quàm quod est certissimum. Quoniam illud versatur circa notiones vniuersas, quæ efformantur ex visis: ideóque eodem capite dictum mihi videtur (quanquam aliis aliter locum eum interpretantibus) vniuersale animal, aut nihil esse, aut esse post singularia. Adde quòd humanus intellectus, quando primùm cum corpore coniungitur, tabula est omnino *nuda*, vt idem ait cap. 4. lib. 3. In hac autem quæcunque postea efformantur, nascuntur ex visis. Hęc verò rerum singularium per sensus corporeos perceptarum sunt simulachra, vt idem docet cap. 24. lib. 1. Analyt. poster. & capite vltimo lib. 2. Equidem permaneo in illa huius dubitationis explicatione, qua vsus sum cap. 11. libr. 4. prioris nostræ descriptionis Physicæ. Atque existimo permultum interesse, vtrum in nobis consideremus intelligentiæ initia, an eius progressiones atque perfectiones. Quandoquidem in initiis, nihil est quod in Aristotelis doctrina non facilè adducat in desperationem immortalitatis: cùm animaduertimus ab illo contra Platonem disputari, nullas esse notiones ingenitas, sed nudam facultatem ad omnes percipiendas: hanc verò sic esse corporeis sensibus addictam, vt aliquo horum à natura deficiente, deficere quoque oporteat omnes eius notiones, quarum efformatio proficiscitur ex obseruatione rerum singularium, ad illũ sensum pertinentium, quod illę scribit cap. 24. lib. 1. Analytic. poster. Adeò vt in Peripatetica schola tritum illud sit, quod tamen cum certa cautione accipiendum est, nihil esse in intellectu, quod non prius fuerit in sensu. Auget etiam dubitationem, quod ab illo de mente scriptum legimus Problem. 4. Sect. 30. Cur seniores amplius mente valemus, inquit, iuniores ocius discimus? Quia natura parens & author omnium, duo nobis inseruit, quorum opera instrumentis extraneis vti valeremus: manum, inquã corpori dedit, animæ mentem. Vt igi-

tur manu non iam inde ab ortu vti possumus, sed cùm eam natura absoluit, perfecítque: ita etiam mens, quæ res naturalis est, non protinus, sed in senectute maximè nobis contingit. Mens verò posterior quàm manuum facultas accedit: quoniam instrumenta mentis posteriora sunt, quàm manuum. Est enim mentis instrumentum, scientia. Menti namque vtilis scientia est, vt tibicini tibia, manuum instrumenta res pleræque sunt naturales. Natura autem ipsa eiusque res omnes, priores sunt quàm scientia. Quorum autem priora sunt instrumenta, facultates quoque eorum prius contingere congruum est. Atque hæc quidem indicare videntur, intelligendi facultatem cum corpore communicare, & huic quodammodo esse addictam. Ideóque quemadmodum dixi, facile in desperationem immortalitatis ex superiore hypothesi Peripateticos inducerent, nisi hæc contra recrearent, & in certissimam eiusdem immortalitatis expectationem erigerent. Quod eiusmodi initiis in intelligendo excitati, intellectum vt liberius contempletur, quoad possumus à corpore abstrahimus, & tum summâ invita hac perfectionẽ adeptum arbitramur, cùm potest se ad eas formas erigere quæ omnino sunt à materia separatæ. Quarum si in corpore inchoata & adumbrata tantùm est cognitio, atque ille ad perfectiorem semper nititur, quis non fateatur eum, aut esse omnium miserrimum, qui sublata spe immortalitatis, Tantalo similis sitiens fugientia captat flumina: aut si hæc tam nobilis apperitio frustra non est illi ingenita, futurum vt cùm è corpore excesserit, apertissima atque perfectissima formarum eiusmodi contemplatione perfruatur. Ad quam rem rudibus explicandam non inepta esse videtur similitudo, qua vtitur Contarenus Cardinalis libr. 1. de Animæ immortalitate. Quod vt animalia antequàm perfecta corroboratáque membra, nutriuntur sanguine menstruo, digesto à matre per vmbilicum, matríque tum adhæreant necesse, à qua nutrimentum capiunt: postquàm verò perfectus est fœtus, ex vtero matris in lucem prodit, sibíque ipsi sufficit ad capiendum & digerendum cibum: sic intellectus quandiu imbecillis est, & ad supremam lucem recipiendã ineptus, intellectionem ueluti cibum digestum prius in phantasia recipit, postquam verò perfectus est, iam per se sibi sufficit, neque amplius indiget phãtasia. Placent etiã ea quę ad eiusdẽ reiconfirmationẽ colliguntur cap. 8. lib. 12. de Secretiore parte diuinæ sapiẽtiæ secundũ Aegyptios. Si primus rerũ omniũ author, inquit, à materia est separatus, eúmq; talẽ animus cognoscit, certè eiusmodi cognitio per corporis organa parta esse nõ potest. Et cùm animus se ipse contẽpletur, sua substantia corporis expers sit, atque idcirco in sensum minimè possit cadere: in eo nullo corporis organo vtitur. Quoniam id omne

quod per corporis organa cognoscitur, in sensum cadere est necesse. Itémque animus quo in contemplando progreditur longius, eò magis à materia formas abstrahit, atque hæc perfectissima operatio organorum expers est, eadémque illi maximè propria. Nam cùm in homine omnis cognitio tribus gradibus distincta sit, in eorum primo insunt obiectum, medium & sensus: in secundo interior sensus, phantasia & iudicium, quod quia nobis cum belluis commune est, non rationis proprium, distinguendi causa liceat hoc loco animale appellare: atque hæc corpori sic addicta sunt, vt ab eo separari nullo modo possint. In tertio verò continentur humanum iudicium, ratio & intellectus potentiæ siue potestatis, quæ principium etiam hauriunt à sensibus. Domina verò mens eadémque diuina, recepto lumine superiore, possibilem intellectum illustrat & perficit, atque hominem supra hominem erigit. Quam solã extrinsecus aduenire, & sua actione cum corpore nihil communicare, haud dubiè Aristoteles voluit, sed qualem eam in singulis hominibus esse vellet, nõ satis apertè definiuit. Et tamen Deo simillimam eam esse scribit, cap. 7. lib. 12. Metaphysic. vt pote quæ se ipsa intelligit, hoc tamen ab illo differentem, quòd Deus se semper intelligit, mens verò non item. Quod non videtur verum esse posse, nisi de ea mente quæ in nobis est. Sed si fuerit positum, quod superiora omnia videntur arguere, in Peripateticorũ doctrina, mentem eam quæ singulis propria est, in intelligendo cum corpore nihil communicare, ab eo separari posse, nec separatam interire, sed immortalitate perfrui: res in maiorem controuersiam veniet, atque amplius quęretur, an illa simul cum corpore incœperit, an esset priusquàm cum eo coniungeretur. Nam si animi hominum propij, cum corporibus incœperunt, etiamsi de illis non exorti (quia de eo hoc loco non quærimus) cur igitur apud Peripateticos esse non desinent, quando separabuntur? Præsertim cùm Aristoteles doceat, capite vltimo lib. 1. de Cœlo, omnia quę esse incœperunt, eadem quoque lege qua incœperunt, finem esse habitura? Si verò erant priusquàm cũ corporibus coniungerentur: an num (quia otiosi esse non poterant) in aliqua contemplatione vigebant, cuius quædam notiones in vita hac relictæ, sed corporis contagione obliteratę? At, vt dictum est, Aristoteles intellectum quando primùm cum corpore coniungitur, tabulæ omnino nudæ similem esse vult, cap. 4. lib. 3. de Anima, & hac in parte Platonis sententiam, de obliteratis per obliuionem notionibus, & de recordatione vitæ superioris, multis locis reprehendit. Atque hoc vnum est, in quo naturæ omnia fundamenta apud Peripateticos retinere volentibus, antea diximus non esse facile omni dubitatione se explicare. Neque de eo amplius quicquam est, quod sciã,

apud

apud Aristotelem definitum, quàm quod ita scribit cap.3. lib.12. Metaphys. Causæ mouentes tanquam antea ortæ existunt, inquit. Quæ verò vt ratio & forma, simul sunt. Cùm enim sanus sit homo, tunc etiam sanitas est & forma æneæ sphæræ, simul atque ænea sphæra. Si autem aliquid posterius permanet, considerandum est. In quibusdam enim nihil prohibet. Veluti si anima tale quid sit, non omnis, sed intellectus. Omnem namque fortassis impossibile est. Quibus apertè indicat nullam animæ partem, ne eam quidem qua ratiocinamur, & intelligimus, ante corpus extitisse: posse tamen fortasse hanc cùm è corpore excesserit, permanere. At libris de Secretiore parte diuinę sapientiæ secundum Aegyptios, multis locis ostenditur eam ante corpus fuisse, & è cælo descendisse. Quæ res aliam opinionem peperit, de vno communi intellectu agente, qui solus immortalis sua substantia à nobis dicitur separatus, virtutis autem suæ quasi radiis in nostrum intellectum influere, atque huic intelligendi actum præstare. Quæ fuit sententia Themistij, itémque Auerrois. In qua etsi aliquid insit boni, modò id certis rationibus regatur, quodque etiam ad nostram religionem transferri possit, verendum tamen est, ne hæc à nõnullis recentioribus scriptoribus renouata, & sine vlla distinctione rudibus proposita, multos de eo quod maximum est, peruersis opinionibus imbuat. Ideóque ea nobis hoc loco priusquam institutam comparationem concludamus, attentius est consideranda. Vetustissima hæc opinio est, de prima mente à singulis hominibus secundum substantiam separata, virtute tamen sua in eos influente, sapientúmque & iustorum contemplationem atque actionem dirigẽte. In qua antiquissimi Philosophi, sicut alio loco obseruauimus, incredibili consensu, naturęque lumine admirabili, diuinum Spiritum, vel ipsum Dei filium nobis adumbrarunt. De ea enim sic scripserunt Magi, qui à Zoroastre descenderunt. Omnia perfecit pater, ac menti tradidit, quã hominum genus omne primam vocant. Et Chaldæi atque Aegyptij in rerum principiis primo loco posuerunt bonũ, deinde mentẽ, boni appellatione Deum patrem significantes. Anaxagoras etiam vt Aristoteles scribit cap.2. lib.1. de Anima, dixit ab eadem mente naturæ vniuersitatem moueri. Apertius est quod de ea scribit Mercurius Trismegistus in Pimandro Sermone 1. Deus ipse mens, inquit Pimander, iussit vt homo mentis particeps se ipsum animaduerteret. TRISM. Non ergo homines singuli mentem possident. PIMAND. Rectè dicis Mercuri. Assum enim ego mens iis qui boni, puri, religiosi sanctique sunt: præsentiáque mea fert illis opem, adeò vt statim cuncta dignoscant, patrémque pacatum & propitium habeant. Contra, ab ignaris, improbis, ignauis, inuidis, iniquis, homicidis, impiis, procul

admodum habito, permittens eos dæmonis vltoris arbitrio. Et ser-
mone quarto. Sermonem quidem ô Tati, inquit Trismegistus, sin-
gulis hominibus Deus impartiuit: mentem verò nequaquam. Non
quod inuiderit, quibus ne vtique inuidet, liuor quippe ab eo non
prouenit: sed illa quæ habitat in animis hominum mente carenti-
bus. TAT. Cur ô pater, non omnibus Deus mentem commu-
nicauit? TRISM. Quoniam voluit eam ô fili, in medio tanquam
certamen præmiúmque animarum proponere. TAT. Vbinam
hanc locauit? TRISM. Cùm craterem patulum hac impleuis-
set, præconem misit, iubens talia quædam animis hominum nuntia-
re. Mergat seipsam in hanc pateram quæcunque potest, quæ videlicet
credit craterem animam ad eum qui dimiserat rediturum, quæve fi-
nem noscit, cuius gratia nata fuerit. Quicunque igitur præconem ex-
audiuerunt, sese miserunt in mentem, hi cognitionis participes effe-
cti sunt, mentémque suscipientes, in homines perfectos euasere. At
qui præconium neglexerunt, hi sermonis quidem participes, mentis
autem expertes relicti sunt: ignorantes & cuius gratia, & à quo geni-
ti fuerint. Et Sermone duodecimo, Mens quidem ô Tati, inquit, ex
ipsa Dei essentia, si qua tamen est eius essentia, nascitur. Hæc qualis-
cunque sit, sola seipsam sincera comprehendit. Mens igitur ab essen-
tia Dei nequaquam diuisa, sed illi potius eo modo connexa, quo So-
lis corpori lumen. Hæc mens Deus est in hominibus, atque idcirco
nonnulli ex hominum numero Dij sunt, eorúmque humanitas est
diuinitati quàm proxima. Etenim bonus dæmon Deos quidem præ-
dicat immortales, homines autem mortales Deos. In animalibus au-
tem irrationalibus mens illa natura est. Nam vbicunque anima, ibi
quoque mens: quemadmodum vbicunque vita, ibi etiam anima in
viuentibus est, hominum animas in bonum proprium reuocans.
In animalibus ratione carentibus, cum natura cuiusque congredi-
tur operando: in animis hominum resistit interdum, atque repu-
gnat. Et idem in Asclepio, Quid est incorporeũ? inquit, Mens & ver-
bum quæ se ipsam ex vniuerso ab omni corpore liberam sustinet, &
continet: inerrabilis, impassibilis à corpore, intangibilis: ipsa seipsa
stans, capax omnium, seruatrixque rerum: cuius radij sunt bonitas,
veritas, lux exemplaris, exemplar animæ. Quibus aliqua ex parte si-
mile videri potest, quod Plato ait in Timæo, Deos quidem omnes
mentis participes esse, homines autem paucos. Socrates in Phædone
testatur se ex Anaxagoræ libro didicisse, mentem mundi effectricem
omniúmque rerum causam esse, eandémque Anaxagoræ sententiam
iterum laudauit in Cratylo: ipsamque mentem, iustitiam nominauit,
quam simul cum anima dixit naturam omnem continere atque exor-

nare. Et in Philebo, Consentiunt, inquit, omnes sapientes se ipsos in eo iactantes quòd mens in nobis, sit regina cœli & terræ, in eoque fortè rectè loquuntur. Aristoteles verò quia in philosophando minus diuinus extitit, quàm superiores, Deum quidem vnum multis locis, sicut antea docuimus, agnouit eundémque rerum humanarum curam habere voluit: nullo tamen loco, quod sciam, mentem vnam communem à Deo rerum omnium moderatore distinxit: aut eam sua virtute singulorum animos in intelligendo illustare, & in instituendis actionibus dirigere dixit. Nisi fortè eius esse concedimus opus illud, cuius iam sæpe mentionem fecimus, de Secretiore parte diuinæ sapientiæ secundum Aegyptios. In quo de ista mente externa, vel de intellectu agente, ita plerisque locis disseritur, vt in vniuersa veterum Philosophorum doctrina, nihil possit reperiri diuinius. Nam capite octauo libri decimi sic scribitur: Intellectus agens, in animam rationis participem influit. Quoniam huius lumen est, quod in naturæ vniuersitatem effusum, alia quæ sunt dirigit, conseruátque omnia quæ aut naturæ puritate ad illius essentiam accedunt, aut propter impuritatem ab eadem recedunt. Nam intellectus primus post mentem principem, vna cum intellectu materiato (in quo nostra essentia consistit) in mundum influit. Atque illius agentis essentia superat naturam huius qui potestatis est, illéque hunc possibilem siue naturalem amat, vt doctor discipulum, aut pater filium vnicum, aut mas fœminam. Et amplius capite decimo libri eiusdem, Intellectus agens, inquit, eum qui potestatis est amat atque regit, vt pater filium, doctor discipulum. Ad quam rem vterque indiget virtute influente à luce vitáque æterna. Porrò intellectus agens perficit animum qui rationis est particeps. Quoniam & hunc peperit, atque etiam animus hic, sentientem: prout eum absoluit, vicissim idem à sentiente excitatur, ad cognitionem rerum in sensum cadentium, erigitúrque in sapientiam eorum quæ intelligentia percipiuntur, quatenus excipit vim influentem ab intellectu agente atque primario. Quare cùm animus ad essentiam suam reuersus, intellectum agentem perspexit: suis actionibus cum illo consentit, nequaquam tamen in omnibus. Quoniam humanæ actiones non nisi quæ propriæ sunt, & rectæ, agenti intellectui ascribuntur. Reliquæ ignobiles ac peruersę ad animam sentiẽtem referuntur, cui accidunt: non autem ad eam partem in qua est intelligendi principium. Quibus quid diuinius à naturę genio potuit expectari? Quid ei prima frõte similius, quod idem Aristoteles scribit cap. 3. libr. 2. de Animalium ortu, solam mentem extrinsecus aduenire, nec eius actionem

cum corpore communicare? Quid aptius ad confirmandum quod Themistius & Auerroës persuadere voluerunt, de vno intellectu agente communi, substantia extèrno, suo verò lumine singulorum animos illustrante, & intelligendi actum præstante? Moueor etiam eo quod ex Theophrasto Themistius commemorat. Quoniam in re valde recondita, dubium esse non potest, quin ei imprimis perspecta fuerit Aristotelis sententia, quem ille per multos annos Philosophiæ auditorem habuit, & scholæ suæ nobilem successorem. Quæ omnia si quos fortasse commouent, eisque Auerroëm & Themistium sequentibus persuadent, apud Aristotelem solam mentem vnam sua substantia externam immortalem esse, totum verò id quod in nobis est, singulisque proprium, sine illa communi mente nihil prorsus intelligere, corpori esse addictum, ab eodémque omnino inseparabile, atque idcirco mortale: contra audiant eodem opere de Secretiore parte diuinæ sapientiæ, præter illam mentem, de qua antea ex libr. 10. dictum est, constitui animos singulis hominibus proprios, in corpore intelligentes, eosdémque ab illo separabiles & immortales. De quo apertissimum est quod scribitur cap. 1. lib. 12. Homo simplex non est, inquit, sed constat animo atque etiam corpore, quod instrumentum est cum animo coniunctum, ab illóque specie diuersum. Quodque quanquam cum animo aptissimè vniatur, non tamē est eiusmodi, vt ab eo separari nullo modo possit, aut vt in se ipsum satis constans atq; firmum: si quidem cōpositum est, non simplex. Omne autem compositum, dissolubile est in ea ex quibus componitur. Quibus efficitur illud nequaquam permanere. Quod etiam res ipsa testatur. Videmus enim corpora variis modis dissolui, tum ab aliis, tum à se inuicem: præsertim cùm ab eis nobilis animus fuerit separatus. Contra verò si corpus permanet, superioris animi beneficio conseruatur, nec sine eo viuum est, aut naturæ constantiam vllam habet. Quandoquidem dissoluitur in materiam & formam ex quibus constat, animo autem abeunte, quo corpus ipsum continebatur, hoc diuiduum in partes tenuissimas: atque hæc in illo interitus species vna est. Cùm itaque corpus hominis pars altera efficitur, non vtramque partem in illo interitus expertem esse, sed vnam interire, eam scilicet in qua animi est instrumentum. Quo ille indiget, non semper, sed tempore definito. Alioqui dissoluto instrumento, animum quoque interire esset necesse. Quod certè non contingit. Quādoquidem animus à corpore separatus, adhuc permanet, nullāque ex parte consumitur, nec eius natura vllum intetitum admittit: formáque est, per quam homo est, & consistit. Quare etiam ipse verè animus est: corpore autem indiget, sicut artifex instrumento. Et capite quarto libri eius-

dem, secundum illam propositionem connexam quæ antea commemorata est, ex capite primo libri primi de Anima, eius animi qui in nobis est nostræque substantiæ principem partem facit, functiones ita distinguit, vt quasdã corpori addictas esse fateatur, alias non item: atque secundum has illum à corpore separabilem esse concludit & immortalem. Animus humanus, inquit, ignobiles quasdam functiones habet, ad quas corpore opus est: vt facultatis oratoriæ cęterarũque artium, quas sine membris tanquam instrumentis ad eas destinatis, exercere non potest. Ad pleráſque autem cogitationem adhibet, vt in deliberando atque contemplando: cum ex manifestis ad ea quæ latent, progreditur. Alias vero nobiliores habet ab intelligendi virtute manantes, & quas ipse pro sua facultate exercet. Ad háſque nullo corporis ministerio indiget. Omnis autem forma quæ corporeis instrumentis ad edendam actionem non eget, interitus est expers. Quo etiam libro ei dubitationi in qua explicãda antea laborauimus, ita occurrit cap. 7. Si quis contra contendat, inquit, animum quidem sua essentia simplicem esse, sed eum non perfici sine corporeis instrumentis: quod scientiarum perceptione perficiatur, ad quarum principia sensibus dirigimur, quibus corporea instrumenta subseruiunt: sique his rationibus effici arbitretur animũ ad sui perfectionem corporeis instrumẽtis indigere, eóque posito necesse esse corruptis eiusmodi instrumentis ipsum quoq; corrumpi: atque etiam adiiciat substantias omnes, prẽter opificem primum, ex materia & forma constare, itémque animum ea contemplari quæ congenea sunt, neque tamen exquirere quæ à materia sunt seiuncta: quare & eum cum rebus materiatis conuenire, ídque apparere in communi vsu instrumẽtorum ad corpus pertinentium: idem respondebimus quod antea, animi scilicet operationes triplices esse, quarum vna à corporis communione proficiscitur, reliquæ vero duæ corporeis instrumentis non egẽt. Hæque versantur in deducendis conclusionibus ex accommodatis principiis, & in progrediendo ab vno prẽcognito ad alterius cognitionem. In quo animi dignitas propriáque functio existit. Falsum vero est substantias alias omnes à prima, ex materia & forma constare, animúmque ea sola intelligere quæ cum materia sunt coniuncta. Si quidem plurimæ à materia separatæ sunt, quarum numerum prius in Metaphysicis collegimus, eodémque loco cõfirmauimus substantias eiusmodi, quia materia carent, perpetuas esse & interitus expertes. Quæ superiores intelligentiæ appellantur. An num hæc omnia cum superioribus comparata, si Aristotelis sunt (sicut esse ex eo possumus suspicari, quod ad extremum in quæstione de cælestibus intelligentiis ad ea reuocamur, quæ ab eodem de illis dicta sunt libro 12.

Metaphy.) facile cuiuis probabunt, prætet vnam communem mentem ſua ſubſtantia externam & ſeparatam, poſitos ab illo animos qui ſecundum ſubſtantiam in ſingulis hominibus ſunt, ſeparabiles & immortales. Neque vero his contraria eſt Theophraſti ſententia, neque in eis quæ ex illo commemorat Themiſtius cap. 39. Paraph. in libr. 3. de Animo, notari quicquam poteſt quo certo probetur ab illo in Ariſtotelis doctrina poſitum vnicum intellectum agentem immortalem, qui ſecundum ſubſtantiam à nobis ſeparatus, virtute ſua in nos influere dicatur, & in intelligendo illuſtrare intellectum patibilem: qui, ſicut iſti immortalitatis oſores volunt, apud eundem omnino mortalis ſit, & à corpore inſeparabilis. Quoniam ille, ſicut eodem loco Themiſtius ſcribit, nihil ſtatuit, ſed ea tantum proponit quæ de intellectu agente & eo qui poteſtatis eſt, apud Ariſto. digna quæſtione videbantur. Porro quod dicitur ab Ariſto. (inquit Theophraſtus) mentem extrinſecus aduenire, id de intellectu agente non ita ſtatuendum eſt, quaſi verè appoſitus inuectúſque habeatur: ſed vt qui ſtatim ab ortu quaſi comprehendere nos complectique ſoleat. Item, quonam pacto res efficiuntur intellectæ & qualiſnam videtur paſſio ea? Neceſſe enim eſt afficiatur animus & quaſi patiatur ſi prodire ac peruenire ad actionem debet eadem ratione qualenſus. Sed cum ſit incorporeus, quî fieri poteſt vt patiatur & immutetur à corpore? Vtrum item ab illo, an ab hoc principium eſſe putandum eſt? Plane ipſum pati videri poteſt ab illo orrum habere: nihil enim ipſum à ſe patitur. At vero cauſam præſtare omnium actionum, hoc eſt vt intelligatur, vel non intelligatur res, quemadmodum & in ſenſu perſpicitur, vtique ab intellectu proficiſci videtur. Hæc, inquam, Theophraſtus dubitans tantum proponit, ſicut Themiſtius obſtetuat, & amplius etiam Priſcianus Lydus Commentario in librum eiuſdem Theophraſti de phantaſia & intellectu. Quærit Theophraſtus, inquit Priſcianus, quare intellectus noſter ab intellectu ſuperiore non ſemper accipiat, nec ſemper intelligere videatur. Sed profecto ſemper intellectus agit: anima vero non ſemper vtitur intellectu pręſente: quoniam videlicet ad corpora vertitur. Videntur ſanè Ariſtoteles & Theophraſtus intellectum aliquando totam vitam rationalem cognominare, vbi etiam vſque ad phantaſiam intellectus nomen extendunt. Atque ita non abſque ratione circa animam quęritur cur non ſemper intelligat. Nempe non intermittitur vnquâ intelligentia, quia potentiam intelligendi non habeat: ſed quoniam ad ſequentia corporeáque, & omnino extra ſe ipſam anima diſtrahitur, propter conditionem particularis vitæ ad vtrunque vices agentem. In perſpicua enim ad ſe ipſam reuerſione & ad intellectum con-

uersione, animæ perfectio tota consistit: contra vero in inclinatione ad corpora, casus ab intellectu contingit. Quæ omnia facile quidem indicant ex Theophrasti sententia Aristotelem posuisse intellectum vnum externum agentem communem immortalem, & à nobis substantia sua separatum nostroque intellectui suo lumine semper assistentem, etiamsi ab eo ad intelligendum non semper excitemur, quia eius radium non semper excipimus: neque nos à rebus sensilibus ad intelligibiles semper cõuertimus. Quod quis negat? aut quis doctrinæ Peripateticæ studiosus negare velit, nisi fortè cui hoc diuinius esse videtur quàm vt illi naturam sequenti, probari potuerit? Sed cum veteres nonnulli, recentiores vero longe plures, addunt nihil præterea Aristoteli visum immortale, nihil quod quidem in nobis sit secũdum substantiam singulísque proprium habeatur, ab illo positum à corpore separabile: hi in re ambigua, nescio an non quia male animati, rapiunt omnia in peiorem partem & ad eius quod volunt confirmationem abutuntur Theophrasti testimonio non satis definito. In quo verendum est profecto, ne prejudicata opinione de Aristotelis doctrina, multis rerum nouarum cupidis id persuadeatur quod non modo in religione Christiana capitale est: sed quo posito ciuilium omnium societatum summã perturbationem consequi est necesse. Nam si hominibus singulis nihil proprium, quod quidẽ post vitam hãc immortale sit futurũ, vel vt isti dictitant, nullus actus eos informãs nisi mortalis, quique & principium habuerit & finẽ sit habiturus: sola vna externa mens intelligendi actum præstat soláq; immortalis & à corpore separabilis, vel potius semper separata, quis non videt totum id fabulosum futurum quod de prẽmiis, & pœnis in altera vita propositis, Christiana persuasione receptum est? Quod quidem in omni Rep. tantũ habet momenti, vt vix vlli vnquam legumlatores extiterint qui his duobus tanquam vinculis suos in officio continere non sint conati: eísque persuadere propter hæc, non propter hominũ iratorum metum, viro bono virtutem esse amplectendam, vitium fugiendũ, etiam fidato Gygis annulo, vt Plato loquitur, inter homines impune ruere possit in omne flagitiũ. At non quæritur, inquies, quid in Christiana religione probandum sit: sed quid Aristoteli de intellectu agẽte déq; ipsa mente videatur. Sit ita sane. Sed hoc in ista quẽstione mihi mirũ est, quod hi dũ metuũt si animi qui singulos homines informãt apud Arist. immortales esse dicantur, ne in quædã principia doctrinæ Peripateticæ leuiter peccetur: non vidẽt facile alio modo hoc vitari posse quod metuunt: At eo posito quod volunt, peruersis opinionibus homines imbui, & summam doctrinæ peripateticæ perturbationem cõsequi oportere. Quod vt intelligatur contrariarũ rationũ momẽta

diligenter considerandа sunt, atque primum videndum quid ea de re Themistio, quid Auerroi videatur. Quoniam hos isti suæ sententiæ potissimos duces habent. Deinde quid ad eorum rationes nonnulli recentiores adiicere sint conati. In quibus omnibus explicandis ita laborabimus, vt si cui satisfactum non sit, facile tamen intelligat animum non defuisse: ipse vero possit quærere meliora eáque pro suo arbitrio his adiicere. Iam igitur ab ipso Themistio exordiamur. Hic cap. 23. Paraph. in lib. 3. de Animo, distinguit intellectum potentiæ, ab agente: scribítque agentem quando illum priorem, natura suarudem amplexatus est, primum educere quasi in lucem è tenebris, & in actu constituere: deinde habitum in eo quendam efformare, in quo vniuersales rerum notiones collocantur. Nam quemadmodum rude saxum, inquit, aut impolitum æs, quorum alterum domus potentia est, alterum statua, neque illud accipere formam domus potest, neq; hoc statuæ, nisi ars materias illas quæ ad domum & statuam comparatæ sunt, fingat & formam artificiosam imponat, atque ita demum consistat domus & statua: ita intellectum potentiæ ab altero intellectu perfici oportet, qui quod ipse perfectus est & in actu semper, nulli potentiæ affinis consors ve, præparationem illam intellectui ad intelligendum adiunctam ad instar artis excitet, excolárque, habitum & scientiam rerum absoluat. Atque hic intellectus separatus & impatibilis impermixtúsque. Intellectus autem potestatis quanuis eadem fere qua intellectus agens dignitate authoritatéque polleat: quia tamen aliquanto coniunctior addictiórque humanæ animæ est, videtur societate hac nobilitatis suæ nonnihil dispendij detrimentíque facere. Capite 24. intellectum agentem comparat cum lumine, quod quidem colores & oculos illustrans, his & illis actū præbet, per quem hi quidem vident, illi vero videntur. Ita intellectus agens, inquit, cū intellectum potentiæ agitat, non solum intellectui actum ministrat, sed & res quæ potentia intellectæ sunt, facit vt in eo intellectæ sint actu. Atque hæ sunt materiales formæ & notiones cōmunes de singularibus sensibus collectæ. Has intellectus potentiæ neque potest per se distinguere, neque ex vna earum in alterius cogitationem trāsire, neque componere: sed illas à sensibus & imaginatione acceptas & materia exutas, in memoria tanquam in promptuario thesauros suos, custodit. Deinde accedente intellectus agentis luce & massam illam notionū atque syluam intrante, versantéque, efficitur vt vnus cum illo euadat, atque ita libero discursu possit componere, diuidere circunspicere, considerare, agnoscere singula. Ex quibus omnibus idem ita cōcludit. Ergo qualis est artis cum sua materia comparatio, talis intellectus agentis cum intellectu patiente. Capite 26. scribit in homine

Themistij sententia de intellectu agente.

homine intellectum potentiæ priorem esse intellectu agente. At absolute agentem esse priorem. Quoniam hic, inquit, abiunctus, impatibilis, impermixtúsque est. Quare non est eiusmodi vt aliquando intelligat, aliquando cesset: sed hoc illi tantum accidit, hoc ipso quod cum intellectu potentiæ coniungitur. Quum vero secum ipse est, quũ natura eius sola spectatur, quæ nihil est aliud quàm actus merus, tum infatigabilis, immortalis, æternus, semper intelligens, & semper intellectus à se est, non alia re aut per aliam: quemadmodũ cætera quæ intelliguntur, & quæ intellectus habitu constituto à materia diuellit & intelligibilia facit, sed per se intelligibilis est & per suam naturam habet vt & intelligere, & intelligi possit à se. Deinde eodem loco discrimen subiicit in intelligendi modo inter agentem intellectum separatum & intellectum potestatis, illius agentis lumine iam illustratum. In intellectu potestatis, inquit, diuisæ notiones sunt, in eóq; variæ tum artes, tum notitiæ & scientiæ collocantur. Contra in intellectu agẽte, & vt expressius ac verius loquamur, in intellectu qui simplex actus est, quando substantia eius actu describitur, videtur alia ratio statuenda longe difficilior dictu & lõge etiam diuinior. Neque enim is ex vno genere in aliud transit, neque cõponit quicquam aut diuidit, neque discursu vtitur ad res cognoscendas, sed comprehensione quadam. Cum enim formas rerum omnium simul cõtineat, simul quoque aggreditur, cõplectitur & intelligit omnia. Atque quanquam omnia quæ intelligibilia sunt, agens intellectus ei qui potestatis est, suo lumine indiuisibiliter suggerat, ab hoc tamen non dicuntur excipi nisi diuisibiliter. Cuius rei causam cap. 27. idem ita explicare conatur. Nos vtriúsque intellectus copulatio & communio sumus, inquit. Si ergo ita habent omnia quæ ex actu & potentia conciliantur, vt in iis aliud sit ipsa res, aliud essentia: sequitur vt aliud ego sim, aliud essentia mea. Ita vt ego sim is qui ex actu & potestate cõstituor: essentia mea sit solus actus tantum. Quamobrem eadem quæ considero, hæc etiam scribo & literis mando. Scribit vero intellectus qui ex potestate componitur, scribit inquam non tamen quatenus ex potestate constat, sed quatenus intellectus agens est. Quia illinc omnis actio deducitur. Quod si intellectus potentiæ non accipit indiuisibiliter ea quæ intellectus agens indiuisibiliter tradit: nihil est quod miremur. Quando huius rei exemplum illud exploratum est, quod affectiones corporum, candor, nigror & huius generis cęteræ, quãquam propria ratione & suapte natura indiuisibiles sint, in materia tamen diuisibiliter recipiuntur. Tandem vero singulorum hominum essentiam illo vno intellectu agente contineri, ita eodem capite concludit. Quemadmodum aliud est animal, aliud suum animali esse, & quem-

admodum ſuum animali eſſe, ab ipſa dependet animalis anima: ità aliud ego ſum, aliud mihi eſſe & mea eſſentia. Hæc autem ab animâ prouenit non quidem ſenſuali, quippe quæ tanquam intellectus potentiæ habeatur, neque item ab ipſo intellectu potentiæ: vt qui pro materia intellectus agentis ſit. Reſtat igitur vt ab intellectu agente proficiſci ac pendere dicatur. Solus enim intellectus agens propriè, & maximè cenſendus eſt forma, imò vero forma formarum: cætera modo ſubiectorum loco, modo formarum habentur. Sanè ordo naturæ & proceſſus hic eſt, vt reſpectu inferiorum, ſuperioribus vice formarum vtatur: reſpectu ſuperiorum, inferioribus loco materiæ. Summam ergo & ſupremam formarum, intellectum agentem conſtituit. Quo ſimul atque progreſſa eſt, receptui canit, in eóque finem, quaſi extremam manum imponit: vt pote quæ nullam formam ſuperiorem aut nobiliorem haberet, cui loco materiæ ſubiiceret intellectum agentem. Quamobrem nos proprie animus & intellectus ſumus. Ex quibus variis Themiſtij locis hæc colligi poſſunt, Intellectum eum qui poteſtatis vel potentiæ nominatur, reuera in nobis eſſe, ſingulíſque quendam proprium: qui quando naſcimur rudis omnino exiſtit, & vt Ariſto. ait, ſimilis tabulæ nudæ: eundémq; diſcurrendo à præcognitis ad incognita, progrediente ætate diſcere, beneficio luminis ab intellectu agente manantis, & partim hunc intellectum potentiæ, partim res ipſas intelligibiles illuſtrantis: præcognitionis verò ſuæ illum fundametum habere in ſenſuum functionibus, quibus rerum ſingularum imagines notatæ, deinde in phantaſia recóditæ, poſtremóque inter ſe comparatæ, notiones vniuerſas in hoc intellectu pariunt: ideóque hunc non ſemper re ipſa intelligere, nec intelligendi actum à ſe habere, ſed à ſuperiore intellectu agente ſic accipere, vt neque ſimplices notiones efformare, neque has efformatas, vi eorum quæ in animo affirmationi & negationi reſpondent, cóponere aut diuidere per ſe vllo modo poſſit: ſed vtrunque agentis intellectus in illo tanquam in ſubiecta materia ad patiendum apta, munus eſſe dicatur. Hæc enim omnia in ſuperioribus locis quanquam diſperſa ſint, facile tamen in eis ſedulo inter ſe comparatis notari poſſunt: ſicut & iſta de intellectu agente, hunc ſua ſubſtantia extra nos eſſe, quoniam, vt ille ait, ſemper actu intelligit & omnia *in ſe ipſo*, vel potius ſe ipſe contemplans, ſine vllo rationis diſcurſu à præcognito ad incognitum, ſed in puncto indiuiſibili: quorum nullum de intellectu qui ſingulis hominibus proprius eſt, vere dici poteſt, imo verò contraria omnia. Hic enim neque ſemper intelligit, neque omnia, neque quicquam ſine antecedente quadam cognitione manifeſtáque diuiſione. Addit etiam nos non ſolum per vtriúſque

intellectus communionem reipsa intelligere, sed ipsum intellectum agẽtem in se esse cuiusque nostrum veram germanámque essentiam. Quæ omnia quanquam diuinitatis quandam speciem præ se ferant, eum tamen philosophandi modum habent qui Aristoteli in physicis parum videtur placuisse, & pleráque continent, quæ non modo in religione nostra capitalia sunt: sed ipsa inter se non satis consentanea. Hæc vero dabimus operam vt postea intelligantur: nunc in Themistij interprætatione pergamus, vt his positis quid de vtriúsque intellectus separatione à corpore, Aristoteles statuendum existimet cognoscamus. Superioribus duobus, ille adiicit tertium intellectum quem vocat patibilem, eúmque capit. 38. interpretatur affectum rationalem, vel rationem in affectibus constitutam: id est, vt ait, perturbationem animæ humanæ, quæ propter habitationem animi & intellectus in corpore, particeps rationis efficitur. Capite 37. hunc intellectum communem nominat eúmque haud dubiè ex Aristotele mortalem dicit: per quem, inquit, homo est qui ex anima & corpore consistit: in quo iracundiæ & libidines sedent, quas etiam Plato mortales facit. Idem ex Aristotele conatur confirmare cap. 27. Nemo meminit post mortem, inquit, quia tametsi intellectus agens impatibilis sit, nec ipse occidat: tamen intellectus alius in nobis continetur, qui & patibilis & particeps obitus est. Reliquos duos intellectus agentem scilicet, & potentiæ, separabiles ponit à corpore vel etiam separatos & immortales. Quod quoniam in agente minus mirum est, de altero illum audiamus. Capite 34. scribit hunc sine corporeo instrumento functiones suas absoluere, omninóque impatibilem & separatum esse. & capit. 35. Nulla dubitatio est, inquit, quin Aristoteles intellectum potentiæ impatibilem putauerit, & separatum, & qui formas rerum posset concipere, & qui nihil esset actu sed potentia: item qui cum corpore misceri non posset, & cui nullus vsus esset corporei instrumenti. Nec vero hunc solum immortalem esse voluit quia à corpore separatus, nunquam postea interiret: sed etiam quia nullam habuit originem. Sic enim scribit eodem capite eum, ab Arist. initio finéque vendicari. Deinde in separationis modo eundem intellectum cum agẽte sic comparat cap. 36. Separatus ergo impermixtus & impatibilis, inquit, intellectus potentiæ, quod nos superius Aristotelem dixisse comprobasséque demonstrauimus. Non tamen eo modo separatus est quo intellectus agens. Sed attende obsecro quæ de intellectu agente & intellectu potestatis per comparationem Arist. dixit. Est intellectus, alter, inquit, qui omnia possit fieri, alter qui omnia facere, tanquam ha-

bitus quidam perinde atque lux. Nam & lux quodammodo facit vt colores potentia, consistant actu colores. Atque hic intellectus separatus, impatibilis, impermixtúsque habetur: cuius substantia, est actus. Semper enim præstantius est id quod facit, quàm id quod patitur, & principium quã materia. Atque hæc accipienda arbitror perinde ac si quis Solem diceret magis separatum quã lucem. Ex quo perspicuum videtur Aristotelem vtrunque intellectũ separatum putasse, sed agentem magis & separatum & impatibilem & impermixtũ. Est & in eo discrimẽ, quod intellectum potentiæ in nobis tempore priorem cõmonstrauit, agentem autem priorem natura, perfectione, dignitate. Imo verò neque illud simpliciter verum, intellectum potentiæ priorem tempore haberi agẽte: etiam si in hoc vel illo prius tempore adsit quam intellectus agens. In quibus omnibus Themistij locis hæc diligenter notanda sunt, intellectũ potentiæ quem Aristoteles in nobis esse ait, nudæq; tabulæ similem facit, neque initium habuisse, si Themistio credimus, neque finẽ habiturum: & tamen in singulis hominibus tempore priorem dici agente. Quia, vt opinor, cum primum nascimur, illum nobis reuera inesse vult, nosque iam à bellua alios facere: nõdum tamen agentis lumine vel actu illustrari. Quæ, nõ dicam si vera sunt, sed solùm si doctrinæ Aristotelis ex opinione Themistij consentanea, facile animaduerti potest præter intellectum agentem ab illo esse positam animæ partẽ quandam singulis hominibus propriã, quæ non modo immortalis futura sit à corpore separata, sed quæ fuit ante corpus, nunquã orta, sicut neq; vnquam interitura. Quod etiam si multis de causis mihi non omnino probetur (sicut neque omnia quæ idem scribit de intellectu patibili) tamen quia plurimum cõtra eos valet, qui huius interpretatione abutuntur ad docendum nullam partẽ animæ, quæ secundum substantiam in nobis sit & singulis propria, ab Arist. positam, separabilẽ à corpore & immortalem: idcirco nobis hoc loco visum est obiter obseruãdum. Nunc vero de intellectu agente quid ille statuat attentius consideremus. Cap. 31. eos reprehendit qui apud Arist. intellectum hunc siue mentem, arbitrantur Deum esse: atque hoc argumento redarguit, ꝙ Arist. 2. cap. lib. 2. de Anima, de hoc agente intellectu siue de mente ita scribat, de intellectu & vi ea qua contemplamur, nondum hoc constat, inquit, animique genus aliud esse videtur, idq; solum separari posse: quemadmodum id quod sempiternum est, ab eo quod interit. Et cap. 5. lib. 3. Separata mens, inquit, hoc solum est quod ipsa est: eáque sola immortalis & æterna. Nam quod philosophus hic dicit, inquit, Themistius, solum hoc immortale & sempiternum haberi, non est eiusmodi

vt referri ad Deum possit: cùm is non modò Deum immortalem statuerit, sed & potestates eas quæ motum naturæ cœlestis imperant, quas in Metaphys. tractauit, vel vsque ad numerum. Quamobrem cũ ex omnibus viribus animæ, immortalitatem huic vni tribuerit toto opere, rectè hoc loco dictum existimo, solum hoc immortale & sempiternum haberi. Ex eisdem verbis illud subinde colligi, confirmarique cupio, Aristotelem opinatum fuisse intellectum agentem, aut aliquid nostri esse, aut planè nos ipsos. In totum si dicat solum hoc nostri sempiternum & immortale esse, sibi consentit. Si verò simpliciter hoc affirmet, dissentit: cùm ipse multis locis concedat complura esse alia quæ natura immortali sint prædita. Quibus positis videndũ est, quid in Themistij doctrina sequatur. Ille enim de iis quæ sunt in nobis solum intellectũ potentiæ impatibilem esse ait, separabilem & immortalem. Ex quibus efficitur hunc, etiam si fortasse ratione ab agente distinguatur, re tamen cum illo eundem esse oportere. An igitur hic etiam intellectum potentiæ secundum essentiam vnicum faciet, non singulis hominibus quendam proprium? Durum hoc nimis, neque his quæ paulò ante in eiusdem doctrina notata sunt, satis consentaneum. Et tamen de agente idem ita sentire videtur. Nam cap. 32. quanquam de eo nihil omnino definiat, nec quicquam statuat, quod pro rato haberi velit, dubitando tamen facile indicat se in hanc partẽ propensiorem esse. Illud dignum quæstione est, inquit, vtrum vnus sit intellectus agens, an multi? Ac si lucem cui ille collatus comparatúsque est, respicias: obtinebit vnum esse. Quando & Sol vniuersis vnius lucis splendorísq; idem largitur, proindeq; vnus author & principium luminis sit, vnde omnium animalium oculi illustrantur. Quibus postea hæc idem subiicit. An primùm quidem intellectum illuminantem, inquit, vnum credi oportet, illuminatos verò & subinde illuminantes multos? Quemadmodum quanquam Sol est vnus, tamen lux quæ de Sole prodit & mittitur, quasi abiungitur ab eo & diuellitur, atque ita in multorum oculos distrahitur & distribuitur? Quamobrem Aristoteles intellectum non Soli sed lumini comparauit, Plato autem Soli: quia intellectum & animum hominis Deo esse, quàm simillimum volebat. Occupat etiam eodem capite quod contra afferri potuit, huiusque confirmatione opinionem suam declarat apertius. Quod si cui improbabile videatur, inquit, omnes homines qui ex actu & potentia conditi dicimur, ad vnicum intellectum agẽtem referri, vnde cõsistimus sumúsque homines: nihil est quamobrẽ hoc auersari debeamus. Vnde enim communes illæ animi prænotiones conceptionésque omnibus haberentur? Vnde ingenita illa, impressaque omnium mentibus primorum notitia constitisset, natura

duce, nulla ratione, nulla doctrina? Vnde postremò intelligere mutuo, & intelligi vicissim possemus, nisi vnus singularisque intellectus fuisset, quem communem omnes homines haberemus? Huic sententię argumento & illud est, inquit, quod nisi ita dicatur, disciplinę trãsfundi in discipulum non possent. Cùm enim eadem sint quæ tradendis iis, & qui docet, & qui addiscit considerat, (quia neque hic discere, neque ille docere vnquam posset, nisi ab vtroque eadem commẽtatio tractaretur) perspicuum est eundem intellectum præceptoris & discipuli esse oportere. Quandoquidem essentia intellectus, idem esse quod actus ipse describitur. Atque hæc fortasse causa est, quamobrem ad solos homines pertineat docere & discere, vicissim orationis & sermonis intellectum habere. Hoc animalibus aliis non potest contingere: quia in iis constitutio animarum, & præparatio contumax ineptáque, vt intellectum potentiæ possint recipere, qui ab intellectu agente perficiatur. Vellem tam esset facile in iis Themistium omni specie cõtradictionis liberare, quàm apertum est illum posuisse ex Aristotele vnicum intellectum agentem sua substantia à nobis separatum. Capite trigesimo quarto attingit superiorem dubitationẽ de intellectu potentiæ. An scilicet si apud Aristotelem agens *vnicus* esse dicatur, isque solus immortalis, & à corpore separabilis, vel potius sua substãtia separatus, adhuc alterius intellectus qui potẽtię est, immortalitas in eiusdem doctrina retineri possit: Sed in hac explicanda sic hæret, vt non satis definitum habere videatur, quod sequatur. Illud quæritur, inquit, vtrum quemadmodum incorruptionem luminis quo oculi illustrantur, non participat virtus visibilis, ita immortalitatem intellectus agentis, non participet intellectus potentiæ: qui ab intellectu agente illustratur, vt aspectus à luce? An sensus quamuis longè sit impatibilior quàm sensorium, quamuisque patiente sensorio ipse non patiatur (si enim senex oculo probo valentéque vteretur, videret æquè ac iuuenis) non tamen prorsus impatibilis est, sed passionem sensorij, oblæsionémque ad quendam modum agnoscit: intellectus verò separatus, & expers omnino huius dispendij est? Apertius postea concludit intellectum hunc quem potentiæ, vel potestatis esse dicimus, quia sine corporeo instrumento functiones suas absoluit, impatibilem esse, ortus interitúsque expertem. Sed *ille* viderit quomodo hæc inter se consentiant, intellectum agentem similem esse soli, illúmque sua essentia vnicum, intellectum verò potentia multiplicem, singulorum oculis qui lumine illustrantur, respondere: agentémque solum vno loco dici immortalem (hoc enim antea ex cap. 31. commemoratum est) altero verò defendi etiam immortalitatem intellectus potentiæ, qui in singulis hominibus nudæ tabulæ est

est similis. Neque verò cùm idem Themistius dubitat capite trigesimo secundo, vtrùm intellectus hic agens, melius à Platone Soli, an ab Aristotele lumini similis esse dicatur, satis definit qualem eius, quem vnicum ponit, essentiam extra nos, vel à nobis separatam esse velit. Nam si huius essentia actus purus est, omnis potestatis quæ quidem ad nouam perfectionem referatur, prorsus expers, se semper intelligendo, omnia quoque sine intermissione intelligens, quo à Deo ipso distinguetur? Talia enim ferè sunt quæ Deo Aristoteles attribuit libro decimo Ethic. & duodecimo Metaphysic. Atqui hunc Deum esse Themistius negat capite trigesimo primo, neque his positis quæ alio loco scribit, etiam si licere putes cum Peripateticis Platonica permiscere in quæstione proposita, dicere possis intellectum hunc Dei filium esse. Nam capite vigesimo quarto intellectum agentem in nostro patibili, tanquam in subiecta materia, non solùm efformatorem facit notionum simplicium, sed authorem compositionum & diuisionum omnino omnium quibus affirmationes omnes & negationes in voce respondent. Ex his autem cùm in contemplatione quædam veræ sint, aliæ falsæ, in actionibus quædam rectæ, aliæ praua, quis vtraque ad Deum, vel ad Dei filium, in Peripatetica aut Platonica doctrina (nam de Christiana hoc loco non agimus) referre possit? Ergo ex illorum omnium diligenti comparatione, facile est colligere intellectum agentem vnicum, & haud dubiè immortalem ex Aristotelis sententia à Themistio esse positum: nec satis definitum, cùm ille suo lumine in nos influere dicitur, qualem extra nos essentiam habeat, Dei ne an mentis cuiusdam Deo proximæ? & vtrum hęc sine qua nihil omnino possumus meditando, vel deliberando componere & diuidere, malarum cogitationum in nobis, sicut & laudandarum sit causa? De intellectu autem potentiæ, non minus apud illum indefinita sunt omnia. Impatibilem quidem ab Aristotele positum esse vult, minus tamen propriè quàm intellectum agentem. Eundémque immortalem affirmat, non solùm quia non interit simul cum corpore, sed quoniam nunquam ortus est: quod mihi non satis videtur cum Aristotelis sententia Metaphysic. duodecimo, conuenire. Vtrum autem intellectus hic, propria hominis forma sit, non vna comunis omnium, sed singulis quædam sua, corpus in quo est informans & continens, quoque modo secundum essentiam ad intellectum agentem se habeat, cùm imprimis in disputatione proposita de immortalitate quæreretur, illo loco ab illo explicatum est: sed ita omnia, meo quidem iudicio, inuoluta sunt, vt per se obscura Aristotelis sententia, Themistij interpretatione nihilo clarior facta videatur. De Themistio satis, nunc de re eadē Auerrois opinionē expēdamus.

Hæc à multis in eo grauiter exagitata est, quod intellectum agentem vnicum, & secundum substantiam extra nos esse voluerit, qui virtutis suæ quasi lumine in singulorum intellectus influat, hósque illustrans, faciat vt re ipsa intelligant. Sed longè pernicioſior est de intellectu altero, quem materialem vocat. Is verò est quem antea ex Themistio intellectum potentiæ vel potestatis nominauimus. Nam Cómentario in tertium de Anima, hic primùm scribit in nobis tres esse partes intellectus, primam recipientis, secũdam agentis, tertiam adepti (sic autem eum nominat, qui ab intellectu agente iam illustratus, rerum intelligibilium cognitionem adeptus est) de quibus agentem, qui secundum substantiam vnicus extra nos, & recipiẽtem qui in nobis, immortales esse vult: tertium verò partim generabilem & corruptibilem, partim æternum. Deinde cùm quęritur, quod antea in Themistij doctrina proponebamus, quomodo intellectus recipiens, siue materialis, qui etiam potentia esse dicitur, æternus sit, & an singulorum hominum quidam proprius, hoc eodem loco ita explicat, vt dũ vitare vult ea in quibus Themistius hęret, in alia incidat, quæ neq; ab illo sunt declarata satis, neque Aristoteli consentanea. Locum eius fideliter describam, ne quid in re ambigua & obscura comminiſci nostra interpretatione videamur. Quia ex superioribus opinari possumus, inquit, intellectum materialem esse vnicum in cunctis indiuiduis, possumúsque adhuc existimare humanam speciem esse æternã, vt in aliis locis declaratum fuit: ideo oportebit intellectum materialem non posse denudari, à principiis vniuersalibus natura notis vniuersæ humanæ speciei. Dico autem primas illas propositiones illósque conceptus proprios particulares, qui cunctis communicant rebus. Quoniam huiusmodi intelligibilia sunt, vtique vnum ratione recipientis, plura verò ratione ipsius conceptus recepti. Ea igitur ratione qua sunt vnica in ipso, sunt vtique æterna: cùm ipsum esse non separetur à subiecto recepto, hoc est ab ipso mouente, quodquidem est ipsa intentio, seu conceptus formarum imaginatarum, nullúmque reperitur ibi prohibens ratione ipsius recipientis. Idcirco nullam habebit generationem & corruptionem, nisi ratione pluralitatis, quæ eis accidit, & non ea ratione qua sunt vnum in ipso. Et idcirco si corrumpitur aliquid primorum intelligibilium, seu primarum notionũ, propter corruptionem subiecti ipsius, qno coniungitur nobis, & copulatur, & est vnum & verum, ratione scilicet & respectu alicuius indiuidui, tunc oportebit illius intelligibile esse absolutè incorruptibile, sed corruptibile ratione ac respectu vnius indiuiduorum. Hac ergo ratione possumus dicere, intellectũ speculatiuum esse vnicum in cũctis indiuiduis. Et alio loco cùm etiam de intellectu materiali siue

potentiæ

potentiæ explicare conatur quod Aristoteles affirmat cap.5. libr.3.de Anima,intellectum non esse eiusmodi vt aliquãdo intelligat, aliquãdo non, ita scribit.Intellectui qui dicitur materialis, inquit,non accidit vt quandoque intelligat,quandoque non,nisi respectuformarum imaginationis, existentium in vnoquoque indiuiduo, non respectu speciei.Verbi gratia,quod non accidit ei,vt quandoque equum intelligat quandoque non,nisi in respectu Socratis & Platonis. Simpliciter autem & respectu speciei,semper intelligit hoc vniuersale:nisi species humana deficiat omnino:quod est impossibile. Hæc verò est illa capitalis sententia, quæ à nobis notata est in disputatione Reginaldi Odonis Itali,de animi immortalitate,quam Latinam fecimus.Si quis (inquit Odo,Auerroëm, vt opinor, secutus)hac ratione nos vrgeat, quòd cùm intellectus sine visis nihil intelligat, necessariò efficiatur vna quoque cum visis interire: poterit hoc responderi. Cùm intellectum à corpore separari posse volumus,id non ita accipiendum,quasi per se omnino esse possit sine vllo corpore: sed quod ex huius natura non pendeat,nec vna cum eo intereat,sed ipse æternus sit & immortalis,cùm in singulos homines interitus cadat.Sicut omnes concedimus,lumen Solis ab aëre & aqua posse separari: non quod sine corpore perlucido esse possit,aut apparere, sed quoniam illud natura sua ex his non pendet, neque cum hoc aut illo corpore perlucido perit. Quod in intellectu,quàm in lumine nobis esse debet certius, quoniã ille substantia quædam est: lumen autem affectio tantùm. Illúmque Aristoteles vnum esse arbitratur,per vniuersam humanam naturã fusum & assistentem:vt quãquam modò hic,modò ille intereat,aut horum hominum visis in intelligendo non amplius vtatur, in aliis tamẽ conseruetur,eísque assistat. Quodquidẽ Odonis dictum,etiamsi valde placeat cuidam Simoni Simonio Lucensi, in disputatione contra Schegkium,tamen si accuratè expẽdatur, nihil aliud significat,quàm intellectum hunc semper intelligere, non in certo aliquo hominum singulorum,sed in specie tãtùm:ideóque immortalem probari, quòd in perpetua rerum singularum successione,per æternam generationẽ conseruetur. Quomodo certè humano intellectui immortalitas cum cæteris rebus in Aristotelis doctrina esset communis, nõ eius ita propria, vt per hanc à reliquis rerum naturalium formis possit separari: quod tamen Aristoteles locis infinitis videtur indicasse.Nam & eadẽ ratione hic quamlibet speciem æternã esse vult,etiamsi res singulę intereant. Quia rerum singularum perpetuam generationem ponit, in qua tanquam in fluuio sempiternitatis, ipsa species æterna conseruatur. Eiusdem Auerrois melior sententia est de intellectu agente,eáq; non nihil continet,quod ad Christianam religionem rectè transferri

potest. Nam libro de animæ beatitudine, postquam intellectum iterum distinxit in materialem & abstractum, Cap. 4. materialem eum esse docet, quem Aristoteles in nobis nouæ tabulæ similem facit: abstractum verò, quem idem agentem nominat. Atque statuit materialis intellectus beatitudinem in eo consistere, vt se vniat cum abstracto & agente. De qua vnione ad finem capitis ita concludit. Virtus rationalis quæ est in homine, inquit, non est ipsa eadē in se intellectus in actu, nec per naturā suæ essentię: sed intellectus agens reducit eā in intellectū in actu, & concedit ꝙ alia sint intelligibilia in actu. Et cùm rationali virtuti acciderit, vt sit intellectus in actu, ascendet tunc ille intellectus in actu, ad assimilationem rerum abstractarum, & intelliget suum esse, quod est actu intellectus: & tunc relinquetur suum intelligibile esse intelligens: & etiam intellectus intelligibile & intelligens, erit tunc vnum & idem in hoc, & reducetur in essentiam gradus intellectus agentis. Nam erit tunc intellectus materialis, & hæc sunt vnum in esse, & tria in dispositione. Deinde hoc illustrat similitudine eiusmodi. Scis quod comparatio intellectus ad hominem, inquit, est sicut comparatio Solis ad sensum visus. Et vt Sol dat visui lucem, & postea per hanc lucem quam recipit videns à Sole, efficitur *videns* ipsum Solem in actu, & omnes colores qui erant apparentes in potentia, efficiuntur apparētes in actu: similiter intellectus agens facit. quia tribuit homini esse impressum in virtute rationali, quod habet comparationem cum anima rationali, quam habet lux cum visu. Et cum illa eadem re intelligit anima rationalis, id quod fecit eam intelligere: & reducuntur per hoc ea quæ erant potentia intelligibilia, ad actu intellecta. Et reducitur vt sit ipsa idem cum intellectu agente, & efficitur intellectus quod non erat prius, & reducit se ad intelligibile, hoc est vt intelligat se, quod non erat prius. Igitur reducuntur omnia hęc quæ tria sunt, in vnum, quando sunt in actu: & res quę erat attributa materiæ, reducitur ad esse diuinum. Hæcque est actio quam facit intellectus agens, & hinc vocatus est agens. Atque quando ad hunc peruenimus gradum, completa est nostra beatitudo. Neque verò minus obseruandum est, quod de ordine principiorum capite quinto idem subiicit, eorum sex gradus esse altos & supremos, in quorum vnoquoque species aliqua contineatur. Vt prima causa sit in gradu primo, secunda in secundo, intellectus agens in tertio, anima in quarto, forma in quinto, materia in sexto. Quod est in primo gradu, inquit, non potest esse plura, sed omnibus modis est vnum solum separatum: quæ autem sunt in aliis, sunt plura. Et horum quidem tria neque sunt corpora, neque ad corpus, videlicet prima causa, secunda

causa,& intellectus agens: tria autem alia licet non sint corpora,sunt tamen ad corpus,videlicet anima, forma, & materia. Genera autem corporum sunt sex, videlicet corpus cœleste, rationale animal, irrationale animal,vegetabile,minerale & quatuor elementa. Summa verò ex his sex generibus composita,est mundus: cuius propriam & primam causam credendum est esse altissimum Deum benedictum. Ipse enim est causa propinqua essentiæ secundorum, & essentiæ intellectus agentis. Secunda verò, sunt causæ corporum cœlestium, & ab his proueniunt substantiæ horum corporum. Essentia enim cuiuslibet corporis cœlestis dependet à quolibet secundorum. Nam supremum secundorum in gradu, constituit esse primæ sphæræ: infimum,constituit esse Lunæ: media quoque quæ sunt inter hæc, constituunt esse cæterarum sphærarum quæ sunt inter has. Et numerus quidem secundorum,est secundum numerum corporum cœlestium. Cùm verò dico hîc numerum, debes intelligere per modum causarum & causatorum. Scis namque causam quæ non est corpus,non recipere numerum, nisi per modum quo est causa corporum numeratorum.Hæc autem secunda,sunt quæ dicuntur Angeli.Et intellectus quidem agens habet de sua virtute & opere prouidentiam,quę est in animali rationali: & apprehendere quidem illum,est vltimus gradus perfectionis animæ nostræ, quia illud est finis & nostra beatitudo. Contingit autem hoc cùm separatur, nec eget in suo esse, re quæ sit sub ea, vt est corpus, materia vel accidens: & in hac perfectione remanet semper. Et substantia quidem intellectus agentis, est vna, quamuis suo gradu contineat id quod dependet ab omnibus animalibus rationalibus receptiuis beatitudinis. Et hoc est quod vocatur Spiritus sanctus. De quibus vt illud in Christiana religione flagitiosum est quod intellectum agentem, quem Spiritum sanctum vocat,vno gradu inferiorem Angelis esse vult: sic alia permulta sunt quæ lubens amplector: quæque tantum diuinitatis habere videntur, vt verendum sit,ne Aristoteles naturæ genius, suo lumine ad ea non potuerit peruenire.Quanquam hæc magna ex parte doctrinæ Platonicæ de ascensu animæ ad Deum, consentanea sunt & illis quæ scribuntur libris de Republi. ipsum bonum iis quæ intelliguntur dare, non solùm vt cognoscantur,sed etiam vt sint.Et alio loco, ipsum bonum huiusque filium ad intellectum nostrum, & ad ea quæ intelliguntur se habere vt Solem ad oculos,& ad ea quæ aspectabilia sunt: quod quidem præstat vt & illi videre, & hæc videri possint. Apertius est quod in eandem sententiam scribit Proclus libro de Anima,& dæmone,Intellectū ipsum circa nos semper agere,semperque prębere intelligentiæ lumen,atq; etiam priusquàm in conditioné labamur

irrationalem: Et quando in passionibus vitam degimus, imò passionibus quandoque sedatis, nos non semper animaduertere, sed quando à plurimo generationis tumultu purgati sumus, atque tranquillè viuimus. Tunc enim, inquit, intellectus nobis affulget: tunc quasi nobiscũ loquitur, tunc suam nobis communicat vocem, antea silẽtio præsens.

Pomponatius de animi mortalitate.

Superiorem Auerrois opinionem de vnico intellectu tã agẽte, quàm possibili, rectè reprehendit Petrus Pomponatius libro de Animę immortalitate, negátque pictores aut Poëtas, quibus

Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas,

quicquam vnquam finxisse, quod magis mõstrosum videri possit. Sed illi eam pro sua subiicit, in qua iustam reprehensionem vitare non poterit: & de immortalitate ita disputat, vt ipse animæ mortalitatem sibi persuasisse, cæteris verò eandem probare voluisse videatur. Atque quanquam extrema eius libri pagina (sicut & libro altero de Incantationibus) rem omnẽ, vt ait, Romanæ Ecclesię arbitrio iudicioq; permittat: dubitando tamẽ in ea incidit quæ Christiano vel cogitare nefas. Præsertim cùm cap. 14. dicere audet à Legumlatoribus fortasse cõfictam opinionem de animæ immortalitate, vt hac suos in officio cõtinerent. In qua aut totus mundus decipitur, aut huius pars maxima. Nam suppositio, inquit, quod tantùm sint tres leges Christi, Mosis, & Mahumeti, aut omnes falsæ sunt, & sic totus mũdus est deceptus; aut saltem duæ earum, & sic maior pars est decepta. Quid vel hac sola dubitatione, in Christiana schola cogitari potest pernicioſius? Verùm non id agimus hoc tempore, vt quid in religione nostra pro rato habendum sit, statuamus: sed de quæstione proposita quæ fuerit Aristotelis sententia exquirimus. De qua Pomponatium audiamus. Hic cap. 9. libri eiusdem, ponit apud Aristotelem reipsa idem esse principium quo alimur, sentimus, intelligimus: sed cùm alij dixerint illud immortale esse sua substantia & absolutè, mortale secundũ quid, nempe secundũ eas operationes in quibus necessariò communicat cũ corpore, quales sunt sensus & nutritio, quas amittit cùm ab eodẽ separatur: Pomponatius contra, vult in Aristotelis doctrina hoc absolutè, suáque substantia esse mortale, veréque simul cum corpore incipere, & cum eodem desinere, secundum quid autem immortale dici, quia in intelligendi munere quadam ex parte accedit ad cœlestes intelligẽtias, quæ immortales sunt, & à corpore separabiles, vel etiam separatæ. Cúmque de formis quæ præditæ sunt facultate cognoscendi, quædam, vt idem ait, indigeant corpore, vt subiecto & vt obiecto, velut sentientes, aliæ neque vt subiecto, neque vt obiecto, cœlestes scilicet intelligentiæ: hominis intellectum vult inter has duas differentias medium esse. Quoniam corpore vt subiecto non indiget:

at,vt ait,ſine corpore obiecto non poteſt intelligere,nempe ſine viſis quæ de corporibus ipſis ſunt excitata.Quo poſito facillimum eſſe arbitratur dicta omnia Ariſtotelis retinere,eáque conciliare quæ in illis repugnantiæ quādam ſpeciem præ ſe ferunt. Intellectus enim,inquit, abſolutè & quâ intellectus eſt, omnino immixtus eſt & ſeparatus. At humanus,vtrúnque retinet.Nam ſeparatur à corpore vt ſubiecto: non ſeparatur vero ab eodem vt obiecto. Intellectus etiam quâ intellectus, nullo modo eſt actus corporis organici, quoniam intelligentiæ non indigent organo in intelligendo: intellectus vero humanus quâ humanus, actus eſt corporis organici vt obiecti, & ſic non ſeparatur: verum non vt ſubiecti, & ſic ſeparatur. Atque quod Ariſto. ſcribit cap.3. lib.2. de Animalium ortu, ſolam mentem extrinſecus aduenire, id ille eodem loco intelligendum eſſeait, de mente ſimpliciter,non de humana: vel ſi de humana intelligatur, id non abſolutè eſſe accipiendum, ſed vt in eo ordine quem habet ad alentem & ſentientem, maioris diuinitatis eſt particeps. Quod quidem commentum quia illi placet, ſi fortaſſe in Ariſto. propter ſummam huius obſcuritatem præſertim in parte hac, concedi potuiſſe quis arbitratur: cur doctrinæ Peripateticæ finibus ille ſe non continet? Cur cap.13. contra hanc opinionem eas dubitationes affert,quarum pars maxima ad noſtram religionem pertinet, Ariſtotelem vero nullo modo poteſt áttingere? Cur in iis explicandis cap.14. pleráque aſſumit quæ Peripateticis & veteribus Academicis omnino aduerſantur? Equidem hæc in Pomponatij ſcriptis diligenter conſiderans, ſoleo vereri ne in quæſtione omnium maxima hic Ariſtotelis obſcuritate inuolutus, maius aliquid moliatur, & quo haud ſcio an quicquam eſſe poſſit humanæ ſocietati perniciosius. Ideóque minimè mirum eſt penè vno eodémque tempore in illam opinionem tam multos,quorū ſcriptis abundamus, eſſe concitatos: qui non ſolum aliud Ariſtoteli viſum eſſe docere conati ſunt, ſed id multò magis cauere, ne eiuſmodi diſputationum licentia, non tam Ariſtotelis doctrina labefactari,quā religionis noſtræ prima fundamenta peti viderentur. Petro Pomponatio Mantuano, ſucceſſit Simō Portius Neapolitanus,qui in eadem quæſtione de humana mente illo paulò moderatior prima fronte videri poteſt: ſed tamen in eo apertè conſentit quod animam quæ ſingulis hominibus ineſt,horúmque eſſentiam cōplet & abſoluit,apud Ariſto. ſubſtantia ſimplicem,facultate triplicem eſſe vult, & abſolutè à corpore inſeparabilem & mortalem.Nominatímq; ſcribit cap.8. ſententiam eorum,qui partem qua intelligimus à reliquis ſeparatam & immortalem eſſe dixerunt, pium eſſe inuentum eorum qui dolent vicem noſtram: quale,inquit, à Chriſto opt.Max. accepimus. Quod

Simon Portius de humana mente.

ad Pomponatij licentiam proximè videtur accedere. Sed tamen quid ab illo ad ſuperiora adiectum ſit conſideremus. Hic cap.5. diſputationis ſuæ poſtulat ſibi concedi ex Ariſt. doctrina, corruptibilium eſſe corruptibilia principia, æternorum æterna: operationeſque corruptibiles à formis corruptibilibus, æternas ab æternis manare. Et quia homo corruptibilis eſt, hominiſque alterum principium in anima, cuius operationes omnes idem corruptibiles eſſe vult, ex his cõcludit hanc quoque omnino corruptibilem eſſe oportere. De diſtinctione autem intellectus in poſſibilem, & agentem ſic ſtatuit. Capite 6. eos reprehendit qui has duas ſubſtantias diſtinctas eſſe arbitrantur, & earum vtramque æternam: ſicut & alios qui contra, eiuſdem ſubſtantiæ has duas facultates eſſe volunt, ratione tantum diſtinctas. Atque amplius cap.7. negat Ariſtotelem vllo loco intellectum poſſibilem ſubſtantiam eſſe voluiſſe: ſed tantum cognoſcendi quandam facultatem, quam ex Sectione 30. probl. animæ datam eſſe ait velut inſtrumentum, ſicut & manum corpori. Apud eundem tamen fatetur intellectum agentem ſubſtantiam eſſe actu exiſtentem eandémque non modo à corpore ſeparabilem, ſed etiam ſua natura ab illo ſeparatam. In quorum priore neſcio an ille ſibi conſtet, aut ſatis aperte exprimat quod ſentit. Quoniam eodem cap. intellectum poſſibilem, quem nobiſcum interire ait, ſubiectum ſcientiæ nominat ipſamque intellectus ſubſtantiam eſſe vult, non huius operationem tantum. Imo Simplicium in eo reprehendit, quod voluerit corrupto homine perire poſſibilitatem intellectus tantum, non ipſam eiuſdem intellectus ſubſtantiam. Aperte enim, inquit, aduerſatur verbis Ariſtotelis, qui dixit aliquid interius corrumpi: quod de interiore intellectus ſubſtantia interpretatur. Idem cap.20. intellectum potentia ab agente diſtinguit, quod ille ratione tantum ſeparabilis ſit, reipſa vero ſimul cum corpore intereat: Intellectus autem agens ſubſtantia ſit & actus ſolùm, ſeparatus ſecundum rem & ſecundum eſſentiam: quódque ille pars animæ noſtræ ſit, hic vero minime. Tandem vero qualem intellectum agentem eſſe putet eodem capite ſic explicat. Congruum eſt, inquit, vim quandam diuinam diſſeminari & inſpergi materiatis rebus, qua res fiunt intelligibiles. Quam quidem virtutem Ariſto. vocauit ſubſtantiam ſeparatam & æternam, Alexander Deum, complures intelligentiam orbem Lunæ agitantem, poſteriores crediderunt eſſe intelligentiam infra cælum hominibus deſtinatam, vel ad eſſe, vel ad intelligere neceſſariã. Deinde cum quæri poſſet quo modo Deus hic vel intelligentia, in nos influat ad formandam intellectus noſtri operationem, cùm apud Peripateticos Deus & diuinæ mentes non dicantur agere in hæc inferiora niſi per cæli

motum & lumen: hoc ille eodem loco ex sua sententia sic explicare conatur. Cælum quod à Deo motu circunducitur, inquit, in hoc mũdo qui est circa terram, virtutes, vt decet materiam, communicat omnibus corporibus corruptioni obnoxiis, alterando, quibusdam nobiliorem formam, aliis ignobiliorem præstans. Sed intellectui potentia, qui est veluti instrumentum animæ, non motu & lumine formas & intellecta reponit: verùm vt est intellectus actu, materialibus intelligibilibus, quasi instrumentis quibus in intellectum potentia operatur, dispergit vim quandam qua intellectus potentia perficitur & illa fiunt intellecta. Hanc virtutem Aristo. vocat substantiam in actu, quam semper Deus prẹsens rebus, vt ab intellectu potentia recipi intelligibilia possint, elargitur. Et quemadmodum dicimus lumen esse substantiam solis quod nobis Sol semper præsens eiaculatur, quãuis sit accidens: similiter vis illa est ipse Deus, quæ ipso præsente disseminatur in formis materialibus. In quibus nescio profecto an ista satis inter se consentiant, intellectum agentem substantiam esse & actum solum, separatum secundum rem, & secundum essentiam atque hoc ipso differre ab intellectu possibili, quod paulò ante ex huius Portij sentẽtia dictum est: eundémque ad Deum se habere vt lumen ad Solem: quod quidem reuera accidens est tantum, etiamsi ab iis qui minùs exactè indicant, pro Solis substantia nonnunquam habeatur. Ex his vero intelligi potest Portium de intellectu agente relicta Põponatij opinione magna ex parte cùm Themistio, & Auerroe sentire, in altero autem intellectu qui possibilis nominatur, eũdem ad Petrũ Pomponatium potius quam ad Themistium aut Auerroẽ accedere. Ergo huic intellectus agens vnicus, & secundum substantiam extra nos, communicatione tantùm sui luminis in nobis, solus est æternus & immortalis, nec in nobis substantiæ partem constituit, sed eius formæ quæ singulis est propria, actionem perficit, virtutis suæ quasi radiis illustrando intellectum possibilem qui sine illo nihil potest intelligere. Possibilis autem intellectus facultas est animæ rationalis. Hæc vero anima re eadem cum alente & sentiente, à corpore absolutè inseparabilis est & mortalis. Quibus positis quo modo ille ea quæ ab Aristo. de duplici intellectu dicuntur, conciliare conetur, audiamus. Capite 15. scribit intellectum potentia datum esse à natura, & ab homine generante: verum cum sit absoluta & simplex potentia, & ante ipsum intelligere nullum habeat actum, omnem huius actum esse ab extrinseco, nempe ab intelligibili & ab intellectu qui dicitur agens. Habet enim ab hoc, inquit, actum primum qui est vt scientia, habet & actum secundum, ipsum considerare & intelligere. Atque idcirco cum Aristoteles

dixit ſolam mentem extrinſecus aduenire, illum loquutum eſſe vult de intellectu quem vocat in actu. Quoniam omnis actus, ait, ab extrinſeco eſt: ab intrinſeco autem nuda illa potentia, nullum habens actum. Nec idem dixit de ſenſu. Quoniã huius primus actus eſt à generante, & ſolum ſentire extrinſecus aduenit ab ipſis ſenſibilibus. De intellectu ergo ait ſolam mentem extrinſecus aduenire, quoniam omnis huius actio manat ab exterioribus intelligibilibus, & ab intellectu agente. Quo vno loco, propoſiti defendendi obſtinatum ſtudium, pace eius dixerim, multa videtur in Ariſtotelis doctrina monſtroſa parere. Illic enim haud dubiè Ariſtoteles per mentem intelligit hominis actum primum, qui in huius conformatione ad principium ſentiendi accedens, ex animali, vt ait, hominem facit. Sicut ex eo poteſt intelligi quod paulò ante eodem capite dixerat, conceptus animalium in vtero primùm viuere anima alente, deinde procedente tempore ſentiẽtem recipere, per quam eſt animal, & rationalem per quam homo. Non enim, inquit, ſimul fit animal & homo, nec animal & equus. Quibus poſtea idem ſubiicit differẽtiam eſſe inter hos tres actus, alendi, inquam, ſentiendi & intelligendi: quos progredientre tempore conceptus recipit. Quoniam priores duo quorum operatio (in qua ſecundus actus eſt) cum corpore neceſſariò communicat, per ſe ipſi accedere non poſſunt, cùm inſeparabiles ſint. Sola mens extrinſecus accedit eóque ſola diuina eſt: quia cum eius actione nihil communicat actio corporis. Atqui ex eodem Ariſto. didicimus cap. 1. lib. 2. de Anima, formam quæ cuiúſque rei eſſentiam perficit, nudam ſimplicémque potentiam non eſſe, ſed potius actum primum materiæ potentiam informantem eandémque, vt ſic dicam, quaſi actuantem. Quanquam hæc ipſa forma cum eis operationibus comparata quarum principium eſt & cauſa, ad has in quibus rei cuiuſque naturalis ſecundus actus conſiſtit, potentiam habet adiunctam, quã Ariſt. obſeruans, intellectum nudæ tabulæ ſimilem, videtur poſſibilem appellaſſe. Ergo hoc primũ Portius mihi peccare videtur, quòd locum Ariſtotelis de ſecundo intelligendi actu interpretatur, qui de primo, hominem conſtituente & à reliquis animalibus ſeparante, erat intelligendus. Deinde quod mentem extrinſecus aduenire, eſſe vult intelligendi actum ab externo intelligibili, & ab intellectu agente excitari. At Ariſto. mentẽm vſurpat pro ſubſtantia hominem perficiente, ab hácque manifeſtè diſtinguit operationem, quam Portius vocat intelligendi actum, ab intelligibili & ab intellectu agente excitatum. Nec Ariſto. ipſe dixit intelligendi actum extrinſecus aduenire, ſed mentem. Hoc vero de mente ex eo confirmat quòd intelligẽdi actus in quo eſt propria mentis operatio, cum corpore nihil communicet.

Quæ

Quæ ſententia vno quoque conſenſu noſtrorum theologorum videtur eſſe firmata. Moueor etiam eo quod iſta in Portio mihi non ſatis videntur inter ſe conſentire, omnem actum eſſe ab extrinſeco, nudam autem potentiam ab intrinſeco: & primum ſenſus actum eſſe à generante, vt ab intrinſeco: ſolum autem ſentire (in quo actus ſecũdus eſt) extrinſecus aduenire, nempe ab ipſis ſenſibilibus. Quorum tamen vtrunque ille paucis verbis interiectis affirmat. Neque abſolute verum arbitror ſecundum ſentiendi actum à ſenſibilibus aduenire. Alioqui quod in ſenſibus eſt perfectiſſimum, id obiectis agentibus, animæ patienti erit tribuẽdum. Quod nemo in Peripateticorum ſchola mediocriter verſatus admiſerit. Iam vero vt primus ſentiendi actus apud Ariſto. dicitur ipſa anima ſentiens: ſic opinor primus intelligendi actus erit animæ in nobis intelligentis ſubſtantia. Niſi forte in propoſito adeo cæcutimus, vt fateamur quidem belluas aliquid in ſe habere interioris ſubſtantiæ, per quod ſint id ipſum quod ſunt: in nobis vero ſupra eas nihil quod ſecundum eſſentiam ſuam reuera inſit, agnoſcamus, ſed id totum quo illas vincimus, nouum quotidie velimus extrinſecus aduenire, nullam eſſentiæ noſtræ partẽ vel principium facere. Illas igitur duas ſubſtantias quæ ſingulæ in ſuo ordine primi actus ſunt, in ſuperiore Ariſtotelis loco inter ſe comparare oportuit: ſicut certè Ariſto. ipſe comparauit: non autem eſſentiam animæ ſentientis cum ſcientia intellectus, vel cum eiuſdem contemplandi munere ab habitu ſcientiæ manante. quorum neutrum actus primus eſt, ſi cum intelligentis animæ eſſentia conferatur. Quod tamen facile eſt videre Portium hoc loco feciſſe. At ſi ſecũdum actum intellectus, in contemplando poſitum, cum ſecundo actu ſenſus, in re ipſa videndo, comparauiſſet: facile deprehendiſſet ex fundamentis eius rationis quam confingit, non minus ſenſum extrinſecus aduenire quàm intellectum. Quoniam vt re ipſa videamus (in quo ſentiendi ſecundus actus eſt) indigemus obiectis exterioribus, & lumine extrinſecus aduenientе ipſúmque oculum & rem obiectam illuſtrante. Illud etiam explodatur quod idem ſcribit cap. 23. in illo ſuperiore Ariſto. loco, in quo mentem extrinſecus aduenire dixit, mentis nomen non ſignificare ſubſtantiam, ſubſtantiæúe partem, ſed tantum animæ facultatem. Nam ſi facultas tantum eſt, non ſubſtantia, quorſum igitur ab Ariſto. confertur cum ſubſtantia animæ eius quæ prius plantam quàm animal, vel prius animal quàm hominem conſtituit? Aut ſi facultas eſt, cuius erit ſubſtantiæ? Eius certè quæ in nobis eſt, quæque nobis non minus propria quam animali ſua anima ſentiens. De hac igitur, de hac inquam animæ ſubſtantia cui ineſt facultas intelligendi, definiendum erat, ſi modo poterat definiri, ex

Arist. quod hic eodem cap. & lib. 12. Metaph aliisque locis pemultis significat philosopho naturali non satis esse perspectum, vtrum ea cũ corpore inceperit, & cũ eodem sit interitura: an potius ab eo separata, immortalis futura: & si cum corpore incepit, an in illo sicut cęteræ ignobiliores formæ, cõmuni virtute cælesti in hæc inferiora agente, excitata sit, an potius specialiore quodãmodo extrinsecus aduenerit. Quam quidem substantiã si Simon Portius apud Arist. esse arbitratur re vnam cum ea qua sentimus, & alimur, eandémque sicut initio dictũ est, cum corpore interituram, ille viderit quo modo hæc cõsentiant cum eo quod ipse quoq; scribit, cap. 17. iterúmque repetit, cap. 23. & 24. illam siue substantiam, siue facultatẽ animæ intelligentis verè dici ab Arist. plerisque locis immixtam & impatibilẽ: quod eius operatio cum actione corporea nihil cõmunicet. In quo magistri Pomponatij opinionẽ deserit, & illud peruertit quod apud Arist. cap. 1. lib. 1. de Anima, huius disputationis fundamentum cõtinet. Si intelligere, inquit, Arist. aut actio est eius partis animi in qua visa imprimuntur, aut sine ea non est, certè sine corpore constare nullo modo potest. At si quod est munus, aut si qua affectio animæ propria, hæc separari potest. In hoc enim quis non videt illum agere de separatione animæ, sine corpore hoc manentis & liberius eam actionem edentis, in qua corpore hoc impeditur potius quàm adiuuatur

Cardanus de intellectu agente.

Hieronimus Cardanus in eadem quæstione quanquã verbis infectetur Themistij, & Auerrois opinionem de vno cõmuni intellectu agẽte, in eam tamen videtur incidere, aut in alterã illa etiam deteriorem, cum scribit lib. de animæ immortalitate, Intellectum vnũ esse sub luna, eúmq; nõ esse humanũ, nisi quatenus ab homine vt materia suscipi potest: ingredi in hominem, eóque fieri vt homo intelligat: eundẽ etiam intellectum belluis imminere eásq; ambire: at ipsi non patere aditum, propter materiæ ineptitudinẽ. Igitur illum hominem intus irradiare, circum belluas extrinsecus collucere: neque alia re hominis intellectum ab intellectu differre belluarũ. Idcirco belluas ea omnia habere inchoata, quæ in homine sunt perfecta. Neq; vero magis placet quod de separatione intellectus à corpore, idem sic scribit lib. 14. de Subtilitate. Ipse intellectus, inquit, omnino à corpore per se separatus est. Nunc enim dum hæc scribo, meus intellectus est ea quæ per scripta hæc, tu intelligis: dúmque medica pertracto, medicinam: dum de numeris scriberem, tunc numerus erat. Adeo quod aliis omnibus qui diuersa scripserunt, euenire necesse est, vt dum mea relego scripta, alius mihi fuisse videar ab illo qui nunc sum. Ludit etiam magis nescio qua subtilitatis specie, in eo quod sequitur. Cum dormit homo, inquit, aut adhuc est infans, aut ebrius, licet videatur o-

tiari, intelligit, sed non fit operatio habenti communis: nam cum resipiscit, absque negotio rursus intelligit. Æterna igitur est forma intellectus: quoniam noster intellectus dum hæc legis & contemplaris, manet & est, eadémque sunt, formæ scilicet ac species rerum vniuersalium vsque in æternum. At de eo quod secundum essentiam in nobis est, & naturæ nostræ principium alterum continet, à quo vnusquisque nostrum habet id ipsum quod est, non male libro superiore de animæ immortalitate videtur sic constituere, immortale ab Aristotele hoc esse positum, sed id dubitationem parere, quod naturalis scientiæ, quam Aristoteles ipse constituit, principia si sequimur, non omnia in huius immortalitatis confirmationem consentiant. Ex quo veterum interpretum opiniones, sicut antea significauimus, in contrarias partes sunt distractæ & in hac ipsa contrarietate recentiores conciliationem aliquam in Aristotelis doctrina quærentes, ea monstra confinxerunt quæ in superioribus sunt notata. In quibus omnibus dum attentè inquiro quid sequendum sit, locorum variorum diligenti comparatione, lubens mihi persuadeo Aristotelem in substantia eius animæ quæ nobis singulis inest, quæque corpus hoc, quo constamus, informat, aliquid agnouisse reuera separabile & immortale. At cum persuasionem hanc reuoco ad consensum vniuersæ doctrinæ Peripateticæ, quia circa eam nonnullæ quæstiones occurrunt, quæ neque ab Aristotele tractatæ sunt, neque seruatis principiis physiologiæ quam hic nobis reliquit, videntur explicari posse: cogor dicere hoc mihi satis non liquere. Et fortasse ipsi Aristoteli modo naturam sequenti, modo diuinius quoddam lumen adhibenti, in hac quæstione non satis definita erant omnia: aut eidem in hac re, sicut in aliis nonnullis, metuenti ne quid in communem religionem, aut in opinionem multorum consensu firmatam peccaret, parum tutum esse videbatur de eo quod in quorumuis hominum societate tantum habet momenti, sententiam suam aperte explicare. Et tamen apud hunc certum est formas omnino naturales (quas idem naturas absolutè solet appellare) etiam si materia sua longe diuiniores sint, quia tamen in agendo eidem sic addictæ sunt, vt sine hac nullo modo possint agere: idcirco ab eadem separatas manere omnino non posse. Vt si apud eundem anima nostra absolutè natura esse dicatur, id est forma omnino naturalis, & in omnibus suis functionibus necessario cum materia communicans, aut hac indigens à qua in suis functionibus adiuuetur: nemini dubium esse possit, quin si in huius doctrina consentanea dicere volumus, animam quoque fateri oporteat omnino à corpore inseparabilem & mortalem. Hinc nata est illa dubitatio capite primo libri primi

de partibus animalium, An sit physici de omni anima agere? Quam eo loco obiter ita explicat, vt cum manifestè de ea agat quæ in nobis est, satis tamen indicet illius partem siue facultatem, qua ratiocinamur & intelligimus, absolutè naturam non esse. Lege attente cap. 3. lib. 2. de Animalium ortu, faciléque animaduertes Aristotelem eo loco agere de mente quæ hominem constituit, quæque non minus verè secundum substantiam est in singulis hominibus, quam anima equi in singulis equis. Et tamen apertè fatetur hanc cum principio alẽdi & sentiendi comparatam solam extrinsecus aduenire solámque immortalẽ esse, & à corpore separabilem. Quia, vt ait, eius actio non cõmunicat cum corpore. Hoc vero id ipsum est quod modo dicebamus significati cap. 1. lib. 1. de partibus animaliũ, illam non esse nudam simplicémq; naturam. Quibus positis ratam habere videmur ex huius sententia assumptionem eius ratiocinationis, quæ vt antea dictũ est, apud eundem homini physicè rem spectanti, regula est non incerta ad iudicandum de quæstione proposita. Nam cũ cap. 1. lib. 1. de Anima, axioma hoc connexum vsurpat, Si quod est munus & si qua affectio animæ propria, is separari potest: sin nullum eius propriũ est, separari nõ potest, nemini vt opinor dubiũ est, quin loquatur de ea anima quæ secũdum essentiã in nobis est, & de separatione huius per quam existit cũ è corpore excessit, per se satis potens ad edendã actionem, in qua quãdo erat adhuc in corpore, cũ hoc tamen non cõmunicabat, sed eo impediebatur potius quã adiuuabatur. Itaq; ad iudicãdum de Arist. sententia in quæstione de animæ immortalitate, hoc vnũ reliquum esse videbatur, vt cõstaret, num actionem aliquam animæ propriã agnosceret, ad quã edendam hæc corpore non egeret. In quo nunc nõ tam quærimus an reuera talis eius actio aliqua sit, quã an illam Aristo. esse existimauerit. Hoc vero illum existimauisse iam in superioribus aliquot eius locis significatum est, qui nobis in vnũ colligẽdi sunt & attentius considerandi, vt quod volumus apertius intelligatur. In quibus illud nõ leue est quòd scribit cap. 4. lib. 1. de Anima, intellectum ipsum, qui substantia quædã est, videri aliundè aduenire ac non interire. Maximè enim, inquit, ab eo marcore qui in senectute accidit, interiret. Nunc autẽ id contingit quemadmodum in sensuum instrumẽtis. Si enim senex oculum iuuenis reciperet, nõ minus acutè videret quam iuuenis. Quare senectus accidit, nõ quod anima aliter affecta sit quã prius, sed quia corpus in quo est: sicut in ebrietatibus & morbis contingit. Vbi cum agat de his siue partibus, siue facultatibus animæ, quæ secundum substantiã in nobis sunt, hoc etiam significat quod adhuc non nisi dubitando proponit, substãtiam eius principij quo ratiocinamur & intelligimus, quanquã in suo munere marcesce-

re extrema senectute videatur, extrinsecus tamẽ aduenire, nec interire. Clarius est quod sequitur, & tamen adhuc cum eadẽ dubitatione coniunctum Quoniam de eo neque physicè facilè constitui poterat, neque ad constituendum locus ille erat accommodatus. Intelligere atque contemplari, inquit, Marcescit quidem aliquo interius corrupto: ipsum autem impatibile est. Cogitare verò, amare, aut odisse non sunt illius affectiones, sed huius habentis illud, quatenus illud habet. Quare cùm hoc interiit, illud nec recordatur, nec amat. Quoniã hæc non illius erant: sed totius communis quod interiit. Intellectus verò fortasse diuinum quiddam est, & impatibile. In quo ridiculum est, meo quidem iudicio, quod comminiscitur Simõ Portius cap. 12. suæ disputationis de mente, intellectus nomen adhuc confusè ab Aristotele vsurpari, nec distingui eum qui actu est ab altero qui potentia: agíque tantum de interitu qui fit à contrario, quẽ idem Portius nullis animæ partibus fatetur accidere: non de interitu qualitatũ vel formarum, dissoluto subiecto in quo sunt, etiam si illæ nihil sibi contrarium habeant, quem omnibus animæ partibus, siue facultatibus hic eodem loco asserit esse communem. Nam quoniam sententiarum cõnexionem toto illo capite attentè consideranti, dubium esse non potest quin, vt modo dictum est, differat Aristoteles de his, siue partibus, siue facultatibus, quæ secundum essentiam in nobis sunt: ex eo quoque manifestum est quando illa, cogitare scilicet amare, & odisse, cum subiecto homine interire ait, non solùm eum agere de specie interitus, quæ à cõtrario proficiscitur, sed & de altera quam parit subiecti dissolutio, etiam in iis quibus nihil est contrarium. Itaque hoc potius significare voluit, cùm homines animo contemplentur, cogitent, irascantur, & ament (sic enim eo loco dicendum censet, præsertim de tribus posterioribus, potius quàm animam cogitare, irasci vel amare) in illis tamen omnibus animam in suis partibus vel facultatibus, ad corpus & interitum, cuius ratio ex corpore pender, non eodẽ modo se habere. Quoniam in contemplando non omnino cum corpore communicat, sed quiddam habet suum, etiam si initio à phantasia (quam in corpore interius quiddam videtur appellasse) excitetur, cogitare autem amare & irasci omnino corpori addicta sunt. Ex quo hoc consequens intellectum, etsi in contemplandi munere extrema ætate, nonnihil cum phantasia languescere videatur, (sicut in delirantibus senibus experimur) nequaquam tamen interire. Quia ipse in se nihil patitur aut accipit, sed vt ait, diuinius quiddam esse videtur, illũ tamen cùm corpus interiit, amplius neque cogitare, neque discere, neque recordari, neque amare, aut odisse. Quoniam hæc, vt ait, non erant animæ propria, sed totius quod interiit. Quis autem, sicut antea

monuimus,dignum tanto Philosopho existimauerit, dicere intellectum à corpore separatum non recordari aut amare, si omnino nullus est sine corpore. Nec verò minus absurdum,quod tamen nonnulli elabendi causa fingunt, Aristotelem in vna eadémque sententia,cũ intellectum in cõtemplãdo, senectute marcescere ait,de eo agere qui in nobis est,quíque singulis est proprius. At cùm statim concludit intellectum fortasse diuinius quiddam esse,& in se nihil pati,statim resilire ad agentem,sua substantia externum & vnicũ. Cur enim de hoc intellectu separato(talem enim agentem iidem esse volunt, húncque aut Deum faciunt,aut Deo proximum) dubitando dixisset fortasse diuinius quiddam esse,aliis animæ partibus quæ corpori sunt addictę: cùm non possit hoc non esse omnibus lõgè certissimũ? Eadẽ est repetita dubitatio cap.1.li.2.de Anima, dubitationisq; ea ratio significata, quam nunc quærimus. Nam cùm animam definiuisset, vt naturalem formam suo corpori addictam, & cum eodem communicantem in organicis partibus,vel qualitatibus suarum actionum ministris, tandem hæc subiicit, illud quidem dubium nõ est,inquit,quin anima nõ sit à corpore separabilis,aut aliquæ eius partes,si ex partibus constat. Quoniam quædam eius partes corporis ipsius perfectiones sunt.Nihil autem prohibet aliquas esse separabiles: propterea quòd nullius certi corporis actus perfectionésque sunt. Idem significatum cap.2. libri eiusdem,De intellectu víque contemplandi, inquit,nõdum hoc constat,animísque genus aliud videtur esse: ídque vnum separari potest,quemadmodum id quod sempiternum est, ab eo quod interit.Iã igitur videamus, num hæc dubitatio sequentibus eiusdem sermonibus tolli possit. Aristoteles lib.3.statim initio cap.4.superiorem quæstionem repetit de ea parte qua ratiocinamur, & intelligimus, num separabilis sit omnino & reipsa,an ratione tantum. Deinde ita agit,vt cùm nemini(nisi fortè in proposito defendendo valde obstinato)dubium sit quin de ea loquatur, quæ secundum essentiam in nobis est, singulísque propria,quemadmodum anima equi, equis singulis:manifestè tamen confirmet hanc non esse mixtam, nec concretam cum corpore. In quo à sensu eodem loco ita distinguitur. Sensus, inquit, suo munere fungi non potest,postquàm res quæ vehementer sensum mouet,velut magnus sonus, color & odor,incidit:cùm intellectus ipse si quid intelligentia complectatur, quòd magnas habeat in intelligendo difficultates,nihilo minus imò verò acrius vel melius cætera intueri soleat.Ea enim pars cuius est sensus,immersa est,& permixta cum corpore:intellectus verò ab illo secretus & separatus. Quid ad cõfirmationem eius quod quærimus,dici potuit apertius? Obscurius est quod paulò post,eodem capite sequitur,sed tamen acutè cernẽ

ad efficiendum quod volumus, magnam quoque vim habet. Intellectus ipse, inquit, etiã intelligibilis est, sicut cuncta intelligibilia. Quoniam in his quæ sine materia sunt, idem est intelligens, & quod intelligitur. In iis autem quæ materiam habent, vnumquodque intelligibilium potentia est. Ex quo fit, vt illis intellectus non insit. Quo loco manifestum est agi ab Aristotele de nostro intellectu, quẽ paulò ante dixerat similem esse tabulæ nudæ, in qua nihil reipsa depictum est. Huic verò cùm esset attributum, vt non modò cætera possit intelligere, sed à se quoque ipse intelligi: quia ex eo efficiebatur eundem in nobis rationem habere formæ intelligibilis & intelligentis, quæritur num rerum cæterarum formæ vt intelligibiles sunt (hoc enim minimè dubium est) sic etiam possint intelligere. Hoc autem Aristoteles eo loco sic explicat, vt velit eas formas quæ cum materia necessariò communicant, intelligibiles esse tantum: alias autem quæ eædem intelligibiles sunt, & intelligentes, quanquam diuersa ratione, materiæ & corporis expertes suapte natura esse oportere. Quia cum corpore in quo sunt, nihil communicant. Quæ ratio etiam in intelligentiis cœlestes orbes mouentibus, vsurpata est capite septimo, & iterum repetita, capite nono libri duodecimi Metaphysic. Cùm verò luce clarius sit in Aristotelis doctrina, non solùm illum vnicum intellectum communem, quem Soli similem secundum essentiam suam extra nos isti esse dictitant, se intelligere posse, vt idem sit reipsa intelligens & intelligibilis, sed hunc ipsum qui essentiæ nostræ partem facit, vel potius qui nostram essentiam perficit, & continet, an non hac ratione extorquebitur intellectum hunc, cuius essentia singulis hominibus est propria, materiæ & corporis expertem esse, & ita in corpore agere, vt cum hoc huiusve organis in suo munere nihil communicet? Pergamus verò ad ea quæ cum superioribus connexa sunt. Capite quinto libri eiusdem in anima nostra, tanquam in natura constituta ex duobus ptincipiis, materia scilicet & forma, ad omnia quæ sunt analogicè pertinentibus, vt idem docet capite quarto, libri duodecimi Metaphysic. notat intellectum quendam qui fiat omnia, alterum qui faciat quasi habitus quidam instar luminis: quod quidem facit quodammodo, vt colores qui esse poterant reipsa, sint. De quibus cùm prius ad intellectum possibilem, posterius ad agentem referat, diligenter obseruandum existimo hæc ab illo animæ attribui, vt eiusdem duo principia: inter quæ possibilis materiæ, agens verò formæ dicatur respondere. Atqui hæc ipsa sunt per quæ superiore capite voluerat intellectum nostrum se ipsum intelligendo, reipsa eundem esse intelligibilem & intelligẽtem. Quare vtrumq; horum secundũ essentiam in nobis esse oportet,

vt per eorum vnionem, reipsa vnum & idem intelligens sit, & intelligibile. Alioqui non tam dicetur intellectus noster se ipse intelligere, quàm intellectus agens, quem secundum essentiam extra nos esse volunt, communicato suo lumine, intellectum nostrum illustrando, eundem intelligendo comprehendere, & in illo seipsum quoque intelligere. Hoc verò quis in Aristotele ferre possit? An anima sentiens primum sentiendi actum siue energiam à se habebit, anima autem intelligens in homine, in se nihil quod quidem ad intelligendum pertineat, continebit, pręter nudam facultatem, per quam formarum naturalium supremus gradus, primæ materiæ tantum dicetur esse simillimus? Sed de hoc intellectu agente sua substantia externo, antea abundè satis dictum est: nunc pergamus in eo quod cœpimus. Si substantia animæ eius quæ nobis propria est, vt natura vna, apud Aristotelem habere intelligatur, duo principia sola cogitatione distincta, quorum vnum materiæ, alterum formę respondeat: rationéque horum eadem actu intelligendo, quodammodo pati dicatur cum rerum intelligibilium notiones adiuuante phantasia discurrendo, à prænotito ad incognitum, in se recipit, & quodam modo agere, cùm easdem ingenito lumine illustrat: sique apud eundem prius ad intellectum *possibilem*, posterius ad agentem pertinet (sicut certè pertinere videtur) nihil est facilius quàm ex eodem cap. 5. lib. 3. cõcludere quod volumus: nempe in anima quæ secundum substantiam nobis inest, singulisque propria est, quiddam esse ex huius sententia in perfecto suo munere cum corpore nihil communicans: imò quod ab hoc impeditur, potius quàm adiuuatur: idémque impatibile esse, separabile, & immortale. Nam de intellectu agente qui rationem habet luminis, hæc eodem loco subiicit. Is intellectus, inquit, separabilis est, impatibilis, nõ immixtus: cùm sua substantia actus quidam sit. Deinde cùm separatus erit, declarat etiam amplius qualem essentiam idem sit habiturus. Separatus autem hic, inquit, id est solum quod est, atque hoc solum immortale & æternum. Vt verò apertius esset hæc dici de eo ipso intellectu qui secundum essentiam in nobis est, postea indicat ex iis quæ habebat in corpore, quædam non manere cùm ex hoc excessit: nempe recordationem, & vt sic dicã patibilitatem in recipiendis notionibus, antegresso discursu, quem diximus phantasia adiuuari. Non recordamur autem, inquit, quia expers passionis est, intellectúsque patibilis extinguitur, sine quo homo nihil intelligit. Quibus etiã Themistius & Auerroës ad confirmationem suæ sententiæ abutantur, ea tamen vim maximam mihi habere videntur, contra eos qui superiora referunt ad intellectum vnicum, quem Deum esse aiunt, aut Deo proximum, qui secundum substantiam à nobis separatus, sua virtute,

quasi

quasi lumine in nostros intellectus influat, hísque intelligendi actũ præstet. Quorsum enim de eo quęreretur, an à corpore seperabilis sit, qui nunquam fuit nisi secundum essentiam ab eo separatus? aut cur de ista separatione tam timidè multis locis Aristoteles loqueretur, cũ illa in Deo, aut diuina mente Deo proxima, nihil possit esse clarius? Cur denique moneret illum homine mortuo non recordari, id est, vt interpretor per signa res præteritas non apprehendere, discurrendo per harum imagines quæ in phantasia sunt, aut in memoria reconditæ: cùm neque homine adhuc viuo res vllas isto modo cognosceret? Quæ si perficere possunt, vt hæc dicta existimemus de eo intellectu qui aliquid est nostrę substantię, quíque singulis hominibus est proprius: veritas ipsa tandem à nobis extorquebit, vt fateamur Aristotelem voluisse istud ipsum quod aliquid nostræ substantiæ est, quódq; singulis proprium, quo ratiocinamur & intelligimus, nobis intereuntibus separatum manere, atque adhuc intelligere & contemplari, aliter tamen quàm cùm esset in corpore. Quia in hoc cum intellectu patibili communicabat, multarúmque rerum præteritarum recordatione excitabatur: at intellectus patibilis munus, vt eodem loco Aristoteles significat, perit simul in corpore. Quoniam id quod manet separatum, sicut paulò ante dictum est, omnino actu est id ipsum quod est, vel potius actus quidam est omnis potentiæ, per quam patibilis videri possit, prorsus expers: sine qua præteritorum recordatio locum habere non potest. Quis verò non arbitraretur delirantis esse hominis, non philosophantis, quærere, an intellectus à corpore separatus recordetur, nisi prius eum separatum manere constiterit? Restat locus vnus expendendus, qui ex capite tertio libri duodecimi Metaphysic. paulò ante adductus est. In quo cùm ex ipso contextu manifestum sit, agi de anima quę secundum substantiam in singulis hominibus est, quæque in corpore tanquam in materia rationem habet alterius principij, nempe formæ hominem constituentis: de hac duo significantur quæ digna obseruatione sunt, nempe nihil animæ humanæ ante corpus fuisse, & fortasse huius aliquid, ipsam scilicet mentem, post hominis interitum, materiæque dissolutionem permanere. Qnoniam, vt ait, fortasse fieri non potest, vt omnis anima permaneat. Quorum priore apertissimè declaratur, Aristotelem nulla ex parte probauisse, quod nonnulli in eius doctrina confingunt, partem scilicet animæ qua homo intelligit, ante corpus ab æterno fuisse, eandémque per varia corpora (humana tamen, non ea quæ belluarum sunt) temporum perpetua vicissitudine iactari. Quod in Io. Genesij Sepulueda opinione antea notatum est, capite decimo tertio libri huius. In posteriore verò, cùm nihil absolutè confirmatur, sed dubitandi

particula adiicitur: hæc indicat Aristotelem non ausum id pro rato statuere, quod naturalibus rationibus non satis certò probari posse videbatur: aut etiam aliquid continet, quod physiologiæ principiis non est omni ex parte consentaneum. Sic enim in quæstione quæ vtrinque apud Aristotelem dubia esse videtur, & quædam habet adiuncta Physicis eiusdem principiis, fortasse non omni ex parte consentanea, satius est nos in sententiam de immortalitate animorum singulis hominibus propriorum (quæ multis argumentis ex eodem confirmari potest, & in religione nostra multas habet commoditates) quam eundem authorem facere eius opinionis, quæ facilè quidem irrepere potest in animos Philosophorum, sed Christianis capitalis est, multáque habet adiuncta incommoda, quæ in huius doctrina difficilius explicari possunt, quàm ea, ipsa quæ partem contrariam in eadem videntur consequi, sed in doctrina Christiana nihil habent incommodi. Sunt verò hæc eiusmodi. Quod superioribus rationibus victi si apud Aristotelem præter mentem communem (cuius vim in hæc inferiora, atque in nostros intellectus non tollimus) aliud esse concedimus, non solùm suo lumine assistens, sed substantiæ insitum, & singulis hominibus proprium, hócque separabile & immortale: aliæ duæ quæstiones existent. Prior quidem an posita cum Aristotele mundi æternitate perpetuáque hominum generatione per circulum quasi ipsius sempiternitatis fluuium, non sit necessarium in aliis animis qui a corporibus separati, immortalitate iam fruuntur, numerum ponere reipsa infinitũ. Posterior, quæ eorundem animorũ cùm separati erunt, differentia sit futura: an quemadmodum homines, sic illi separati à se inuicem solo numero distinguẽtur: an verò etiam specie. Cùm in iis quæ sunt eiusdem speciei, discrimen numeri à sola materia proficiscì videatur: sint verò animi eiusmodi omnis materię expertes: quia à corpore separati. De quibus hoc loco nonnihil differendum est, ne vlla pars institutæ comparationis prætermissa esse videatur. Prioris quæstionis incommoda vt Plato vitaret posuisse videtur animorum humanorum numerum, ab ipsa æternitate definitum, & vt antea diximus, astris parem. At in Aristotelis doctrina cùm tam multa in Physicis contra infinitum disputentur, & posita mundi æternitate, iam nihil primum sit futurum, in hominum singulorum ortu, an animorum humanotum, qui ab ipsa æternitate à suis corporibus separati sunt, numerum reipsa esse infinitum concedemus? Hic profectò lubens adhuc illud vsurparem, Mihi non liquere, in quo etiam animaduerto D. Thomam hærere, nec satis habere definitum quod respondeat, libro de vnitate intellectus contra Auerroem. Recentiores nonnulli (quos sequitur M. Antonius Natta libro

tertio de immortalitate) existimant obiectionem hanc, in eis quidē locum habere, quę cū materia sunt cōiuncta: at in formis separatis, non esse magis absurdum ponere aliquid infinitum in numeris, quàm dicere Deum potestate & virtute esse infinitum. Hæc verò fuit Algazelis sententia, quæ mihi certè non satis probatur. Quomodo enim numerus (numeratum autem intelligo, quoniam de eo nunc agitur) re ipsa, etiam in separatis à materia infinitus erit, cùm omne quod numeratur, hoc ipso quod numeratur, certa aliqua numeri specie comprehendatur? An verò quod in numero infinitum esse dicitur, id certa aliqua numeri specie comprehendi non est necesse: sed tale esse dicitur, quia est innumerabile? Adde quod eiusmodi animorum numerus in dies augetur, nouis quotidie decedentibus de suis corporibus. At infinitum re ipsa non est, id quo maius aliquid dari potest. Quare neque in iis alitet infinitum esse videtur, quàm potestate, propter additionem: nisi fortè hoc ipso aliter se habet, quod in aliis ipsa vnitas à qua numerus incipit, altera ex parte, nempe in ipsa compositione quorumlibet numerorum, definitum est principium: in animis verò prima vnitas apud Aristotelem non est, à qua huius numeri cōpositio ducat initium. Quoniam, vt diximus, hominum generatio ex huius opinione ab æterno est, nec in ea primus homo, aut vllius hominis primus animus dari potest. Atque hoc vnum est ex his quæ in Aristotele alium errorem sequuntur, de mundi æternitate. Nunc ad alteram quæstionem veniamus. Res sub eadem specie, solo numero differentes à materiæ partitione, eiúsque variis affectionibus, distinctionem capere Peripateticis vulgare est, & Aristoteles ipse probasse videtur, libro primo de Cœlo, cùm causam reddit ptopter quam plures mundi solo numero differentes, non possunt existere. Cùm igitur materiæ omnino expertes sint animi à corpore separati, non videbuntur à se inuicem solo numero differre. Quod si vt formæ sunt & species quædam, sic à se inuicem extra corpora specie differre dicantur: magis tum different, quàm in ipsis corporibus. Quoniam in iis solo numero differebant. Ideóque noua aliqua secundum substantiam mutatione factum esse oportebit, vt extra corpora differant specie, qui in corporibus numero tantum differebant. At illos secundum substantiam immutabiles dicant necesse est, qui eosdem æternos esse volunt. Nisi fortè non quæuis formarum distinctio discrimen speciei parit, sed ea tantum quæ rationis est atque naturæ. Animi autem humani cùm separati sunt, omnes eandem essentiæ rationem atque naturam habent. Quomodo igitur distinguuntur? De hac re Marsilium Ficinum capite decimo tertio libri decimi quinti Theologiæ Platonicæ, audiamus. Pythago-

reorum & Platonicorum plurimi, inquit, arbitrantur speciei naturam vnam in plura indiuidua fundi, non propter externam materiam, sed propter insitos quosdam ipsi formæ modos, in quos actu producta forma, indiuiduum hoc aut illud euadat. Et eodem loco ex Plotino. Quidnam est, inquit, quod distinguit Platonis animam à Socratis anima? Diuinus ille conceptus qui viuificam animæ Platonis vim ad talis cuiusdam temperauit corporis indumentum: pérque hoc ad talẽ quandam præcipuè corporis complexionem gignendam regendámque accommodauit. Ita & ad sua quædam Socratis animam. Addi hoc etiam potest, quod fortasse magis Peripateticum videbitur, animos nostros non esse actus omnino puros, sed habere quandam facultatem adiunctam per quam variè conformare possint: indéque in illis enasci varios existendi modos, in corpore quidem manifestos, quoniam corporis contagione non omnes animi eodem modo afficiuntur: in cœlo verò ex ipsa cõtagione, & vita antecedente relictos. Ex quo inter eos ordo quidam est: non potest autem inter ea quæ secundum substantiam æqualia sunt, ordo existere, nisi plura numero differentia eadem specie comprehendantur. De qua quæstione *vide* plura apud Contarenum Cardinalem libro posteriore de animæ immortalitate contra P. Pomponatium.

2 Dicit Alcinous κατὰ πῶ ὑπόκειται. In quo voluisse videtur significare animum, secundum ea quæ concomitantur corpus in quo est, multis mutationibus obnoxium videri posse. Quoniam in hunc ab ipso corpore multa redundãt. At secundum essentiæ proprietatem, nihil tale in eum cadere. In eóque certè posita est explicatio multarum dubitationum ad disputationem de immortalitate pertinentium. Sic enim fortasse intellectus patibilis dicitur ab Aristotele libr. 3. de anima, à corpore inseparabilis & mortalis. Quia non pertinet ad propriam animi hypostasin, sed ad huius communicationem cum corpore, sicut & amare, odisse, memorari & recordari. Quod verò sequitur in ratione proxima, animum ad sensilia conuersum, circa hæc quasi quadam vertigine tentari, circa autem intelligibilia prima, ad quæ per contemplationem ascendendo aspirat, bene se habere, pertinet ad docendum proprium munus eiusdem in cognitione sensilium non esse positum, sed in eleuatione supra sensilia. Quare antea notauimus, raptum mentis à corpore (in quo est contemplationis gradus supremus) maximã habere significationem immortalitatis. Quia in eodem nulla est omnino mentis cum corpore communicatio. Vt minimè mirari debeamus Petrum Pomponatium, cum hoc argumento præmeretur, dicere esse ausum hanc extasin infirmitatem esse tantum, & ægritudinem cerebri: ideóque ex illa de præstantissima intellectus natura minimè esse statuendum: Digna profectò eius pietate oratio.

5 Contarenus Cardinalis libro primo de Animæ immortalitate, in eo laborat, vt doceat formas purè naturales, actus quidem esse materiam suam infirmantes, sed qui per hanc extenduntur, ideóque eadem vt in rerum natura sint, indigeat. Quoniam, inquit, formæ eiusmodi non sunt in actu.

neque per se: sed sunt tantummodo actus per quos res naturales compositæ sunt, indigéntque materia non modo in qua sint, sed etiam per quam operentur. Vt scilicet in corporibus naturalibus duo principia concurrant quæ illorum essentiam compleant & absoluant, non tamen eodem perfectionis gradu: eadémque ad illorum actionem propriam edendam sint necessaria, non tamen eodem modo, sed forma vt primaria actionis naturalis causa: materia vero vt ad hanc necessaria instrumenta continens & suppeditans. Itaque cum modus operandi in formis, sequatur earundem modum, vt sic loquar, essendi, & contra, illæ purè naturales sunt quæ vt non possunt esse nisi in materia, sic neque sine eadem operari: supra naturā autem, quæ & operari & esse sine materia possunt. Atqui certum est quædam esse in vniuersitate quæ intelligunt sine corpore: quod idem de substantiis sentientibus dici nullo modo potest. Ergo forma intelligédi facultate prædita, neque ad essendum, neque ad agendum corpore indiget. Cur igitur manere non poterit à corpore separata, cum sine corpore esse possit & operari? In quo quęstionis propositæ explicatio semper naturæ lumine ad eam tationem reuocatur, quæ vt antea monuimus, apud Aristo. est vnica. De qua facile in eo assentior eidem Contareno, quod scribit libro eodem, animæ immortalitatem argumentis Aristotelicis à naturæ lumine petitis probari posse, sed multa esse cum hac connexa quæ vtrinque graues dubitationes pariunt. Has vero non facile explicari posse, neque ex Peripatetica doctrina, neque ex legibus naturæ. Quales certe sunt quas antea attigimus, An anima hęc esset ante corpus: aut quid tum ageret. In quibus idcirco idem Aristo. nonnunquā hęsisse videtur: nec habuisse omnino definitum quod statueret. Hoc vero in ipsius hominis dissolutione, quæ in morte contingit, obseruandum est, sicut portiones elementorum quæ assumptæ sunt ad corporis coagmentationem, redeunt ad ea ipsa elementa à quibus acceptæ (quod etiam antea ex Platone dictum est) sic mentem à Deo datam ad Deum redire: ad quem etiam in vita hac contemplando aspirat: imo & eius quasi colloquio ad aliquod tempus fruitur, cum à corpore rapitur. Quod non modo Platonicis familiare est, sed & ab Arist. significatum videtur cap. 7. Metaph. 12. cum dixit, talem esse in Deo perpetuam vitam ipsa contemplatione iucundissimam, qualis in nobis aliquando ad breuissimum tempus est. Hanc vero cōditionem animi cum è corpore excesserit minus apertè expositam ab Aristo. naturæ genio, minus mirabitur, qui animaduertet attentéque considerabit nostros etiam Theologos qui superiore lumine illustrantur, in eadem explicanda nonnunquam maximè laborare. De qua ab ipso Gregorio Nysseno lib. de anima & resurrectione, ea scribuntur quæ nescio an cæteri facile sint concessuri. Nempe corpore dissoluto in elemēta, animam adhuc singulis horum partibus adesse. Nihil enim impedit, inquit, eam quin æqualiter corporis adsit elementis, tum per concursum contemperatis, tum per discussionem, distractionē, refusionem atque disiunctionem resolutis. Imo sic etiam esse intelligendū quod de inferis à veteribus philosophis, & sacris scriptoribus dictum est, animas scilicet circa terram in quam corpora resoluta sunt, errare: vel potius eius quasi hospitio excipi, tanquam domicilio his familiari, & ex superiore vita accommodato.

4 Scribit Franciscus Picus Mirandula cap. 14. lib. 1. de vanitate doctrinæ Gentium, Xenocratem & Speusippum existimauisse animam sentientem immortalem: Numenium autem & Plotinum etiam ei quæ in plantis est, immortalitatem tribuisse. Quod collectum videtur ex huius libro de animæ immortalitate cap. 14. Quæritur etiam, inquit Plotinus, de anima reliquorum animalium. Et

profecto quæcunque inter eas tales sunt, vt à superioribus degenerâtes, vsque ad brutorum corpora sint prolapsæ: hæ quóque necessariò sunt immortales. Si autem est alia quædam species, oportet hanc insuper non aliunde pendere quàm à natura viuente: quippe cum ipsa anima animalibus vitæ sit causa. Similiter & Plantarum animam se oportet habere. Omnes enim ab eodem principio processerunt, propriam habentes vitam. Atque hæ quóque sunt incorporeæ indiuisibiléque & essentiæ. Similis locus est vel etiam apertior de anima plantarum, capite vltimo lib.13. de secretiore parte diuinæ sapientiæ secundum Ægyptios. Si quis inquirat, inquit, an anima plantæ excisis radicibus separata intereat, dicendum est hanc redire ad propriam regionem quâ habet in mundo intelligibili à qua nunquam postea recedit. Quemadmodum & cum interit quædam anima sentiens in bellua, illa ad eundem mundum ascendit. Si quidem intellectus ad animas recipiendas comparatus est: à quo hæ postea nunquam discedunt. Alioqui anima nusquam esset. Neque verò Platonici animam sentientē mortalem dicere posse videntur, si cum magistro admittunt eam quæ prius fuit in humano corpore, in vita altera nouum belluæ corpus ingredi, in eóque purgari. De quo antea disputatum est cap.13.lib. huius. Quanquam hoc dubitationem affert, quod facultates duæ ex Platonis sententia in Corde & Iecore sedem habentes, nobis cum ipsis belluis communes in Timæo mortales esse dicuntur. Diiminores, inquit, suum parentem imitati principiúmq; animæ immortale suscipientes, animam ipsam mortali corpore clauserunt, totūque corpus animæ quasi vehiculum subdidere, atque in eo aliā animæ partem mortalem fabricauerunt: quæ grauibus necessariisq; perturbationibus afficeretur. Quem locum sequutus Plutarchus lib.de Placitis, dixit apud Platonem solam animam rationalem esse immortalem, alteram vero mortalem. Nisi forte anima sentiens ab illis duabus partibus, vel facultatibus, quarum vna in corde, altera in iecore sedem habere dicitur, etiam distincta est & in alia corporis parte, nempe in cerebro, sita, hæque sola immortalis: quæ in humano corpore ratiocinatur & intelligit, belluæ vero corpus ad purgationem ingressa, sentiendi tantum facultatem retinet. Porphyrius tamen lib.3. de abstinentia ab esu carnium, dicere audet omnem animā sensibus & memoria præditam, esse rationalem habereq; rationem & orationē tum interiorem, tum exteriorem, qua inter se belluæ colloquantur, etsi à nobis non intelligantur. Addit etiam si credendum est antiquis, nōnullos sermonem belluarum intellexisse, vt apud veteres Melampū & Tiresiam & nuper Apollonii Thianeum. Quod in huius vita testatur quoque Philostratus. Alia est Bessarionis Cardinalis sententia. Hic enim cap.7.lib.2.negat animam humanā cum corpore belluæ ita posse coniungi, vt huius forma efficiatur: sed illam alienum corpus subire aut insinuarique spiritu imaginario bruti, atque ita coercitā, plectiq; & pœnam pendere scelerum: nec vllum opus suum exercere posse instrumentis eius animalis in quod detrusa est, donec longo temporis curriculo purificata, ad cœlestem demum redeat sedem. Deinde de hac quæstione proposita, Georgio Trapezuntio pro Platone ita respōdet. Etsi Plato eodem nomine tam bruti quàm hominis animam sæpenumero vocet, inquit, de hominis tamen vniuoce, de bruti anima æquiuoce loquitur. Nec animas dici brutorum censet, sed vitas quasdam & simulachra animarum. Animæ autem triplex genus esse constituit, Cæleste, Geniale, Humanum. Primo generi omnium rerum scientiam tribuit, quod in cœlestibus locat: secundo opinionē rectam, quod in Geniis (demones enim hoc nomine latini vocant) tertio generi ancipitē opinionem, quæ partim rectè, partim non recte habetur, assignat, hocque hominibus præscribit. Atque hactenus nomen

animæ in propria significatione distribuit. Brutorum vero animam vitam quandam appellat & metaphoricè animam. Quare cum omnem animã immortalem esse affirmat, nequaquàm de brutis intelligit. Et certe Plato ipse in Timæo indicare videtur affectiones siue functiones sensuum cum corpore esse coniunctas & ab hoc inseparabiles. Principio, inquit, sensum his quæ dicta sunt adesse semper oportet. Carnis vero & eorum quæ ad carnem pertinent generationem, animæ quoque quantum mortale est, nondum declarauimus. Sunt enim hæc à passionibus quæcunque cum sensu sunt, minimè separata & illę sine his exponi sufficienter non possunt, simul vero expleri ferme nequeant. Aristo. cap. 12. lib. 2. de Anima, eius partis qua sentimus, diuinitatem quandam in eo agnoscit quod rerum sub sensum cadentium species & formas sine materia accipit: separabilem tamen esse negat, quia huius actio cum corpore necessariò communicat.

5 Marsilius Ficinus locum hunc explicans, referre videtur ad definitum numerum animorum humanorum: quem antea diximus apud Platonem astris esse parem. At fortasse melius hoc intelligetur de numero in cuiusque hominis vita fatis definito, quo animus cum corpore debet cõiungi: aut de reuolutionibus quibus idem animus per varia corpora iactatus, tandem redit in cælestem originẽ. Vt qui nondum expletis numeris eiusmodi, vitæ huius tedio animum corporis carcere liberare vult: is cum Deo Gygantum more pugnare dicatur. Sic enim ex Pythagora Cicero scribit in Catone, non esse de statione vitæ decedendum iniussu imperatoris, id est Dei. Quod etiam pluribus explicat Socrates in Phædone. Sed ad hunc locum magis accommodatum videtur quod ex Plotino scribit Macrobius capite 13. lib. 1. in Somnium Scipionis. Constat numerorum certam constituramque rationem, inquit, animas sociare corporibus. Hi numeri dum supersunt, perseuerat corpus animari: Cum verò deficiunt, mox arcana illa vis soluitur, qua societas ipsa constabat. Et hoc est quod fatum & fatalia vitæ tempora vocamus. Anima ergo non deficit: quippe immortalis & perpetua est, sed impletis numeris corpus fatiscit. Nec anima lassatur animãdo: sed officium suum deserit corpus, cum iam non possit animari. Hinc illud est doctissimi vatis (locus autem est apud Virg. Aeneid. 6.)

-explebo numerum reddárque tenebris.

Sentit idem Mercurius Trismegistus cap. 10. Asclepij, Mors efficitur, inquit, dissolutione corporis labore defessi, & numeri completi quo corporis membra in vnam machinam ad vsus vitales aptantur. Moritur enim corpus quando hominis vitalia ferre posse desiterit.

6 Hinc existit inter animam & corpus naturæ quædam Sympathia, quam vt physiognomiæ fundamentum sic explicat Arist. initio libri de physiognomicis. Quod mores animæ corpora ipsa sequantur, inquit, quodque à motionibus corporum possint affectionem accipere, id valde perspicuum est, cum in temulentia, tum vel maximè in siniſtra corporis valetudine. Impensè si quidem immutari videntur ingenia à corporis affectionibus. Similiter etiam è conuerso ipsius animæ affectibus consortij lege compati corpus videtur: vt in amoribus & timoribus, similiter in tristitia & voluptate, manifestè videre licet. Ad hæc etiam, vel in iis quæ in dies natura fiunt, quis obsecro facillimè non cognoscat eo consortio ac necessitudine corpus & animam colligari, vt plurimas affectiones alternata vicissitudine ac sibi mutuo progignant? Nullum enim animal tali conditione productum est vt speciem quidem vnius, ingenium autem alterius animalis sortiatur, sed semper eiusdem & corpus & animam repræsentat. Atque ideo vt tale corpus talis affectio sequatur est necessa-

necessarium. Quanquam de ista coniunctione animæ cum corpore, aliter quam hoc loco Alcinous, multis locis Plato philosophari videtur. Nonunquam enim corpus illius carcerem appellat, vt in Phędone, quo significet in eo quiddam esse huius diuinitati motibúsque contrarium. Atque in Phędro scribit eandem ruptis alis contra suam naturam in corpus precipitem cadere. Quomodo igitur inter animam & corpus talis cognatio esse dicetur, qualis inter ignem & bitumen: cum in bitumine quasi in oleo, vt Plinius scribit cap. 15. lib. 35. ignis familiariter foueatur, animæ vero propriis motibus in corpore secundum Platonem contraria omnia esse videantur? Plotinus lib. de animæ descensu in corpora, cap. 7. hoc ita explicat. Cum natura duplex sit, inquit, vna intelligibilis, altera sensibilis: satius est animæ in ipsa intelligibili viuere, necessarium tamen est eam, vt media est inter illas duas naturas, sensibilem quoque naturam participare. Neque grauiter ferre debet si non est omnino ipsum bonum. Quippe cum medium in rebus obtineat ordinem, & diuinæ quidem sortis sit particeps: in postremo autem gradu intelligibilis naturæ posita, velut affinis naturæ sensibili, sic naturaliter instituta vt de suis aliquid exhibeat, recipiat quoque hinc nonnihil, nisi propria integritate seruata gubernet. Sed affectu studióque plurimo naturæ inferioris, ingrediatur interna: neque cum tota anima, tota permaneat. Ex quibus verbis intelligi potest secundum eam functionem in qua cum corpore non communicat, in hoc esse tanquam in carcere: in reliquis vero naturali eius cupiditatè teneri, in eodémque vt flammam in oleo foueri. Sic enim idem ait cap. 8. lib. eiusdem, in anima nostra aliquid esse inferius quod ad corpus *demittitur*, aliud vero superius, quod suapte natura ad primam mẽtem erigitur. *Atque spectata* illa parte superiore, Aristo. dixit cap. 1. lib. 1. de Partibus animalium, non esse physici de omni anima disputare. Quoniam quædam huius pars natura non est. Idémque in inferiore animæ parte necessariam existimauit cum corpore organico coniunctionem: de qua sic scribit cap. 3. lib. 1. de Anima, Animæ & corporis societas & coniunctio, inquit, facit vt anima agat, corpus accipiat atque patiatur: & hoc moueatur, illa moueat. Quorum nihil in iis quæ casu occurrunt aliud alij conuenit. Ideóque eodem loco Platonicos reprehendit quod hi solum exponere conarentur quid nam esset anima: de corpore autem, quod illius est domicilium & receptaculum, nihil præterea explicarent. Quasi vero, inquit, fieri possit ex Pythagoricis fabulis, vt quæuis anima in id corpus quod occurrerit immigret: cum in suo quicque genere permanere videatur. Similiter autem dicunt, vt si quis fabrorum artem in tibias ingredi asseueret. Vt enim ars instrumentis, sic animus corpore vti debet.

7 Quod in Deo aut in intellectu à corpore separato vis ad agendum impellẽs, aliam appellationem habere dicitur quam in homine, causa potissimum in eo est posita quod illorum simplicissima natura sit simplexque cognoscendi modus. In hominis autẽ anima partium, vel facultatum magna varietas in hâcque pars superior ab inferiore saltem cogitatione distincta. In quo ipsa vis ad agendum impellens, contra rationem aliquando exultans, reuocat ab honestis: Nonnunquam vero eadem rationem sopitam excitans inuitat ad honesta. Ex quo Peripatetici iram fortitudinis cotem dicere sunt ausi. Caussa tamen aliqua explicari potest per quam etiam in deo gaudium & dolor itémque ira locum habere dicantur. Quanquam enim vt perturbationes sunt, neque deo inesse possint, neque intellectui separato (quomodo enim in eis dici fingíve posset vlla perturbatio in quibus pars superior ab inferiore nullo modo est distincta?) tamen cũ significare volumus aliquid naturę eorum consentaneum, aut contrarium, humana ad illos transf-

Affectꝰ in Deo.

transferentes eisdem gaudium sicut & dolorem, nõnunquàm attribuimus, itémque iram, cum indicare volumus deum rebus turpibus valde commoueri hásque auersari. De intellectu autem à corpore separato quod prius dictum est, confirmat Iamblichus libro de Mysteriis Aegyptiorum. Numina nobis superiora, inquit, nihil habent in se passibile: atque hanc impassibilitatem non habent acquisita virtute, sed natura. Neque etiam anima quæ est vltima diuinorum, passibile quicquam habet. Animam dico à corporibus puram: quæ neque etiam tangitur perturbatione voluptatis eius quæ est restitutio in naturam. Cum sit vita supernaturalis ingenita, neque dolore quopiam dissoluente, cum sit extra omne corpus, naturámque circa corpus diuisam & harmoniam descendentem in corpus, ab harmonia animæ principali. Neque enim passionibus sensum præcedentibus eget. Quoniam neque corpore continetur, neque per instrumenta exteriora corpora percipere cogitur. Iam vero cum sit indiuidua & vniformis essentia secundum se incorporea permanens, cum corpore nihil communicans, nimirum passiones diuisionis, vel alterationis, vel mutationis alicuius nullas admittit. Et de deo eodem libro, quando a benefica cura eorum, inquit, quasi à lumine solis nos diuertimus, in tenebris statim sumus: diciturque nobis iratus. Placare igitur deorum iram, est ad illos supplicando redire. Placatio eiusmodi non affert passionem deo: imo & animam à prioribus liberat passionibus. Dij demonésque diuini suppliciter adorati cultíque mala multa repellunt, quæ alioqui naturaliter euenirent. Aliter de deo sentit Lactantius cap. 16. lib. de Ira Dei. Vult enim affectus quosdam esse toto genere vitiosos, vt libidinem, timorem, auaritiam, mœrorem, inuidiam, qui in Deum nullo modo cadunt: alios autem virtutis esse, vt iram in malos, charitatem in bonos, miserationem in afflictos, qui, inquit, nisi Deo inesse dicantur, humana vita turbabitur, atque ad tantam confusionem deueniet status rerum, vt contemptis superatísque legibus, sola regnet audacia: vt nemo denique tutus esse possit, nisi qui viribus præualeat. Et capit. 17. qualis hæc ira sit, contra definitiones à veteribus assignatas ita disputat. Necesse est bono ac iusto displicere quæ praua sunt, inquit, & cui malum displicet, moueri, cum id fieri videat. Ergo surgimus ad vindictam, non quia læsi sumus, sed vt disciplina seruetur, mores corrigantur, licentia comprimatur. Hæc est ira iusta, quę sicut in homine necessaria est ad prauitatis correctionem: sic vtique in deo, à quo ad hominem peruenit exemplum. Nam sicuti nos potestati nostræ subiectos coercere debemus: ita etiam peccata vniuersorum Deus coercere debet. Quod vt faciat, irascatur necesse est. Quia naturale est boni ad alterius peccatum moueri & incitari. Ergo definire debuerunt, Ira est motus animi ad coercenda peccata insurgentis. Ira autem quam possumus vel furorem, vel iracundiam nominare, hæc ne in homine quidem debet esse, quia tota vitiosa est. Ira vero quæ ad correctionem vitiorum pertinet, nec homini adimi debet, nec deo potest: quia vtilis est rebus humanis & necessaria. Cum vero hoc loco Alcinous addit vim conciliandi aliósque familiaritate deuinciendi, itémque alteram quæ ad agendum impellit, fuisse prius in animo quam hic cum corpore coniungeretur, iam vero in ipso corpore permutari priorémque vim in corpore concupiscibilem, posteriorem irascibilem nominari: indicare videtur id de quo antea dubitatum est, nempe hoc ipsum quo irascimur & concupiscimus, secundum suam substantiam non interire, sed fuisse ante corpus: maneréque adhuc in animo cum excessit è corpore, sed in concupiscendi irascendique modo, communicationem quan-

dam habere cum corpore, quam non nisi in corpore retinet: ideóque duo hæc secundum eiusmodi rationem spectata, simul cum corpore dicuntur interire. Sicut Platonicis fortasse re ipsa, & secundum substantiam eadem est anima qua sentimus & intelligimus, sed in corpore sentiendi modus est omnino corporeus: modus autem intelligendi in corpore, quia aliquid habet cum corpore coniunctum, nempe id ipsum in quo à phantasia adiuuatur, aliud sibi proprium in quo potius corpore impeditur, idcirco prius quod ad intellectum passibilem antea dicebatur pertinere, etiam interit simul cum corpore: posterius quod proprium est intellectus agentis, solum manet in animo separato.

De Fato

De Fato ita differit ex Platonicis, vt eo posito retinere conetur nostram in agendo libertatem: deinde facultatem ab actu distinguit, vt ipsis contingentibus quæstio de fato accommodetur.

Caput 19.

[1] *De fato talia quædam illi placent.* [2] *Omnia quidem in fato esse ait: Non omnia tamen fato esse definita.* [3] *Fatum enim instar legis nequaquã dicit, hic illa faciet, ille vero hæc patietur (hoc enim in infinitum abiret, cum infiniti sint qui nascuntur, & infinita quæ his accidunt:* Periret *quoque quod in nobis situm esse dicitur, omnésque laudes & vituperationes, quæque his proxima sunt, tollerentur) sed quod si quis animus vitam eiusmodi delegerit, atque talia fecerit, hæc illum consequentur.* [4] *Liber ergo animus est, atque in eius potestate situm illa agere, vel non agere: nec ad ea vlla necessitate cogitur. Quod autem in illo ordine sequitur, id fato perficietur. Veluti ex eo quod Paris Helenam rapiet (quod quidem illi erat liberum) consequens erit vt Græci pro Helena aduersus Troianos bellum gerant.* [5] *Sic quoque & quod Apollo ipsi Laio prædixit, Si genueris filium, natus ipse te perimet, in connexione continentur & Laius & filij procreatio. At quod ex iis est consequens, id fato definitum.* [6] *Eius autem quod fieri posse dicitur, natura inter verũ & falsum media incidit, eaq; ex se indefinita: in qua tanquam vehiculo fertur id quod in nobis situm est. Quod cũ nobis eligẽtib⁹ factũ fuerit, verũ aut falsum erit. Quod autem facultate est, ab eo differt quod secũdum habitum, & quod secundum functionem muneris dicitur. Quod*

enim est facultate id aptitudinem quandã declarat in eo in quo habitus nondum conformatus. Quemadmodũ puer facultate grãmaticus & tibicen & faber appellabitur. Tum vero in habitu vnius horum, aut duorum, aut trium erit, cum didicerit, istorúmque habitum sibi conformauerit. In actu vero erit & muneris functione, cum in operando, illo habito conformato dirigetur. At quod possibile dicitur, nihil horum est. Indeterminatum autẽ est quod in nostra potestate situm, in vtrámque partem pari momento propensum, modò verum est, modò falsum.

Iac. Carpentarij Commentarius in Cap. 19.

1 Ab interprete Marsilio Ficino nescio qua ratione, Alcinoi ordo hoc loco, & reliqua parte libri huius valde pertubatus est. Si quidem ille his quæ proximè dicta sunt de animi immortalitate, absoluit eam philosophiæ partem quæ naturæ vniuersæ explicationem cõtinet. Deinde subiicit tria capita, quibus nonnulla explicantur quæ ad vitam & mores pertinent. Ea vero sunt in nostra interpretatione, 22. 23. & 24. Postea aggreditur quæstionem de fato & libero arbitrio: cuius explicatio ab illo concluſa est cap. 29. Nescio an non hoc nomine quod hæc solum ad philosophiam moralem referenda videretur, eiúsq; prima fundamenta in se cõtinere. Atqui eo capite quod apud Ficinũ est 30. hic verò 20. manifestum est exordium disputationis de moribꝰ: quam parum aptè apud eundẽ Ficinum tria alia capita antecedunt nẽpe 26. de virtutibus & vitiis horumq; distinctionibus: 27. de virtutibus & vitiis, quo modo voluntaria, vel inuoluntaria dici possint: & 28. de iniustitia & de affectuum distinctione. Quæstio vero de fato, quæ ab eodẽ tractatur cap. 29. id continet sine quo ordo vniuersi (de quo in secunda huius libri parte erat disserendum) non poterat cõmode explicari: & maxime coniuncta videbatur cũ quæstione de animi natura & immortalitate. Nec tamen verum est quod scribit Cõradus Gesnerus in sua bibliotheca, tria illa capita quæ apud Marsilium Ficinũ sunt 26. 27. & 28. in nostra vero interpretatione 22. 23. & 24. in græco contextu desiderari & à Ficino esse adiecta. Transposita enim tantũ sunt & à nobis ex græco contextu suo loco reposita. Sicut disputatio de amicitia, quæ in græco cõtextu præponitur definitioni & diuisioni affectuum explicatæ cap. 24. interpretationis nostræ, à nobis postposita est & in cap. 25. reiecta. Vt hæc scilicet viam pararet ad sermonẽ de republica, qui cap. 26. cõtinetur. In quibus omnibus consilium nostrum circa distinctionem contextus, Logodedalus probauit: nec tantum in sua interpretatione sequutus est, sed ad græcũ contextum reuoli-

DE FATO, AN SIT, VEL QVOMODO SIT, disputatio.

Quæ digreſsio eſt vndecima.

De Fato quatuor hæc ſuo ordine nobis inquirenda ſunt, An ſit: In quo ſit: Quænam fato ſubſint: & vtrum hoc ineuitabile. Deinde in his Platonis & Ariſtotelis ſententiæ inter ſe conferendæ. Fatum nonnulli vno modo dici arbitrantes, ſolúmque poni in virtute corporum cœleſtium in hæc inferiora influente, & in aſtrorum, quorum in natiuitatibus ratio haberi ſolet, vario concurſu atque aſpectu, vel etiam oppoſitione, non tantum noſtra corpora afficiente, ſed vt talis fati aſſertores dicunt, animorum motibus neceſſitatem afferente, fatum omnino eſſe negant. Quod quãquam hæc variam animis noſtris propenſionem afferre poſſint, nequaquam tamẽ neceſſitatem, quam fati nomine ab illis putant ſignificari. Etenim in iis aſtrorum virtutibus, harúmque coniunctione, cum his inferioribus naturæ contagio valet, vt Cicero ſcribit libro de fato, quam ego non tollo: ſed vis eſt nulla fatalis: id eſt nulla ineuitabilis neceſſitas, quã fato ſignificari vulgò credunt. Sícque D. Gregorius in Homilia Epiphaniæ, Abſit, inquit, à cordibus fidelium, vt fatum aliquid eſſe dicant. Atque etiam iſto modo Euſebius cap. 2. libr. 3. de Euangelica præparatione, ſcribit Aegyptios exiſtimauiſſe omnia vinculo quodam indiſſolubili à motu ſtellarum neceſſariò pendere: imò apud eoſdem ſtellas Deos eſſe, & fatorum dominas appellari, quas idcirco ſacris ſimulachris, & vario cultu ſibi propitias reddere conabantur. Contra quam opinionem idem varias rationes ex Origine colligit, cap. 9. lib. 6. At ſi fatum nihil aliud eſſe intelligitur, quàm Dei voluntas, vel dictum, vel placitum, hoc certè in humana vita quodammodo agnoſcimus, cùm prędeſtinationem & reprobationem in noſtra religione admittimus: & cùm in iis

quæ nobis maximè libera esse videntur, dicere solemus nos hoc vel illud esse facturos si Deo placuerit. Sed cauendum est ne propter huius nominis multiplicem significationem, in eo fati nomine quisquã offendatur. Scitum enim est quod scribit D. Augustinus libro quinto de Dei ciuitate, Si propterea quisquam, inquit, res humanas fato tribuit, quòd ipsam Dei voluntatem, vel potestatem fati nomine appellat, sententiam teneat, & linguam corrigat. Veteres autem, quia in naturalium causarum necessaria connexione fatum posuerunt, idcirco prout varia vniuersæ naturæ principia vsurpauerunt, ita de fatali necessitate diuersas sententias sunt secuti. Nam, vt inquit Plotinus, capite secundo libri de Fato, cùm Philosophi in propinquis causis quiescere nollent, quicunque principia corporea posuerunt (veluti atomos) eorum motu, impulsibus & complicationibus mutuis, singula facientes, dixerunt ea conditione fieri, atque se habere singula quæ illa principia coëunt, faciúntque atque patiuntur: nostros quoque impetus affectionésque tales esse, quales illa faciunt. Hi ergo necessitatem hanc in principiis, & in iis quæ sunt ab illis, passim rebus inducunt: & quæcunque alia quis corpora esse ptincipia dicit, ab eisque omnia fieri, is nimirum necessitati cuidam in his fundatæ, seruire omnia putat. Alij, inquit idem Plotinus, ad ipsum vniuersi principium ascendentes, ab ipso cuncta deducunt. Atque causam hanc primam per omnia se diffundere, neque mouere solùm, verumetiam singula facere arbitrantur: quam quidem & fatum vocant. Fatum existimantes causam potissimam cuncta mouentem: non modò cætera quotcunque fiunt, sed cogitationes quoque nostras ex ipsius motionibus proficisci. Non aliter quàm in animali partes singulæ mouentur, nõ quidem à seipsis, sed ab eo quod in quolibet animali obtinet principatum. Alij præterea totius mundi circuitum omnia complectentem, motúque suo singula facientem, atque habitibus configurationibúsque stellarum, tam errantium, quàm non errantium, mutuis, fatum indicant: & prædictionibus per cœlestia factis, freti, singula inde fieri arbitrantur. Posset insuper aliquis alia quadam ratione describere fatum, dicens id esse complexionem mutuam causarum, seriémque connexam desuper emanantem, per quam posteriora semper prioribus obsecundent, atque hæc ipsa posteriora in præcedentia reflectantur: vt pote quæ per ipsa fiant, & absque ipsis effici nequeant. In quo Plotini loco de Fato, variæ opiniones notari possunt, sed in iis vna celeberrima de virtute ab astris in nos influente, quæ futuræ vitæ nostræ cursum regere dicatur: nec solùm nostra corpora, sed etiam animos variè afficere. Quæ opinio non modò veteres poetasque exercuit, sed de recentioribus nimium multos occupauit, &

in eā rapuit, quibus neſcio an quicquam in religione Chriſtiana fingi poſſit capitalius. Quid enim? quod Hieronymus Cardanus commentario ſuo in librum ſecundum Ptolemæi, de iudiciis aſtrorum, Chriſti geneſim ex Aſtrologiæ legibus aggredi audet, ex hácque docere conatur, in illo (in quo omnino omnia aſtris ſuperiora extiterūt) ea quæ nos veneramur & colimus, quæque omnes naturæ leges excedere piè meritóque credimus, ex virtute aſtrorum in eundem eſſe deriuata? Nimia profectò hæc in philoſophādo licentia, & digna quę ſeueriſſima lege coërceatur. Quare ego contra hæc magnā gratiā habeo Marſilio Ficino, & Ioanni Pico Mirandulæ, qui patrum noſtrorum memoria, quanquam in aſtrorum iudiciis atque peritia exercitatiſſimi (hoc enim eorum ſcripta teſtantur) ſemper tamē conati ſunt ineuitabile fatum hoc in aſtrorum virtute ab aliis poſitum, euellere, noſtríſque perſuadere in eo nihil eſſe, quod cum religione bene conſentiat. Ad quam rem attentè conſiderari poſtulo, quæ à Marſilio piè ſcripta ſunt, in concione de ſtella Magorum, cuius ductu peruenerūt ad Chriſtum. Ad idémque vehementer expeto librum eum quē de quæſtione hac à ſe ſcriptum, idem meminit in epiſtola quadam libri quarti. Compono, inquit, librum de prouidentia Dei, & humani arbitrij libertate, in quo agitur contra aſtrorum neceſſitatem fatúmque Aſtrologorum. At verò dixerit fortè quiſpiam, fatui eſſe contra inexpugnabile fatum velle pugnare. Ego verò, inquit, reſpondeo tam facilè poſſe hoc impugnari, vt quando quiſpiam impugnare voluerit, tunc primùm eo ipſo quod vult, expugnet. Nempe cœleſtium ſphærarum motus, nunquam altius mentem attollere poteſt, quàm ad ſphæras. Nunc verò qui diſputat contra illas, eas iam tranſcendiſſe videtur: atque ad ipſum Deum, liberúmque voluntatis arbitrium acceſſiſſe. Et eodem libro in alia epiſtola ad Franciſcum Hyppolitum, Qui ſingula, inquit, neceſſariò fieri à ſtellis affirmant, tribus potiſſimum pernicioſis erroribus, & inuoluuntur ipſi, & vulgus inuoluunt. Nam ſummo & omnipotenti Deo, quantum in eis eſt, propriam rerum auferunt prouidentiam, abſolutúmque totius mundi imperium. Angelis verò qui ita apud illos cœleſtia mouent, vt omnia inde hominum ſcelera, omnia mala bonis, omnia bona malis proueniant, iuſtitiam adimunt. Hominibus denique qui non minus quàm beſtiæ, vt illis videtur, huc & illuc impelluntur, auferunt libertatem, omníque priuant tranquillitate. Ioannes Picus Mirandula in eodem argumento ſe exercuit, capite quarto, libri quarti contra Aſtrologos, cuius opinio paulò poſt commodius conſiderabitur. Nunc verò quæ fato ſubſint, & vtrum hæc vitari nullo modo poſſint, videamus. Si fatum in corporis prin-

cipiis ponitur, vt à Democrito in atomorum concursione, aut à Chaldæis, sicut modò dictum est, in virtute ab astris influente, certum est, si verè iudicare volumus, non omnia fatali necessitate teneri. Quoniam illa nullam vim habere possunt in ea quę corporis omnino sunt expertia: animis autem in vita hac cum corporibus cõiunctis, propẽsionem quidem afferre possunt, sed nequaquam necessitatem. Animi enim in vitia propensio varia, vt Cicero scribit libro de Fato, ex naturalibus causis nasci potest: extirpari autem & funditus tolli, ita vt is ipse qui ad ea vitia propensus fuerit, à tantis vitiis auocetur, non est positum in naturalibus causis, sed in voluntate, studio, disciplina. Idque est quod Plotinus dicere voluit, cap. 8. lib. de Fato, animam esse supra fatum, in fato, sub fato. Si anima, inquit Marsilius, in illud Plotini caput, omnino extra corpus sit, similiter est extra fatum. Si sit in corpore, quatenus indulget corpori naturaliter patienti sub fato, ipsa quoque eatenus in fato patitur. Sin autem pro viribus se à corpore segregat, solámque huic vim accommodat vegetalem, in fato duntaxat computatur vt agens, agit tamen pro conditione fortunæ. Et nõnulla quidem ipsa vel naturali facultate permutat, vel arte quadam emendat & corrigit, vel magnanimitate facillimè tollerat. Quod autem anima eatenus fatum subeat, quatenus se immergit in corpus, ostendit Timæus dicens, animas tunc primùm didicisse fatales leges, cùm sunt coniunctæ vehiculis. Hinc enim fati trahuntur exordia. Sed interea quòd libero motu & fatum adeant, & deinceps quandoque se soluere possint, declarat quod ait Plato & in Timæo, & 10. de Repubi. Deum docuisse animas tum fatales leges, tum rationem iuris diuini, pariter & humani, vt extra culpam Deus existeret: & addit, virtutem rationémque liberam esse. Si verò fatum statuitur in Dei prouidentia, hoc certè modo non tantum vniuersa (quod hic Alcinous ait) sed & singula, fato quodammodo subsunt. Nempe quatenus omnia Dei cognitione suo modo continentur, eiusdémque voluntate reguntur. Quoniam etiam peccata, vt scribit Origenes in Genesin, quãquam ab eius voluntate non proficiscantur (quod quidam impiè affirmant) tamen sine eius aliqua prouidentia non sunt, per hãcque ex eisdem certa quædam commoda eliciuntur, & ad aliquam naturæ vniuersæ commoditatem nonnunquam referuntur. Sed hoc difficilius est, an quæ isto modo in fato sunt, & diuina prouidentia continentur, nulla ratione mutari possint. De quo non eodem modo, nec sine distinctione, in ipsius fati multiplici significatione respondendum. Nam si hoc in Dei prouidentia præscientiáque ponimus, sine errore dici illud potest, quod pluribus explicatum est ab eodem Marsilio Ficino, Dei essentiæ non minus opponi malum, quàm rerum contingentiam.

NB.

gentiam. Itaque hunc vt malum nonnunquam permittit, sic quoque permittere contingentiam. Atque sicut malum cùm accidit, ille sua infinitate hoc reuocat ad aliquod bonum: sic ipsum contingens eundem quodam modo in necessarium redigere. Quoniam quod dum erat futurum, poterat contingere vt foret, & non foret, idem cùm iā est, necessarium est existere: & cùm præteriit, necessarium est præteriisse. Quomodo etiam ex Aristotelis doctrina dicere solemus: omne quod est, quando est, esse necessarium vt sit: & hoc solo Deum carere, quia quod factum est, infectum reddere non potest. D. Augustinus cap. 9. lib. 5. de Dei ciuitate, nobis author est Ciceronem in Deo admittere noluisse, eorum quæ ad singulas actiones nostras pertinent definitam præscientiam. Quod vereretur ne hac posita, nobis nostræ voluntatis & arbitrij libertas ad futura contingentia, adimeretur. In quo, inquit, non eo errabat quod actionum nostrarum liberum principium vellet retinere, sed quod arbitraretur Dei præscientiam sic esse nostrarum actionum causam, vt in eadem ineuitabilem necessitatem inducat, nobisque nostram in eligendo libertatem adimat. Itaque etiam si Deus non modò res vniuersas, sed & singulas, etiam futuras, quæ ad nostras actiones pertinent, præuidere, præsciréque dicatur, quatenus hæ in suis causis continentur, illique præsentes sunt, non tamen ad illas omnes se habet eodem modo. Nam de illis quasdam præuidet, & definitè vult, quæ immutabiles sunt, quia eiusdem definita voluntas omnino immutabilis. In aliis præuidet quidem futurum vt hoc vel illo modo, voluntate nostra, & arbitrij libertate vtamur, quia futura omnia eidem sunt præsentia: neque tamen hoc vel illud determinatè vult, sed nostræ libertati relinquit. Quam si sua gratia adiuuat, in meliorem partem & ad virtutem dirigit: sin verò eiusdem gratia destituimur, vel quia ad nos ipsi hanc non allicimus, vel quia sua sponte influentem sicut debemus non excipimus, tum in deteriorem partem, in omnéque flagitij genus nos ipsi ruimus. Ex quo rectè factorum ille nobiscum, vel in nobis causa esse dicitur: peccata autem nos ipsi soli committimus, horúmque causa nulla ex parte ad eum referenda. De quo melius Plato lib. 2. de Republ. quam plerique de recentioribus qui se Christianos profitentur, videtur esse philosophatus. Nam eum optimum, imò qui sua essentia pura est, & immēsa bonitas, peccati in nobis causam dicere, quid aliud est, quàm in eundem aliquam cum peccato communicationem inducere? Quę multo magis ab eius natura aliena est, quàm ab ignis calore frigus, aut à Solis splendore tenebræ. Et tamen vel solo naturæ lumine, vel sola veterum philosophia duce, facilè intelligimus omnem causam necessariò quandam habere cum suo effectu communicationem,

nota: cū.

sine qua neque hunc potest omnino producere. Quanquam de proposita quæstione, ad fati necessitatem pertinente, veteres non eodem modo sunt loquuti. Nam Poëtæ fatum appellauerunt, totius concilij Deorum quasi decretum: cui ne ipsi quidem singuli Dij possent obsistere. Sic enim apud illos Thetis non potest impedire fata Achillis: neque Iuno Aeneæ. Et Iupiter luget mortem Sarpedonis: quasi diuturniorem vitam contra fata, illi non potuerit concedere. In quo eorum religionem variis rationibus exagitat Tertullianus in Apologetico contra Gentes. In eandémque sententiam dictum videtur, quod commemorat Plato libro septimo de Legibus, necessitati ne Deos quidem ipsos posse obsistere: aut quod idem ait in Gorgia, mulieres dicere solitas, neminem vitare posse fatum. Melior est Gregorij Nysseni sententia capite quarto libri de Fato, vbi Platonis opinionem ita corrigit. Quod Dei ordinationem & voluntatem Plato fatum appellat, inquit, & quod fatum prouidentiæ supponit, parum certè à diuinis eloquiis distat, solam prouidentiam omnia dispensare dicentibus. At multum differt, ex necessitate sequi fines qui sunt in nobis affirmans. Nos enim non secundum necessitatem sequi ea quæ sunt prouidentiæ dicimus, sed contingenter. Nam si *secundum* necessitatem, primùm quidem rationis pars tollitur. De *solis* enim actionum principiis rationes erunt secundum eum, vt meliora eligamus. Post electionem autem inanis est deinceps ratio, his quæ sequuntur ex necessitate inductis. Nos verò in hoc quoque rationem posse determinamus. In prouidentia enim esse naufragari nauigantem vel non: neque ex necessitate quidem alterum esse, sed contingenter. Non enim sub necessitate est Deus: neque voluntatem eius seruire necessitati fas est dicere. Quoniam necessitatis est conditor. Nam necessitatem sanè imposuit astris, vt semper secundum idem moueantur: & mare circumterminauit, & vniuersalibus & generalibus necessarium terminum imposuit. Quem si fatum vocare volunt, eò quod vbique & semper secundum necessitatem sit, vt omnia per successionem sint in generatione & corruptione, nihil curamus. De nominibus enim non velitamur aduersus eos. Ipse verò suprà omnem necessitatem non modò consistit, sed & dominus & factor eius est. Omnipotens enim existens, & suapte natura ipsa potestas, nihil neque naturæ necessitate, neque legis dispositione facit, omnia verò sunt ei contingentia, etiam necessaria. Et vt hoc monstretur, cursum Solis & Lunæ, qui necessitate feruntur, & semper vno modo habent, quandoque stare fecit: vt ostendat nihil à se secundum necessitatem fieri, sed omnia per potestatem contingenter. Semel autem talem diem fecit, veluti scriptura significauit, vt

solùm monstret, non verò vt dispositionem necessarij astrorùm motus, quam à principio imposuit, dissoluat. Ita & quosdam homines in vita conseruat, vt Heliam & Enoch mortales existentes, & corruptioni subiectos, vt per omnia hæc potestatem eius, & non necessitate coactam voluntatem intelligamus. Atque hæc quidem ille rectè de Dei potestate, liberáque voluntate, quæ superior est omni virtute cœlestium corporum, causarúmque naturalium suo ordine connexarum. De anima verò nostra quomodo tali fato soluta sit, vel eidem obnoxia, discamus ex Iamblicho libro de Mysteriis Aegyptiorum. Homo, inquit ille, duas animas habet, vt Mercuriales literæ docent. Vna quidem est ab intelligibili primo, atque ipsius opificis potentiæ particeps, altera verò ex circuitu cœlestium nobis indita, in quam & anima speculatrix diuinorum irrepit. Anima igitur à mundis in nos descendens, mundorum quoque circuitus sequitur. Quæ verò ab intelligibili veniens, intelligibiliter adest, geneficum circuitum supereminet. Atque per hanc à fato soluimur, & ad intelligibiles Deos ascendimus, & religionem habemus ad æterna tendentem. Non igitur putandum est, de quo tu dubitabas, omnia insolubilibus necessitatis vinculis, quod fatum nominant, colligari. Habet enim anima principium in se proprium, quo ad intelligibile se conferat, & discedat quidem ab his quæ gignuntur: ad ipsum verò ens accedat, atque diuinum. Gregorius Nyssenus capite tertio libri de Prouidentia, cùm antea fatum diuinæ prouidentiæ subiecisset, hanc triplicem facit. Prima, inquit, est Dei. Consulit verò hic primo loco propriis, deinde vniuersis, vt cœlestibus orbibus & astris, omnibúsque rerum generibus, vt substantiæ, quantitati, qualitati, & aliis talibus, atque formis quæ his subiectæ sunt. Secunda qua consulitur singulis animalibus & plantis, horúmque ortui & interitui, cæteríque mutationibus. Quam quidem prouidentiam Plato attribuit Diis minoribus, qui per cœli ambitum feruntur: Aristoteles verò Soli & Zodiaco circulo. Tertia verò rebus humanis propria est: quam Dæmonum esse vult, circum ipsam terram viuentium, & humanis actionibus præfectorum. In quibus prouidentiæ gradibus, secundus & tertius à primo pendent. Quoniam Deus rerum omnium opifex, & moderator, secundos & tertios consultores instituit. Addit Bessario Cardinalis capite nono libri secundi contra Trapezuntium, primæ prouidentiæ vim immutari, aut impediri nullo modo posse. Quoniam scilicet in hac duo coniuncta sunt, Dei præscientia, & eiusdem determinata voluntas:

quibus quæ definita sunt, ea nihilo magis quàm ipse Deus immutari possunt. Qualia quæcunque sunt, eadem absoluta fatali necessitate contineri dici possunt: modò ne quis inter Christianos (vt antea ex Diuo Augustino dictum est) fati nomine offendatur. Quæ verò ad secundam & tertiam prouidentiam pertinent, hæc idem ait facilè immutari posse, & euitari. Quia in his interueniunt multæ causæ, quæ ad vnum effectum determinatæ non sunt, & interturbari facilè possunt. Alij in fato duo inesse aiunt, diuinam voluntatem ad hunc effectum determinatam, & ordinem causarum intermediarum, harúmque in agendo liberarum & contingentium. Prius immutabile esse fatentur, posterius, mutabile. Sícque dictum videtur à Boëtio libro quarto, de Consolatione philosophica, fati seriem mobilem esse, quæ ab immobilis prouidentiæ exordiis proficiscatur. Fatum, inquit Marsilius in duodecimum de Legibus Platonis, immobilis quædam est in anima mundi rerum mobilium distinctio: sed materia in quam agit per instrumentum, est moles elementorum. In quo videtur communis naturæ ordinem fato subiicere, vel fati instrumentum in ordinatis naturæ causis ponere. Quod sequutus est Genesius Sepulueda cùm libro primo de Fato, horum duorum comparationem ita concludit. Fatum, inquit, prorsus nihil aliud est, quàm ipsa natura, & quod natura fit, fato fieri dicitur. Neque enim homo ex homine, elephantus ex elephanto natura procreatur, fato non item: sed cùm re fatum & natura consentiant, solo vocabulo distrahuntur. Quæ nihil aliud sunt, quàm primæ causæ generationis naturalis singulorum efficientes, hoc est corpora cœlestia, & ipsorum rata constansque vertigo. Quanquam hic in maximè varia & multiplici huius vocabuli significatione, nudè nimium & simpliciter, sine vlla distinctione, de hac ipsa comparatione pronuntiasse videtur: nec omnino fortasse ad mentem Theologorum & Philosophorum, vel ad consuetudinem eorum qui latinè sunt loquuti. Est enim alia fati significatio Theologica, non in natura tota posita, sed à diuino consilio pendens, in Deíque partim prouidentia, partim præscientia posita: quæ eadem cum ipsa natura dici non potest: sed hac longè superior est. Atque Cicero fatum ab ipsa natura distinxisse videtur, cùm dixit Philippica secunda, multa posse contingere præter naturam, prætérque fatum: sicut & Virgilius Aeneidos quarto, cùm de Didonis morte violenta ait,

Nam quia nec fato, merita nec morte peribat.

Vt scilicet hoc modo naturale esse dicatur, quod pendet ab ordinatis vniuersæ communísque naturæ principiis: fatale, quod præter,

& supra communes naturæ causas, diuina voluntate contingit. Sic enim & Aristoteles lib.1. de cælo, quando scribit Deum & naturam nihil frustra facere, quanquam naturæ opificem, vel certe moderatorem Deum agnoscat, naturæ tamen attribuit quæ ordinata, Deo vero quæ præter eius ordinem accidunt. Iam verò in hac multiplici & varia huius vocabuli significatione, de fato quid Platoni & Aristoteli videatur, inquiramus. Plato in Phædro Adrastiæ nomine fatum, vel certè diuinam prouidentiam videtur voluisse significare. Regula Adrastiæ, inquit, hæc est vt quæcunque anima Deum comitata verorum aliquid inspexerit, ea vsque ad circuitum alium sit indemnis: & si semper hoc facere queat, sit semper illæsa. Atque idcirco Socrates lib.5. de Rep. leges daturuse, iusdem Adrastiæ opem implorat: quod in hac prouidentiæ diuinæ ineuitabili necessitate situm arbitretur legum diuinarum & humanarum principium. Sicut Cicero lib. de legibus, scribit ab ipso Deo legum esse capienda exordia. In Timęo vero, sicut antea notatum est, ait Deum animis noua corpora ingredientibus fatales leges præscribere: ne ex harum ignoratione cõtra peccatũ homines excusationem quęrant. At idem lib.2. de Rep. cum ad fatum singulorum pertinere videretur Homeri fabula de duob⁹ doliis, quæ hic iacere scribit in Iouis lumine, quorum vnum quidẽ plenum est sortibus bonis, alterum malis, ex quibus vitæ humanæ conditionem Iupiter ipse temperare diceretur, hanc ille in sua ciuitate ferendam esse negat, quod ea Deum malorum esse causam facile tandem hominibus persuasura videretur. Quid his faceret, qui cum hodie se Christianos profitentur, peccata quantumuis nefanda cum diuina prouidentia consentire dicere audent? imo ea à diuina prouidentia, vt à causa principe per malorum dęmonum atque hominum ministerium tantùm proficisci? De quo placet superiorem Platonis locum ad verbum citare: vt eo vel solo naturæ lumine instructi, discamus de Deo magnificentius sentire & loqui, quàm hi ipsi, qui cum nescio quam religionis restitutionem in integrum polliceantur, huius fundamenta istiusmodi nefanda atque impia ponunt. Non igitur Deus, inquit Plato, cum bonus sit, omnium causa est, vt multi dicunt: sed paucorum quidem in hominibus causa est: multorum vero extra causam. Multo enim pauciora nobis sunt bona quàm mala. Et bonorum quidem solus Deus causa est dicendus. Malorum autem quamlibet aliam præter Deum causam quærere decet. Neque Homeri igitur, neque alterius poëtæ accipiendum est peccatum, stultè de diis dicentis, in Iouis limine duo iacere dolia plena sortibus, bonis vnum, malis alterum. Cúmque ex his Iupiter inuicem commixtis impertit alicui, aliâs huic bene, aliâs male est. Cui vero ex altero datur, hunc

vesana fames super terras exagitat. Neque vero admittendum est Iouem nobis penuarium esse bonorũ atque malorum. Quanquã hanc ipsam opinionem Plato potuit eiusdẽ Homeri testimonio etiam refellere: qui Iouem facit reliquos Deos sic alloquentem.

Quam temere incusant mortales numina, nósque
Authores faciunt, si quid sensére malorum:
Cum præter fatum his pariat mens stulta dolores.

Idem vero Plato de fatali necessitate in naturæ vniuersitate, sic scribit in Epinomide. Animæ intellectum habentis (de ea autem loquitur quæ est Vniuersi) necessitas est omnium necessitatum maxima. Ducens enim, sed non ducta gubernat. Quãdo autem anima, quæ res optima est, consilio secundum optimum intellectum se gerit, tunc sine peruersione id quod verè secundum intellectum perficitur, necessario eueniet: nec adamas solidius immobiliúsq; esse poterit. Sed tres profecto, Parcæ quod singuli Deorum optimo cõsilio deliberarunt, perfectum cõseruant. Obscurior est de eadem quæstione sentẽtia Aristotelis. Quem tamẽ Cicero libro de fato, inter eos philosophos enumerat, qui censent omnia fato fieri, fatúmque ipsum vim necessitatis habere. Ac mihi quidem videtur, inquit, cum duæ sententiæ fuissent veterum philosophorum, vna eorum qui cẽserent omnia ita fato fieri, vt id fatum vim necessitatis afferret, in qua sententia Democritus, Heraclitus, Empedocles, Aristoteles fuit: altera eorum, quibus viderentur sine vllo fato esse animorum motus voluntarij, Chrysippus tanquã arbiter honorarius mediũ ferire voluisse, sed applicat se ad eos potius qui necessitate motus, animos liberatos volunt. Dum autem verbis vtitur suis, delabitur in eas difficultates, vt necessitatem fati cõfirmet inuitus. Sed hoc mihi, pace Ciceronis dixerim, non satis cum eo videtur cõsentire, quod Aristoteles ipse libro de interpretatione, disputat vno capite de futuris contingentibus. Vbi manifestum est eum pro absurdo habere, si quis dicat earum enunciationum, quæ de rebus singulis in futuris contingentibus contradicunt, determinatè vnam partem veram esse, alteram falsam. Quoniam, vt ait, rerum cõtingentia tolletur, omniáque futura, ex necessitate futura erunt: omnísque è vita tolletur deliberatio & actio. Neque vero eadem magis consentient cum aliis permultis, quæ ab eodem Arist. dicuntur in Ethicis de deliberatione, & electione in omnibus quæ ad vitã & mores pertinẽt, déq; libera ratione virtutum omnium comparandarum. De quo etiã aliud visum est Bessarioni Cardinali hunc cũ Platone in ista quæstione sic cõparanti cap. 9. lib. 2. contra Trapezuntium. Aristoteles, inquit ille, vsus quidem fati nomine est, sed quid fatum sit minimè declarauit. Videtur tamen ipse quoque naturã fatum vocare,

sed longe aliter quam Plato. Etenim si Alexandro eius expositori adhibenda fides est, Fatum iuxta Aristotelis opinionem, nō in substantiis æternis est, non in iis quæ semper eodē modo fiunt, sed duntaxat in rebus generationi corruptioniq; subiectis & natura aptis ad mutationem oppositorum. Vt non omnis natura, sed singularis tātummodo fatum contineat. Artem vero, arbitrium & omnem hominis rationem fato solui videtur existimare. Fatum itaque sententia Aristotelis non omnē complecti naturam, sed eam tantum modo partem quæ generatione ac corruptione varietur: idémque esse quod ipsam partē naturæ, & neque naturā neque fatum esse necessaria, sed, vt præter naturam, sic præter fatum multa euenire à diligentioribus eius expositoribus accepimus. Nec verba eius ex primo Meteor. ab hoc dissentire videntur. Horum omniū, inquit Arist. causa ponēda est, quod per tempora fatalia fiunt, vt in tēporibus anni hyems, sic circuitus cuiusdam longi pars hyems fit. In quibus verbis naturam fatum esse dicere videtur. Hæc enim fatalia sunt hyemis & reliquarum vicissitudinum tempora: quæ quāuis naturales habeant reditus, non tamen tales vt trāscendi non possint. Vnde fit vt etiam præter fatum possit aliquid fieri: videlicet in iis rebus quæ generationi dantur. Vt etiam quinto physicæ auditionis libro dictum legimus, an generationes etiam sint violentæ, nec fatales, quibus contrariæ naturales sunt. Ex quibus omnibus ita concludit idem Bessario. Cum itaque violentum & non fatale pro eodem Aristoteles accipiat: profecto quod secundum naturam fit, idem esse quod fatale, sententia eius exploratum est. In quibus omnibus nescio num Arist. in loquendo veterum physicorum opinionem sequutus, necessitatem descripserit conditionibus materiæ fluentis: qualis est in rebus quæ oriuntur & intereūt. Quam in eisdem fortè sequi dicatur εἱμαρμένη, id est fatalis cohærentia effectuum cum suis causis. Etiam si hanc eiusdem necessitatis in natura obseruandæ rationem ex materia petitam, in eisdem veteribus physicis multis locis reprehenderit, vt lib. 2. Physic. & libro 1. de partibus animalium. De eodem Aristotele sic scribit Theodoretus Cyrensis libro 6. de curatione græcarum affectionum. Nichomachi filius Aristoteles, Luna tenus, inquit, putauit Dei prouidentiam rebus præesse. At ea omnia quæ infra Lunam subsidunt minus Deum curare, sed eorum gubernationem tradidisse fatorum necessitati. Cui quidem tantam tribuebat vim, vt non solum diuitias, paupertatem, prosperam valetudinem, morbos, seruitutem, bellum pacémque ab immortalibus dispensari, sed virtutem quoque & vitium tribui diceret. Ex quo inueterata opinio est de Peripatetica doctrina, quod de Deo diuináque prouidentia male

sensérit. Sic enim Origines lib.1. contra Celsum scribit Aristotelem Epicuro haud inferiorem, quod in diuinam prouidentiam fuerit impius. Et lib.2. ait Peripateticos affirmare nihil prodesse præces vel sacrificia diis oblata. Sed nescio profecto ex quibus Arist. locis hæc illi potuerint colligere. Nam his quæ de virtute & vitio à Theodoreto dicta sunt, aduersari videntur quæ scribit Aristo. cap.9. lib.1. & cap.5. lib.2. Ethic. De diuina autem prouidentia quid à philosopho naturæ genio expectari potuit maius eo quod scriptum est libro de mundo ad Alexandrum? Vetus est sermo, inquit, à maioribúsque proditus, inter omnes homines, vniuersa tum ex Deo, tum per Deum constituta fuisse atque coagmentata: nullámque naturam satis instructam ad salutem esse posse, quæ citra Dei præsidium suæ ipsa demum tutelæ permissa sit. Quocirca veterum nonnulli eoúsque prouecti sunt, vt hæc omnia dictitarent Deorum esse plena, hauiríque eorum spectra ab hominibus, oculis & auribus reliquísque sensibus: sententiæ illi quidem fundamenta iacientes diuinæ fortasse potentiæ, non item diuinæ naturæ congruentia. Etenim cunctorum quæ rerum natura cõplectitur, cum seruator est Deus, tum vero quæcunque in hoc mundo quo quomodo perficiuntur, eorum omnium idem genitor est: non sic tamẽ ipse vt opificis in morem animalísque lassitudinem sentientis, labore affici possit: vt qui ea facultate vtatur quæ nulli cædat difficultati. Cuius ipse vi facultatis, omnia in potestate continet: nec minus etiam quæ longius ab ipso videntur esse summota. Eodem libro causas secundas diuinæ prouidentiæ subseruientes agnoscit: nec vult Deũ ad omnia pari gradu se demittere. Si è dignitate regis haud quaquam esset, inquit, Xerxem functione propria administrare omnia & absoluere quæcunque facta cuperet, ne ipsum quidem optimis faciendis instantem, curatoris operum officio perfungi: longe id nimirum minus Deo conuenit. Quare augustius id decentiúsque existimandum est Deum summo in loco ita esse collocatum, numinis, vt tamen eius vis per vniuersum mundum pertinens, tum Solem Lunámque moueat, tum cælum omne circumagat, simúlque causam præbeat eorum quæ in terra sunt salutis & incolumitatis. Cum vero alia multa sint quæ ex eiusdem Aristotelis doctrina colligi possunt, ad diuinam prouidentiam, quæ cum quæstione de fato coniuncta est, pertinentia, in eis non elaborabo hoc tempore. Quòd hæc magna ex parte repeti possint ex iis quæ antea dicta sunt de Deo, digressione 3. Commentario in cap.9.

3 Ex Platonis sententia, singula in fatis non sunt, nisi prout continentur vniuersis, ad quæ fatales leges pertinent. Illa autem, sicut etiam Peripatetici docent, in

in vniuersis tãtum sunt potestate. Quo fit vt & in fato esse dicantur, nequaquam tamen fato esse definita. Nam fati, diuinæ prouidentiæ & præscientiæ ratio cõiuncta est. Prouidentia autem Dei & præscientia à Platone in ideis omnino est posita: hæ autem, vt antea dictum est, non sunt singulorum, nisi vt ad vnam cõmunem naturam reuocantur. Quanquam non omnibus Platonicis hæc sententia probata est: minime vero his qui Platonicorum doctrinam cũ nostra religione hac in parte conciliare voluerunt. Nam Marsilius Ficinus Commentario in lib. Plotini de diuina prouidentia, eam sic exagitat. Deus si intelligendo facit omnia, inquit, nimirum & faciendo intelligit omnia. Intelligit, inquam, nõ solum quædam omnibus cõmunissima, sed etiam vnicuique propria, quibus vnũquodque in suo esse actúq; perficitur. Alioqui confuse nimium intelligeret minimãq; intelligentiam possideret: ac res potius in potentia, & hac quidem remota confusáque cognosceret quam in actu. Accedit, quod si actio ipsius propria, intelligentia est, tanquam eminentissima ampliſſimáq; simul & intima, quoúsque agit eoúsque intelligit, & è conuerso. Agit autem in singulis etiam atque minimis peragendis: si quidem entis primi per singula quomodolibet entia certis ordinibus consequentia, ampliſſimus est influxus: & quæ post ipsum agunt, ipsius vbiq; virtute mouentur & agunt. Aguntur vero vbique non species ipsæ rerum, quæ æternæ sunt, quæ Deus ipsæ sunt, sed indiuidua. Aut ergo Deus nihil extra se intelligit atque agit (quod falsum est) aut agendo singula, intelligit eadem. Quæ nusquam fierent, nisi prius intelligerentur à Deo. Intelligit itaque Deus ipse singula, non distractus in plurima, sed collectus in semetipsum, quem intuendo velut totius exemplar, & causam causarum, perque causas omnium causam contuetur, omnia & contuendo curat & prouidet, quatenus ad finem singula dirigit atq; bonum. D. Thomas libro 3. contra Gentiles, tractat quæstionem eandem de diuina prouidentia, an sit singularium, & vtrum cum illa rerum eorundem contingentia possit consistere. Si Deus, inquit, cap. 75. singularium prouidentiam non habet, aut hoc est quia nõ cognoscit ea, aut quia non potest, aut quia non vult horum curam habere. Non potest autem dici quod Deus singularia non cognoscat: quoniam hoc idem refutatũ est cap. 19. lib. 1. Nec vero, quod Deus eorum curam habere non possit, cum eiusdem potentia infinita sit. Neque quod hæc singularia gubernationis capacia non sint, cum videamus ea gubernari rationis industria. Quo etiam loco variis argumentis efficere conatur, non esse satis vniuersalium cognitionem & curam in Deo ponere, aut dicere singularia tantũ in vniuersalibus ab illo secundum essentiã conseruari. Sed cum Dei prouidentia itémq; voluntas, sicut & essentia, immutabilis sit, ideóque verendum esse videretur, ne illa rebus singulis harũque mutationibus accõmodata, omnia circa res easdem necessitate quadam inæuitabili euenire, fateri cogeremur, idcirco in eo laborat potissimum, vt doceat talem futurorum ad res singulas pertinentium præsciẽtiam, nullam necessitatem inducere: aut cõtingentiam non tollere. De quo sic à Marsilio Ficino scriptum est in lib. D. Dyonisij de diuinis nominibus. Prouidentiæ sunt officia, inquit, primum quidem quando composuit vniuersum, suis quæque gradibus vbiq; disponere: secundũ vero res singulas quo naturaliter ordine sunt dispositæ, cõseruare, ac si præuaricentur, mox illas in ordinem redigere: tertiùm denique ita regere, mouere singula, sua cuiq; dispensare quẽadmodum naturæ cuiusq; conuenit. Cum igitur alia ab initio constituerit tanquam tota, alia vero tanquam partes: item alia superiora, alia inferiora: alia rursus stabilia, alia vero mobilia: & mobilia rursus alia ex seipsis libero quodam motu mouenda, alia ab aliis agitanda, cõsequenter suis quæq; conseruat gradibus & pro captu cuiusque dispensat: vniuersalia quidẽ munera totis, particularia partibus, maiora superio-

ribus passim ordinibus, inferioribus verò minora. Stabilia non impellit ad motum. Per se libero motu mobilia nusquam cogit: naturaliter coacta non liberat. Quanquam etiam locus hic Alcinoi aliam sententiam potest admittere. Significare enim fortasse voluit non in omnibus quæ in fato dicuntur esse, absolutam & definitam necessitatem inesse sed ex conditione tantum. Cum vero in ipsa conditione partes duæ sint, vna antecedens, altera consequens, antecedentem nobis esse omnino liberam. At cum in hanc nostra sponte atque electione inciderimus, non posse amplius consequentem vitari. Quod certe exempla duo quæ ex poëtis subiicit, satis apertè declarant. Nam quia erat fatale Laio si filium gigneret, futurũ vt ab hoc interficeretur: poterat quidem ille cauere ne filium gigneret. At cum filium genuisset, non poterat impedire ne ab hoc interficeretur. Cui simile est quod de cylindri motu per decliuia Stoici afferunt. In quo qui cylindrum protrusit, dedit ei motionis principium: quod erat in eius potestate. At cum à se cylindrum emiserit, iam per decliuia suapte vi atque natura mouebitur: nec amplius poterit ab eo qui protrusit, cohiberi. Quodquidem, vt Cicero disputat in libro de fato, ratione aliqua niteretur, si antecedens causam eam in se haberet cuius vi per se efficeretur, & omnino contineretur consequens. Permultum autem interest vtrum aliquid sit eiusmodi sine quo quippiam effici non possit: an eiusmodi cum quo aliquid effici sit necesse. Nam à filio quidem Laius interfici non potest, nisi hunc genuerit: at cum eum genuerit, nulla causa est cur ab eodem interfici sit necesse. Adde quod ex Gregorio Nysseno verè dici potest eos qui eiusmodi fatum constituunt vna adhuc in parte retinere libertatem rationis nostræ deliberantis de rebus agendis: in altera vero tollere. Ad principia enim vel ad antecedentia, ratio erit libera, vt possit hoc vel illud eligere. Post electionem autem deinceps libera non erit, his quæ sequuntur, ex necessitate inductis. Nobis vero in vtrisque, id est tam in antecedentibus, quam in consequentibus, inter quæ nulla est naturæ necessaria connexio, voluntatis nostræ & electionis libertas est retinenda. Sed ista quæstio de libertate voluntatis nostræ quo modo ea cum fato & prouidentia consistere possit accuratius hoc loco nobis est tractanda.

DE LIBERTATE VOLVNTATIS NOSTRAE ET arbitrij, philosophica disputatio.

Quæ digressio est duodecima.

DIfficilis per se quæstio de libero arbitrio, An sit: quæ ipsa comparatione cum fato diuináque prouidentia & præscientia, redditur difficilior, An scilicet arbitrij & voluntatis humanæ libertas cũ fatali necessitate definitáque Dei prouidentia, & præscientia possit consistere. In quibus duabus quæstionibus cum quædam sint diuinæ sapientiæ propria, quorũm tractatio in sacrorum scriptorum testimoniis considerandis consistit, alia vero philosophorũ: priora aut omnino prætermittam, aut leuiter attingam, ne in alienam possessionem videar irruere: in posterioribus elaborabo. Atque cõnabor efficere vt intelligatur philosophos naturæ lumine, in iis non modo non peruertere religionis fundamenta, quod nõnulli dictitant, sed ad hæc bene ponenda quasi viam parare: Atque de his qui se Christianos profitẽtur, eos qui in vita religionéq; libertatẽ arbitrij retinere conantur, id maxime agere vt voluntatem ad bene agẽdum excitent, & in eorum quæ recta sunt obseruatione cõtineant: alios vero qui eandem libertatem de medio tollere conantur, & nos in naturalem seruitutem volunt redigere, omnium maximè vita sua & factis pro ea inducere summam ad omne genus flagitij licentiam. Cum vero de arbitrij libertate quęratur, primo loco constituendum est quid arbitrium sit, quidque libertas, vt de horum cõparatione sine errore iudicemus. Atq; quoniã ipsius libertatis varij modi sunt, hi nobis hoc initio distinguẽdi: quia in omnibus non potest esse eadem quæstionis propositæ explicatio. Primum verò vt seruus ille esse dicitur, qui sui iuris nõ est, quique in omnibus actionibus nõ à se sed domini imperio, & voluntate mouetur: ita liber is qui sui iuris est, non alienĩ, quiq; in agendo à se mouetur, non ab alio. Hic vero primus modus est omnium maximè com-

munis,quo libere moueri dici possunt quæcúmq; mouentur sua spõ. te & ab insito principio non ab externa vi. Quo modo nõ solum belluarum sed plantarũ atque etiam rerum inanimatarũ naturales motus violentis cõtrarij,spontanei & liberi quadã ex parte dici possunt.Specialiore vero & cõtractiore quodã modo Arist.animalium motũ,qui progressionis est,à naturali motu rerũ inanimatarum distinguit,quod ille liber sit, hic vero minime. Nempe qnod animalium motus nõ sit ad certam loci differentiã determinatus, sicut est rerum inanimatarũ. Quanquã neque in eo adhuc est ea libertas quam quærimus:sicut neque in aliis animalibus ab homine, propriè dicitur arbitriũ aut volũtas: etiamsi in eis facultas discernendi vnum ab altero,adiunctũ quiddam habeat,voluntati aut arbitrio proportione respondẽs. Hoc enim interest, quod in belluis appetitio sequitur solã cognitionem sensus, quæ rerum singularum est tantum: in quibus si quid suauitatis appareat,ad illud bellua nõ potest toto naturæ impetu non ferri: ideoque in ea nulla appetitionis libertas. At in homine duplex cognitio est, vna superior, quæ rationis & intelligentiæ, hæcque notionibus vniuersis dirigitur: altera inferior, quæ ipsius sensus vel facultatis cum corpore communicantis, plerúmque superiori contraria. Ex quo cõtingit voluntatem humanam in huius duplicis cognitionis medio, contrariis fluctibus frequenter agitari, vnáque ex parte trahi à sensu ad vitium altera vero à ratione ad virtutem reuocari. In qua distractione quanquam nonnullis, vt Stoicis, naturæ humanæ integritatem spectantibus, ille ad virtutem propensior, aliis vt peripateticis, eadem vt iam deprauata in vitium sua sponte ruere videatur: philosophis tamen omnibus naturæ lumen sequentibus, eadem ad horum vtrumlibet libera est, quia vtriúsque horum particeps, ad neutrum est coacta. Alioqui ne rationis quidem particeps humana natura vere dici potest, nisi ratione posset voluntatem in eligendo dirigere, eámque ab illis reuocare,quæ sensus & corporis illecebræ, per falsas boni imagines nostræ cogitationi suggerunt. Et certe hac in parte animaduerti potest medium hominem permansisse inter eas naturas cum quibus communem habet vsum rationis & intelligentiæ. Angeli enim & mali dæmones, in naturalibus cum homine communicantes,in vsu ab eodem & à seinuicem sic differunt. Angeli voluntatem suam cum ratione & intelligentia Deo addixerunt: à quo nulla in re declinant: mali dæmones eandem addixerunt peccato,à quo non resipiscunt. Homines autem maximè liberam retinuerunt ad vtramlibet partem: quia possunt se per naturalia Deo addicere & ab eodem deficere: itémque à vitio declinare & ab eodem resipiscere. In quo Philosophica libertas arbitrij & voluntatis humanæ spectari

potest:nec ea,modò certis cautionibus regatur, à nostra religione aliena. Est verò vna libertas omnium maxima, qua quis ita sui iuris est,vt nemini omnino ex debito sit obnoxius: quo modo ne Angeli quidem liberi verè dici possunt. Quoniam quod habent summum, ei debent à quo acceperunt. Altera in consentiendo tantùm spectatur:qua quis ita se comparat,vt velit quæ Deus vult,nolit quæ ille nõ vult. Tertia quæ ad secundam adiicit quoque efficiendi facultatem: vt liber scilicet hoc modo esse dicatur,qui per se potest facere quę cũ Deo vult, per seque fugere quæ cum Deo non vult.De iis verò duobus posterioribus libertatis modis, omnis est contentio. Quod si in horum priore quæritur, an homo ita possit velle bonum, nolle malum, vt in eiusmodi voluntate nulla re contraria impediatur, aut in deliberatione quæ voluntatem hanc antecedit, nulla iudicij vel existimationis in contrarias partes fiat distractio,manifestum est neque eiusmodi libertatem in homines cadere. Quoniam hic in recto rationis iudicio quo vult ea quæ bona sunt, impeditur his perturbationibus quas parit pars animi inferior. Sui tamẽ in eo iuris est, quòd hoc ipso quod rationis est particeps, potest eiusmodi perturbationes de parte inferiore exorientes, reddere obsequentes superiori. Alioqui ne eum quidem suapte natura rationis participẽ esse dicamus. Quãquam sunt quidam qui existimant secundũ religionẽ nostrã post primi hominis lapsum,per quem serui peccati dicimur,vtramque libertatem & voluntatis & facultatis esse sublatam:non eò quidem,vt malum iam velle & facere nequeamus(ad hoc enim solum,vt aiunt,nobis nostra libertas est relicta) sed quia quod à Deo bonũ præcipitur, id nec velle liberè,nec præstare possumus. At mihi ne liberè quidem peccare is videtur, qui ex se non potest non peccare. Talis autem homo futurus est, si illi ad ea quæ recta sunt, voluntatem & facultatem adimimus. Imò ipsa ad peccandum propensio non tam libertatis est, quàm seruituris:neque à Deo declinare posse,facultatis est,aut potẽtiæ,quemadmodum neque claudicare posse, aut ægrotare, sed imbecillitatis potius aut impotentiæ. In quo qui verentur, ne posito arbitrio beneficiũ Dei erga nos imminuãt:hi meo iudicio non vidẽt, dũ huius beneficentiã vna in parte amplificare conãtur,se in altera prouidẽtiæ detrahere. Fecit enim Deus hominẽ primũ ita rationis participẽ,vt in eo summus esset naturæ cõsensus: nec motus vlli cõtra rationẽ exoriretur. Cũ verò hic peccauisset, nec rationẽ omnino amisit nec huius imperio priuat° est,sed qui in peccãdo ratione erat abusus, sentire cœpit,in iis motibus qui pertinẽt ad partẽ animi inferiorẽ,difficultatẽ maximã:cũ illi ante peccatũ,aut omnino nulli essent,aut sua

nota hæc

ſponte rationi obſequentes, nec vnquam huius modum excedentes. Ergo regeneratus eſt, & noua gratia auctus, non vt rationis particeps efficeretur, ſed vt ratione melius vteretur, eáque ſibi reditum pararet ad fœlicitatem eam qua primo peccato fuerat excluſus, aut etiã ad alteram fortaſſe ea meliorem. Atque illa quidem communis naturæ ſunt, tum primæ, quæ peccato deformata eſt, tum ſecundæ, quæ ipſa regeneratione reparata. Alia verò eius gratiæ propria quæ nec omnibus communis eſt, nec in eos quibus ineſt, ex æquo diſtributa. Ad quam præter præparationem nihil eſt libertatis noſtræ: omnia ipſi Deo accepta referenda ſunt. Vt cùm in prioribus & poſterioribus eiuſdem Dei beneficium agnoſcamus, omniáque nos illi debere fateamur, priora tamen & noſtra, & noſtræ libertatis dicere ſoleamus, poſteriora verò minimè. Quanquam ſi cum his Philoſophicis, ea quę ad religionem noſtram magis pertinent, volumus coniungere, ſic ſtatuendum eſſe videtur. Hominem in prima origine, iuſtitiæ eius participem, quæ inde originalis à noſtris appellatur (cuius ratio ex Platonica & Ariſtotelica iuſtitia generali, repeti quodammodo poteſt) verè fuiſſe in motibus voluntatis ſuæ liberum. Quoniam hæc nó ad quamuis boni ſpeciem tum ferebatur, ſed ad verè bonum, imò ad ipſum Deum, tanquam ad vltimum finem rerum omnium expetendarum: ex cuius nutu atque præſcripto, actiones omnes dirigebat. In qua libertate ſumma erat tum tranquillitas, quæ nullis impedimentis de ſenſibus corporeis enatis, interturbatur. Ipſáque appetitio animalis, quæ vulgò ſenſitiua appellatur, rationis imperio omnino erat ſubiecta: & in eo ſumma libertate fruebatur: eo ferè modo quo Angeli Deo ſemper adhærentes, omnium maximè liberi in agendo eſſe dicuntur. Primo verò peccato animus in ea quæ ad corpus pertinent degenerauit: hínque contraxit varias imbecillitates, per quas à recto rationis iudicio reuocatus eſt, factúſque obnoxius infinitis perturbationibus, in quibus focus extitit malorum omnium conſequentium. In iis autem idem animus fluctuans, ad peccandum longè propenſior extitit, quàm ad bene agendum: ac propter iſtam propenſionem nonnunquam ſeruus peccati eſſe dicitur. Neque verò poteſt ſe, ex ſeſe priori libertati reſtituere, per quam Deo adhærebat, & quæ ſuapte natura bona erant, ſemper appetebat: etiam ſi ſuum adhuc aliquod retineat rationis imperium, ſed nequaquam ſufficiens, ad id reſtituendum quod primo peccato eſt amiſſum: ad quod nulla philoſophica inſtitutio, aut humana quantauis diligentia, poteſt eſſe ſatis. Sed noua gratia influente hominis naturalia reparari, illúmque quaſi regenerari oportuit. Ex quo de humanæ voluntatis libertate propoſita quæſtio, non eandem in veterum Philoſophorum & Chri-

ſtianorũ ſchola explicationẽ poteſt recipere. Nam veteribus Philoſophis ſatis eſt docuiſſe, motus omnes de parte animi inferiore exoriẽtes, rationis imperio cohiberi poſſe: & ſi nõ omnino extingui, at certè ad eam moderationem reuocari, in cuius obſeruatione virtutes morum dicuntur eſſe poſitæ. Ad quam rem recta inſtitutione in præceptis Philoſophiæ moralis, rectéque agendi conſuetudine opus eſt, ſicut Ariſtoteles docuit in Ethicis: Plato verò in Theage aliiſque locis permultis adiecit diuinam voluntatem & benignitatem: ſine qua ne iſtam quidem virtutem moralem, exiſtimauit ab homine poſſe comparari. Sed nos in religione noſtra amplius aliquid requirimus, ad quod veteres Philoſophi ſolo naturæ lumine non potuerunt peruenire. Etſi enim Plato illud agnouerit, neque virtutes morales, neque politicas, quas purgantes appellat, in nobis perfici poſſe niſi Deo duce: atque etiam addiderit neminem poſſe ad Deum aſcendere (in quo ſumma eſt Philoſophicæ contemplationis perfectio) niſi quem Deus ad ſe rapuerit: imò ne poſſe quidem quemquam Deum cognoſcere, niſi cui Deus ipſe ſe aperuerit, & quaſi ſpectandum exhibuerit: non eſt tamen hoc ſatis ad Chriſtianæ libertatis in animo reparationem, etiam ſi in illis omnibus magna ſit ad hanc præparatio. Superiora námque omnia in eos cadere poſſunt, qui ea ſola ſtudioſè obſeruant, quæ naturalis legis ſunt. At nobis alio externo diuinóque opus eſt auxilio, quo ab hac ægritudine, quæ nos in peccati ſeruitutem propenſiores reddit, liberemur, & in eius fœlicitatis quæ vitam hanc ſequutura, ſpem non incertam, miniméque fallacem erigamur. Interea tamen nobis illud tenendum eſt, neminem noſtrum ex puris naturalibus ad malum cogi, etiam ſi ex naturæ deprauatione ad hoc maiorem habeat propẽſionem quàm ad bonum. De quo ſcitum eſt quod ſcribit Eraſmus in diſputatione, quam de quæſtione eadem inſtituit contra Lutherum. Interim abutar, inquit, veterum authoritate, qui ſemina quædam honeſti tradunt inſita mentibus noſtris, quibus aliquo modo videmus & expetimus honeſta: ſed additos affectus craſſiores, qui ſollicitant ad diuerſa. Porrò voluntas huc aut illuc verſatilis, dicitur arbitrium. Quæ tametſi ob relictam peccati procliuitatẽ, fortaſſe propenſior eſt ad malum quàm ad bonum: tamen nemo cogitur ad malum, niſi conſentiat. Quanquam ſi quando rationis imperio motus partis inferioris cohibemus, non id facimus ex nobis, quaſi ex nobis: quia primùm iſtam rationis vim in perturbationes à Deo accepimus, deinde quia ad hunc communem naturæ ordinem, ſpeciale etiam accedere potuit Dei auxilium. Et eodem libro. Gratia Dei, inquit, cauſa eſt primaria benefactorum, voluntas ſecundaria: quæ ſine illa primaria nihil poſſet, quanquã primaria ſine hac poſſit

omnia. Quemadmodum natura vis ignis vrit, & tamen principalis causa Deus est, qui per ignem agit: quæ vel sola sufficeret, vel sine qua nihil ageret ignis si se illa subduceret. Nam & Deus est qui liberum arbitrium dedit, eundémque liberauit, & sanauit. Debet ergo Deo homo liberum arbitrium, quemadmodum & gratiam: sed aliter, alióq; titulo. Quemadmodum hæreditas ex æquo obueniens liberis, non vocatur benignitas: quia per communem legem contingit omnibus. Si quid præter commune ius donatum est huic aut illi, liberalitas dicitur: & tamen in hæreditate debent etiam liberi agnoscere parentũ liberalitatem & gratiam. Melancthon quoque, cuius authoritate in hac quæstione lubentissimè vtor, cùm in animo nostro duo hæc insint, pars superior, cuius est ratio & intelligentia, atque inferior, cuius appetitio, in huius cum mente atque iudicio coniunctione, voluntatem ait consistere. Cùm verò quæritur, an humana voluntas sit libera, perinde esse ait, ac si quæreretur, an voluntas humana possit obedire legi Dei. Statuítq; illam suis viribus, sine renouatione, aliquo modo externa legis opera facere, vt abstinere à cæde, à furto, à raptu, cæterísque eiusmodi, quæ cùm commissa sunt, ciuilibus legibus vindicantur. At non potest, inquit, hac libertate adimplere Dei voluntatem: sed ad hanc præparatur illa libertate, & in hac naturæ quadam bonitate, in eo scilicet in quo iam sua sponte pars animi inferior superiori est obsequẽs. Idem alio loco, Si in libertate arbitrij, inquit, quærimus an homo possit se liberare à peccato, & à morte æterna viribus naturalibus, certum est id non posse: sed potest permanere in externa obedientia iuxta legem, ex suis naturalibus, & ita parare se ad hanc liberationem quæ perficitur opera Dei. Aliud verò est quærere an habeamus liberum arbitrium, aliud an possimus libero arbitrio seruari, summúmque vitæ nostræ præmium consequi. Prius enim sic approbat D. Augustinus libro de Ecclesiasticis dogmatibus. Libertati arbitrij sui, inquit, commissus est homo statim in prima conditione: vt sola vigilantia mentis annitente, etiam in præcepti custodia perseueraret, si vellet in eo quod creatus fuerat, permanere. Postquam verò seductione serpentis per Euam cecidit: naturæ bonum perdidit, pariter & vigorem arbitrij, non tamen electionem: ne non esset suũ quod euitaret peccatum, nec meritò indulgeretur, quod non arbitrio diluisset. Manet itaque ad quærendam salutem arbitrij libertas, id est rationalis voluntas: sed admonente prius Deo, & innitente ad salutẽ, vt vel eligat, vel sequatur, vel agat occasione salutis, hoc est inspiratione Dei. Vt autem consequatur quod eligit, vel quod sequitur, vel quod occasione agit, Dei esse liberè confitemur. Initium ergo salutis nostræ Deo miserante habemus: vt acquiescamus salutiferæ inspirationi,

Melanchthon. citatur.

tioni,potestatis est nostræ:vt adipiscamur quod acquiescendo admonitioni,cupimus,diuini est muneris, vt non labamur in adepto salutis munere,solicitudinis est nostræ & cœlestis pariter adiutorij:vt labamur,potestatis nostræ est & ignauię. Posterius verò idem reprehēdit in Enchiridio ad Laurentium. Pars generis humani,inquit,cui liberationem regnúmque Deus promisit, nunquid meritis operum suorum reparari potest? Absit. Quid enim operari potest perditus, nisi quantum à perditione fuerit liberatus? Nunquid libero voluntatis arbitrio?Et hoc absit:nam libero arbitrio malè vtens homo, & se perdidit,& ipsum.Idem sequutus D.Hieronimus in epistola ad Ctesiphontem,cōtra Pelagianos,postquam multa disputauit de Dei gratia qua seruamur: de libero arbitrio, ne posita gratia hoc tollere videatur,ista subiicit.Frustra blasphemas, inquit, & ignorantium auribus ingeris,nos liberum arbitrium condemnare. Damnetur ille qui damnat. Cæterùm nos eò differimus à brutis animalibus, quòd liberi arbitrij conditi sumus:sed ipsum liberum arbitrium Dei nititur auxilio,illiúsque per singula ope indiget: quod vos non vultis. Sed id vultis,vt qui semel habet liberum arbitrium, Deo adiutore nō egeat. Liberum arbitrium dat liberam voluntatem, & non statim ex libero arbitrio homo facit,sed Domini auxilio,qui nullius ope indiget.Ego quidem de quæstione hac sic soleo apud me cogitare, in vniuersitate duos esse extremos hostes(nō tamen pari summóque imperio,quod nonnulli de veteribus flagitiosè existimauerunt) vnum Deum optimum, maximum, alterum dæmonem pessimum, & omnis mali authorem:hominem quasi in medio constitutum,ab vtroque horum ad sua inuitari:à dæmone quidem ad ea quæ pessima sunt, à Deo verò ad optima. In naturæ autem primordiis homini à solo Deo (nam in iis nulla est prorsus dæmonis potestas)rationem esse datam:in quam illius ætate progrediente, commune lumen ab eodem Deo assiduè effunditur,quo hic potest discernere recta à prauis,atque videre quanto illa his præstent. Quæ enim rationis quantumuis in primi hominis peccato læsæ,non tamen extinctæ,alioqui esset facultas,si ista nō posset discernere?Dæmonem contra,eidem rationi quas potest tenebras offundere, & in harū densa caligine,praua pro rectis, falsa boni specie velata,suggerere: rationē verò sua libertate erigere se aliquando in ea quæ recta sunt, dirigente Dei lumine: aliquando demittere se ad praua,dæmone in suis tenebris falsa boni specie ista velante. In quo si sua libertate recta non sequitur, quia Dei lumine ad hæc dirigitur: neq; certè ad ea quæ praua sunt,libera esse dicetur. Quoniā ad hæc falsa boni specie quam dæmon suggerit, inuitatur. Ergo ista externa sunt, diuinum lumen, & dæmonis caligo densa. Liberæ verò

noſtræ rationis eſt, vel ſequi diuinum lumen, vel denſa caligine ſe inuoluere. Quanquam diuinum lumen ſequendo, ſummam gratiã Deo habemus, qui rationem dedit, qui hanc ad agendum excitauit, eidémque in agẽdo præluxit. Quod verò denſa illa caligine inuoluti, in prauа ruimus, ad dęmonis quidem malitiam aliquatenus ex parte pertinet: ſed hoc à peccato nos non excuſat, quoniam noſtra ſponte aſciuimus nobis huius tenebras, quas repellere potuimus, & debuimus. Quomodo verò potuiſſemus, niſi eadẽ ratio quæ his tenebris ſe inuolui ſiuit, ad amplectendum diuinum lumẽ fuiſſet libera? Neque ab iis quantum naturæ lumine videri potuit, aliena eſt Platonis ſententia. Nam vt paulò ante indicauimus, in Theage, negat virtutis conſequendæ rationem, omnino in noſtra poteſtate ſitam, ſed à Deo petendam eſſe vult. Idem tamen in reprimendis animi motibus (quod propriũ virtutis eſt) hominis libertatem agnoſcit in legibus. Cùm quis ſeipſum vincit, inquit, prima hæc victoriarũ, atque optima eſt victoria. Cùm autẽ quis à ſeipſo ſuperatur, hoc verò ipſum eſt peſſimum ac turpiſſimum. Hæc enim ita contingunt tanquam contra nos ipſos bellum aliquod nobis inſit. Et eodem loco, Scimus autem hoc, inquit, huiuſmodi affectus tanquam inſitos nobis neruos quoſdámque funiculos, trahere nos prorſus retrorſumque reuocare: ſicut & ipſi contrarij ſibi ſunt, ita & nos trahere in contrarias functiones, quàm vbi diſcreta iam ſit ſedes vitij ac virtutis. Dictat enim ratio vnum eſſe tractionum eiuſmodi principatum: quem ſi quis conſectetur, vt ab eo nunquam deficiat, planè præſentit & modicas eſſe omnino vires affectionum, quæ in contrarias partes trahere conantur. Hunc verò ductum & principatum rationis eſſe aſſerimus. Et apertius lib. 10. Cauſas qualitatis cuiuſdam, inquit, pendere Deus dimiſit à noſtris ſingulorum voluntatibus. Qua enim prędītus cupiditate fuerit, qualitérve animo affectus, eo ferè ſemper modo taliſque vnuſquiſque noſtrum fieri conſueuit. Maior igitur anima & potentior quàm ſit virtus & vitium: quandoquidem & ſua ipſius voluntate, & valida conſuetudine immutatur. Etenim cùm diuinæ virtuti commiſcetur, egregiè tranſit in egregiã illam virtutem, ſanctíque cuiuſdam loci fit particeps: tota nimirum tranſlata in locum alium potiorem. Cùm verò contraria virtuti elegerit, ad contrarias quoque ſedes vitam ſuam traducit atque conſtituit. Ariſtoteles verò, ſcribit quidem cap. 9. lib. 1. Ethic. rationi eſſe cõſentaneum, ſi quod aliud munus à Diis hominibus datum eſt, fœlicitatem etiam ab illis eſſe datã: Idem tamen cùm eam ſtatuat in actione virtutis perfectæ, docet huius parandæ rationem in libera agendi conſuetudine cõſiſtere. Et lib. 6. contra Socratem diſputat vitia, quæadmodum & virtutes, eſſe libera. Atque in Logicis, cum libro de In-

terpretatione agit, de conradictionis lege in futuris contingentibus, negat in iis vnam partem definitè veram esse, alteram falsam, ne vt ait, humanarum actionum libertas, & de iis deliberatio tollatur. Sed de arbitrij libertate satis. Maior verò & difficilior quæstio existit, an hæc cum fato possit consistere. In quo fati nomine hoc loco vim eā non intelligo quæ ab astris in hæc inferiora influit. In qua non minus facilè quàm verè responderi potest, quod in Socrate Cicero confirmat libro de Fato, eam voluntati nostræ variam propensionem afferre posse, nequaquam tamen necessitatem, sed sapientem, vt dici solet, astris dominari. Verùm cùm antea positum fuerit, fatum diuina prouidentia contineri, hàncque non indefinitam esse, quod hic Alcinous ait, sed tam in contingentibus quàm in æternis definitam, atque omnino immutabilem (hoc enim Dei constantia postulat) hoc quæro vtrum ad ea quæ à Deo sic erunt præuisa, voluntatis nostræ libertatem adhuc retinere possimus? cùm hæc in vtramlibet partem possit eligere: ab illo verò ex omni æternitate definitè pars altera sit præuisa? Certè in eo longè facilius est dubitare, quàm dubitationis explicationem reperire. Ideóque aliorum vestigiis insistemus, vt possimus loco tam lubrico consistere. D. Augustinus libro tertio de Libero arbitrio, hoc ita explicare conatur. Voluntas nostra, inquit, non esset voluntas, nisi esset in nostra potestate. Porrò quia est in nostra potestate, libera est nobis. Non enim est nobis liberum, quod in potestate non habemus. Ita fit, vt & Deum non negemus esse præscium omniū futurorū, & nos tamē liberè velimus quod volumus. Cùm nim sit præscius voluntatis nostræ, cuius est præscius, ipsa erit. Voluntas ergo erit, quia voluntatis est præscius, nec voluntas esse poterit, si in potestate non erit. Ergo & potestatis est præscius, non igitur per eius præscientiam mihi potestas adimitur. Quę propterea mihi certior aderit, quia ille cuius præscientia non fallitur, affuturam mihi esse præsciuit. D. Thomas articul. 4. quæstion. 22. Summæ 1. ad eiusdem quæstionis explicationem statuit, diuina prouidentia omnia ita contineri, vt quemadmodum rebus effectis differunt, sic etiam suis causis distinguantur, rerúmque necessariarum causæ sint necessariæ, contingentium verò contingentes: atque ita Deum consulere quidem omnibus, sed pro varietate causarum secundarum id illum in nonnullis facere necessariò, in aliis cōtingenter, hęcque posteriora nostræ libertati ab eo esse relicta. Sed hoc rursum alias quæstiones continet. Primùm enim an in contingentibus non sunt ipsæ causæ Deo præuisæ, quemadmodū & effectus? Deinde etiā si quidā effectus causas suas definitas definito quoq; & immutabili modo sequuntur: alij ad eas se habeant inconstanter, hoc tamen de posterioribus quæri po

test, an ad diuinam prouidentiam, sicut ad suas causas inconstanter se habeant: ita scilicet, vt prouidentiam, prouidentiæque modũ non sequantur necessariò. Quod mihi in hac re videtur omnium difficillimum. Non quòd arguam rerum omnium etiam earum quas contingentes dicimus, Deum causam fore (in quo explicando nonnulli hoc loco laborant, ne eum peccati causam fateri cogantur) sed quia si ex æternitate ab illo præuisum erat, quid, exempli gratia, Socrati Athenis philosophanti euenturum esset (sicut certè præuisum erat, si omnia futura illi definita sunt atque præsentia) Socrati accidere erat necesse vt ab Athenienſibus morti adiudicaretur. Quia hoc non potuit Deo non esse præuisum? etiamsi huius rei causa Deus nullo modo sit. Præuisum verò cùm esset, non potuit non euenire. Quam dubitationem attigit quidem Eusebius cap. 9. lib. 6. de Euangelica præparatione, sed in ea explicanda cauere tantùm voluit, ne Dei præscientiam eorum omnium quæ à nobis fiunt, causam esse fateretur. Cùm Gentiles sapientes, inquit, præscire Deum vniuersa minimè negarent: necessariò nos agere quicquid agimus crediderunt. Nam si ab æterno, inquiunt, iniustum aliquẽ futurum Deus præuidit, nec scientia diuina falli potest, erit omnino ille iniustus: nec possibile est iniustum eũ non fore, cùm non possit aliter agere, quàm Deus præsciat. Ex quo ad sequentia etiam nonnulli descendentes, frustrà culpari iniustos contendunt. Similitérque de cæteris delictis & virtutibus opinantur. Vnde sequitur non esse liberam hominis voluntatem, si Deus futura præsciat. Aduersus quos dicendum est, inquit, quod omnia Deus ab æterno videat, antecedentia, sequentia, causas rerum atque effectus, nec tamen omnium est ipse causa. Nam quemadmodum si quis temeritatem alicuius hominis perspexerit, & quia ignorantem eum cognouerit, propter temeritatem eius non dubitet periculosa eum ac lubrica aggressurum itinera, in quibus lapsus miserè iacebit, non effecit hunc ipse temerarium illi homini lapsum: sic Deus cùm vniuscuiusque voluntatem præuideat, hunc perperam, illum rectè acturum non ignorat. Non ergo præcognitio futurorum causa, nec enim vllo pacto ad peccandum Deus quemquam impellit, aut mouet, sed econtrà (dicam enim etiamsi absurdum multis forsan videatur) id quod futurum est, causa est vt Deus euenturum illud præuideat. Non ergo ideò fit, quia præscitur: sed quia futurum erat, præscitur. Cum quibus consentiunt quæ scribit Dionysius Areopagita libro de Diuinis nominibus. Vnicuique propriè prouidet Deus, inquit, Quapropter vanum multorum sermonem nequaquam admittimus, qui asserunt diuinam prouidentiam oportere nos ad virtutem vel inuitos impellere. Non enim prouidẽtiæ est naturam peruertere. Imo

verò qua ratione est prouidentia, est vniuscuiúsque naturæ seruatrix. Quapropter his quæ per se mouentur, tanquam libero motu mobilibus prouidet, totíque & singulis quemadmodum illis atque his propriè cõuenit. Quatenus eorum natura quibus prouidetur, capere potest totius vniuersalísque prouidentiæ beneficia munera, prouidenter pro modo suo vnicuíque distribuit. Sed horum subtiliorem explicationem aliis relinquamus & Platonicorum sententiis hoc tempore simus contenti. Proclus in libro de Anima & demone, Dij, inquit, animabus vitas proponunt & eisdem postquàm elegerint, quæcũque electæ vitæ conueniunt, certa sorte determinant. Atque ita libertas arbitrij in media prouidentia continetur mouetúrque & determinatur inde, & in medio vertitur. & alio loco. Deus res diuisibiles, inquit, indiuisibiliter intelligit: quæ in tempore sunt, sine tempore, nõ necessarias, necessario: mutabiles immutabiliter, longe omnia melius quam ordo ipsorum & ratio postulet. Nam si omne quod in Deo est modo quodã peculiari & diuina natura digno, est: rerum etiam huiuscemodi cognitionem, rationem esse naturæ non caducæ & labilis & excellẽtissimæ atque inauditæ manifestum est. Vnita igitur & impassibilis earum rerum cognitio erit, quæ multiplices & passibiles sunt. Itaque licet res quæ sub cognitionem cadit, partibilis sit, tamen cognitio etiam partibilis rei, impartibilis est & quamuis res ipsa mutabilis sit, aut contingens, aut indefinita, illa tamen immutabilis, necessaria, definita est. Non enim extrinsecus pro rerum deteriorum natura suam cognitionem recipit natura diuina, ex quo fieret vt qualis res cognita natura sua est, talis eius cognitio haberetur. Sed hæc deteriora iuxta definitam deorum naturam indefinita sunt, & iuxta immutabilem mutationem patiuntur, & impassibilem notam passibiliter & intemporalem temporaliter recipiunt. Quippe deteriora digredi de melioribus possunt, sed meliora, hoc est Deos, admittere quicquam ex deterioribus nefas esset. In comparatione fati cum libertate voluntatis nostræ, multis verbis Chrysippi sententiam exagitat Eusebius cap. 7. lib. 6. de Euãgelica præparatione. Nam cum Chrysippus manifestum esse diceret, multa fieri à nobis, quæ si ad gubernationem totius referãtur, fatalia esse dicantur, vteretúrque ad id docendum exemplis eiusmodi: Non simpliciter, inquit, fatale fuit vestem te non posse amittere, sed si eam diligenter custodieris: ab hostibus quóque non capi fatale est, si hostes caueris: liberos quoque habere fatale, si vxorem volueris cognoscere. Nam si quis diceret Milonem pugilem intactum fataliter certamine abiturum, non rectè, inquit, arbitrareris si luctaturum eum putares: sic & in aliis se res habet. Multæ enim sunt quæ fieri non possunt, nisi nos quoque studium

conferamus. Ita enim fatalia sunt si nos voluerimus. Tandem Eusebius hæc subiicit. Miranda profecto, inquit, huius sermonis inconstantia. Nam quemadmodum dulce amaro & nigrum albo & calidum frigido contrarium est: sic & fatum libertati nostræ cõtrarium. Nam quæ fatalia sunt, siue nolis, siue velis, omnino fiunt. Quæ verò in nostra potestate sunt, ea sicut volumus diligentia nostra disponuntur. Si ergo diligenti obseruatione in ea factum est ne vestem amiserim: & liberi nati quia vxorem cognoscere volui: nec captus ab hostibus, quia fugi: & intactus à Gymnasio recessi, quia certare nolui, quo modo fatalia hæc erant? Nam si fatalia hæc erant, nihil voluntas mea contulit: & si contulit, non erant fatalia. Non possunt enim hæc simul conuenire. Sed hæc de proposita comparatione, fortasse plus satis. In qua sicut in superiore quæstione de fato, cauendum est ne eorum nominum quæ in disputationem cadunt, multiplici significatione fallamur.

5 Exemplum hoc ex Euripide desumptũ, declarat Eusebius & multis verbis exagitat cap. 6. lib. 6. de Euangelica præparatione. Atque in eiusdem accommodatione eam sententiam videtur reprehendere quam nunc sequitur Alcinous. Vtuntur sapientiores, inquit, ratione quadã Euripidis. Laium enim aiunt dominum sui fuisse, siue vellet filium procreare, siue nollet: filio vero nato, necesse fuisse ab eo interfici: quare potuisse id recte Apollinis prouidentia percipi. Verum filius quóque sicuti & pater suæ voluntatis erat. Et quemadmodum ille dare operam liberis, & non dare, sic iste interficere & non interficere poterat. Proclus vero libro de Anima & dęmone, eodem exemplo vtitur ad confirmandum Deos hominibus semper optimè consulere, etiam si præuideant hos non obtemperaturos. Apollo Pythius, inquit, hoc Laio respondit consulens ne filium generaret, alioquin dęmonum violentiæ subditum. Præuidebat tamen interea Laiũ oraculo non obtemperaturum: sed Phæbus tanquam bonus proposuit ei vitæ melioris electionem.

6 Vt quod fato definitum est, necessarium esse dicitur: sic quod libertati voluntatis nostræ subiicitur, id contingens, & possibile quod in vtramlibet partem euenire potest, etiam si fortasse in alteram sit propensius: idémque ipsi necessario contrarium. Qua occasione hic de possibili ab Alcinoo differitur, quod natura sua adhuc indeterminatum est ad verum & falsum, eóque his ex aduerso opponitur quæ fato determinatam habent veritatem. Quod vero sequitur de distinctione facultatis, cum eo diligenter conferendum est quod Aristo. scribit cap. 1. libro 2. de Anima, de duplici actu déque duplici potestate. Nam vt in rebus animatis primæ potestatis quæ ad materiam

pertinet, primum actum siue perfectionem in anima esse docet, secundum in eiusdem animæ functionibus: sic potestatis eius quam puer habet ad grammaticè loquẽdum vel scribendum, primus actus est in confirmatione habitus grammaticæ per disciplinam: secundus in illo exercendo qui iam quidem conformatus est, vt nulla noua disciplina sit opus, sed qui antea erat otiosus. Cum autem potestatis omnis proprium sit ad actum referri, ab eóque suam perfectionem accipere, id tamen in vtráque non cõtingit eodem modo. Si quidem ea quæ prima appellatur, per quandam mutationem à contrario in contrarium circa subiectum factam, suum actum assequitur: altera vero minime. Quam dissimilitudinem idem Aristo. sic explicat cap. 5. lib. 2. de anima. Est aliquid ita sciens, inquit, vt hominem scientem dicimus: ex eo quod homo in iis sit quæ scientiæ capacia sunt. Est etiam cum dicimus scientem eum in quo grammatica insit. Vtérque horum non eodem modo facultate præditus est, sed vnus quod genus tale est ac materia: alter eo quod si velit contemplari, potest nisi quid extrà impedimentum afferat. Alius vero rem considerat vsúmque scientiæ & cognitionis exempli causa A. iam habet. Ac primi quidem illi duo vim habent scientiæ, ita tamen, vt vnus disciplina commutatus & affectus, ex contrarióque habitu sæpe mutatus sit: alter ex eo quod cum sensu vel grammatica sit præditus nec agat, ad agendum se confert, longe diuerso à superiori modo.

In tertia philosophiæ parte de vita & moribus, ex Platone explicanda, ducit initium à fœlicitate: quam ponit in contemplatione & cognitione ipsius boni, in quo est hominis cũ Deo similitudo. Atque ostendit quàm variè similitudo hæc ab eodem Platone soleat explicari.

Caput 20.

[1] *Deinceps vero summatim colligenda ea quæ ab illo dicta sunt de moribus.* [2] *Illud quidem bonum quod dignissimum est & maximum, nec facile inueniri posse putabat, nec cum inuentum esset, tutum esse in vulgus efferre. Ideóque de notis paucos eósque de quibus antea iudicasset, huius auscultationis de summo bono, participes fecit.* [3] *Nostrum quidem bonum, si quis diligenter eius scripta repetat, ponebat in scientia & cõtemplatione primi boni: quod quidem & Deum & primam mentem, possit, quis appellare. Omnia enim quæ quacunque ratione ab hominibus numerantur in bonis, ea hoc nomine in illis haberi volebat, quod aliquo modo ipso primo dignissimóque bono participent. Quemadmodũ dulcia atque calida quadam primorum participatione eiusmodi appellationem sortiuntur. Ex iis verò quæ in nobis sunt, solam mentẽ atque rationem cum ipso bono similitudinem quãdam retinere. Quamobrem bonum nostrum, Pulchrum, Augustum, Diuinum, Amabile, Commensuratum & diuinis aliis nominibus appellatum.* [4] *Eorum autem quæ vulgo dicuntur bona, cuiusmodi sunt sanitas, pulchritudo, robur, diuitiæ & his similia, nihil esse omnino bonum nisi in vsum virtutis inciderit. Separata enim ab hac, materiæ tantum conditionem obtinere: in malum*

vero

vero cedere, abutentibus. Interdum etiam hæc caduca bona nominauit. Fælicitatem autem in bonis humanis non censebat esse, sed in diuinis atque beatis. [5] *Quare philosophorum animos reuera magnis & admirandis abundare ait, & à corpore separatos Deorum consuetudine atque mensa frui, cum illis habitantes & veritatis campũ perlustrantes. Quoniam in vita illius cognitionem expetiuerunt, eiusdémque studium omnibus rebus aliis posthabitis coluerũt.* [6] *Cuius beneficio cum illi repurgarint atque recrearint animi quasi oculum (qui extinguebatur & excæcabatur, dignior tamen cõseruatione innumeris oculis) ad vniuersi quod ratione præditum est, naturam comprehendendam apti effici potuerunt.* [7] *Amentes enim his similes esse qui in subterranea spelunca vitam degentes, splendidum lumen nunquam intuiti, cùm tenues quasdam vmbras eorum corporum quæ apud nos sunt, vident, arbitrantur se ea quæ sunt apertè videre. Vt enim hos, si quando datum sit è tenebris in lucem prodire, credibile est illa omnia quæ antea viderant contempturos, ac se ipsos multo magis, quasi fuerint delusi: sic & eos qui ex huius vitæ densa caligine ad ea quæ verè diuina sunt & pulchra, se conferunt, rationi congruum est ea quæ quondam admirati sunt, aspernaturos, ardentiorémque in illis contemplationis diuinorum atque pulchrorum cupiditatem futuram.* [8] *Quibus etiam consentaneum est dicere ipsum honestum solum esse bonum, atque virtutem ad beatam vitam se ipsa esse contentam. Quare bonum & pulchrum in scientia primi consistere & honestum esse, per omnes libros à Platone est declaratum. De iis autem quæ per*

participationem bona, sic in primo de Legibus. Duplicia bona sunt, quædã humana, alia vero diuina, & cætera. 9 Si quid vero à primo secretũ sit & eius essentiæ expers idq; ab hominibus qui sine mente sunt & intelligẽtia, bonũ appelletur, hoc in Euthydemo habẽti maius malũ esse ait. Ac quod virtutes per se ipsas expetendas putet, sumendũ est quasi ex eo consequens quod ipse existimauerit, id quod honestũ est solum esse bonũ: idque cũ plurimis locis demõstrauerit, tum maximè in tota Repub. 10 Eum enim qui prædictã scientiã sit adeptus, fœliciſsimũ esse atque beatiſsimũ: non honorum causa (quos, qui talis erit, consequetur) neq; propter præmia: verum etiam si omnes homines lateat, & si ea illi cõtingant quæ vulgo putantur mala, infamiæ, exilia, mors. At vero eũ qui hac scientia caret, etiã si cuncta poſsideat quæ putantur bona, vti diuitias, ampla regna, corporis sanitatẽ, robur & formã, nihilo magis esse beatũ. Quibus omnibus cõsentientem finẽ in eo ponebat, vt homines quoad possent, Deo similes efficerentur. Variè autẽ hoc explicat. 11 Interdum enim similẽ Deo dicit prudentem, iustum & sanctũ, quemadmodum in Theæteto. Quare enitendũ esse vt hinc ad illa quam citiſsimè confugiamus: fugã vero consistere in similitudine cum Deo, quo ad fieri potest: similitudinẽ autem in prudentia, iustitia, sanctitate. Nonnunquã etiam in sola iustitia, vt postremo libro de Repu. Neq; enim vnquã a Diis despicitur qui conatur iustus euadere: & qui virtutis officio, se se, prout homini datũ est, Deo similẽ reddit. In Phædone vero Deo similẽ effici vult temperantem simul & iustum, hoc modo. Nonne fœliciſsimi, inquit, & beati sunt & in opti-

mum locum migrant qui popularem ciuilémque virtutem quam temperantiam & iuſtitiam vocant, exercuerunt? Interdum igitur vitæ finẽ eſſe dicit Deo ſimilem fieri, aliâs autem Deũ ſequi: vt cũ inquit. 13 *Deus profectò vt antiquus ſermo teſtatur, principiũ finémque & mediũ rerũ omnium obtinens, recta ratione omnia perficit. Quem iuſtitia ſemper comitatur, vindex eorum qui à diuina lege deficiũt, cui ſua ſponte ſe ſubiiciens is qui beatus futurus eſt, demiſſus obtemperat. Nonnunquã hæc duo coniungit, vt cũ ait animum Deum ſequentem atque huic ſimilem factũ & cætera. Etenim vtilitatis principium ipſum bonũ: hoc autem ex Deo dicitur. Conſentiens ergo principio finis erit, Deo ſimilem effici: Deo, inquã, cæleſti, aut per Iouem ſupercæleſti: quíque virtutem non habet ſed hac præſtantior eſt.* 14 *Quapropter rectè quiſpiam dixerit* κακοδαιμονίαν, *id eſt infælicitatem, dæmonis ſiue genij peruerſitatem eſſe:* εὐδαιμονίαν *vero, id eſt fælicitatem, bonum dæmonis habitum.* 15 *Conſequemur autem vt Deo ſimiles efficiamur ſi natura conueniente fruamur, moribúſque educatione & ſenſu ſecundum legem: maximéque ratione & diſciplina præceptorúmque traditione. Ita vt ab humanis negotiis vt plurimũ mentem auocemus, ſemper in intelligibilia ipſa contemplatione defixi.* 16 *Præparationes vero & purgationes eius dæmonis qui in nobis eſt, ſi ſuperioribus diſciplinis initiemur: quales ſunt Muſica, Arithmetica Aſtronomia atque Geometria: addita etiam corporis cura per Gymnaſticam, qua ad obeunda pacis & belli munera, noſtra corpora melius afficientur.*

Iac. Carpentarij Commentarius in Cap. 20.

1 De his quæ pertinent ad vitam & mores qua ratione dictum sit ab Alcinoo loco postremo, antea obseruatum est. In hac vero philosophiæ parte Plato quidem Aristotele longe diuinior est, quia de summo bono, cuius in altera vita expectatio, nos debet in hac mortali ad omnia virtutis officia excitare, in eisdémque continere, philosophatur modo quodam admirabili, & communis humanæ naturæ lumen excedente. Sed tamen in illa sic Aristoteles versatur, vt in his quæ naturæ lumine videri possunt & iusta ratione probari, vix quicquam sit huius scriptis excellentius. Quare quâquam priore nomine meritò contendat D. Augustinus cap. 8. lib. 8. & cap. 1. lib. 1. de Dei ciuitate, Platonicos hac in parte principatum obtinere: hoc tamen Aristoteles superior est, quod ad præsentem humanæ naturæ conditionem magis se accommodat, & ad vnam formam quasi ad vnum corpus ea reuocat quæ apud Platonem sunt dispersa. Etsi nõnunquam ille etiam assurgit ad ea quæ diuina sunt, & cum initio sibi fingere videatur hominem mortalem, his rebus quæ corporis sunt atque fortunæ, in constituenda vitæ fœlicitate permulta tribuentem, ea ad extremum ita resecat vt in commendanda hominis excellentia ad Platonis diuinitatem proximè videatur accedere. Quod facile is cõcedet qui mecum attentius intuebitur primas lineas eius operis quod ab illo ad Nichomachum libris decem (quos tamen Cicero *libro 5. de finibus* scriptos suspicatur ab ipso Nichomacho Aristotelis filio) est absolutum. Nam quoniam, vt docet initio lib. 3. eiusdem operis, hominum de vita deliberationes à fine incipiunt, eorundémque actiones in finem desinunt, à quæstione de fine libro primo ducit initium: & per certos gradus omnem vitæ & morum explicationem eo deducit, vt libro 10. omnia referat ad alterum finem priore tanto superiorem, quanto diuinus homo mortali, quem animalem vocant, præstãtior est. Id vero ita facit vt cum etiam ex Platonicorum sententia virtutes ipsæ, quæ fœlicitatem continent, priores quædam sint animum purgantes, aliæ posteriores, huius iam purgati: ab initio libri 2. vsque ad finem 5. totus sit in distinguendis officiis virtutum moralium, per quas repurgamur his sordibus quas affert corporis cõtagio. Quibus postea subiicit libro 6. virtutis genus alterũ, quo pars animi superior atque melior exornatur. Indéq; lib. 7. progreditur ad virtutes heroicas, quæ cõmunem humanam naturã excedunt. Tandem vero lib. 10. desinit in cõtemplationem: per quam (illis moralibus virtutibus antegressis) nos corporis ergastulo quodã modo liberamus, & in vita hac quo ad possumus, deorum vitã imitamur. In qua fœlicitate Platonici omnes magistri sui doctrinã admirari solent, & Aristotelem quasi cæcutientem insectari. In reliquis duabus huius philosophiæ particulis hoc etiam verè videor esse dicturus, de his quæ ad rem domesticam & ciuilem societatem regendam pertinent, multo plura eádemque diuiniora apud Platonem quã apud Aristotelem extare: sed eo huius doctrinã esse superiorem, quod certa via atq; ratione philosophatur in iis omnibus quæ apud Platonẽ sunt dispersa. Nisi quod ille nõnunquã, præsertim in suis Politicis, nuda & simplici veritatis explicatione cõtentus nõ est: sed tam acutã cõtra aliorũ opiniones disputationẽ in pleriſq; instituit, vt hoc ipso molestus sit quod, vt aiũt, nõ potest manũ de tabula tollere. Quorsum vero hoc loco Alcinous ficut & Arist. in Eth. eorũ quæ pertinẽt ad vitã & mores, ducat initiũ à quæstiõe de fine & summo bono, intelligi potest ex eo quod Cicero scribit li. 5. de finib. Facit Lucius

aosterprudenter,inquit,qui audire de summo bono potissimum velit.Hoc enim constituto,in Philosophia constituta sunt omnia.Nam cæteris in rebus siue prætermissum,siue ignoratum est quippiàm,non plus incommodi est,quàm quanti quæque earum rerum est,in quibus neglectum est aliquid.Summum autem bonum si ignoretur,viuendi rationem ignorari necesse est.Ex quo tantus error cõsequitur,vt quem in portum se recipiant,scire non possint.

2 Hoc summum bonum Platoni idæa est bonorum omnium: hæc verò Deus ipse quem difficile est inuenire,aut inuentum cum hominibus communicare periculosum,antea ex eiusdem doctrina dictum est cap.9.Et certè sicut apud eundẽ Platonem res singulæ id ipsum quod sunt, à suæ ideæ participatione accipiunt, sic verè dici potest bona omnia ex Deo esse,& huius aliqua participatione bona censeri: in qua prout ad eundem magis minúsve accedunt, pro eo quoque magis minúsve bona sunt.Idem Plato lib.6.de Republ. quoniam ipsius boni,id est Dei,explicationem humanis viribus superiorem esse arbitratur,vmbram aliquã ad rudium imbecillitatem accommodatam quærit in huius filio, quem Solem appellat.Vereor,inquit Socrates,ne vires deficiant: atque ego supra vires ausus, ineptior appaream,tisumque audiẽtibus moueam. Cæterùm ô viri fœlices,quid ipsum bonum sit in præsentia dimittamus. Est enim, vt mihi videtur, præsentem supra contemplationem.Quis autem appareat boni ipsius filius,quisque simillimus ei sit,si vobis placet,dicam:sin minus dimittam.Deinde quis sit hic filius eodem loco ita exponit. Solem, inquit,me vocare boni filium dicito:quem ipsumbonum in hac secum genuit comparatione consimilem. Vt quemadmodum ipsum in loco intelligibili ad intellectum, & ea quæ intelliguntur se habet sic & iste in loco visibili ad visum se habeat, & ad ea quæ videntur. Quo pacto? Latius explica.Oculi porrò quoties non ad ea vertuntur, quorum colores diurnus fulgor illuminat ostenditque, sed ad illa quæ nocturnis radiis attinguntur, cæcutiunt hallucinantúrque, & propè cæci esse videntur, perinde ac si purus in illis visus non insit.Sic accidit. Quoties verò ad ea quæ Sol illustrat, perspicuè cernunt,iisque ipsis in oculis esse visus apparet. Est ita. Sic de animo cogita. Quando enim illi inhæret,in quo veritas & ipsum Ens emicat, intelligit illud, cognoscitque,& intellectum habere videtur. Sed quando ad id fertur,quod tenebris est permixtum,quod videlicet generatur atque corrumpitur, eius obtunditur acies,opinionésque versat varias, ac mentis expers esse videtur. Sic apparet. Illud igitur quod veritatem illis quæ intelliguntur præbet, & intelligenti vim ad intelligendum porrigit,boni ideam esse dicito, scientiæ & veritatis quæ per intellectum percipitur,causam.In eandem sententiam Plotinus libro de primo bono, docet ipsum vniuersi bonum Deum esse, & proprium cuique bonum in eo consistere,vt appetendo & agendo,ad ipsum vniuersi bonum cõuertamur. In omnibus verò esse aliquid boni,ipsam scilicet vnitatem, essentiam,speciem. Quæ in quibus vera sunt,in eisdem verum quoque bonum inesse, in quibus autem hæc tantum apparent, in eis falsam boni imaginem & speciem existere.Addit Proculus eam rationem secundum quam Platonici existimauerunt, hominibus ad hoc summum bonum esse aspirandum. His, inquit, qui ad summum bonum peruenire cupiunt,non scientia & exercitatione ingenij opus est,sed firmitate,quiete,tranquillitate.Quæ diuina fides est, quæ nos ad summum bonum, diuinaque omnia ineffabili ratione trahit, atque coniungit. Profectò non per scientiam aut actionem vllam ingenij exquirere summum bonum,aut ad ipsum aspirare debemus:sed offerre commendaréque nos diuinæ luci,& præclusis sensibus,in illa incognita & occulta entium vnitate quiescere. Hoc enim fidei ge-

nus omni doctrina antiquius est. Arist. ſcùm omnino Platonicas ideas labefactare conatus est, tum maximè hanc boni: contra quam rationes multas colligit cap. 6. lib. 1. Ethic. ſed. vt liberè dicam quod ſentio, magna ex parte vſque adeò leues, vt magiſtri verba magis quàm ſententiam inſectari videatur. In cæteris quæ pertinent ad fœlicitatem poſitam in contemplatione rerum intelligibilium, per quam Deo quoad poſſumus in vita hac ſimiles efficimur, magna ex parte cũ Platone conſentire videtur lib. 10. Ethic. & 12. Metaphyſ. Quod verò iſto loco dicitur de hoc ipſo bono, cuius explicatio non eſt cũ omnibus eodem modo communicanda, id patet latius, pertinétque ad omnia Philoſophiæ myſteria. De quibus ſic Plato in epiſtola quadam ad Dionyſium. Caue, inquit, ne hæc excidãt in aures hominum diſciplinæ eruditioniſque expertium. Nulla ſunt enim, vt mea fert opinio, quæ dicta ad populum magis ridicula videantur: neque quæ apud ingenuos prolata, magis admirabilia & diuina. Sæpe verò dicta, ſempérque audita, & multis annis, vix tandem velut aurum, cum magno labore purificantur. Nã quod in hac re mirabile contingere conſueuit, id audi. Sunt complures homines qui iſta iam audierunt: pollentes acumine, pollentes memoria, in examinando & iudicando ſolertes: prouecti iam ætate, neque minus triginta annis hæc audierunt. Hi tamen affirmant quæ auditu quondam incredibilia maximè videbãtur, ea ſibi nunc primùm valde credibilia videri atque perſpicua: & quæ tunc probabiliſſima, ea nunc ſibi contra videri. Hæc igitur intuens, caue ne quando te pœniteat eorum quæ indignè nunc exciderunt. Maxima verò huius rei cuſtodia nihil ſcribere, ſed addiſcere. Nam quæ ſcribuntur, contineri non poſſunt. Hac de cauſa nihil ego de iis ſcripſi vnquam, neque eſt Platonis opus præſcriptum aliquod, neque erit. Quæ autem modo dicuntur, Socratis ſunt: qui vir etiam dum iuuenis eſſet, virtute claruit. Atque id certé pertinet ad veterum Philoſophorum conſuetudinem Pythagoreis celeberrimam: qui nefas exiſtimauerunt, non modò de Deo, ſed omnino de ipſa Philoſophia cum omnibus eodem modo agere. Quæ etiam in Ariſtotelis ſcriptis peperit nobilem diſtinctionem operum in Acroamatica & Exoterica. De qua à nobis multa ſunt collecta, in diſputatione de ordine vniuerſæ Phyſiologiæ, priore parte noſtræ deſcriptionis Phyſicæ. Neque verò iſta veterum opinio de modo philoſophandi alio apud impetos, & apud eruditos, aliena eſt à noſtra religione, imò cum eadem hac in parte maximè conſentiens. In qua quæ ad Dei cultum regnúmque pertinent, rudibus & prophanis per ſimilitudines tantum explicantur, aliis ipſa veritas detecta apertius. Quare vt Pythagoras ſacra Philoſophiæ myſteria à mentis expiatione exordiebatur, expiationem verò ponebat in eiuſdem mentis reuocatione, a communicatione cum corpore, & ab illecebris voluptatum ad corpus pertinentium: ſic quoque in noſtra religione de Deo, cum iis tantùm accuratè agendum eſt, qui non modò aliis diſciplinis, quibus ad hunc via paratur, exculti ſunt, ſed multò magis animo repurgati. Scitum illud eſt Lyſidis Pythagorei ad Hipparchum, haud pium eſſe myſteria Philoſophiæ cum his communicare, qui ne ſomniare quidem animi purificationem potuerunt. Et certè multa ſunt, ipſorum etiam Platonicorum, de Deo dogmata, quę non modò vulgaribus improbabilia, ſed & apud eruditos difficilia. Ex quibus illud vnum quod proximo capite ab Alcinoo proponitur, Deum virtutem non habere, quoniam ſcilicet omni virtute ſuperior, Cui adiunctum eſt quod antea capite nono attigimus, de Deo nihil abſolutè affirmari debere, Quia quicquid affirmatione definitur, id infinita Dei maieſtate longo interuallo inferius eſt. Itémque illud quod vno libro Plotinus do-

cuit, Deum quia supra Ens, non intelligi: quod etiam à Dionysio Areopagita cõfirmatum. Quoniam scilicet Deus ipse omnem intellectum, omnéque intelligibile infinito interuallo excedit: quare nec vlla intelligentiæ actione, huius substantiam possumus consequi: sed quantumcunque eius est quod noster intellectus assequi potest, per passionem tantum assequitur, hâncque benignam: eâ, scilicet secundum quam idem Deus in nos influit, vel mentem nostram in vnionem rapit. In qua quandiu consistit, tandiu Deo fruitur. Quibus omnibus iidem etiam illud addunt, Deum non modò non intelligi, sed ne intelligere quidem, id est non vt egenum intellectum se ad intelligibile conuertere, tanquam ad bonum, quo illustrante proficiat, & perficiatur. 87.

3 Totus Plato in eo est, cùm subtiliter & accuratè philosophatur, vt doceat Philosophorum vitam inter homines omnium esse perfectissimam: huiúsque summam in eo consistere, quod illi per contemplationem veritatis ad Deum proximè accedunt, huiúsque colloquio quodammodo fruuntur. Quare vt idem solum Deum omnino & absolutè sophum, id est sapientem esse vult, sic Philosophum dictum esse ait, quasi Dei amatorem: ad quem omnis huius actio, contemplatióque aspirat. Quanquam vt antea significatum est, non eadem ratione. Etenim Philosophi actiones omnes ab Deum referuntur, vt ad fontem, vel potius immensum pelagus bonitatis omnis. Eundem verò ille etiam contemplando appetit, in ipsa contemplatione rerum pulchritudine delectatus, & eius pulchritudinis quæ rebus singulis inest, primum principium in eodem Deo studiosè inquirens, & per hos gradus ad eundem contemplando ascendens. Istam verò contemplationem Philosophus in vita hac inchoat, eadem perfecta in altera fruitur. Quare sapienter admodum îdem Plato (vt scribit Marsilius Ficinus argumentò in Epinomidem) fœlicitatem in altera vita sperat, tum præsentis vitæ virtutibus, tum Dei munere comparandam. Non diffidit tamen paucissimos quosdam in hac quoque vita fœlicitatem degustare posse. Quos in Phædro, in Phædone, & libris de Republica, tales esse vult, vt extra corpus viuant, potius quàm in corpore, Deóque ipsi potius quàm sibi viuant: quo aspirante efficiatur, vt inter ipsos fluminis Lethæi fluctus, libare nonnihil ætherei nectaris videantur. Aristoteles quidem capite decimo libri decimi Ethico. inquirit, num quis in vita hac beatus sit iudicandus, sed Solonis sententia expectandum extremum tempus ætatis: vt tum denique cùm supremum vitæ diem morte confecerit, tutò de antecedente vita iudicari possit. Sed hoc ille non refert ad difficultatem contemplationis, verùm ad inconstantiam fortunæ multa, habentis in humana vita quæ ferire potest. Quomodo etiam Plato libro septimo de Legibus, ait viuentes adhuc, laudibus hymnísque honorare tutum non esse, priusquàm vita functi præclarum viuendi finem fecerint. Idémque quanquam fabulosè, eleganter tamé eandé sententiã pluribus explicat ad finé Gorgiæ. Profectò, inquit, quẽadmodum ait Homerus, Iupiter, Neptunus & Pluto regnum quod acceperunt à patre inter se diuiserunt. Extabat enim lex de hominibus sub Saturno, & semper, & nunc etiam extat apud Deos, vt quicunque homines iustè piéque vitam egissent, cùm è vita migrarent, ad beatorum insulas profecti, in omni fœlicitate viuerent à malis longè seiuncti: qui verò iniustè impiéque vixissent, in punitionis iustíque supplicij carcerem, quod appellant Tartarum, irent. Horum verò iudices sub Saturno atque etiam sub ipso Ioue regnare nuper incipiente, viuẽtes erant, atque viuentiũ. Atque eadem die qua morté quis obiturus erat, iudicabãt.

Quapropter iniustè iudicabatur. Igitur Pluto, atque beatarum curatores insularum Iouem adeuntes retulerunt, indignos ad eos vtrinque homines deuenire. Ad quos sic inquit Iupiter. At ego remedium adhibebo. Nunc enim propterea iudicatur iniustè quod vestiti atque circumdati singuli iudicantur: quoniam ante obitum iudicantur. Itaque multi prauas circumferentes animas, circumdati sunt forma corporis & genere atque diuitiis. Præterea quando iudicium imminet, confluit multitudo testium asserentium eos iustè vixisse. Quo fit vt iudices ob id obstupescant. Accedit quòd & ipsi vestiti atque circumdati iudicant, oculos & aures, & totum corpus quasi animæ velamen habentes. Hæc enim omnia illis obstacula sunt, videlicet tam sui quidam quàm eorum qui iudicantur, amictus. Principiò prouidendum est, inquit, ne homines mortem suam præsentiant. Nunc enim præuident, & mandatum est Prometheo ne eos præsentire permittat. Deinde nudi his omnibus sunt iudicandi post obitum. Judicē quoque ipsum esse nudum oportet, mortuum videlicet: & ipso duntaxat animo animum inspicientem statim post insperatum cuiusque obitum: animum, inquā, à suis omnibus desertum, omnémque ornatum exteriorem relinquentem in terra, vt iudicium rectè procedat.

4 De bonorum generibus, apud Platonem duplex est Socratis sententia, eiusdémque varietas nobilitata duabus Philosophorum sectis inter se dissidentibus, vna Stoicorum, altera veterum Academicorum, quos Peripatetici hac in parte sunt sequuti. Ille enim dum subtilius philosophatur, quia in homine solius animi rationem habet, in bonis ea tantùm numerat, quæ ad animum pertinent, quęque eum exornant. Sic enim hunc loquentem Plato facit in Apologia. Vos ô viri iudices, bonam spem de morte concipere oportet, vnumque hoc agitare verū esse, bono videlicet viro, seu viuat ille, seu moriatur, nihil posse mali contingere, neque Deum non curare huius negotia. Itaque verè mala non sunt mors, paupertas, seruitus, ægritudo: sed vocantur quidem à stultis mala, bene autem vtentibus bona fiunt. Ex qua Socratis sententia profecta sunt ea quę, quia præter communem hominum opinionem sunt, à Stoicis uocantur Paradoxa, vt quod honestum est, id solum esse bonum: & ei in quo virtus sit, nihil deesse ad beatè viuendum. At apud eundem Platonem lib. 1. de Legibus, Athenienſis hospes, ex communi hominum opinione, quam sequuti sunt veteres Academici & Peripatetici, bona sic diuidit. Duplicia bona sunt, inquit, quædam humana, diuina alia, dependentque à diuinis humana. Si qua verò ciuitas maiora susceperit, minora quoque possidet: sin autem illis caret, vtrisque priuatur. Minorum primum est sanitas, forma secundum, tertium vires ad cursum cæterósque corporis motus, quartum diuitiæ, quę cæcæ non sunt, sed acutè cernunt, si prudentiam sequuntur. Quæquidem prudentia diuinorum bonorum dux primus existit. Deinde post mentem temperatus animi habitus. Ex his duobus cum fortitudine mixtis, iustitia tertiò emergit, fortitudo quartum locum tenet. Quæ omnia humanis illis natura præponūtur. Socrates in Philebo, bonorum à primo & summo gradus ita distinguit. Cunctis igitur ô Protarche, inquit Socrates, & per nuncios & voce præsenti declarato, quod voluptatis possessio neque primum est, neque secundum bonum. Sed primum circa mensuram & moderatum & opportunum, & quæcunque talia sempiternam quandam naturam sortita esse putare decet. PROT. Apparet vtique ex iis quæ modò dicta sunt. SOC. Secundum deinde circa commensuratum & pulchrum, perfectum atque sufficiens, & quotcunque huius ordinis sunt. PROT. Videtur. SOC. Tertium vt ipse vaticinor, si mentem sapientiámque posueris, haud procul à veritate discedes. PROT. Fortè.

SOC

SOC. Quarta vero sunt quæ ipsius animæ propria posuimus, scientiæ & artes opinionésque rectæ. quæ ideo tribus illis statim succedunt, quia bono sunt quàm voluptas, cognatiora. PROT. Forsitan. SOC. In sexta vero progenie, inquit Orpheus, cantilenæ, ad ornatum finitæ. Nostra quoque oratio in sexto iudicio finiri videtur. vnde nihil deinceps nobis aliud restat nisi vt dictis caput adhibeamus. Diuinius & subtilius eosdem bonorum gradus ab ipso primo, id est à Deo, sic explicat Dionysius Areopagita libro de diuinis nominibus. Bonum quibus perfectè inest, inquit, perfecta, pura, integra bona facit: sed quæ minus ipsum participant, imperfecta bona sunt, ac propter defectum boni, permixta. Omnino quidem malum, non est ens, neque bonum, neque beneficum. Sed quod magis propinquat bono, pro ipsa appropinquandi mensura fit bonum. Siquidem perfecta bonitas per omnia se diffundēs, non solum ad illas quæ sunt circa ipsam, substantias optimas accedit, sed ad extremas vsque procedit: aliis quidem summopere presens, aliis autem inferiore quadam conditione, aliis tandem infimo quodam pacto, quatenus singula percipere possunt. Iam vero alia bonum prorsus participant, alia vero magis minusve inde degenerāt. Sed alia tenuiorem boni præsentiam sortiuntur, alia denique vestigium boni contingit extremum. Atqui nisi bonum vnicuique pro modo cuiusque se præstaret, diuinissima quæque & antiquissima, infimorum ordinem obtinerent. Quonam vero pacto fieri poterat vt vnica ratione singula bonum participarent, cum non omnia sint ad exactam participationem eius accomodata? Nunc autem hæc penes bonum est magnitudo potestatis excedens, quod ipsa etiam quæ priuata sunt & priuationem sui corroborat, secundum participationem sui vbique productam. Denique si oportet vera attentius confiteri, illa etiam quæ repugnāt bono, ipsa boni virtute & existunt & repugnare valent. Omnia vero hæc quæ de bonorum varietate collecta sunt, valere possunt ad ea explicanda quæ Stoici obiicere solent contra Academicam & Peripateticam bonorum diuisionem in tria genera. Quam sic colligit Diogenes Laertius in vita Zenonis Cittiei. Eorum quæ sunt inquiunt Stoici, alia bona esse, alia mala, alia neutra. Et bona quidem, ipsas virtutes prudentiā, iustitiam, fortitudinem, Temperantiam & reliqua. Mala vero contraria, insipiētiam, & cętera: neutra autem quæ neque iuuant neque nocent, vt sanitas, voluptas pulchritudo, robur, diuitiæ, existimatio bona, nobilitas: & quæ sunt his contratia, mors, morbus, dolor, deformitas, imbecillitas, paupertas, ignominia, ignobilitas & quæ sunt his finitima, vt inquit Hecato, septimo libro de fine, & Apollodorus in morali & Chrysippus. Neq; enim esse hæc bona, sed indifferētia speciatim producta. Nā vt calidi est propriū calefacere, sic & boni iuuare, non nocere. Sed diuitiæ & sanitas non magis iuuant quā nocēt. Non igitur bonū, neq; diuitię, neque sanitas. Insuper, inquiunt, quo bene & male contingit vti, id non est bonū. Diuitiis autem & sanitate bene & male contingit vti. Non igitur bonum diuitiæ & sanitas. Quæ omnia merito poëta talia esse dixit, qualis est animus eius qui illa possidet. Eadémque idcirco Arist. in facultatibus numerauit, sicut inter artes, Rhetoricam & Dialecticam. Quod hæc ex hominum voluntate facultatéque ad vtramlibet partem parata sint: ideſt ad vsum & abusum. Quod etiam ō Alcinoo hoc loco significatum.

5 Virgilius Platonica imitatione libro 6. Aeneidos, cum in campis elysiis describit conditionem beatorum, vult singulos exerceri iisdem studiis quibus in priore vita sunt oblectati,

——— quæ gratia currum, inquit,

Armorúmque fuit viuis: quæ cura nitentes
Pascere equos, eadem sequitur tellure repostos.

Quod hoc loco Alcinous est sequutus in explicanda Philosophorum fœlicitate post vitam hãc. Quoniam illorum prima cura, vt antea significatum est cap. 2. lib. huius, versatur in contemplatione veritatis, per quam dicuntur deorum vitã imitari, aut etiam eorum colloquio frui. Id vero ex 10. de Rep. desumptum videri potest, vbi Plato scribit, Animum eum qui cum in hanc vitam venerit, sincere philosophatur, non assequi electionis sortem vltimam: nec solum hic felicem fore, sed & profectionem hinc illuc regressionémque huc iterum haud sane terrenam & asperam subiturum, sed lenem atque cœlestem. Atque sic Alcinous nunc ex Platone sequentem vitam comparat cum præsente. Aliter vero Proclus & tamen ferè in eandem sententiam, libro de Anima & Dæmone, præsentem vitam confert cum superiore. Animæ nostræ, inquit, hic peruagantur circa imagines eorum quæ in patria viderant, & ad eas imagines magis afficiuntur, quarum exemplaria illic attentius contemplatæ fuerunt. Aliæ namque animæ aliis sunt accommodatæ spectaculis. Ideò aliæ aliis imaginibus incumbunt. Eorum enim quæ illic inspexerant similitudines amant.

6 Platonici, vt est apud Macrobium in Somnium Scipionis, virtutes diuidunt in politicas, purgantes, animi purgati & exemplares. In quibus homini propriæ sunt politicæ, ad ineundam retinendámque societatem datæ, Deo exemplares: per medias autem purgantes, quæ morales sunt, & eas quæ animi purgati, homo aspirat ab humana societate ad Deum, vt huic quoad potest simillimus efficiatur. Sed ita tamen vt etiam inter eas quæ purgantes dicuntur, & animi purgati, ordo quidam sit. Ex quo accidit, vt cùm contemplatio virtus sit, vel actio animi purgati, ei locus non sit in humana vita, nisi prius idem animus exercitatus sit in virtutibus purgantibus. Per has enim quas diximus morales nominari, perturbationes redduntur rectæ rationi obsequentes. At in perturbationum regno nó potest Philosophica contemplatio consistere. Quod Plato testatus est in Phædone. Quando animus, inquit, tentat aliquid cum corpore inuestigare, procul dubio decipitur à corpore. Ratiocinatur autem tunc optimè, quando horum nihil eum perturbat neque auditus, neque visus, neque dolor, neque voluptas: sed quàm maximè seipsum in se recipiens, deserit corpus, nec quicquam quoad fieri potest, cum illo communicans, neque attingens, ipsum quod verè est, affectat.

7 Nobilissimus hic locus est apud Platonem, initio libri septimi de Republica, Finge animo, inquit, subterraneum specus instar domicilium, cuius ingressus longissimus versus lumen in antrum totum pateat. In eo homines nutritos à pueritia ceruicem & crura ita deuinctos, vt & immobiles manere cogantur, & ad anteriora solùm prospicere, capita verò vinculis astricta circumagere nequeant. Post tergum autem supernè ac procul ignis fax suspensa sit, interque ignem & vinctos homines via superior paulò secus quàm paries sit constructus exiguus, sicut plerunque præstigiatoribus septa quædam super quibus sua miranda demonstrant, coram spectantibus opponuntur, & cætera. Quo loco, per subterraneam speluncam in qua à pueritia versamur, significare voluit sensilem mundum quem incolimus, & in quo densa caligine inuoluti, rerum tantum imaginibus, proxis rebus fruimur. In mundo autem intelligibili clarissima lux est idearum, quibus vera rerum essentia continetur. Ad quam si possumus contemplando ascendere, tum nos vitæ huius pœnitebit, in qua corporeis sen-

sibus addicti, falsis rerum imaginibus miserè deludimur: vixque fruimur tenuissima scintilla ignis eius qui in mundo intelligibili clarissimus relucet. Et cettè eodē dialogo Plato non multis interiectis, suam sententiā apertius ita explicat. Carcer quidē is, inquit, ad eam quæ cernitur oculis mundi machinā referendus: fax verò ignis in specu, ad Solis potentiam: postremò si ascensum ad supera eorúmque conspectum, ritè ad eum qui ad intelligibilem regionem tendit, ascensum retuleris, vt ego quidem spero non aberrabis, postquam sententiam meam audire desideras. Deus autem nouit an vera sit. Quæ igitur mihi apparent, huc tendunt. Nempe arbitror in ordine ipso intelligibili, boni ipsius ideam supernam existere, vixque videri: si autem visa fuerit, asserendum eam omnibus omnium rectorum & bonorum causam esse: cùm ipsa in loco visibili lumen creauerit, & luminis authorem: in ipso verò intelligibili, regnet ipsa, veritatémque, & mentem protulerit. Quam nosse necesse sit omnem quicunque sana mente quicquam vel priuatim, vel publicè sit acturus. Et paulò post. Hæc igitur si vera sunt, inquit, ita de his cogitandum est, eruditionem non esse talem qualem aliqui prædicant. Pollicentur enim animo scientiæ prorsus experti, se scientiam tradituros, quasi oculis cæcis visum. Profitentur certè. Præsens autem ratio nobis innuit primùm, vim quæ est in animo cuiuscunque, deinde instrumentum, quo rem discere quisque potest, perinde ac si oculum impossibile esse aliter quàm vna cum toto corpore ad clarum obiectum ex obscuro conuertere: ita tota mente à generatione vsque ad id quod Ens dicitur, circumagendo auellere oportere, vt quod clarissimum est, possit speculando transcendere. Hoc autem ipsum bonum esse dicimus. Nempe. Ad hoc igitur ipsum eruditio, competens erit facultas quædam animi dirigendi, vt ipsius oculus quàm facillimè & efficacissimè conuertatur: quæ huic oculo aciem visúmque non dabit, sed eum potius cùm visum quidem habeat, neque tamen rectè conuersus sit, neque quo decet aspiciat, conuertere omni machinatione contendet.

8 Plato libr. 2. de Legibus, vult à Poëtis in optima Republica ista carminibus celebrari, bonum virum, quia temperatus iustúsque sit, fœlicem esse atque beatum, siue magnus atque robustus, siue paruus ac debilis, siue pauper sit, seu diues. Iniustum autem hominem, etiam si ditior sit quàm Cinyras aut Midas, miserum esse, & in mœrore vitam ducere. Deinde hæc eodem loco subiicit. Itaque Poëta nobis si rectè loquatur, inquiet, nunquā ego de illo mentionē faciā, neque virum appellabo, qui non omnia quæ bona dicuntur, cum iustitia possideat atque disponat. Quæ enim vulgò appellantur bona, non rectè bona dicuntur. Aiunt nempe optimum esse sanitatem, ei proximum bonum formam, vires tertium, quartum verò diuitias. Innumerabilia fermè cætera bona huiusmodi narrantur. Nam & acutè cernere aliisque sensibus integrè vti, bona videntur, & ad hæc, omnia posse tyrannica licentia facere quæcunque cupias. Summámque totius beatitudinis esse ferunt, si cum istorum omnium possessione immortalis statim euadas. Ego autem ac vos vna conuenimus, iustis sanctísque viris optimam esse iustorum omnium possessionem, iniustis autem omnium pessimam, à sanitate initio sumpto. Sanum namque esse, & videre atque audire, ac omnia facilè sentire, & omnino viuere vel immortalem, pessimum est, si cum horum omnium possessione, semper vixeris expers iustitiæ, cæterarúmque virtutum. Minus autem malum, si quàm breuissimo tempore sic affectus vitam finieris. Hinc etiam orta sunt nobilia illa Stoicorum paradoxa, quæ paulò ante indicauimus, Quod honestum est, id solum esse bonum, & virtutem ad beatè viuendum seipsa esse con-

tentam, quæ à Cicerone explicantur quinta Tusculana. Quod verò Alcinous postea subiicit, cum qui contemplatione primi boni fruitur, etiamsi omnes homines lateat, beatissimum tamen esse, pertinet ad intelligendum virum verè bonum, virtutem propter natiuam pulchritudinem expetere, non propter ea præmia quæ maxima habet adiuncta: sicut in vitio natura deformitatem detestari, non metuere supplicia, quibus peccata ciuilibus legibus vindicantur. Idque est quod Plato scribit decimo de Republica, iustitiam ipsam optimum esse animæ præmium, iustéque agendum esse, siue Gygis anulum habeamus, siue Plutonis galeam. Vide quæ ab eodem de Gygis anulo copiosius dicuntur, initio lib. 2. de Rep. & à Cicerone lib. 3. Offic.

9 Plato initio Euthydemi, fœlicitatem ponit in sapientia, sapientiam autem in recto vsu eorum quæ dicuntur bona. Oportet, inquit, illum qui beatus futurus est, non solùm bona huiusmodi possidere, sed vti. Non enim sola possessio iuuat. Rectè, inquit. Num possessio vsusque bonorum ô Clinia, inquam, ad beatè viuẽdum sufficit? Mihi quidem videtur, inquit. Vtrum ita dicis, si modò quis rectè vtatur, an etiamsi nõ rectè? Si rectè, inquit, Probè, inquam. Plus est enim puto, cum quis re quapiam abutitur, quàm cùm omnino non attingit. Illud si quidem malum est, hoc nec bonum, nec malum. Id verò esse videtur quod ex Poëta paulò antè indicauimus, hæc quæ à virtute separata vulgò numerantur in bonis, talia esse qualis est animus eius qui illa possidet. Stoici, vt est apud Ciceronem lib. 5. de Finibus, cùm constituissent id solum bonum, quod esset honestum, & id solum malũ, quod turpe: inter hæc tamen & illa, quæ nihil valere arbitrabantur ad beatè aut miserè viuendum, aliquid quò differrent esse voluerunt. Vt eorum scilicet quæ in medio bonorum & malorum, partim ad corpus, partim ad res externas pertinere dicuntur, alia æstimabilia essent, alia his contraria, alia neutra. Quæ autem æstimanda essent, eorum in aliis satis esse causæ, quamobrem quibusdam anteponerentur, vt in valetudine, vt in integritate sensuum, vt in doloris vacuitate, vt gloriæ, diuitiarum & similium rerum: alia autem non esse eiusmodi. Itémque eorum quæ nulla æstimatione digna essent, partim satis habere causæ quamobrem reiicerentur, vt dolorem, morbum, seusuum amissionem, paupertatem, ignominiam, & similia horum: partim non. In quo idem Cicero eo ipso loco, inter illos & Peripateticos, latissimam esse vult differentiam: quæ tamen nõnullis verborũ tantum esse videtur. Etenim Peripatetici quia hæc omnia etiam in bonis numerant, eadem cùm ad virtutem adiiciuntur, existimãt vitam nostram reddere beatiorem: quæ sola quidem virtute beata efficiebatur, nequaquam tamen beatissima. At Stoici horum accessione, negant vitam nostrã vlla ex parte beatiorem reddi. Atque vt obscuratur & offunditur luce Solis lumẽ lucernæ, & interit magnitudine maris Aegei, stilla maris, & in diuitiis Crœsi, teruncij accessio, & gradus vnus in ea via quæ est hinc in Indiam: sic aiunt omnem istam rerum externarum & in corpore positarum æstimationem, splendore virtutis & magnitudine obscurari & obrui: neminem tamen ab ipsa virtute beari, nisi ad huius summum gradũ, summámque perfectionem peruenerit. Ad quam rem docendam iidem hac similitudine vti solent, Vt qui demersi sunt in aqua, nihilo magis respirare possunt, si non longe absunt à summo, vt iam iámque possint emergere, quàm si etiam tum essent in profundo: nec catulus ille qui iam appropinquat vt videat, plus cernit, quàm qui modò est natus: ita qui processit aliquantulum ad virtutis aditum, nihilo minus in miseria esse, quàm eum qui nihil processit.

10 Sapienti viróque bono, vt Plato ait lib.5. de legibus, honor est meliora sequi & ex peioribus quæcunque meliora fieri possunt, ea ad melius quàm optimè reducere. In quo non ex approbatione populari pendebit, neque hanc captabit: sed id quod honestum est sua sponte sequetur: imò ipsius honesti sola pulchritudine rapietur, sicut idem docet in Phædro. Eum vero talia sequentem honor & gloria etiam inuitum sequentur, sicut corpus vmbra. Quemadmodum idem à vitiis abstinebit, non metu hominum, aut pœnæ: sed propter solam horum deformitatem, etiam si dato Gygis anulo, vt paulò ante dictũ est ex lib.2. de Rep. hic impunè ruere possit in omne genus flagitij. De quo dignissimum est obseruatione quod idem scribit lib.10. de Rep. Nonne cætera quidem, inquit, in hac disputatione exposuimus? præmia vero ipsius & honores nequaquã attulimus, quemadmodum vos Homerum & Hesiodum attulisse dicebatis: sed iustitiam ipsam ipsi animæ optimum præmium esse comperimus, iustéque agendum esse monstrauimus, siue Gygis habeat annulum, siue etiam Plutonis Galeam. Vera loqueris. Deinde paucis interiectis. Primum, inquit, hoc mihi reddetis, quod qualis vtérque eorum sit, & iustus & iniustus Deos nõ latet. Reddemus. Si Deos id non latet, hic quidem à Deo amabitur, ille odio habebitur, id quod in principio cõfessi sumus. Est ita. Deorum autem amico omnia, quo ad fieri potest, à diis optima tribuuntur, nisi quid mali ex priori delicto ei necessitate quadam immineat. Omnino. Sic itáque de iusto viro existimandum, siue paupertati, seu morbis, sine quibusuis aliis eorum quæ mala videntur, obnoxius sit, huic demum vel viuenti, vel mortuo ad bonum aliquod ista conducere. Neque enim à diis vnquam negligitur, quicunque iustus euadere virtutísque officiis, quo ad homini licet, Deo símilis fieri conabitur. Cætera vero quæ hoc loco ab Alcinoo ex Platone commemorantur, Stoicis hac in parte Platonem sequutis, pepererunt alia paradoxa, quæ Cicero sic exprimit extrema pagina lib.3. de legibus. Sapiens rectius appellabitur rex quam Tarquinius, qui nec se nec suos regere potuit. Rectius magister populi (is enim est dictator) quam Sylla, qui trium pestiferorum vitiorum luxuriæ, auaritiæ, crudelitatis magister fuit. Rectius diues quàm Crassus, qui nisi eguisset nunquam Euphratem, nulla belli causa transire voluisset. Recte eius omnia esse dicentur, qui scit vti omnibus. Rectè etiam pulcher appellabitur: animi enim lineamenta sunt pulchriora quam corporis. Rectè solus liber: nec dominationi cuiúsquam parens, nec obediens cupiditati. Recte inuictus, cuius etiam si corpus constringatur, animo tamen vincula iniici nulla possunt.

Quæ omnia Epicurus quóque in suo sapiente imitatus est: sed quia illa non satis videntur consentire cum eiusdem opinione de summo bono in voluptate posito, idcirco ab eodem Cicerone exagitatur initio 2. Tusculanæ. Epicurus ea dicit, inquit Cicero, vt mihi quidem tisus captare videatur. Affirmat enim quodam loco, si vratur sapiens, si cruciatur, expectas fortasse dum dicat, patietur, perferet, non succumbet. Magna me Hercule laus & eo ipso per quem iuraui Hercule digna: sed Epicuro homini aspero & duro non est hoc satis. In Phalaridis Tauro si erit, dicet, quàm suaue est hoc: quam hoc non curo. Suaue etiam? An parum est si non amarum? At id quidem illi ipsi qui dolorem malũ esse negant, non solent dicere cuiquam suaue esse cruciari: asperum, difficile, odiosum, contra naturam dicunt, nec tamẽ malum. Hic qui solum hoc malum dicit sed malorum omnium extremum, sapientem censet id suaue dicturum. Ego à te non postulo vt dolorem eisdem verbis efferas quibus Epicurus voluptatem, homo, vt scis, voluptarius. Ille dixerit sane idem in Phalaridis Tauro, quod si esset in lectulo. Ego tantam vim non tribuo sapientiæ contra dolorem. Si fortis in perfe-

rendo, officio satis est, vt letetur etiam non postulo. Tristis enim res est sine dubio, aspera, amara, inimica naturæ, ad patiendum tolerandumque difficilis.

11 Locus hic pluribus à Platone sic tractatur in Theæteto. Conandum est, inquit, vt hinc illuc quam celerrime fugiamus: Fuga autem est vt Deo similes pro viribus efficiamur. Deo similes efficit cum prudentia, iustitia simul & sanctitas. Cæterum ô vir optime haud facile id persuaderi potest quod non illius gratia cuius vulgus existimat, sequenda virtus & vitium fugiendum: hoc est ne malus videaris, vtque bonus appareas. Hæ namque anicularum nugæ mihi esse videntur. Sed quod verum sit ita dicamus. Deus nusquam & nullo modo iniustus, sed quam iustissimus: totam videlicet iustitiæ complexus potestatem. Nihilque illius similius quam iustissimus homo, & cæterà. De tribus autem quibus hoc loco hominis cùm Deo similitudo contineri dicitur, prudentia pertinet ad cognoscendum quid in officiis rectum sit. In iustitia inest constans, & perpetua voluntas obseruandi id quod per prudentiam rectum cognoueris. Sanctitas vero, vt opinor, ad Deos refertur eorúmque venerandorum & colendorum rationem continet. Vt primum quidem erga homines iustitiam, deinde erga Deos in omnibus sanctitatem adhibeamus. Sic enim latinè dictum à Cicerone libr. 2. officiorum, Deos placatos effici pietate & sanctitate. Quo vero modo iustitia ad sanctitatem se habeat, quæsitum quidem est à Socrate in Protagora, sed tamen eo loco non satis explicatè tractatum. Quanquam fortasse melius ex Platonis dialogo de philosophia, dici potest, coerceri nos atque alios iustitia, cognosci prudentia. His adiunctam esse sanctitatem, id est vitæ puritatem per quam vt philosophiæ fructum maximum, Deo grati efficimur ideóque bona omnia in numerato habemus. Et certe sic ipse Plato in Euthyphrone, sanctitatem appellat eam iustitiæ partem quæ suum Deo tribuit. Quod vero sequitur ex libro postremo de Repub. de sola iustitia, per quam etiam Deo similes efficimur, id ad generalem pertinet, quæ virtutes omnes in se est complexa: de qua paulo post ex Platone & Aristotele disseretur.

12 Locus est apud Platonem in Phædone, in quo explicat transitum animorum in noua corpora, etiam belluarum, postquam ex humanis excesserunt. Quanquam in eo non tam videtur agere de summa fœlicitate quæ in quadam cum Deo similitudine, vel in ipsius Dei fruitione consistit, quàm de præparatione ad illam. Abeunt, inquit, in genera quælibet quibus in vita mores similes contraxerunt. Manifestum id quidem. Nonne horum fœliciſſimi sunt & in optimum proficiscuntur locum quicunque popularem ciuilémque virtutem quam temperantiam & iustitiam nominant, exercuere, absque philosophia & mente, sed ex consuetudine exercitationéque acquisitam? Quo pacto hi fœliciſſimi sunt? Quoniam decens est in tale quoddam genus iterum ciuile migréque demigrare quodam modo apum, aut vesparum aut formicarum: atque deinde in idem rursus genus humanum, modestósque ex illis homines fieri. Ita decet. In Deorum vero genus nulli fas est peruenire præter eos qui discendi cupiditate flagrantes, & philosophari sunt & puri penitus discesserunt. Addit vero idem initio Sophistæ, siue de ente, inter philosophos vt homines omnium maximè diuinos, hospitales Deos etiam in vita familiariter versari: vel quod alio loco scribit, ipsos philosophos deorum colloquio frui, à quibus sapientes rerumpub. gubernatores suas leges accipere, ab eodem significatum est in Minoe, siue dialogo de lege.

13 Repetendus locus hic ex libro 4. de legibus, vbi sic Atheniensis hospes, Deus, ô viri, sicut antiquus quoque sermo testatur, principium finem & media rerum omnium continens, recta ratione omnia peragit. Hunc semper iudicium comi-

tatur, eos qui à diuina lege desciuerint, puniens. Cuiquidem iudicio quicũque fœlix futurus est, adherens, humilis subsequitur & cõpositus. Qui autem superbia elatus est, quod pecunia vel honorib⁹ antecellat, vel corporis forma polleat, qua cum iuuenilis animus dementia simul ardeat & petulantia, quasi nec principe, nec duce vllo indigeat, sed aliorũ ipse sufficiens ductor sit, is penitus à Deo deseritur. Desertus autem & alios huiusmodi nactus exultat, simul omnia perturbans multisque videtur minime contemnendus. Breui tamen postea inculpabili Dei punitus iudicio, seipsum, domum suã ciuitatémq; vniuersam simul euertit. Cum hæc igitur ita dispositа sint, quid facere & cogitare quídve cauere prudentem oportet? Nemini dubiũ quin cogitare quísque debeat qua ratione ex eorũ numero sit qui Deum sequantur. Quænam igitur actio à Deo amatur deúmque sequitur? Vna certè rationem vnã antiquam habens atque prẽcipuam, quod simile simili, quod moderatum sit, amicũ est: immoderata vero neque inuicem, neque moderatis sunt amica. Deus profecto nobis rerum omniũ maximè sit mensura multóque magis quam quiuis, vt ferunt, homo. Qui igitur huic tali amicus fore studet, eum necesse est vt quam maximè pro viribus talis efficiatur. Atqui secundũ hanc rationem quisquis hominum temperatus est, Deo est amicus. Similis enim. Intemperatus autem dissimilis, differens & iniustus cæteráque similiter. Marsilius Ficinus in Sympoſium Platonis, ex Orpheo illud repetit, Iouem esse principium mediũ & finem Vniuersi. Principium, inquit, vt producit: medium, vt producta retrahit ad seipsum: finem, prout ad se redeuntia perficit.

14 Agnoscit Plato cum aliis locis multis, tum maximè ad finẽ Phædonis, vnicuique nostrum nascenti dæmonem esse datũ vitæ futurum moderatorem. De quo multa dicta sunt à Plotino libro de dæmonibus, & de dæmone proprio, pluráque à nobis antea collecta Cõmentatio in cap. 13. lib. huius. Illi vero recta monenti si toto vitæ cursu obsequimur, hæc summa est nostra fœlicitas: sicut si impulsiones ab eo profectas contẽnimus aut peruertimus, summa nostra miseria, quemadmodum de suo genio Socrates indicauit ad finem Theagis. De qua re sic ex Platonicorum doctrina philosophatur Marsilius Ficinus in epistola quadam ad Callimacum lib. 8. Platonicorum sententia est, inquit, complatonice mi Callimace, quot in cælo Dij, id est stellæ sunt, totidem circa terras esse dæmonum legiones, totidémque in qualibet legione dæmones cõtineri, quot in cælo sunt stellæ. Duodecimque esse dæmonũ principes, quemadmodum & duodecim sunt in Zodiaco signa. Præterea alios quidem Saturnios esse, Iouios alios Martiósque atque Solares. Similitérque pro aliarũ stellarum tam nomine quam virtute varios dæmones censent atque cognominant. Addunt tot insuper esse humanarum ordines animarum, quot & stellæ & dęmonũ legiones cõnumerantur, aliáſq; aliorũ tum dęmonũ tum syderũ tam naturam quã munus appellationẽq; sortiri. Hos vero dęmones appellant genios, ingenuos duces ingenij, singulos singulis animabus ab lege fatali, id est ab ipsa quando animæ labuntur in corpus, spherarum omniũ dispositione influxúq; nobis accommodatos: à quibus mentes nostræ quatenus deterioribus quibusdã dæmonibus sensibúsq; non parent, quotidie facili quadã occultáq; persuasione ita ferme ducãtur, vt naues gubernaculo à gubernatore regũtur. In eo vero posita est ratio eorũ nominũ quæ hoc loco Alcinous vsurpat. Aliter tamẽ Plato in Cratylo declarat fœlicẽ dæmonẽ siue dęmonicum prisca lingua esse appellatum. Scisne, inquit Socrates, quos Hesiodus δαίμονας esse ait? HER. Non. SOC. Neque etiã quod aureum genus hominũ ait in principio extitisse? HER. Hoc quidẽ noui. SOC. Ait enim ex hoc genere post præsentis vitæ fata, fieri dæmones sanctos, terrestres optimos, malorum

expulsores & custodes hominum HER. Quid tum? SOC. Nempe arbitror vocare illum aureum genus, non ex auro constitutum, sed bonum atque præclarum. Quod inde coniicio, genus nostrum ferreum esse dicit. HER. Vera narras. SOC. An non putas si quis nunc ex nostris bonus sit, aurei hunc generis ab Hesiodo æstimari? HER. Consentaneum est. SOC. Boni autem alij quam prudentes? HER. Prudentes. SOC. Idcirco, vt arbitror, eos demones præcipuè nuncupat: quia sapientes & dæmones erant. Et ex nostra istud prisca lingua nomen extitit. Quamobrem & is & cæteri poëtæ permulti præclarè loquuntur, quicunque aiunt videlicet, postquam bonus aliquis vita functus est, maximâ dignitatem præmiúmque sortitur, filque dæmon secundum sapientiæ cognométum. Ita & ipse assero δαίμονα id est, sapientem omnem hominem esse quicunque sit bonus: eúmque dæmonicum, fœlicem viuentem atque defunctum: eúmq; recte dæmonem nuncupari. Aristoteles lib. 2. Top. εὐδαίμονα eum interpretatur cuius animus est bonus. Quemadmodum, inquit, εὐδαίμονα Xenocrates eum esse ait cui animus bonus datus est: eum enim esse dæmona cuique. Iamblichus lib. de mysteriis Ægyptiorum, Erat dæmon, inquit, in exemplari mundo antequam animæ in generationem laberentur. Quem cum primum anima dacem nacta est, astat ipse dæmon, expletor subinde vitarum. Hic animam descendentem, vt dixi, alligat corpori: commune eius animal ipse curat. Vitam animæ propriam dirigit: & quodcunque ratiocinamur, exhibet ratiocinandi principia: agimúsque talia qualia is adducit in mentem. Gubernátque nos quoúsque sacris operibus expiati, Deum subeamus pro dæmone ducem: cui posthac dæmon ita cedit vt vel vocet eo præsente, vel conducat ad idem.

15 Cicero lib. 3. de Finibus, ex Stoicis (qui hac in parte, sicut in aliis permultis, Platonis doctrinam sunt sequuti) scribit officia omnia eo esse referenda vt adipiscamur naturæ principia. Et eodem lib. sæpe repetit finem vitæ humanæ esse congruenter naturæ conuenientérque viuere. Itémque summum bonum esse, viuere scientiam adhibentem earum rerum quæ natura eueniunt, seligéntem quæ secundum naturam: & si quæ etiam contra naturam sunt, reiicientem: id est, inquit, aptè conuenientérque naturæ viuere. Apud eundem Ciceronem M. Cato initio dialogi de senectute, de se ita loquitur, Si sapientiam meam admirati soletis, quæ vtinam digna esset opinione vestra nostróque cognomine, in hoc sumus sapientes, quod naturam ducem tanquam Deum sequimur eíque paremus. Primo etiam de legibus scribit, virtutem ipsam nihil aliud esse quam in se perfectam, & ad summum perductam naturam. Atque ex eadem sententia eodem libro ait, nos ad iustitiam esse natos: iúsque non opinione hominum sed natura esse constitutum. Et libro 3. de Legibus, cum omnia officia à principiis naturæ proficiscantur, concludit ab eisdem necesse esse proficisci ipsam sapientiam. Sed quemadmodum sæpe fit, vt is qui commendatus sit alicui, pluris eum faciat cui commendatus sit, quam illum à quo sit: sic idem ait minime mirum esse primo nos sapientiæ commendari ab initiis naturæ, post autem ipsam sapientiam nobis chariorem fieri, quam illa sint à quibus ad hanc venerimus. Atque hæc quidem de ipsa natura, in qua, vt antea capite primo futuri philosophi, sic hoc loco vitæ beatæ prima fundamenta ponuntur. Eorum vero quæ adiiciuntur de moribus, recta educatione, institutione & disciplina, explicatio ex eodem capit. repetenda.

16 Plato lib. 7. de Legibus, ciues suos duplici disciplina vult institui, vna animi, altera corporis: priorémque vocat musicam, posteriorem Gymnasticam. Quam rursum duplicem ponit, vnam in luctatione, alteram in saltatione. Atque

idem

idem addit in Protagora, parentes filios suos ad Gymnasiorum magistros mittere debere, vt firmum aptúmque adepti corporis habitum, optimè menti suggerant ministerium: ne fragilitate corporum impediti, à militaribus ciuilibusque actionibus tanquam laboriosis absterreantur. Aristoteles vero cap. 3. libro 8. Politic. vult quatuor artes ad discendũ pueris esse proponendas, Literas, Gymnasticam, musicam & picturam. Ex quo fortasse illud à Poëta dictum est in commendationem Eunuchi.

--Fac periculum in literis,
Fac in palestra, in musicis: quæ liberum
Scire æquum est adolescentem solertem dabo.

Quod vero adiicitur animum ad cõtemplationem intelligibilium, & ipsius Dei sibi viam præparare per antecedentẽ exercitationem in mathematicis, id etiam proprium est Platonicorum: qui pædiam futuri philosophi in mathematica cõsuetudine abstrahendi positam existimauerunt. De qua contra mechanicas Thessali methodici opiniones à nobis antea disputatum, pluráque collecta sunt nostris prælectionibus in Sphæram, contra eiusdem mathematicum proœmium.

Virtutum diuisio harúmque in iustitia & prudentia connexio explicatur. Ex qua concluditur peccata omnia ab imprudentia & insciti a proficisci.

Caput 21.

[1] *Cum igitur virtus res diuina sit, ipsa quidem affectio est animi perfecta & optima,* [2] *hominem exornans eundémque firmum & aptum reddens ad dicendum & agendum: siue ipse secum habitet, siue cum aliis versetur. Atque inter huius species quædam rationis esse dicuntur, aliæ in parte rationis experte versari. Cum enim differant inter se rationale, irascibile & concupiscibile, horum etiam diuersa erit & sua cuiúsque perfectio. Rationalis quidem prudentia: Irascibilis, fortitudo: Concupiscibilis, temperantia. Prudẽtia vero scientia est bonorum, malorum atque neutrorum. Temperantia, ordo in cupiditatibus & appetitionibus, cum hæ rationi vt duci obtemperant. Quando autem dicimus temperantiam ordinem esse quendam & obedientiam, id sanè intelligi volumus, facultatem quandam esse, per quam appetitiones apto ordine se ei subiiciunt quod natura debet dominari. Hoc autem est quod rationis est particeps.* [3] *Fortitudo est legitima præcepti ardui & nõ ardui obseruatio: id est facultas conseruatrix præcepti legitimi.* [4] *Iustitia vero consensio quædam horum inter se, siue facultas per quam tres animi partes inter se conueniunt, harúmque vnaquæque ei adheret quod propriũ habet in quo versetur, & suum cuique pro dignitate statuit: quasi hæc summa sit perfectio trium virtutum,* Prudentiæ, fortitudi-

nis, Temperantiæ, ratione imperante, reliquis partibus animi secundum suam proprietatem contractis eique obediẽtibus. 5 *Vnde existimandum virtutes sese mutuo consequi. Fortitudo enim præcepti legitimi conseruatrix, rationis etiam rectæ conseruatrix est. Quoniam præceptum legitimũ recta quædam ratio est. Recta autem ratio à prudẽtia proficiscitur. Quin etiam prudentia cum fortitudine cohæret. Illa enim scientia bonorum est. Nemo autem id quod bonum est videre potest, dum timiditate & perturbationibus cum hac coniunctis, impeditur. Eadémque ratione nemo cum intemperantia prudens potest existere. Atque omnino quicunque perturbatione victus, præter rationem aliquid facit, id per imprudentiam & insciti am pati à Platone dicitur. Vt nemo possit prudentiam habere si intemperans sit & timidus. Sunt igitur virtutes inter se connexæ: nec separari possunt, si perfectæ sunt.*

Iac. Carpentarij Commentarius in caput 21.

1 Omnis rei qualiscúmque sit, summa excellentia quæ à Deo esse putatur, diuina appellatur. Quo modo rudiore quadam minerua, intelligi potest quod hoc loco dicitur, virtutem quæ hominis est perfectio, rem quandam esse diuinã. Quanquam fortasse aptius ad illud referri potest quod Socrates apud Platonem dicere solet hanc à Deo proficisci, non omnino humanis viribus comparari. Quod quidem ille eiusmodi argumento confirmat in Menone, nempe quod si qui alios suis præceptis ad virtutem possint instituere, id maxime apparere oporteat in viris bonis & ciuilium negotiorum administratione claris: nec vero dubium quin hi si possint, id ipsum præstare velint, in liberis præsertim: quos omnes virtutes suæ multo magis quam fortunarum hæredes expetunt. Quod tamen eorum perpauci consequuntur. De quibus eò loco sic ille loquitur. SOC. Num Themistoclẽ virum bonum fuisse fateris? ANY. Maximè omniũ. SOC. Et præceptorem virtutis bonum, si quis omnino virtutis magister fuit, Themistoclem extitisse? ANY. Reor equidem, dum modo voluisset. SOC. Num

censes ipsum noluisse alios quoque bonos fieri? Filium suum præsertim? an putas inuidisse filio & de industria virtutem partam minime communicasse? Audistin quod Themistocles filium Cleophantum in equestri facultate strenuum reddidit, adeo vt equis ille rectus insisteret, rectúsque ex equo iacularetur, cæteráque permulta stupenda faceret, in quibus illum diligenter pater erudiuit, sapientémque in singulis quæ præceptoribus præcipua, reddidit? Hæc à maioribus accepisti? ANY. Accepi. SOC. Nemo igitur naturam filij vt pote malam, culpauerit. ANY. Nemo arbitror. SOC. Quid verò ad hoc? Audisti ne ab aliquo seniore aut iuniore, Cleophantum Themistoclis filium bonum ac sapiẽtem, in quibus pater fuerat, extitisse? ANY. Nunquam. SOC. Num Themistoclem arbitramur alienis artibus imbuere filium voluisse, paterna sua virtute nihilo vicinis suis præstãtiorem reddere curauisse, siquidem virtus doceri vllo pacto posset? ANY. Fortassis per Iouem minime. SOC. Talis igitur hic virtutis magister fuit, quem ipse vnum ex antiquis optimum asseris. Consideremus iam & alium, Aristidem Lysimachi filium. Nonne hunc quoque bonum fuisse cẽses? ANY. Et maxime quidem. SOC. An non & iste filium suum Lysimachum in omnibus quæ à præceptoribus percipiuntur, optime Atheniẽsium omnium erudituum euadere cum voluisset, num quoquam alio meliorem fecit? Hũc etenim allocutus es & qualis sit optime nosti. Præterea si vis Periclem virum magnopere sapientem, considera: duos hic, quod te minime præterit, filios educauit, Paralum & Xanthippum. ANY. Noui equidem. SOC. Hos, vt nosti, tum arte equestri & musica, tum etiam athleticè præ cæteris Athenienſibus instruxit. Ac denique in nullo eorum quæ arte percipiuntur, inferiores aliis esse voluit: boni autem vt euaderent, an cupiebat? Cupiuisse quidem existimo, sed id doceri minimè potuisse. At apud eundem Platonem Protagoras, in dialogo qui Protagoras vel Sophista inscribitur, in contraria opinione est: atque existimat virtutem doceri posse, superiorémq; rationẽ Socratis sic conatur explicare. Restat dubitatio illa, inquit, quã de viris virtute claris monebas, quam ob causam filios illi suos in omnibus quæ à præceptore cõsequi licet, erudiunt: quod vero ad paternam virtutem spectat, nihilo cæteris meliores reddunt. Ad hanc rationẽ ô Socrates non fabulam afferã. Sic enim cogita vtrum est vnum aliquid aut non cuius necesse sit ciues omnes esse participes, si modo constare ciuitas debeat. Ita enim hæc tua ambiguitas soluitur, aliter vero minime. Si vnum hoc extat, neque est architectorum, neque æratiorum artificium, neq; figulorum opificium, sed iustitia, temperantia, sanctitas & vt paucis cõprehendam, viri propria virtus: si hoc est, inquam, cuius participes esse oportet omnes, & cũ hoc discere & agere quodcumq; placeat aliud, absque hoc nequaquam: expertem verò huius doceri, corripíq; & puerũ & virum & mulierem quo ad correptionem melior efficiatur: si quis autem hanc spreuerit disciplinam, eum tanquã insanabilem ciuitatibus pelli vel interfici: si ita est, inquam, vt diximus, virique præstantes in Rep. Ciues, in cęteris quidem erudiunt filios, in hoc vero nequaquã, aduerte quàm mirabiliter in eo excellentes euadant. Quod enim doceri posse tam priuatim quã publicè arbitrãtur, ostendimus. Cum vero doctrina & cura acquiri hoc possit, alia filios docent in quibus non est aduersus nescientes mortis pœna proposita: in quibus autem mors & exiliũ aut pecuniarũ ablatio, aut domorũ subuersio præmit ignaros rudésq; filios, in his non omni diligentia patres erudiunt, & vbi minæ huiusmodi vrgẽt, doctrina curãq; leuior adhibetur. Existimare decet ô Socrates à teneris annis vsq; ad finẽ erudiri eos atq; moneri. Nam cũ primum puer quæ dicuntur, intelligit, nutrix, mater, pedagogus, pater, ad hoc omni cura studiõq; contendunt,

vt in singulis tum verbis tum operibus optimus puer euadat. Sigillatim enim monstrant quid iustum, quid iniustum, quid turpe, quid sanctum, quídve propha num sit, quæ agenda, quæ non. Quibus si obtemperat puer, bene secum agi putant: sin renititur, tum veluti contortum obliquúmve lignum, minis plagisque dirigunt. Posthæc ludimagistris pueros curandos tradunt, morúmque bonorum diligentiam, multò magis quàm literarum citharæque doctrinam à magistris exposcunt: præceptores autem susceptos curant & excolunt. Et literas vbi tantum didicerunt, ad scriptáque conuertuntur, Poëtarum in primis excellentium opera illis legenda ediscendáque proponunt, quibus monumenta quamplurima inseruntur, priscorúmque virorum virtute præstantium gesta laudantur: vt puer æmulatione accensus, præclara maiorum facinora imitetur. Citharistę quoque tum aliis quibusdam huiusmodi, tum præsertim temperantiæ student, cauéntque ne quid perperam adolescentes agant, vtque vbi pulsare citharam didicerunt, rursus Poëtarum aliorum modulatione præstantium cantilenas docent, quas ad citharam canant, rithmósque & harmonias puerorum animis conciliare conantur, vt mitiores modestiorésque, & concinniores effecti, & ad agendum vtiles sint, & ad dicendum. Omnis enim hominis vita, numerosa quadam indiget consonantia. Posthæc ad gymnasiorum magistros, parentes filios mittunt, vt firmum aptúmque adepti corporis habitum, optimè menti suggerant ministerium, ne fragilitate corporum impediti, à militaribus ciuilibúsque actionibus tanquam laboriosis absterreantur. Hæc nempe obseruant maximè hi qui maximè possunt. Possunt autem maximè opulentissimi viri, eorúmque filij, qui primi disciplinarum scholas ingressi, nouissimi exeunt. Scholis autem egressi à magistratibus leges iuráque discere, eorúmque exemplo viuere coguntur: ne quid ipsi proprio ingenio freti temerè agant. Sed quemadmodum literarum magistri pueris adhuc scribendi ignaris, calamo exemplar quoddam præscribunt, ad cuius characteres scribendi artificium imitando perdiscunt: ita ciuitas leges præscribens priscorum hominum in legibus ferendis prudentissimorum inuenta, ad earum normam imperare cogit quemlibet & parere. Eos autem qui præuaricantur punit: punitióque huiusmodi & apud vos, & apud alios multos, propterea quòd tanquam pœna iudicialis dirigat transgressorem, iudicium correctióque vocatur. Cùm igitur talis tantáque sit virtutis, tam priuatim, quàm publicè cura, an dubitas adhuc ô Socrates, mirarisque si doceri non possit. Deinde eodem loco causam explicare conatur, eius quod in eodem Menone Socrates quærit, cur bonorum patrum filij plurimi mali reperiantur, si hi à patribus suis ad virtutem institui potuerunt. Non debet, inquit, hoc mirum videri, si vera sunt quæ dixi, videlicet virtutis curam, non ad vnum aliquem duntaxat, sed ad omnes spectare oportere: si modò consistere ciuitas debeat. Si autem ita est, vt loquor, imò certè cùm ita sit, elige atque considera, quamuis aliarum facultatum atque doctrinarum: vt puta si non posset consistere ciuitas, nisi tibicines omnes essemus, qualiscunque esse quilibet posset, nónne hoc quilibet priuatim & publicè vnumquemque doceret, huiúsque ignarum sine inuidiæ liuore corriperet? Quemadmodum nunc quæ iusta & legitima sunt, quilibet sine inuidia prædicat, neque hæc vt alia celat. Prodest enim omnibus communis iustitia virtúsque. Atque idcirco omnes omnibus quæ iusta & legitima sunt libentissimè monstrãt. Si ergo in tibiarum flatibus nos eadem animi flagrantia charitatéque erudiremus, num optimorum tibicinum filij magis quàm deteriorum in his sonis periti euaderent? nequaquam vt arbitror: sed quicunque natura ad tibias inflandas ingeniosus esset, magis proficeret, tardus autem minus: ac sæpenumerò periti

tibicinis, rudis euaderet filius: sæpe etiam inepti, filius aptus. Verumtamen omnes sufficientes essent tibicines, si cum his conferrentur qui rudes sunt, nihilque rerum earum intelligunt. Similiter eum, existima Socrates, qui iniustissimus tibi videtur inter homines sub lege viuentes, iustum fore, iurisque auctorem, si quando cum illis hominibus conferatur, quibus nec disciplina sit, nec iudicia, neque leges, neque necessitas vlla in vita quæ virtutem colere debeat. Marsilius Ficinus in Menonem pro virtutum varietate, varias quoque earum parandarum rationes ita distinguit. Sapientia quidem, inquit, natura inest: quia æterna est rationum omnium in mente complexio, perpetuúsque veritatis intuitus. Scientia, per doctrinam Philosophiæ, quæ reminiscentiam præstat, acquiritur: dum ratio quæ pennas olim abiecit, ad mentem conuersa, reminiscendo iterum alas recuperat. Prudentia, doctrina simul & longo vsu aduenit. Recta opinio, exemplis, authoritate, inductione, sorte. Iustitia, fortitudoque, & temperantia, cæteræque morales virtutes, prudentiæ rectæque opinionis legibus, & exercitatione legitima perficiuntur. Quanquam posteriora hæc magis Aristotelica, quàm Platonica esse videntur. Aristoteli enim virtutes intellectus, quæ ad partem animi superiorem pertinent, omnino doctrina comparantur. Virtutes morum quæ exornant partem animi inferiorem, doctrina quidem indigent, vt per hanc intelligatur, quid in officiis rectum sit, quid non rectum: sed perficiuntur agendi consuetudine per quam habitus conformatur. Idque est quod Cicero dixit Officiorum primo, virtutis laudem omnem in actione esse positam. Et quod Aristoteles ipse capite tertio libri primi Ethicorum, finem Philosophiæ morali propositum non in cognitione, sed in actione consistere. De fœlicitate autem, quæ in virtute consistit, quomodo comparetur, quæstio est apud eundem Aristotelem capite nono libri eiusdem, sed non satis accuratè eo loco explicata. Ex quo existit quæstio, inquit, num doctrina, consuetudine, an alia aliqua exercitatione pariatur, an diuina aliqua causa adsit, an hoc ita sit fortuitò. Ac si quod à Diis aliud datum hominibus est, profectò consentaneum est fœlicitatem etiam ab illis esse datam: eóque maximè quod rebus humanis melior est, & præstantior. Sed hæc non sunt huius disputationis & temporis. Hoc verò apparet etiamsi data non sit concessu Deorum, & munere mortalium generi, sitque virtutis, artis aut exercitationis, tamen in rebus maximè diuinis eam esse ducendam. Virtutis enim merces & finis, optimum quiddam est, diuinum & beatum: quod idem late pateat necesse est. Potest enim comparari disciplina aliqua & diligentia ab iis omnibus, quorum quidem à virtute animus aliquo vitio non retardetur. Ad eandem quæstionem pertinet, quod pluribus explicatur capite duodecimo libri primi magnorum Moralium, Vbi postquam docuit in nobis situm esse vt boni efficiamur, aut mali, tandem voluntati & studio nostro adiicit ipsam naturam, sine qua negat nos virtutis summam perfectionem posse consequi. Fortè autem, inquit, hic quispiam occurrerit. Quandoquidem homini inest iustum probúmque esse, ero si voluero omnium optimus. At id fieri nullo modo potest. Curnam? Quoniam non hoc in corpore gignitur. Neque enim si quispiam voluerit corporis curam habere, omnium optimum habebit corpus. Nam opus est, non curam modò intendere, sed etiam natura bene constitutum, & bonum corpus esse. Melius certè habebit corpus, non tamen erit omnium optimum. Idem de anima intelligendum est. Neque enim si quis hoc voluerit, erit omnium optimus, nisi natura etiam extiterit. Melior quidem certè erit. De qua quæstione multa in vtramque partem acutè colligit Di-

us Thomas in quæstionibus disputatis, articulo nono quæstionis vnicæ de virtutibus in communi.

2 Virtus rei cuiusque, ab Aristotele appellatur capite sexto libri secundi Ethicorum, summa eiusdem perfectio. Quomodo virtutem equi dicimus eam, quæ hunc generosum moribus efficit, & ad currendum aptum: hominis verò in moribus affectionem animi, non quamuis, sed eam quæ in laudabilem habitum conformata est, multis actionibus antecedentibus: eóque ipso perfecta, quod in mediocritatis obseruatione consistit. Per hanc autem homo firmus, & omni ex parte aptus effici dicitur, quia in eo summa imis per virtutem consentiunt, parsque animi suprema, per eandem ad regendas inferiores sic adhibetur, vt hæ illi sine difficultate pareant. Longa enim consuetudine quasi in rationis gyrum ducuntur, & ad eius regulam reuocantur. In quo est posita virtus ea quæ inde ab Aristotele moralis est appellata. Quoniam quæ contra rationem exultant in facultatibus animi inferioribus, non facile nisi agendi more, & longa consuetudine, ipsi rationi obsequuntur. Vt verò partis animi superioris summa perfectio in rectè imperando posita est: sic inferiorum in parendo. Ex quo hoc etiam intelligitur, quid ipsa virtus morum à parte animi superiore accipiat, quid ab inferioribus. A superiore enim huius regula existit: inferiorum est id quod regitur. Sed quia perfectio in eo, vt in subiecto, est quod perficitur: ab altero verò quod perficit tanquam ab efficiente proficiscitur (sic enim Aristoteles ipse docuit in physicis motum, qui perfectio quædam est, esse potius in eo quod mouetur, quàm in eo quod mouet) idcirco virtutes huiusmodi in parte animi inferiore, vt in subiecto esse dicuntur, & à superiore efficientem causam, id est, rectam rationem tanquam regulam accipere. Aliæ quæ intellectus sunt, quæque in cognitione veri vel falsi, boni vel mali consistunt, vtroque nomine sunt in parte animi superiore. Quoniam ab illa efficientem causam cognitionis accipiunt, & eandem partem perfectiorem reddunt, cùm eius facultatem ad cognitionem excitant, & per eos habitus exornant, qui in cognitione dicuntur versari. Quanquam Stoici, vt Cicero author est Academica prima, virtutes omnes in ratione esse dixerunt. Istud verò, hoc Alcinoi loco, dubitationem habet, quomodo scilicet in parte animi siue facultate tertia, quæ cupiditates naturales continet nobis cum vniuerso genere rerum viuentium communes, virtutem quandam, vt temperantiam versari velit. Cùm ea Platoni in Phædro similis sit equo ceruicis indomitæ, qui neque stimulis, neque verberibus coërceri potest: sed, vt ait, violentia delatus, coniunctum sibi equum, id est alteram partem animi in qua irarum ardor existit, aurigámque, id est rationem perturbat, & ad Veneris voluptatem rapit: vel etiam apertius in Timæo, pars hæc quæ in iecore sedem habet, eiusmodi esse dicatur, vt rationem non exaudiat, & si quo sensu pulsetur, nullo modo rationi obtemperet. Adde quod Aristoteles capite vltimo libri primi Ethicorum, etiamsi has facultates sedibus non distinguat, vult tamen vim animi quæ rationis expers dicitur, dupliceem esse, vnam quæ rescendi causa tributa est, câmque nullo modo rationis esse participem: alteram quæ quodammodo ratione vtitur, quatenus huic paret & obtemperat. Quo modo verò in ea parte, vel facultate quæ nihil habet quod ratione regatur, virtus morum poterit conformari? Equidem sic existimo, aliud esse in hac parte considerare functionem: aliud ad hanc naturæ quendam impetum, siue motum. Functio enim vel facultatis vsus, ad naturam omnino pertinet, necin ea

est quod ratione regi possit. Motus verò ad actionem, vel ad eandem impetus, etiamsi contra rationem magnâ vim habeat, cohiberi tamen huius imperio potest. In quo ipsa virtus est posita. Quod autem dico, facilius hoc modo intelligetur. Ad hanc animi partem pertinent ea quæ sunt cibi, potus, & rerum venerearum. Naturæ ergo functionem in coquendo cibo, siue potu, itémque furiosam titillationem, quam quidam epilepsiæ similem esse dixit, in indulgendo veneri, cohibere non possumus. Motus autem & cupiditates cibi, potus, rerúmque venerearum, nostræ potestatis sunt: & cum ratione reguntur, eas virtutes pariunt quæ in hac tertia animi parte dicuntur existere.

3 Præceptum legitimum dicitur quod lege continetur, aut quod huic est consentaneum. Lex autem secundum naturam ea est intelligenda, non quæ scripta est, nec quæ eorum qui imperant placitis nititur: sed quæ animis nostris ante vllam scriptam legem est insita. Quæ nihil aliud est, quàm recta ratio. De qua sic Cicero primo de Legibus, Lex est ratio summa insita in natura: quæ iubet quæ facienda sunt, prohibétque contraria. Eadem ratio cùm est in hominis mente cõfirmata & confecta, lex est. Itaque arbitrantur prudentiam esse legem, cuius ea vis sit, vt rectè facere iubeat, vetéq; delinquere. Ergo vera fortitudo est legitimi præcepti conseruatrix, quia versatur in aggrediendo periculo, non quouis modo, sed secundum præceptum legitimum, prout recta ratio præscribit. Sic enim Plato lib. 4. de Repub. fortitudinem esse ait conseruationem opinionis lege per educationem conceptæ: qua iudicantur quæ terribilia sunt, & qualia. Fortem verò eum in quo iracundiæ vigor ita institutus est, vt in mediis voluptatibus & doloribus, in sententia sua persistat, non aliter esse de terribilibus iudicandum, quam ratio ipsa dictauerit. Quæ eadem est Aristotelis sententia libro 3. Ethicor. Ideóque veteres Academici & Peripatetici iram fortitudinis cotem esse dixerunt. In quo falsò Cicer. Offic. 1. hos reprehendit, quasi iracundiam omnino laudauerint, Placet, inquit, Peripateticis ea mediocritas, quæ est inter nimium & parum: & rectè quidem placet, modò ne laudarent iracundiam, diceréntque eam vtiliter a natura datam. Præsertim cùm idem scribat Tusc. 4. Iracundiam ab ira differre, sicut & iracundum ab irato.

4 Veteres Philosophi virtutes omnes ad vnum reuocare conati sunt, sed non eadem ratione. Cic. Offic. 1. cùm in temperantia duplicis decori obseruationem posuisset, vnam eius quod generale appellat, alteram specialis: prius tam latè patere vult, quàm honestum, ab eóque cogitatione, magis quàm re distingui. Ex quo efficitur temperantiam eam quæ huius decori generalis obseruationem cõtidet, omnes partes honesti in se esse complexam. Nonnunquam verò hoc ad eã iustitiam refertur, quæ inde generalis est appellata. Quoniam virtus hæc cuique tribuit quod debetur. At in partibus animi hoc rationi debetur, vt imperet: reliquis partibus vt pareant. Idcirco cùm in bene imperando atque parendo posita sit virtutum omnium moralium perfectio, hæc iustitiæ attribuitur. Quæ inde ex Hesiodo ab Aristotele dicitur virtutes omnes continere cap. 1. libr. 5. Ethic. Qua significatione Platonem frequẽter eodem nomine esse vsum, præterquàm quod hoc loco indicat Alcinous, obseruat etiam Marsilius Ficinus in dialogo de Philosophia. Addi quoque & illud potest, quia omnium virtutum moralium vna est regula, in recta ratione posita, quæ propria est prudentiæ, virtutes omnes prudentia sicut & iustitia contineri. Ex quo illa in Delphis inscriptio, cuius Plato meminit eodem dialogo, quæ præcipit vt iustitiam & prudentiam colamus. Iustitiam quidem, inquit, vt per eam rectè cohibere sciamus, prudentiam verò qua & nos ipsos, & alios dignoscere valeamus. In quam sententiam Zeno Citticus

descendisse

descendisse videtur, cùm iustitiam definiuit, prudentiam quæ suum cuique tribuit, in rebusque assumendis temperantiam, & in perpetiendis fortitudinem. Scitum est quod scribit Plutarchus libro de virtute morum, Menedemum Eretriensem multitudinem virtutum sustulisse ac differentias, quasi vna esset ac pluribus nominibus vteretur. Idem enim temperantiam ac fortitudinem & iustitiã, veluti gladium & ensem appellari. Quodque Aristo Chius vnam & ipse substantiam virtutis faciebat, eámque appellabat sanitatem: sed differentes numerosasque fieri asserebat, cùm aliud atque aliud spectaretur. Vt si quis visum nostrũ cùm alba intuetur, albiuisum: cum atra atriuisum appellare velit, aut quid aliud huiusmodi. Nam cùm virtus quid sit agendum, quidve fugiendum considerat, prudentiam appellari contendebat: cupiditates verò coërcentem & modum voluptatibus adhibentem, temperantiam: quæ autem in societatibus & rebus cum aliis contrectandis versatur, iustitiam. Quemadmodum gladius cùm sit vnus, aliud alias secat, & ignis in diuersas agit materias, eadem vtens ratione. In quibus ille significare voluit virtutem hominis vt perfectionẽ propriam, vnam esse in recto rationis vsu, vt omnium officiorum regulam Lesbiam, quæ rebus diuersis se accommodat, pro earumque varietate quandam diuersitatem in se videtur recipere, secundum quam illius species à Philosophis sunt distinctæ. Vna scrib.

5 Sic Zeno Cittieus, vt est apud Ciceronem Academica prima, virtutes omnes connexas esse existimabat: & cùm superiores Philosophi earum genera distinxissent, hic nec id vllo modo fieri posse disserebat, nec virtutis vsum modo, vt illi, sed ipsum habitum per se esse præclarum existimabat: nec tamen virtutem cuiquam adesse quin ea vteretur. Ista vero connexio posita est in recta ratione quæ propria prudẽtiæ. Atque idcirco Socrates apud Platonem in Menone, virtutem ipsam prudentiam esse existimat. Si virtus, inquit, aliquid est eorum quæ consistunt: in animo, necessarióque vtilis est, prudẽtiam hanc esse oportet. Quippe cum omnia quæ sunt circa animum, ipsa quidem secundum se ipsa, nec commoda nec incommoda sint: adiuncta vero prudentia vel imprudentia, statim aut vtilia, aut noxia fiunt. Hac itaque ratione virtutem, cum maxime omnium conferat, prudentiam quandam esse constat. In quo ab Arist. exagitatur cap. vltimo lib. 6. Ethic. Socrates quidem, inquit, partim recte quærebat, partim aberrabat. Nam quod virtutes omnes prudentias putauit esse, errauit: quod autem eas non sine prudentia censuit, præclare dixit. Quod ex eo intelligi potest, quia nunc omnes qui virtutem definiunt, cum habitum eam dixerunt & in quibus cernatur, tum habitum eum esse adiungunt, qui rectæ rationi sit consentaneus. Atqui ea demũ recta ratio est, quæ prudentiæ congruat. Ergo hoc omnes quodammodo diuinare & augurari videntur, habitum eum virtutem esse qui prudentia dirigatur. Sed tamen parua facienda mutatio est. Neque enim in eo solum habitu virtus est qui prudentiæ sit consentaneus, sed in eo potius qui sit cum recta ratione coniunctus. Recta autem de his rebus ratio iam nomen habet prudentiæ. Socrates ergo virtutes omnes rationes putauit, cum in scientia omnes ponere: nos eas cum ratione copulamus. In hac vero quæstione de connexione virtutum Cicero monet lib. 2. Officiorum, non idem philosophis & vulgaribus videri. Ne quis, inquit, admiretur cur cum inter omnes philosophos constet, à méque ipso sæpe disputatum sit, qui vnam haberet, omnes habere virtutes, eas nunc ita seiungam quasi posset quisquam, qui non idem prudens sit, iustus esse. Alia enim est illa cum veritas ipsa limatur, in disputatione subtilitas, alia cum ad opinionem cõmunem omnis accommodatur oratio. Quamobrem, vt vulgus, ita nos hoc loco loquamur, vt alios fortes, alios viros bonos, alios prudentes esse dicamus. Popu-

laribus enim verbis est agendum, cùm loquimur de opinione populari. Ex qua vulgarium consuetudine apud Platonem à Socrate Sophista interrogatus, ita respondet in Protagora. SOC. Vtrum alij homines aliam virtutis partem accipiunt? an necesse est eum qui vnam habet, omnes habere? PROT. Nullo modo. Quoniam multi fortes quidem sunt, sed iniusti: & alij iusti quidem sunt, sapientes minimè. SOC. Nunquid sapientia & fortitudo partes sunt virtutis? PROT. Omnino quidem, Et præstantissima pars omnium est sapientia. SOC. Est ne hoc quidem aliud, illud verò aliud? PROT. Est. At idem extrema pagina libri quarti de Republica, ex sua sententia scribit virtutis speciem vnam esse, prauitatis innumeras. Porrò ad finem huius capitis quæstio alia indicatur, de peccatis ab animi perturbatione profectis, an sint voluntaria? & vtrum cum perturbationibus coniuncta sit ignorantia: hæcque eiusmodi vt peccatum excusare possit, aut debeat. Quæ quia nobilis est, & Aristoteli cum Platone controuersa, pluribus explicabitur cap. 24.

Virtutum seminaria à perfectis virtutibus, de quibus dictum est, distinguit: deinde virtutes cum vitiis, peccatáque à vitiis profecta variè inter se comparat.

Caput 22.

1 *Dicuntur enim & alio modo virtutes, vt naturæ dotes & progressiones ad illas: quæ propter similitudinem, cũ eisdem solius nominis communionẽ habent. Sicque milites fortes nonnunquam appellamus, nonnullósque prudentiæ expertes, etiam fortes prædicamus, non de perfectis virtutibus loquentes.* 2 *Hæ autẽ, perfectæ scilicet, neque intendũtur, neque remittuntur, cùm vitia intendantur & remittantur. Si quidem alius alio imprudentior est & iniustior. Nec sese vitia consequuntur: quoniam quædam sunt inter se contraria: quæ eidem non conueniunt. Quomodo se habet ad timiditatem audacia, & ad auaritiam profusa largitio. Neque verò quisquam existere potest, qui vitiis omnibus sit infectus: quemadmodum neque corpus vllum omnibus morbis simul affectum, aut modis omnibus deformatũ. Admittenda etiam est media quædã cõstitutio, neque praua, neque cum virtute coniuncta. Quoniam non omnes homines probos, vel improbos esse necesse est: sed huiusmodi sunt qui iam ad summum horum peruenerunt.* 3 *Neque facile est à vitio ad virtutem rectà regredi: quia extrema longo interuallo, magnáque contrarietate à se inuicem seiuncta sunt. Existimandum autem est de virtutibus quasdam esse principes & antecedentes, alias harum comites. Principes sunt in parte animi rationali, à quibus reliquæ perfectionem capiunt: comites verò, in altera quæ perturba-*

tionibus est obnoxia. Hæ enim honesta sequuntur secundum rationem, non quæ in ipsis est (non enim eam habent) sed quam à prudentia capiunt, quæ in illis consuetudine & exercitatione est confirmata. Et quoniam neque scientia, neque ars in alia parte animi est, quàm in rationali, virtutes quæ in altera animi parte perturbationibus obnoxia, existunt, doceri nullo modo possunt. Quia neque artes sunt, neque scientiæ. Non enim propriam præceptionem habent. At prudentia cùm scientia quædam sit, ea quæ cuique propria sunt, præscribit. Quemadmodum gubernator nautas docet ea quæ ignorantur ab ipsis. Hi verò illi parent. Eadémque ratio in milite, & in imperatore valet. Vitia autẽ cùm intendantur & remittantur, peccata paria non erunt: sed quædam maiora, alia minora. Quibus hoc consentaneũ est, vt his à legumlatoribus supplicia quædam grauiora, alia leuiora decernantur. 4 Quanquam verò virtutes extremitates sint, quia perfectæ & recto similes, alio tamen modo mediocritates erũt. Quod omnes vel certè plurimæ, in medio duorum vitiorum sitæ sint: quorum vnum est in excessu, alterũ in defectu: vt in liberalitate hinc auaritia, altera ex parte profusa largitio cernitur. 5 In perturbationibus enim discessus à modo accidit, aut secundum excessum, aut secundum defectum. Neque verò qui, cum parentes iniuriam patiuntur, non irascitur, neque qui in omnibus, & quacunque occasione concitatur, moderatus est: sed omnino vterq; à modo discedit. Rursus qui parentibus vita functis nihil commouetur, affectu caret. Qui verò ita luget, vt contabescat, affectus modum excedit. At qui mœret quidem, sed moderatè, is moderatè affectus dicitur. Sic certè qui omnia ti-

met & præter modum, is timidus est, qui nihil audax: fortis vero qui in confidendo atque metuendo modum seruat. Quorũ in cæteris eadem est ratio. Atque quoniam quod moderatum est in perturbationibus, idem optimum: non aliud autem est moderatum quám quod medium inter nimium & parum, idcirco mediocritates eiusmodi virtutes existunt. 6 Quod in perturbationibus medio quodam modo afficiant.

Iac. Carpentarij Commentarius in Cap. 22.

1 Multiplex nomen virtutis peperit inter Stoicos, & Peripateticos variam de verbo magis quàm de re, controuersiam. Hi enim quia virtutes vt habitus agendi consuetudine partos, à naturæ seminariis & igniculis semper distingunt, eas ingenitas esse negant. Illi vero quoniam igniculos naturæ minimè deprauatæ, quibus ad omnes honesti partes excitamur, virtutes etiam appellant, dicere solent has nobiscum esse natas. & quod ex eorundem doctrina Ciceroni familiare est, eum qui in viuendo sequitur naturam ducem tanquam Deum, nunquam aberrare posse. Quanquam & alio modo veteranos milites fortes dicimus, non propter hæc naturæ seminaria, sed quia ad subeunda pericula pœnis & probris excitantur potius quam virtutis amore: vel quoniam in præliis exercitati, sola consuetudine pericula contemnunt: atque cum tyronibus pugnant, vt armati cum inermibus. Has enim adulterinæ fortitudinis species Aristoteles enumerat cap. 8. lib. 3. Ethic. Idémque lib. 1. Politic. popularem etiam quandam prudentiam facit, nobiscum natam & à iustitia separatam, quæ plerúnque humanæ societati valde pernicioſa est. Apertius vero superiorem Stoicorum sentẽtiam expressit cap. 13. lib. 6. Ethic. Omnibus, inquit, à natura virtutes morum quodam modo tributæ sunt. Natura enim & iusti & temperantes, & fortes gignimur reliquarúmque virtutum principia & semina simul atque in lucem editi sumus, cõtinemus. Sed tamẽ aliud quidem quod propriè bonum sit, esse volumus: & quæ ex hoc genere sunt, aliter inesse. Nam & pueris & belluis à natura tributi sunt habitus, qui sine intelligentia & ratione, obesse hominibus vidẽtur. Quemadmodum enim graui corpori contingit, vt si moueatur sine aspectu, grauiter offendat, hoc ipso quod caret aspectu: sic res hîc se habet. Quod sapientiæ lũmen accesserit, iam magna est in actione distinctio, habitúsque similis tum denique virtutis nomen proprie verẽque obtinebit.

2 Qualitatum omnium ratio cum à subiectis cogitatione abstrahitur, in individuo quodam modo est posita, eáque similis numero cui nihil addi aut detrahi potest, sine speciei mutatione. Quo modo Arist. in Categoriis cap. de qualitate disputat intentionem, & remissionem fortasse in qualitates non cadere: sed in iis esse manifestam quæ ab illis denominationem capiunt. Causa enim intentionis atque remissionis consistit in variis gradibus permixtionis duorum contra-

riorum. Hæc vero ad subiecta propriè pertinet, non ad ipsas qualitates, quarum ratio à subiectis cogitatione quoad potest, abstrahitur. At specialiore modo vitia intẽdi & remitti dicuntur, virtutes vero minime. Quod hæ similes sint lineis rectis: illa obliquis. Itaque vt omnes lineæ rectæ, ex æquo rectæ sunt: de obliquis vero quædã minus, aliæ magis sunt eiusmodi: sic de virtutibus & vitiis iudicandum. Stoici hac in parte veteribꝰ Academicis, id est Platonicis subtiliores videri voluerunt, cũ dixerunt non modo rectè facta, sed & peccata quæ à vitiis proficiscuntur, esse paria. Peccare enim, vt Cicero ait in illorum Paradoxis, est tãquam lineam transilire. Quod cum feceris, culpa cõmissa est: quam longe progrediare eũ semel hinc transieris, ad augendam transeundi culpam nihil pertinet. Hoc vero, vt idem scribit lib. 4. de finibus, eo argumento confirmant, in quo huius sententiæ Platonicæ partem vnam retinent, alteram reprehẽdunt. Stoici, inquit Cicero, progressionem ad virtutem fieri aiunt: leuationẽ vitiorum fieri negant. At quo nituntur homines acuti argumento ad probandum, opere prætium est considerare. Quarum, inquiunt, artium summa crescere potest, earũ etiam contrariarũ summa poterit augeri. Ad virtutis autem summũ accedere nihil potest. Ne vitia igitur crescere poterunt, quæ sunt virtutum contraria. De eadem vitiorum æqualitate contra veteres Academicos, hæc ex Stoicis idem commemorat lib. 3. de Finibus. Cõsentaneum est iis quæ dicta sunt, inquit, ratione illorum qui illum bonorum finem, quod appellamus extremum, quod vltimum, putent crescere posse, iisdem placere esse alium alio etiam sapientiorem, itémq; alium alio magis peccare, vel recte facere: quod nobis non licet dicere, qui crescere bonorum finem non putamus. Vt enim qui demersi sunt in aqua, nihilo magis respirare possunt, si non longè absunt à summo, vt iam iámque possint emergere, quã si etiã tum essent in profundo: nec catulus ille qui iam appropinquat vt videat, plus cernit quàm is qui modo est natus: ita qui processit aliquantulum ad virtutis aditum, nihilo minus in miseria est, quam ille qui nihil processit. Hæc mirabilia videri intelligo: sed cum certe superiora firma ac vera sint, his autem ea consentanea & consequentia, ne de eorum quidem est veritate dubitãdum. Sed quanquam negent nec virtutes nec vitia crescere, attamen vtrunque eorum fundi quodammodo & quasi dilatari putant. Quam Stoicorum doctrinam idem Cicero ludens in M. Catone vt causæ inseruiat, variis rationibus insectatur ad finem Orationis pro L. Murena. In qua quæstione si virtus & vitium contraria essent in subiectis omnino impermixta, aut si vitium in quocunque est, significaret summam totámque virtutis priuationem: ita vt in eo nihil relictum sit earũ actionum quæ ad virtutem pertinẽt, sed cõpleta, vt sic loquar, malicia, rectè colligeretur à Stoicis vitia peccatáque esse paria, quia virtutes pares. Sed quia peccata appellantur, & quæ consummatæ sunt peruersitates animorũmque deprauationes, & ad illas progressiones quædam in hominibus quibus adhuc aliquid inest boni: idcirco inter vitia & peccata merito inæqualitas ponitur.

3 Labi quidem in vitium facile est, quia ad peccandum via lata. Ab eo vero ad virtutem respicere, difficile: quia hæc angusta est & multas habet asperitates. Sicq; nonnulli interpretantur illud Vergilij Æneid. 6.

--Facilis descensus auerni
Sed reuocare gradum superásque euadere ad auras,
Hoc opus, hic labor est.

Id vero accidit quia, vt Aristo. ait cap 6. libr. 2. Ethic. peccare licet multis modis &, vt Pythagorei coniiciebant, malum infinitum incertúmque est, bonum

certum atque finitum: Vnoque modo licet rectè facere. Quare illud facile, hoc difficile est: sicut à signo discedere, facile est, Ipsum vero attingere, magni negotij. Et cap. 9. nihil difficilius esse ait quam reperire in quauis re quod sit omni ex parte perfectum. Vt circuli medium, inquit, non cuiuslibet est reperire, sed periti tantum. Idem etiam ex Hesiodo testatur Plato lib. 4. de Leg. Hesiodum sapientem multi prædicant, inquit, cum dicat viam ad vitia planam esse, ac sine sudore peragi, quia sit breuissima. Ante virtutem vero Deos immortales sudorem posuisse: ac viam quæ ad eam ducit longam, arduam & asperam primum esse, sed postquam ad summa fastigia peruentum est, eam quæ ardua fuerat, facilem præstare callem. Quod Cebes Thebanus sic expressit in sua tabula, Videsne, inquit, supra locum quendam vbi nemo habitat, sed desertus videtur? Video. Nunquid & ianuam quandam paruam & viam ante ianuam, quæ non multum frequentatur: quinetiam admodum pauci eam petere contendunt, vt pote quæ accliuis ascensuq; difficilis aspera & petrosa esse videtur? Quid ni, inquam ego? Atqui & collis quidam excelsus esse videtur & ascensus angustus admodum, cuique hinc inde alia sunt præcipitia. Video. Hæc itaque est via, inquit, quæ ad veram ducit disciplinam: & admodum quidem certe aspectu difficilis atque ardua. Ex quibus intelligitur cum omnes habitus (quia confirmantur in nobis lõga consuetudine, quæ naturam imitatur) difficile possint immutari, id in vitiis quàm in virtutibus longe esse difficilius. Non enim sine ratione dictum est à Cicerone, quod alioqui mirum videri potest, Dyonisium Syracusanum non potuisse, etiam si voluisset, ab iniustitia ad iustitiam redire. Quia in illa animo erat multis actionibus obfirmato. Quod etiam confirmauit Arist. cap. 5. lib. 3. Ethic. Si quis non imprudens, inquit, geret ea ex quibus iniustus nascatur, profecto voluntate sua efficietur iniustus. Nec si velit quidem cohibere se possit, aut iniustus esse desinat, fiátque iustus: quoniam ne ægrotus quidem, valens & incolumis cum velit, etiamsi ita acciderit vt sponte ac voluntate sua ægrotaret: quia libidinose viueret, nec medicis crederet. At tum illi quidem licebat morbum declinare: at posteaquam se præcipitauerit & proiecerit in morbum, iam non licet. Vt is qui lapidem iaculatus est, non potest iam reuocare, nec sustinere iactum, quanquam esset antea in eius potestate ne iacularetur, cum in ipso situm esset principium: sic iniustis ac libidinosis initio ab his vitiis declinare licuit: propterea quod in eorum erant potestate. At postea quàm eiusmodi extiterunt, iam non licet. Et tamen quo modo in vita humana hic reditus à vitio vel potius à naturalibus propensionibus ad vitium, tentandus sit, idem Aristo. explicat cap. 9. lib. 2. Ethic. Videndum est diligenter, inquit, ad quæ vitia simus procliuiores: alij enim ad alia procliues sumus. Quod facile ex ea voluptate & ægritudine quæ nobis accidit, intelligemus. Se autem quisque ab ea in cõtrariam partem debet deducere. Longe enim à delinquendo abdũcti, veniemus ad mediocritatem. Quod quidem faciunt hi qui ligna contorta in rectum dirigunt. Idémq; in morbis faciendum censet probl. 2. sect. 1. Cur morbi, inquit, sæpe curari possunt, vbi quis abunde excessit? Equidem nonnulli medici eam arté exercent, vt non nisi per excessum agãt, vel vini vel aquæ, vel salsuginis, vel inediæ. An quoniam causæ quæ morbos committunt, aduersæ inter se sunt: atque ita efficitur vt genus alterum duci per excessum alterius in mediũ possit? Difficultatem vero hanc redeundi à vitio ad virtutẽ, Alcinous ex eo colligit, quòd hæc rationem habeant duorum extremorum à seinuicẽ maxime distantium. Quasi longiore interuallo seiuncta sint virtus & vitium, quam duo habitus vitiosi in quorum medio virtus ipsa sita est. Hoc autem intelligendum quando virtus,

& vitium inter se conferuntur in ratione boni & mali, in qua maximè pugnant. Quoniam si in eisdem spectetur solus agendi modus, longiore interuallo à seinuicem seiuncta sunt duo extrema vitiosa, quàm horum alterutrum, à media virtute. Quæ sententia est Arist. cap. 8. lib. 2. Ethic. Maior, inquit, extremorum habituum inter ipsos quàm cum medio, repugnantia. Quandoquidem longius absunt alter ab altero, quam vterq; à medio. Quemadmodum res magna à parua longius abest, & parua à magna quam vtrà que à media. Iam quædam extrema ad medium videntur quadam similitudine accedere, vt audacia ad fortitudinem effusa largitio ad liberalitatem. Extremis autem inter ipsa dissimilitudo est maxima. At ea quæ plurimum differunt contraria definiuntur. Ita fit vt magis etiã inter se contraria sint, quæ plus distant.

4 Idem scribit Arist, cap. 6. lib 2. Ethic. Virtus, inquit, natura sua & definitione qua quid sit explicatur, mediocritas intelligitur: rei autem optimæ perfectæque ratione, extremitas. Hæc vero rei optimæ perfectæque ratio in eo versatur quod veteres Academici sicut & Peripatetici, eorum quæ pertinent ad regendam partem animi inferiorem, perfectionem summam posuerunt in eius medij obseruatione, quod est tam in actionibus quam in perturbationibus, inter nimium & parum. De quo partim Geometrico, partim Arithmetico, præter ea quæ multa dicuntur ab Arist. libro 2. & 5. Ethic. nobilis etiam locus est apud Plutarchum lib. de virtute morum. Quoniam medium, inquit, multipliciter dicitur, docendum est quod medij genus virtus teneat. Commixtum igitur medium est simplicium, vt albi & nigri fuscus color. Et quod partim continet, partim continetur, ipsius continentis & contenti, vt duodenarij & quaternarij octonarius numerus est medius. Et quod neutrius extremi particeps est: vt boni & mali, id quod est indifferens. Nullo ex his modo virtus mediocritas dicenda est. Neque enim commixtio est vitiorum: neque continet superatum, neque complectitur excedens, id quod decet: neque omnino ab affectionum motibus libera est, in quibus est magis & minus. Fit ergo in primisque dicitur medietas, ei quæ est in sonis atque harmonia congruenter. Ea enim vox est concinna, quemadmodum in fidibus postrema & suprema. Quarum alterius nimiam acuitatem, alterius grauitatem deuitat: ipsaq; cum sit motus atque potentia in anima irrationali, quod solutum & languidum est aut intentum, atque omnino plus & minus, ab appetitione naturali amputat & demit, modum atque constantiam affectibus adhibens. Quod vero Alcinous subiicit virtutes omnes vel certè plurimas, in medio duorum vitiorum sitas esse, primum nihil omnino pertinet ad virtutes intellectus, nisi quatenus in earum vsu aliquid respondens excessui atque defectui notari potest. Et de virtutibus morum iustitia ad medij obseruationem nõ eodem modo se habet quo reliquæ, sicut Arist. docet cap. 3. lib. 5. Ethic.

5 In motibus animi, sicut & in actionibus, quædam sunt toto genere rationi cõtraria: in iisque nullus omnino esse potest laudabilis modus. In quibus Aristo. cap. 6. lib. 2. Ethic. enumerat maleuolentiam, impudentiam, inuidiam, & in factis adulterium, furtum, cædem. Hæc enim omnia, inquit, quæque sunt eiusdem generis, ipsa per se vitiosa dicuntur: Non eorum immensi nimium aut parum magni progressus: nec vnquam in rectè factis esse hæc possunt: sed semper sunt in vitio: nec in talibus illud rectè aut non rectè versatur, adulterando vel quando, vel quemadmodum opus est, sed absolutè quidùis eorum facere vitiosum. In aliis quædam naturalia esse dicuntur, in quibus ab Academicis veteribus & Peripateticis aliquid cõceditur humanæ imbecillitati. Quia in nobis tenerum quiddam est & molle, quod vt in omnibus eundem animum, aut eundem vultum retineamus

tineamus non permittit. At Stoici quia perturbationes omnes arbitrantur esse opiniones & iudicia leuitatis, his omnino volunt carere sapientem. Sed in eo fortasse, sicut in aliis permultis, cū veteribus Academicis & Peripateticis verbis magis pugnant quā sententia. Quoniam Stoici perturbationes non vocant motus quosuis, sed eos tantum qui contra rationem longius excurrunt, huiusq; iudicium impediūt. Atque ita quanquam in sapiente primos quosdā motus agnoscant, quos Peripatetici naturales appellant, negant tamen eos perturbationes verè posse nominari. Quam illorum fuisse sententiam colligi potest ex loco Epitecti Stoici, qui extat apud Gellium cap. 1, lib. 19 noctium Atticarum, Visiones animi, inquit ille, quas φαντασίας philosophi appellant, quibus mens hominis prima statim specie rei ad animum accedentis, pellitur, non voluntatis sunt, neque arbitrij, sed vi quadam sua inferunt sese hominibus. Noscitandæ probationes autem, quas συγκαταθέσεις vocant, quibus eadem visa noscuntur, voluntariæ sunt fiuntque hominum arbitratu. Propterea cum sonus aliquis formidabilis, aut è cælo, aut ex ruina, aut repētinus nescio cuius periculi nuntius, vel quid aliud eiusmodi factum est, sapiētis quóque animum paulisper moueri & contrahi & pallescere necessum est, nō opinione alicuius mali percepta, sed quibusdam motibus rapidis & inconsultis, officium mentis atq; rationis peruertentibus. In qua quæstione Peripateticos cū Stoicis sic Cicero comparat Academica. 1. Cum perturbationem animi Peripatetici ex homine non tollerent, naturāque & condolescere & concupiscere & extimescere & efferri letitia dicerent, sed ea contraherent in augustúmq; deducerent: his omnibus quasi morbis Zeno voluit carere sapientem. Cumque perturbationes antiqui naturales esse dicerent & rationis expertes, aliáque in parte animi cupiditatem, alia rationem collocarent, ne iis quidem assentiebatur. Nam & perturbationes voluntarias esse putabat opinionesque suscipi iudicio: & omnium perturbationum arbitrabatur esse matrem immoderatam quandam intemperantiam. Idem de hac quæstione contra Peripateticos sic agit Tusc. 4. Mollis & enervata putanda est, inquit, Peripateticorum ratio & oratio, qui perturbari animos necesse esse dicunt, sed adhibent modum quendam, quem vitra progredi non oporteat. Modum tu adhibes vitio? An vitium nullum est non parere rationi? An ratio patum præcipit nec bonum illud esse quod aut cupias ardenter, aut adeptus efferas te insolenter? Nec porrò malum quo aut oppressus iaceas, aut ne opprimare, mente vix constet? eáque omnia aut nimis tristia, aut nimis læta errore fieri? Qui si error stultis extenuetur die, vt cum eadem res maneat, aliter ferat inueterata, aliter recentia, sapientes ne attingat quidem omnino. Et paulò post. Qui modum vitio quærit, inquit, similiter facit vt si posse putet eum qui se è Leucade præcipitauerit, sustinere se cum velit. Vt enim id nō potest, sic animus perturbatus & incitatus, nec cohibere se potest, nec quo loco vult, insistere omnino. Quæq; crescētia pernicioſa sunt, eadem sunt vitiosa nascentia. In qua disputatione perturbationis nomine Cicero vtitur pro immoderato animi motu & contra rationem exultante, vt colligi potest ex definitione quam initio eiusdem Tusculanæ, disputationis suæ fundamentum esse vult. Est, inquit, Zenonis hæc definitio, vt perturbatio sit auersa à recta ratione contra naturam animi commotio. At certum est Peripateticos non existimasse talem perturbationem cum virtute posse consistere, sed eam potius quæ secundum naturam est & in ipsis morum virtutibus rationis imperium sequitur. In qua quæstione D. Hieronymus in epistola ad Ctesiphontem contra Pelagianos, Aristoteli assentitur, scribitque Stoicos hominem ex homine tollere, & hūc cum corpore constitutum, velle esse sine corpore. Quod, inquit, optare est, potius quā

docere. Similis est sententia D. Augustini cap. 4. lib. 9. de Dei Ciuitate. Lactantius vero cap. 4. lib. Acephali, de eadem re sic statuit. Affectus Stoici amputandos, Peripatetici temperandos putant. Neutri eorum recte. Quia neque detrahi possunt, si quidem natura insiti habent certam magnámq; rationem: neque minui. Quoniam si mali sunt, carendum est etiam temperatis & mediocribus: si boni, integris abutendum est. Nos vero neque detrahendos, neque minuendos esse dicimus. Non enim per se mala sunt, quæ Deus homini rationabiliter inseruit. Sed cum sint vtique natura bona, quoniam ad tuendam vitam sunt attributa, male vtendo fiunt mala: sicut si fortissimè pro patria dimices bonum est: si contra patriam, malum. Sic & affectus si ad vsus bonos habeas, virtutes erunt si ad malos, vitia dicẽtur. Omnino autem in affectibus esse aliquid naturale quo vita humana prorsus carere non possit, hac ratione Peripatetica necessario videtur effici: quòd homo sine sensu esse non potest, at sensuum operationi, vt Arist. docet lib. 2. de Anima, necessariò in humana vita adiunguntur voluptas & dolor. Hæc autem quibus, insunt animalem appetitionem pariunt. Ex quibus efficitur eos hominem ex homine exuere, qui eum prorsus affectibus carere volunt.

6 D. Thomas. 1. secundæ Articul. 2. quæst. 60. virtutem circa animi affectum versari dicit dupliciter, vel vt hunc producit, actioníque suæ habet annexum, vel vt eundem regit, qui est pro subiecta materia. Priore modo dictum est ab Arist. lib. 2. Ethic. cap. 3. omnes virtutes morales versari circa voluptatem & dolorem. Quoniam virtutum habitus conformati cognoscuntur ex voluptate quæ actionibus est adiuncta. In eóque idem laudat illud ex Platonis sententia in Symposio, nos à puero ita esse oportere institutos, vt letemur bonis rebus doleamúsque contrariis. Posteriore vero virtutes quædam dicuntur versari in regendis actionibus, vt iustitia in emptione & venditione, liberalitas in largitione pecuniæ, aliæ in affectibus, vt temperantia & continentia. Accidit autem nonnunquam vt actionis modus prętermittatur propter perturbationem, vt si quis iratus inferat alteri iniuriam. Tumque vitium partim in actione, partim in perturbatione cõsistit, sed diuersa ratione: vt si quis iratus alterum percutiat, in percutiendo iniustitia est, in irascendo, animi immoderatio. Idem. 1. secundæ articulo. 3. quæstione 64. docere conatur etiam virtutes intellectus in medio consistere. Quia, inquit, versantur in veritate: ratio autem veri in conuenientia & modo orationis cum ipsa re. Falsitas autem affirmationis est vt excessus: falsitas negationis vt defectus.

Docet virtutes voluntarias esse, vitia inuoluntaria : peccatis tamen quæ ab his proficiscuutur, rectè supplicia decerni, hæcque inter se inæqualia.

Caput 23.

[1] *Quoniam vero si quid aliud in nobis est, & quod alterius imperio non teneatur, eiusmodi sane virtus est (non enim quod honestum, laudabile esset, si vel natura vel diuina sorte contingeret) hæc erit voluntaria, nata ex impulsione quadam flagrante, generosa atque permanente.* [2] *Ex eo igitur quod virtus est voluntaria, efficitur vitium inuoluntarium esse.* [3] *Quis enim volens, in parte sui pulcherrima & præstantissima, eligat quod malorum omnium est maximum? At si quis in vitium ruit, non tanquam in vitium ipsum ruet, sed tanquam in bonum. Si quis autem accedit ad vitium, in eo omnino decipitur, quod hac via per minus quoddam malum, ad aliquod maius bonum aspirat: atque hoc pacto inuoluntariè accedit. Neque enim fieri potest vt quis ruat in mala, eo animo vt hæc habeat: non spe aliqua boni, neque metu maioris mali. Et sane omnia quæ improbus iniustè agit, inuoluntaria sunt.* [4] *Nam cum iniustitia inuoluntaria sit, multo magis iniustè agere inuoluntarium erit: quo scilicet deterior est operatio ipsius iniustitiæ, eiusdem solo habitu.* [5] *Quanquam vero iniuriæ inuoluntariæ sint, decernenda tamen in eos qui iniuriam inferunt, supplicia, hæcque inter se differentia: quoniam & ipsæ noxæ sunt differentes.* [6] *Atque inuoluntarium in ignoratione quadam, vel in perturbatione consistit.*

Omnia autem talia licet repellere ratione & consuetudine ciuili, atque diligentia. Tantum vero malum iniuria est, vt ferenda potius ea sit quam inferenda. Hoc enim peruersi est, illud infirmi. Malum quidem vtrúnque: inferre tamen iniuriam eo deterius est, quo turpius. Prodest autem ei qui intulit, iniuriæ pœnas dare: vt & ægrotanti, corpus medico curandum committere. Omnis enim castigatio, peccantis animi medicina quædam est.

Iac. Carpentarij Commentarius in Caput 23.

1 Diuina sorte virtutem hominibus contingere, Homerus voluisse videtur illa fabula (cuius antea meminimus) de duobus doliis, quàm Plato reprehendit lib. 2. de Rep. Neque Homeri, inquit, neq; alterius poëtæ accipiendum est peccatum, stultè de Diis dicentis, in Iouis limine duo iacere dolia plena sortibus, vnũ bonis, malis alterũ. Cumq; ex iis Iupiter inuicem commixtis impertit alicui, aliàs huic bene est, alias male. Cui vero ex altero datur, hunc vesana fames super terras exagitat. Neq; vero admittẽdum est Iouem nobis penuarium esse bonorum & malorum. Et certe si virtus ita hominibus omnino cõtingeret, diuina, vt aiũt, virgula, ea quidem ab authoribus Diis magnam cõmendationem acciperet, in hacq; admiranda esset Deorũ in homines benignitas: sed Dij in hominum virtutibus potius quam homines propter suas virtutes laudarẽtur. Quia nihil esset ab horum industria profectum, aut proprio labore partum. Talia vero esse debent quæ hominũ veram commendationem continent. De qua quæstione plura antea dicta sunt ex Arist. & Platone. Porro flagrans illa impulsio & generosa ex qua virtutem nasci Alcinous ait, posita est in illis naturæ igniculis, de quibus ex Stoicis antea dictum est, & quos Cicero explicat initio lib. 1. Officiorum illo capite, Principio omni generi animantium à natura tributum est vt se, vitam corpúsque tueatur, & cætera. Hi vero partim omnib⁹ hominibus cõmunes sunt, partim singulorum quidã proprij. Qui quia ab ipsa natura vel potius ab ipso Deo, sunt profecti, verè dici potest nos huius beneficentia à natura accepisse primum cõmunia quædam, deinde alia nobis propria ad virtutem adiumenta: sed quorũ cultura nostra est, nostræque cõmendationis summam continet. Virtus autem vno modo in nobis esse dicitur quia eius paratæ potestas in nostra est libertate. De qua sic scribit Arist. cap. 5. lib. 3. Ethic. Virtus itémq; vitium, inquit, in nostra sunt potestate. Quas enim res in nobis situm est vt agamus, eas etiam in nobis situm est, vt ne agamus, quàsque res in nobis situm est vt non agamus, easdem vt agamus in nostra est potestate. Ita si quod honestum est, id est in nobis, vt geramus: illud quoque quod turpe est, vt non geramus in nobis situm erit. Et si id quod honestum est, vt ne faciamus in nostra est potestate: necesse est quod turpe est, esse id in nobis vt geramus. Quod si in nobis

situm est, vt honesta quæ sunt & turpia faciamus, profectò & vt ne agamus eadē, nostræ erit voluntatis. Hoc autem si est bonos & malos esse, certè vt probi improbive simus, est id in nobis. Alio etiam modo eadem virtus in nobis est, quia bonum est in nobis constantissimum, in quod nihil omnino potest externa vis aut fortunæ temeritas. De quo sic idem Aristoteles cap. 10. libro 1. Ethic. Eum qui verè bonus sit, inquit, quique sapiens, putamus omnes fortunę casus æquo animo esse laturum: ex iis autem quæ sint in nostra potestate, semper pulcherrima quæque facturum. Vt & bonus imperator exercitu eo qui adest, semper vt vsus ferat, commodissimè vtitur, & sutor ex ijs pellibus quæ suppetant calceum aptissimum conficit: eodémque modo cæteri omnes artifices. Quæ sententia de virtutis vi, constantia & dignitate longe celebrior est apud Stoicos hac in parte Socratem sequutos: vt colligi potest ex Cicerone, aliis quidem locis multis, sed maximè quinta Tusculana.

2 Vitia inuoluntaria esse colligit, quia virtutes voluntariæ sunt, quasi contrariorum causas contrarias esse oporteat. Melius Aristoteles vel certè populariter magis libro 3. Ethic. eo loco quem paulò antè citauimus, disputat ne virtutes quidem ipsas à libera voluntate proficisci, nisi & vitia dicantur esse voluntaria, quoniam ea demum uel potius sola facultas humana libera est, quæ potens est ad contraria. Qui locus in horum sententiis dissidentibus sic videtur explicandus. Socrates apud Platonem ad finem Protagoræ, concludit neminem sua sponte, vel scientem ad malum conuerti. Quod verò quis dicitur ab affectionibus superari, hoc esse insciti æ: sicut proprium sapientiæ est affectibus dominari. Idem in Hippia maiore, docet homines ab ineunte ætate per omnem vitam ad malum, quàm ad bonum procliuiores esse: neminem tamen sua sponte peccare. In quo Plato voluntatem appellare videtur, appetitionem non quamuis, sed homini propriam, id est rectè rationi consentaneam. Sic enim propriè voluntas ab animali & naturali appetitione distinguitur: & Stoici, vt apud Ciceronem est 4. Tuscul. voluntatem definiunt, appetitionem quæ quid cum ratione desiderat: idéque negant quemquam propria voluntate peccare. Quoniā in peccando rationis iudicium peruertitur, vi perturbationis eius cui obsequimur: & quicunque peccat perturbatus, falsam speciem boni naturali veróque bono anteponit: in eóque animali appetitione regitur, rationali de gradu dignitatis suæ deiecta. In quam sententiam Calchidius Commentario in Timæum, interpretatur peccata non esse spontanea: quia, vt ait, anima particeps diuinitatis naturali appetitu bonum quidem semper expetit: errat tamen aliquando in iudicio bonorum & malorum. Idémque sequutus Ioannes Picus Mirandula in suis conclusionibus posuit, quod Plato dicit neminem nisi inuitum peccare, id non aliter intelligi, quàm quod tenet D. Thomas, scilicet non posse esse peccatum in voluntate, nisi sit defectus in ratione. Platonis mentem eodem modo interpretatur Marsilius Ficinus in 9. de Legibus. Habitus omnis, inquit, aut virtutis est, aut vitij. Si virtutis, omnino voluntarius est: quoniam consilio libero & expedita electione, & propriis animi actionibus est acquisitus. Sin verò vitij, inuoluntarius omnino censetur. Quia ita morbus est animi, sicut humorum intemperantia, morbus est corporis. Neque verò quisquam morbum dixerit voluntarium, quamuis nonnulla quæ præter opinionem inferunt morbum, possit quodammodo voluntaria dicere. Præterea eiusmodi habitus ex impedito consilio, distractáque electione & passionibus, potius quàm actionibus inolescit. Ex quibus efficitur Platonicum illud sæpissimè decantatum, vitiorum habitus inuoluntarios esse, neminémque fieri sponte malum: quemadmodum & nemo fit sponte ægrotus, vel

inops. Qua in parte Platonis verba quidem magis, quam sententiam Aristoteles reprehendit cap. 5. libr. 3. Ethic. sed ita tamen vt huius opinio ad ciuilem disciplinam pœnis propositis vitia coërcentem, & ad communem loquendi consuetudinem magis accommodata esse videatur. Vbi præter ea quæ proximè cõmemorata sunt, hæc quoque argumenta ex ciuili disciplina repetit. Testes huius rei sunt, inquit, & priuatim singuli & publicè legislatores, qui sumunt suppliciũ de iis omnibus qui flagitia admittunt, nec vi, nec imprudentia, quæ non ipsorũ culpa euenerit: honores autem decernunt his qui præclara facinora faciunt, vt illos deterreant, hos adhortentur. Atqui nemo quemquam ad ea omnia gerenda hortatur quæ nec sunt in nostra potestate, nec sunt nostræ voluntatis: quòd nihil attinet inducere animũ, vel calescere, vel dolere, vel esurire, vel aliud quiduis eiusdem generis, quia nihilominus ea perferemus. Etenim erroris vel imprudentiæ causa in eo vindicatur, qui sua culpa nescierit. Vt in vinolentos duplex pœna constituta est: propterea quod principium in eis situm est. Est enim in eis situm vt ne vino obruantur: quod quidem causa est imprudẽtiæ. Quinetiam eos puniunt qui aliquid ignorant eorum quæ legibus continentur, quæ ipsa & cognosci debent, nec sunt difficilia. Itémque in cæteris, si qui negligentia impediti aliquid videntur ignorare, quod in eis situm erat vt ne ignorarent: quandoquidem in eorum erat potestate, vt darent operam. Quanquam aliqui certè sunt eiusmodi, vt ne dent operam vt sciant, eorũmque culpa accidit, vt tales fierent, dum mollius viuunt & dissolutius: itémque vt iniusti & intemperantes essent: illi dum fraude & dolo agunt: hi dum degunt vitam in compotationibus. Nam quæ in quaque re opera ponitur, tales homines efficit. Talibus verò rationibus Plato fortasse victus, in suis legibus paulò aliter loquutus esse videtur, cùm ita scribit libro 9. Duplicem cædem ponere placet, inquit, vtramque ira factam. Quas inter voluntarias & inuoluntarias actiones medias iure posuerim. Neutra enim voluntaria reuera & inuoluntaria est: sed altera alterius est imago. Nam ille quidem qui iram seruat, nec repente, sed cum insidiis se postea vindicat, homicidæ voluntarij est persimilis. Et qui non seruat, sed pro iræ impetu fertur, & absq; præmeditatione interficit, inuoluntarij homicidę similis iudicatur. Non tamen omnino inuoluntarius est, sed inuoluntarij similitudinem habere dicitur. Quocirca per iram commissæ cædes difficile determinantur, vtrũ voluntariæ, an contra sint ponendæ. Optima igitur & verissima sententia est, vtrasque imagines appellare, eásque seorsum ita distinguere, vt altera consultò, altera inconsultò committi dicatur. Maiora verò supplicia illis decet imponere, qui consultò per iram interfecerunt: iliis contra qui repentè & inconsultò, leuiora. Nempe quod grauiori malo simile, asperius: quod verò leuiori, minus puniendum. Eodémque dialogo ex hac populariore loquendi consuetudine cædem voluntariam nominat eam, quæ non ab iræ impetu proficiscitur: sed quæ vt ait, sponte secundum omnem iniustitiam ex insidiis propter voluptatum cupiditatúmque & inuidiæ tyrannidem committitur. Cuius tres causas facit, primam cupiditatem in animo libidinibus exagitato dominantem, quæ in eo ardore consistit maximè, qui multorum animos vehementer inflammat: secundam ambitionem: tertiam ingentes iniustásque formidines. In eadem quæstione sic versatur Plotinus capite decimo libri secundi de Prouidentia, vt docere conetur malorum quidem habitus non esse voluntarios, humanas tamen actiones singulas esse voluntarias.

NB.

3 Omnis enim ars, omnis doctrina, omnis actio, omnis electio, vt Aristo-

teles ait initio Ethicorum bonum appetit. Vel vt Plato scribit in Philebo, omne cognoscens, ipsum bonum venatur & appetit, apprehendere cupiens, atque ipsum in se, & alia circa ipsum possidere: cæterorúmque nihil curat, præterquàm quæ cum bonis perficiuntur. De quo sic Socrates initio Menonis, Vtrum qui mala desiderat, mala esse cognoscens, prodesse cùm adsint, existimat? an vnumquodque potius sua præsentia lædere? MEN. Sunt certè qui mala prodesse putent, nec desunt qui obesse cognoscant. SOCR. Videntur tibi mala nosse quòd mala sint, qui mala prodesse cuiquam opinantur? MEN. Haud sanè id mihi videtur. SOCR. Ex iis igitur patet eos non appetere mala, qui illa minimè norint, sed illa potius quæ bona esse putauerint, cùm tamen mala sint. Quapropter ignorantes illa, bonáque existimantes, perspicuum est bona potius exoptare. Cuius rei causam Cicero libro quinto de Finibus, eleganter ex primis naturæ fundamentis ita repetit. Ordiamur, inquit, ab eo quod modo posui, vt intelligamus animal seipsum diligere. Quod quanquam dubitationem non habet (est enim infixum in ipsa natura, comprehenditurque suis cuiusque sensibus, sic vt contra si quis dicere velit, non audiatur) tamen ne quid prætermittamus rationes quoque cur hoc sit, afferendas puto. Etsi, quî potest intelligi, aut cogitari esse aliquod animal quod se oderit? Res enim concurrent contrariæ. Nam cùm appetitus ille animi aliquid ad se trahere cœperit consultò quod sibi obsit, quia sit sibi inimicus, cùm id sua causa faciet, & oderit se & simul diliget. Quod fieri non potest. Necesse est quidem si quis sibi ipsi inimicus est, ea quæ bona sunt, mala putare: bona contra quæ mala, & quæ appetenda fugere, & quæ fugienda appetere. Quæ sine dubio vitæ sunt euersio. Neque enim si nonnulli reperiuntur qui aut laqueos, aut alia exitia quærant, aut vt ille apud Terentium qui decreuit tantisper se minus iniuriæ suo nato facere (vt ait ipse) dum fiat miser, inimicus ipse sibi putandus est. Iracundia enim multi efferuntur, & cùm in mala scientes ruunt, tamen se optimè sibi consulere arbitrantur. Itaque dicunt, nec dubitant,

Mihi sic vsus est, tibi vt opus est facto, face.

Velut qui sibi ipsi bellum indixissent, cruciari, dies noctésque torqueri vellent: nec verò ipsi sese accusarent, ob eam causam quòd se malè rebus suis consuluisse dicerent. Quare quotiescunque dicetur malè de se quis mereri, sibique esse inimicus atque hostis, vitam denique fugere, intelligatur aliquam eiusmodi subesse causam. Vt ex eo intelligi possit sibi quemque esse charum.

4 Iniustè agere, longè esse deterius iniustitiæ habitu, ex eo potest intelligi quod eandem rationem obtinet iniusta actio ad habitum iniustitiæ, quam honestè agere, ad virtutem quæ in habitu spectatur. Actio verò à virtutis habitu profecta, hoc ipso longè melior est. Atque idcirco in ea, non in virtutis habitu, fœlicitas ab Aristotele est posita. Quia, vt ait, capite quinto libri primi Ethicorum, fieri potest, vt qui virtute sit præditus, etiam dormiat, aut in vita nihil agat, & præterea in maximis malis miseriisque versetur: eum autem qui sic viuat, nemo nisi propositi defensor, in beatis duxerit. Ex quibus est consequens, iniustam actionem ab habitu iniustitiæ profectam, ipso iniustitiæ habitu longè esse deteriorem. Cur verò etiam iniustè agere, magis inuoluntarium est, quàm iniustitiæ habitus?

Equidem Aristoteli cap.4.lib.2.Ethic. iniuste agit, non quicunque iniusta facit, sed si ex habitu vitioso iam antea longa malè agendi consuetudine confirmato. At tales actiones vix amplius in nostra potestate sunt,ideóque maximè inuolũtariæ sunt:propter antecedentem consuetudinem, quæ transiuit in alteram naturam.Habitus autem ipsi alias actiones sequuntur,quibus ad illos dicimur præparari.Hæ verò quia nondum consuetudine confirmatæ sunt, rationis imperio facilius cohiberi possunt, ideóque magis in nostra potestate esse videntur.In quam sententiam dictum videtur à Poëta,

Principiis obsta:serò medicina paratur
Cum mala per longas inualuere moras.

Et ab Aristotele,quod antea vsurpauimus ex cap.5. libr.3.Ethic. Si quis non imprudens gerat ea ex quibus iniustus efficitur, eum sua voluntate iniustum effici. Nec si velit quidem, inquit, cohibere se possit, aut iniustus esse desinat, fiatque iustus:quoniam ne ægrotans quidem, valens & incolumis cùm velit,etiamsi ita acciderit vt sponte ac voluntate sua ægrotarit, quia libidinosè viueret, nec medicis crederet.At tum illi quidem licebat morbum declinare: sed posteaquàm se præcipitauerit & proiecerit in morbum,iam non licet.

5 Videtur Alcinous hoc loco occupare voluisse eam rationem qua Peripatetici Platonis sententiam de peccatis inuoluntariis exagitant, eam scilicet quam paulo ante ex Aristotele cap.5.lib.3.Ethic. commemorauimus. Cùm verò Plato pro peccatorum varietate eam pœnarum inæqualitatem quam nunc Alcinous leuiter attingit,longa oratione explicet toto ferè libr.9.de Legibus,nõ satis tamen definitè docere videtur quod hoc loco quæritur, cur peccata legibus coërcenda sint,si spontanea non sunt, nec à nostra voluntate profecta. Equidem ex illius sententia peccata omnia,sicut antea diximus, à quacunque perturbatione vel ignoratione oriantur, sunt non voluntaria. Quia non proficiscuntur ab humana appetitione rectæ rationi consentanea, quam solam hic propriè voluntatem appellat.Peccata enim non essent, si cum recta ratione conuenirent.Verùm idcircò peccata sunt,quia in eis vi perturbationis aut ignorantiæ deseritur à nobis ratio,quæ suapte natura eiusmodi perturbationem vel ignorantiam potuit & debuit superare.Ex quo sequitur in partibus animi deformitas,atque officiorum omnium confusio,quæ seueritate legum meritò vindicatur.Et quoniam de causis istam confusionem vel deformitatem inducentibus, quædam vehementiores sunt in impediendo rationis iudicio, aliæ leuiores,in prioribus quadam ex parte legitima contra peccatum excusatio, ab humana imbecillitate petita, leuiorẽ pœnam exigit,in posterioribus grauiorem.Ad hæc etiam accedit eorum in quibus peccatur magna inæqualitas,propter quam grauius esse iudicatur,magistratum quàm priuatum hominem interficere:quemadmodũ & sedato animo atq; tranquillo alterum lædere, quàm idem facere cùm antea illata iniuria ad iracũdiam fueris prouocatus. Quorum omnium rationem habens Plato lib.9.de Legibus,salua adhuc priore sententia de peccatis inuoluntariis, non modò his pœnas constituit, sed & has pro peccatorum inæqualitate in varios gradus distinguit.

6 Inuoluntariæ actionis causam ponit Aristoteles cap.1.lib.3. Ethic.partim in vi,cùm, vt ait,principium extrinsecus adhibetur,ad quod nihil adiumenti affert is qui illud facit,aut patitur,partim in imprudentia,quam ignorantia parit.Sed ignorantiam ex animi perturbatione profectam,non existimat ad id esse satis vt actio inuoluntaria esse dicatur.Ignorant quidem,inquit,improbi omnes ea quę

facienda

facienda sunt, quæque fugienda: iniustique & omnino mali ex eo errore nascuntur. Neque tamen aut imprudentia, aut ignorantia ea quæ ab animo & voluntate suscipitur & proficiscitur, non voluntarij causa est, sed peccati: aut etiam rerũ vniuersarum (quandoquidem ea culpatur) sed rerum singularum, in quibus omnis actio versatur. Imò, vt idem ait cap. 5. lib. eiusdem, erroris & imprudẽtię causa in eo vindicatur, qui sua culpa nescierit. Vt in vinolentos duplex pœna est cõstituta, propterea quod principium in eis situm sit. Est enim in eis situm, vt ne vino obruantur: quodquidem causa est imprudentię. An igitur (quæret aliquis) eodem iure quia homo perturbationem vitare potuit, vel eius primum motum statim rationis imperio cohibere, peccatis omnibus ab illa profectis duplex pœna erit statuenda? Minimè verò. Quoniam non est eadem ratio ebrietatis & perturbationis. Hæc enim nobiscum quodammodo nata est, & in animis nostris, in quibus tenerum quiddam est, quod illa quasi tempestate facilè concutitur, vim habet maximam. Ebrietas verò nostro vitio quæsita. Itaque hęc seueritate legum vindicanda, non minus fortasse quàm peccata quæ ab illa sunt exorta. In aliis verò in quibus animi perturbatione peccatur, pœnam quidem adhibemus, vt eius metu hominem ad retinendum rationis imperium excitemus, sed tamen de grauitate pœnæ aliquid remittimus? quod humanæ imbecillitatis quædam sit cõtra peccatum excusatio. Quæ etsi in legitimis iudiciis, vt in Oratoriis Partitionibus Cicero ait, non tantum possit vt omnino culpa liberet: at certè apud liberum disceptatorem plerunque venia digna existimatur, & etiam apud eos qui iurati sententiam dicunt, pœnam solet reddere leuiorem. His verò Plato adiicit eodem lib. 9. de Legibus, ignorantiam esse duplicem, sicut & duplicia peccata quæ à perturbatione proficiscuntur. Est enim, inquit, ignorantia quædam simplex, altera verò duplex. Et simplicem quidem legumlator leuiorum peccatorum causam arbitrabitur: duplicem verò vocabit, quando non ignoratione solùm quispiam detinetur: sed etiam scientiæ opinione inflatus, quæ omnino ignorat, ea se scire prorsus existimat. Quam, si vires robúrque consequuta fuerit, ingẽtium turpissimorumque scelerum causam esse censebit. Sin autem imbecillitate prematur, peccata & puerorum & seniorum inde profecta, peccata quidem esse putabit, & illis tanquam peccantibus, leges præscribet, sed mitissimas omnium, plurimáque venia & indulgentia plenas.

7 Quæstio hæc, vtrum iniuriam inferre grauius sit malum, quàm pati, disputatur apud Platonem in Gorgia. Vbi ad eam explicationem quam sequutus est hoc loco Alcinous, adiicitur eum qui intulit, longè miseriorem futurum, si pro iniuria illata debitas pœnas non dederit. Cùm enim in iniuria is qui hanc infert, superior sit, qui verò patitur, inferior: irrogata pœna, ei qui passus est adiicietur, alteri qui iniuriam intulit, quodammodo detrahetur. Sicque duorum extremorum inæqualitas, ad medij siue virtutis æqualitatẽ reuocabitur: quod in iustitia faciendum docuit Aristoteles lib. 5. Ethic. Atqui his qui versantur in aliquo extremo vitioso melius est ad medium redire, quàm in extremo consistere. De qua quidem quæstione, sic ex vulgarium opinione & errore idem Plato scribit lib. 2. de Repub. Natura quidem dicunt, inquit, iniuriam facere bonum esse, iniuria autem affici malum: sed longè plus mali esse in patiendo iniuriam, quàm in inferẽdo, boni. Quamobrem posti quàm vicissim iniuriam & intulerint, & vtrumque gustauerint, qui nequeunt vitare illud, id consequi operæpretium fore ducunt, vt ita inuicem componantur, vt neque inferri, neque recipi possit iniuria. Hincque volunt originem habuisse leges constitutionésque, & nominata esse præcepta legum legitima atque iusta. Hanc itaque iustitiæ originem, & substantiam esse

volunt,quæ media quodammodo sit inter optimum & pessimum. Quandoquidem optimum est inferre iniuriam,nec dare pœnas: pessimum verò pati,nec vlciscì posse. Porrò vt in superiore duorum extremorum cõparatione permaneamus,intelligendum est ex Philosophorum sententia,vulgarium opinionem hac in parte longo interuallo superante, iniuriam illatam æquo animo ferre,etiam cùm propulsare possis,vel vlciscì,in homine priuato animi esse moderati: si modo eam ferendo nouam non inuitet,nec eum qui intulit insolẽtiorem reddi credat. Vt in hoc improbabile videatur quod Cicero scribit lib 1. Offic. eum qui nõ propulsat iniuriam cùm potest,tam esse in peccato,quàm si parentes deserat. De quo diuinum est,quod apud Platonem Socrates præcipit in Critone. Non inferenda iniuria est, inquit, nec sanè oportet vt iniuriam referat qui iniuria sit affectus,vt multi existimant. Cùm ergo haudquaquam videatur inferenda iniuria, quid ergo? Num mala sunt ingerenda ô Crito,an minimè? Nequaquam ô Socrates. Quid autem? Num etsi mala per eum referantur qui sit ea perpessus,æquum ne an iniquum id duxeris? Nequaquam. Nam & homines malo afficere,haud secus se habet ac inferre iniuriam. Vera dicis. Non ergo referenda iniuria est,nec quæ mala sunt cuiquam hominum irroganda, vel vtcunque ab iis quispiam vt hęc patiatur, necesse est. Quanquam certè in superiore Ciceronis loco aliud est iniuriam propulsare,aliud eandem vlciscì,propulsaréque licet omnibus,quoniã omni generi animantium quod seipsum diligit, à natura tributum est,vt se vitã corpúsque tueatur,declinétque ea quæ nocitura videntur. At eãdem vlciscì sine publica authoritate, omnino licet nemini. In magistratu verò alia ratio est adhibenda. Nam hic si ab innocente nõ propulsat iniuriam cùm potest,aut illatam non vlciscitur,tam est in peccato,quàm si patriam deserat. Quem idcirco M. Cato dicere solebat lapidibus esse obruendum: quòd in hoc humanæ societatis æquabilitatem deserat,cuius vindex & assertor esse debet. De quo eundem Platonem philosophantem audiamus lib. 5. de Legibus. Honorandus certè est, inquit, qui nullam infert iniuriam. Qui verò nec alios id facere patitur,duplici honore,imò etiam magis est honorandus. Ille enim vni, hic multis hominibus comparatur,cum principibus cæterorum iniuriam nuntiet. Qui autem vna etiam cũ magistratibus iniuriam quoad potest, vlciscitur,is magnus perfectusque in ciuitate vir præconio prædicetur.

Quoniam virtus morum circa affectus maximè versatur, horum naturam generali definitione vna variáque diuisione ex Platonicorum doctrina explicat.

Caput 24.

1 *Quoniam verò virtutes quamplurimæ circa affectus versantur, quales his, & quid sint nobis cõstituendum. Est igitur motus animi rationis expers, vt ex bono quodam, aut vt ex malo natus. Rationis verò expers motus ideo dictus est, quia affectus nec iudicia sunt, nec opiniones: sed partium animi quæ rationis expertes sunt, quidam motus. In parte animi in qua perturbationes, nostra quidem opera sunt, non tamen illæ in nostra potestate. Non igitur à nostra voluntate proficiscuntur: imò plerunque hanc repugnãtem habent. Quoniam interdum accidit, vt etiam si cognoscamus ea quæ inciderunt, neque tristia esse, neque iucunda, sed nec terribilia, trahamur ab illis nihilominus. Quod certè non accideret, si perturbationes essent iudicia. Quandoquidem iudicia respuimus, hæc eadem improbantes, siue ita facto opus est, siue minimè. Addidimus verò, vt ex bono, vel vt ex malo, quia ex eo quod inter illa medium vel indifferens apparet, nullus motus in nobis concitatur, sed omnes ex boni vel mali aliqua specie existũt.* 2 *Bonum enim si adesse opinati fuerimus, voluptate perfundimur: si autem affore, concupiscimus. Atque cùm malum adesse opinamur, dolemus: sin autem futurum, metuimus. Affectus verò omniũ primi & simplices aliorúmque quasi elementa, duo sunt, voluptas & dolor. Reliqui ex his oriuntur. Neque in iis timor & cupiditas quasi simplices*

principésque motus numerandi. Quoniam qui metuit, non omnino voluptate priuatus est. Quippe qui ne ad breuissimum quidem tempus durare possit, nullam penitus mali liberationem vel leuationem expectans. Magis tamen est in dolore atque molestia: atque idcirco cum aliqua spe est coniunctus. Qui verò cupit, consequẽdi spe delectatur. Quia autem hanc non satis firmam habet, angitur. Cùm verò cupiditas & metus non sint motus primarij, manifestum est nullum quoque reliquorũ in affectibus simplicibus debere numerari. Iram dico, desiderium, æmulationem cæterósque motus eiusmodi. In iis enim sentiũtur voluptas & dolor, quasi horum permixtione constent.[3] De affectibus autem quidam efferati sunt, alij mitiores. Mites quidem quicunq; secundũ naturam homini insunt. Hi enim necessarij & familiares. Sic verò se habebunt quandiu moderati. Peccabunt autem cùm erumpentes, modum excedent. Eiusmodi verò sunt voluptas, dolor, ira, misericordia, verecundia. Familiare enim est iis quæ secundum naturam sunt, delectari: contrariis verò dolere. Et ira quidem ad propulsandos & vlciscendos inimicos necessaria est. Misericordia, humanitatis est propria. Verecundia ad declinationem à rebus turpibus accommodata. Agrestes autem & ferini affectus, præter naturam hominũ sunt, ex deprauatione vitæ, peruersáq; consuetudine orti. In quibus insunt irrisio, in alienis malis oblectatio, & hominũ odiũ. Qui siue intendãtur, siue remittantur, atq; quouis modo se habeãt, semper in malis sunt: quòd mediocritatẽ non recipiant.[4] De voluptate verò & dolore, hoc Plato ait: eiusmodi affectus secundũ naturã quodãmodo à princi-

pio in nobis cõcitari: cùm triſtitia & dolor accidant his qui præter naturam mouentur: voluptas autem iis qui in id reſtituuntur quod ſecũdum naturam eſt. 5 *Exiſtimat enim conſtitutionem humanæ naturæ accommodatam, medium quiddam eſſe inter voluptatem & dolorem: cùm illa in neutro horum eſt. Quo in ſtatu magnam vitæ partem degimus. Docet autem propter quam cauſam multæ ſpecies ſunt voluptatum, partim quidem ſecundum corpus, partim vero ſecundum animum.* 6 *Voluptatum autẽ alias miſceri contrarijs, alias impermixtas puráſque manere: & has quidem ex præteritorum recordatione naſci, alias cum futurorum expectatione concipi: nonnullas quoque obſcenas quæ intemperantes & cum iniuria, alias autem moderatas & quodammodo cum ipſo bono coniunctas, vt gaudium in bonis & voluptates quæ ex virtutibus percipiũtur. Atque cum multæ voluptates ingenita naturæ proprietate ſint improbæ, nequaquam de his quærendum eſt vtrum omnino poſſint eſſe in bonis. Languida enim nulliúſque prætij apparet ea voluptas quæ alteri agnaſcitur: nec eſſentiam habet principem aut antecedentem. Cohæret enim cum ſuo contrario: ſi quidem cum dolore permiſcetur. Quod nequaquam contingeret, ſi horum vnum bonum eſſet omnino, malum alterum.*

Iac. Carpentarij Commentarius in Cap. 24.

1 Affectus animi πάθος, nonnunquam perturbatio, vel etiam animi morbus, vel ægritudo nominatur, à philosophis vulgo eiusdem passio. Quãquam in eius genere vniuerso, morbi, & ægritudinis nomen Cicero non videtur probasse. De quo sic scribit. 3. Tusculana. Itaque præclare nostri, inquit, vt alia multa, molestiam, solicitudinem, angorem propter similitudinem corporum ægrorum, ægritudinem nominauerunt. Hoc propemodum verbo græci omnem animi perturbationem appellant. Vocant enim πάθος, id est morbum, quicunque est morus in animo turbidus: nos melius. Ægris enim corporib⁹ simillima est animi ægritudo. At non similis ægrotationis est libido, nõ immoderata lætitia, quæ est voluptas animi elata & gestiens. Ipse etiam metus non est morbi admodum similis, quanquam ægritudini est finitimus: sed propriè vt ægrotatio in corpore, sic ægritudo in animo, nomen habet nõ seiunctum à dolore. Quod idem repetit lib. 3. de Finibus. Hanc vero perturbationem 4. Tusculana definit ex Zenone, auersam à recta ratione contra naturam animi commotionem: vel vehementiorem appetitum. Huncque vehementiorem interpretatur, qui longius discesserit à naturæ constantia. Ex quibus facile intelligitur, quod antea dictum est, Stoicos hac definitione posita, non sine causa existimauisse perturbationem in sapientem non cadere. Quoniam illi in ea non comprehendunt quemcunque motum, sed à recta ratione auersum, vel longius à naturæ constantia discedentem: qualem certum est cum sapientia non posse consistere. Quod verò ab Alcinoo subiicitur perturbationes has siue animi affectus, neque esse iudicia, neque opiniones, ex eo confirmari potest quod iudicia, & opiniones pertinent ad animi partem superiorem: affectus autem existunt in inferiore. Quanquam Cicero lib. 3. scribit perturbationes eiusmodi nulla naturæ vi commoueri, omniáque eiusmodi opiniones esse ac iudicia leuitatis. In quo Chrysippus Stoicus à Galeno inconstantiæ arguitur lib. 4. de Decretis Hippocratis, & Plat. quod is vno loco contenderet affectus esse potius iudicia quam iudiciis succedere, ægritudinémque definiret mali recentis præsentem opinionem, voluptatem præsentis boni: & tamen idem iudicia & opiniones in parte tantum superiore poneret, voluptatem vero & dolorem in inferiore, quam sine ratione & iudicio idem esse ait. Nec certe ipsa perturbatio rationis error est, aut iniuria, sed partis animi inferioris quidam motus rationi imperium recusans, aut ipsam rationem in suo imperio præpediens. Cicero 4. Tusculana Zenonem Stoicorum principem sequutus, in eodẽ luto hærere videtur, cum ægritudinem definit opinionem recentem mali præsentis, lætitiam opinionem recentem boni præsentis: metum, opinionem impendentis mali, libidinem opinionem venturi boni. Quibus eodem loco subiicit, quæ iudicia quásque opiniones perturbationum esse dixit, non in eis perturbationes solum esse positas, verum etiam illa quæ perturbationibus efficiuntur. Vt ægritudo quasi morsum aliquem doloris efficiat, metus recessum quendam animi & fugam, lætitia profusam hilaritatem, libido effrenatam appetentiã. Opinationem autem, inquit, quam in omnes superiores definitiones includimus, illi esse volunt imbecillam assensionem.

2 Cicero in partitionibus oratoriis, perturbationũ omnium quatuor prima genera ponit, voluptatem, Aegritudinẽ, libidinem & metum: horumq; duos fontes, vnum in opinione boni, alterum in opinione mali: singulorum vero generum

partes plures. De quibus sic idem scribit Tusculana 4. Aegritudini, inquit, inuidentia subiecta est, æmulatio obtrectatio, misericordia, angor, luctus, mœror, ærumna, dolor, lamẽtatio, solicitudo, molestiaa, fflictatio, desperatio. Sub metum autem subiecta sunt pigritia, pudor, terror, timor, pauor, exanimatio, conturbatio, formido: Voluptati maleuolentia, lætans malo alienodelectatio, iactatio, & similia: libidini, ira, excandescentia, odium, inimicitia, discordia, indigentia, desiderium & cætera eiusmodi. De quatuor autẽ primis illis generibus sic eodem loco. Partes perturbationũ, inquit, volunt ex duobus opinatis bonis nasci, & ex duobus opinatis malis, ita esse quatuor. Ex bonis, libidinem & lętitiã: vt sit lętitia prȩsentium bonorum, libido futurorum. Ex malis metum & ægritudinẽ nasci censent, metum futuris, ægritudinem præsentibus. Quæ enim venientia metuuntur, eadem efficiunt ægritudinem instantia. Lætitia autem & libido in bonorum opinione versantur, quum libido ad id quod bonum videtur illecta & inflammata rapiatur, lætitia vt adepta iã aliquid concupitum, efferatur & gestiat. Natura enim omnes ea quæ bona vidẽtur, sequuntur, fugiuntq; contraria. Quãobrem simul ac obiecta species cuiuspiã est quod bonum videatur, ad id adipiscẽdum impellit ipsa natura. Id cũ constanter prudenterq; fit, eiusmodi appetitionem Stoici βούλησιν, appellant, nos appellemus voluntatem. Eam illi putãt in solo esse sapiente: quã sic definiunt, Voluntas est quæ quid cum ratione desiderat. Quæ autem aduersus rationẽ incitata est vehementius, ea libido est vel cupiditas effrenata: quæ in omnibus stultis iuuenitur. In primis autem his quatuor eum valde inter se cõiuncta videãtur gaudium, lætitia & voluptas, tria hæc Marsilius Ficinus cap. 1. lib. de voluptate, ex Platonis doctrina ita distinguit, vt cum in hominis animo duo insint mens & sensus, mẽti lætitiã & gaudium attribuat, sensibus voluptatem: atque in ipsa mente lætitiã à gaudio seiungat, quod illa in boni alicuius possessione quandã mentis elationem significet, quæ tamen modestiam excedere pariter atq; seruare possit: hoc vero tantum significet eam incunditatem quæ ex contemplatione, aut alio aliquo virtutum vsu enascitur. Atque quoniã in eisdem quatuor primis generibus libido, & metus aliquid voluptatis & ægritudinis adiunctum habent, vel potius, vt hoc ipso capite dicitur, ex quadã vtriusq; permixtione constant, idcirco virtutes morum quæ harum perturbationum sunt regulæ, absolutè versari dicuntur in voluptatibus & doloribus, nõ item in metu & libidine. Non tantũ quod hæ duæ perturbationes ab illis virtutibus regantur, sed quia vt Arist. ait cap. 3. lib. 2. Ethic. quales habitus animo insunt, perspici debet ex voluptate & dolore quæ facta & opera cõsequuntur. Quare idẽ cap. 5. lib. 3. perturbationum differentias ita enumerat, vt illas ad eadem duo tanquã prima genera, videatur reuocare. Perturbationes appello, inquit, vt cupiditatem, vt irã, vt excandescentiã, timorem, audaciam, vt inuidiam, gaudium, amorem, vt odium, desideriũ, æmulationem, misericordiã, & omnino ea omnia quæ, vel voluptas cõsequitur vel dolor. Ex quo nõ immerito à Platone dictũ est (quod idem Arist. vsurpat cap. 3. lib. 2.) ita nos iã inde à puero institutos esse oportere, vt lętemur bonis rebus, doleamusq; contrariis. Recta enim, inquit, hæc educatio est. Quod si in actionib⁹ & perturbationib⁹ omnes virtutes versantur: omnẽ autẽ perturbationẽ omnémq; actionẽ sequitur voluptas aut dolor, ob eã certè causam virtus in voluptatib⁹ doloribusq; versatur. Atque hęc quidẽ Arist. de voluptate & dolore. Neque vero solum in metu & cupiditate voluptas cũ dolore permiscetur quod hoc loco Alcinous docet, sed etiã in ipsa voluptate magna ex parte aliquid doloris inest, quo illa facile interturbatur, & in reb⁹ humanis ista duo sic inter se cõnexa, vt vnũ eorũ ad alterũ proximè consequatur. In priorẽ sententiã locus est

nobilis apud Platonem in Philebo de voluptatibus puris & impuris. De posteriore sic apud eundem Socrates philosophatur initio Phædonis. Quam mira videtur, ô viri, inquit, hæc res esse quam nominant homines voluptatem, quãque miro naturaliter se habet modo ad dolorem ipsum, qui eius contrarius esse videtur. Quippe cum simul homini adesse nolint. Attamen si quis prosequitur capítque alterum, semper ferme alterum quoque accipere cogitur: quasi ex eodem vertice sint ambo connexa. Arbitror equidem Aesopum si hæc animaduertisset, fabulam fuisse facturum. Videlicet Deum ipsum cum ista inter se pugnantia vellet conciliare, neque id facere posset, in vnum saltem eorum apices coniunxisse, propterea que cuicunque adest alterum, eidem mox alterum quoque adesse.

3 Locus hic nobilem quæstionem continet, quam antea attigimus inter Platonicos & Stoicos controuersam, an affectus animi toto genere vitiosi sint: ita vt in eis nihil omnino sit quod moderationem admittat, quodque cum rationis imperio possit consistere: an vero quidam ex his non extirpandi omnino, nec modo naturales esse dicantur, sed etiam vtiliter à natura dati. Plato in Philebo, ex Homero scribit virum prudentem irasci: sed ita tamen vt eius affectus dulcior sit melle iugiter destillante. Idem lib. 2. de Repub. in custode ciuitatis postulat, vt mansuetus simul sit & iracundus: mansuetus quidem in suos, iracundus vero in hostes. Quoniam ira, vt ait, inexpugnabilis & inuicta est: qua presente anima ad omnia est intrepida. Atque in Timæo eam iram probat qua cor exardescit, ratione nunciante si quid extrinsecus iniustè fiat, vel intrinsecus aliqua concupiscentia turbet. Similis est Arist. sententia cap. 8. lib. 3. Ethic. Est maximus inquit, ad subeunda pericula aculeus iracundia. Hinc Homerus, Furor arma ministrat, &, Animúmque citauit, &, ingens per nares vis, &, sanguis efferbuit. Hæc enim omnia significare videntur concitationem animi ac impetum. In quo Cicero Peripateticos exagitat. 4. Tusc. Peripatetici, inquit, perturbationes istas quas nos extirpandas putamus, non modo naturales esse dicunt, sed etiam vtiliter à natura datas. Quoniam est talis oratio. Primùm multis verbis iracundiam laudãt, Cotem fortitudinis esse dicunt multóque & in hostem, & in improbum ciuem vehementiores iratorum impetus esse: Leueis autem ratiunculas eorum qui ita cogitarent, prelium rectum est hoc fieri, conuenit dimicare pro legibus, pro libertate, pro patria. Nec vllam habet vim, nisi ira excanduit fortitudo? Nec vero de bellatoribus solum disputant, imperia nulla seueriora esse putant sine aliqua acerbitate iracundiæ. Oratorem denique non modo accusantem, sed ne defendentem quidem probant sine aculeis iracundiæ. Quæ etiam si non adsit tamen verbis ac motu simulandam arbitrantur vt auditoris iram, Oratoris incendat actio. Quam de ira controuersiam ex varia eius definitione profectam esse Lactantius arbitratur cap. 17. lib. de ira Dei, Nescisse philosophos, inquit, quæ ratio esset iræ, apparet ex definitionib⁹ eorum, quas Seneca enumerauit in libris quos de ira composuit. Ira est, inquit, cupiditas vlciscendæ iniuriæ. Alij, vt Possidonius, cupiditas puniendi eius à quo te iniquè putes læsum. Quidam ita definierunt: Ira est incitatio animi ad nocendum ei qui aut nocuit, aut nocere voluit. Aristotelis definitio non multum à nostra abest. Ait enim iram esse cupiditatem doloris rependendi. Hæc est ira de qua superius diximus, quæ mutis etiam inest: in homine vero cohibenda est, ne ad aliquod maximum malum prosiliat per furorem. Hæc in Deo esse non potest, quia illæsibilis est: in homine autem quia fragilis est, reperitur. Irritat enim læsio dolorem, & dolor facit vltionis cupiditatem. Et paulo post, necesse est, inquit, bono ac iusto displicere quæ praua sunt

ua sunt: & cui malum displicet, moueri, cum id fieri videat. Ergo surgimus ad vindictam, non quia læsi sumus, sed vt disciplina seruetur, mores corrigantur, licentia comprimatur. Hæc est ira iusta, quæ sicut in homine necessaria est ad prauitatis correctionem, sic vtique in Deo, à quo ad hominem peruenit exemplum. Nam sicut nos potestati nostræ subiectos coercere debemus: ita etiam peccata vniuersorum Deus coercere debet. Quod vt faciat, irascatur necesse est: quia naturale est bono, ad alterius peccatum moueri & incitari. Similis est Sententia Chrysostomi explicantis illud, Qui irascitur fratri suo sine causa, reus erit iudicio. Ergo, inquit, qui cum causa irascitur, non erit reus. Nam si ira non fuerit, nec doctrina proficit, nec iudicia stant, nec crimina compescuntur. Iusta ergo ira, mater est disciplinæ. Itaque non solum non peccant qui cum causa irascuntur: sed contra nisi irati fuerint, peccant. Quia patientia irrationabilis vitia seminat, negligentiam nutrit, & non solum malos sed etiam bonos inuitat ad malum. Aliud visum est. D. Hieronymo, qui ex superiore D. Matthæi loco tollendum illud arbitratur (sine causa) quia omnino, inquit, hominis ira Dei iustitiam non operatur. Vide de eadem quæstione Plutarchum ad finem libri de virtute morum. Quo loco repudiata Stoicorum sententia, Platonicos & Peripateticos laudat in moderatione affectuum & motuum animi.

4 Plato libro. 1. de Legibus, scribit omnem pene cogitationem de voluptatibus & doloribus esse debere, tam circa publicos, quàm circa priuatos cuiusque mores. Quo námque hi fontes, inquit, natura scaturiunt: à quibus qui haurit vnde, quando, quantumque oportet, fœlix est, priuatus scilicet & ciuitas omnéque animal. Et initio libri 2. Primum profecto, inquit, puerorum sensum esse dico voluptatis atque doloris: atque hæc duo esse in quibus primum virtus, & vitium animo innascuntur. Si cui autem prudentia & vera opinio ac stabilis, vel in senectute affuerint, fœlix est. Perfectus porro vir est qui hæc, & quæ in his sunt, omnia possidet bona. Disciplinam appello virtutem quæ primo pueris aduenit. Si voluptas & amor dolórque & odium rectè in animos influant, antequam ratione moueantur, & ratione deinde præsente, rationi consentiant propter superiorem bonorum morum consuetudinem, hæc ipsa consensio vniuersa quidem virtus est. Ipsam vero decentem circa voluptates, & dolores assuetudinem, per quam ab initio ad extremum vitæ homines oderint quæ odisse oportet, & ament quæ amanda sunt, si per se ipsam seorsum ratione consideratam, disciplinam vocaueris, rectè, vt ego arbitror, appellabis. Qui locus paulo antè laudatus est ex Aristotele cap. 3. libri 2. Ethic. Quod vero hic ab Alcinoo dicitur dolorem accidere his qui præter naturam mouentur, voluptatem autem cum restituuntur in id quod secundum naturam, collectum est ex Timæo: atque intelligendum modo illi motus qui secundum naturam, vel natura repugnante contingunt, repentini sint & confertim simúlque contingant. Quoniam vt eodem loco Plato ait, si iidem sensim paulatímque fiant, non modo non parient dolorem aut voluptatem, sed vix sensu percipientur. Quod de dolore etiam ex Hippocratis sententia obseruat Galenus capit. 6. libro 4. de causis Sympt. Si quidem cum ab Hipp. dictum est ab iis quæ naturam mutant atque corrumpunt, dolores excitari, Galenus ait eo verbo celeritatem, & vehementiam transmutationis indicari. Qua de causa Plato in Philebo voluptatem in iis enumerat quorum generatio semper est, essentia vero nunquam existit. Quoniam motus ratio est, dum fit: nec vllam naturam habet consi-

ſtentem. In quo cum ab Ariſtotele variis argumentis exagitetur capit. 4. lib. 10. Ethic. in illis hoc firmiſſimum eſſe videtur, quod in motu, partium quædam ſit ſucceſſio: voluptas autem tota temporis puncto percipiatur. Sed in eo animaduertendum eſt, motus quidem naturalium corporum iſta lege teneri, voluptatem autem motum eſſe animi, etiam ſi nonnunquam à corpore initium accipiat. Quare vt animus omnino ſua eſſentia indiuiduus eſt & ſimplex, ſic in ſuis motibus tantam habet celeritatem, vt in iis pars vna prior, altera poſterior notari nullo modo poſſit. Quod etiam in ſenſuum functionibus præſertímque in aſpectu antea obſeruatum eſt. In vniuerſa vero quæſtione de voluptate comparationem Platonis cum Ariſto. vide apud Marſilium Ficinum libro de voluptate.

5 Epicurus medium hoc inter voluptatem & dolorem ſuſtulit, & in non dolendo maximam voluptatem poſuit, eóque à Cyrenaicis diſtinguitur libro quinto de Finibus: quod his ea ſola voluptas eſſet, quæ, vt Cicero ait, quaſi titillaret ſenſus; & ad eos cum ſuauitate affluéret, illi etiam altera, quæ non in motu ſed in ſtabilitate poſita dicitur, indéque ſtans voluptas appellatur libro ſecundo de Finibus. Plato vero libro quinto de Legibus, medium hunc ſtatum, quem Alcinous agnoſcit, à voluptate & dolore diſtinctum, ſic exprimit. Vitam ad vitam, inquit, iucundiorem & moleſtiorem ita conferre oportet. Voluptatem adeſſe nobis volumus. Dolorem vero nec eligimus, neque volumus. Medium autem ſtatum pro voluptate nequaquam volumus, doloris tamen loco accipimus. Dolorem etiam minorem maiore cum voluptate volumus: voluptatem minorem cum maiore dolore nequaquàm. Apertius de hoc medio idem loquitur libro nono de Repub. Dic obſecro te, inquit, nonne dolori contrariam dicimus voluptatem? Dicimus. Medium quinetiam quoddam ponimus, quod neque lętari eſt, neque dolere? Ponimus. Et cum medium ſit, quietem vacationémque animi ab vtróque? Nonne ita hoc dicis? Ita plane. Meminiſti qualia eſſe ſolent ægrotantium verba, dum morbo laborant? Qualia dicis? Nihil eſſe dulcius ſanitate, ſed eos latuiſſe aiunt, quam dulce id ſit, antequàm ægrotarent. Recordor equidem. Nec non acerbiſſimis doloribus vexatos homines exclamantes audis, nihil eſſe dulcius quàm ea afflictione carere. & cætera.

6 Voluptatem puram ex prętéritorum recordatione natam, eam Alcinous intelligit, quæ poſita eſt in conſcientia vitæ bene, & cum virtute anteactæ. De qua dictum eſt ab Horatio,

--hic murus aheneus eſto
Nil conſcire ſibi & nulla palleſcere culpa.

Nam & Epicurus propter hanc, dicebat virturem eſſe expetendam: cum ea quæ corporis eſt, fluat ſepiúſque relinquat cauſas pœnitendi quam recordandi. Quare in ſummis doloribus corporis idem ad Hermacũ ſit ſcribit, quod Cicero commemorat libro ſecundo de Finibus. Cum ageremus, inquit, vitæ beatum & eundem ſupremum diem, ſcribebamus hæc. Tanti autem morbi aderant veſicæ & viſcerum, vt nihil ad eorum magnitudinem poſſet accedere. Compenſabatur tamen cum his omnibus animi lætitia, quam capiebam me-

moria rationum inuentorúmque noſtrorum. Talibus voluptatibus Plato in Philebo eas adiicit, quæ ex diſciplinis percipiuntur. Hîc item, inquit Socrates, diſciplinarum voluptates addamus: ſi & iſtæ famem diſcendi nequaquam continere videntur, neque propter diſciplinarum auiditatem principio ſtatim dolores inferre. PROT. Mihi ſic videtur. SOC. Quid vero ſi quis doctrina imbutus inde obliuiſcatur, nonne triſtitiam quandam ſequi videmus? PROT. Non natura quidem, ſed quadam paſſionis cogitatione, cum quis orbatus propter indigentiam triſtatur. SOC. Cæterum ô beate, nos in præſentia non opinionis, ſed naturæ paſſiones tractamus. PROT. Verum eſt igitur quod aſſeris doctrinæ obliuionem abſque triſtitia euenire. SOC. Voluptates igitur diſciplinarum doloris expertes, nec multorum hominum, ſed paucorum eſſe, fatendum. PROT. Fatendum proculdubio. In quam ſententiam videtur accipiendum exemplum illud apud Ariſto. libr. 1. Top. Videndum eſt, inquit, vnine quid ſit contrarium, alteri nihil ſit omnino. Vt voluptati quæ ex potione capitur, contrarius dolor eſt is quem ſitis affert. At huic quæ capitur ex cognoſcendo & diſcendo, Diametrum lateri incomparabilem eſſe, nihil contrarium eſt. Ita voluptas multis modis dicitur.

De amicitia differit, ſicut & Ariſtoteles in Ethicis, vt de ea quæ quanquam virtus non ſit, quiddam tamen habet cum virtute coniunctum & principium eſt humanarum ſocietatum. In qua perfectam ab alia primum ſeparat: deinde eius quam amatoriam nominat, ſpecies ſubdiſtinguit.

Caput 25.

[1] *Amicitia quæ maximè & propriè dicitur, non eſt alia quam quæ per mutuam & reciprocam beneuolentiam conſtituta. Hæc vero tunc exiſtit quando vtérque alteri perinde ac ſibi optimè eſſe expetit.* [2] *Ipſa autem æqualitas haud aliter quàm per ſimilitudinem morum conſeruatur. Si quidem ſimile ſimili (ſi modo vtrúmque moderatum) amicum eſt: immoderata vero neque inter ſe, neque cum moderatis poſſunt conuenire.* [3] *Aliæ etiam amicitiæ eſſe putantur, hæque virtutis quadam ſpecie quaſi coloratæ, vt naturalis parentum in liberos, & cognatorum inter ſe: & quæ ciuilis dicitur, & quæ ſodalitia. Hæ autem non ſemper adiunctam habent mutuam beneuolentiam. Eius quoque ſpecies quædam eſt amatoria. Eſt autem amatoria quæ honeſta, animi generoſi: deprauata, peruerſi: media vero eius qui medio modo eſt affectus. Quemadmodum igitur triplex eſt habitus animi in animali quod rationis eſt particeps, vnus quidem rectus, alter deprauatus, tertius inter hos medius: ſic tres amatorij affectus ſpecie differentes. Idque ita eſſe fines horum diuerſi declarant. Deprauatus enim, ſolius corporis, à voluptate euictus: ideóque hic belluarum exiſtit. Honeſtus ad ſolum*

animum pertinet: quatenus in hoc quædam ad virtutem aptitudo apparet. Medius, vtriusque est appetens: pulchritudinis scilicet eius quæ tum animo tum corpori inest. Quo amore qui dignus est, & ipse medius existit, neque deprauatus, neque omnino honestus. 4 *Quare amorem, vt sic dicam, incorporatum, dæmonem potius appellare decet, quàm Deum nunquam in terrenum corpus demersum, qui diuina ad homines, contráque humana ad Deos communiter trãsmittit.* 5 *Rursus verò cùm amatorius affectus in tres species sit distributus, boni quidem viri amor perturbatione liberatus, artificiosus quodammodo est: ideóque in ea parte animi consistit, cuius est ratio.* 6 *De eo autem quæ præcipi solent, hæc sunt: dignoscere quis amore dignus sit, eundémque sibi parare & frui. Dignoscit autem ipsum ex eius institutis & impulsionibus: si nobiles sunt: si ad id quod honestum est, ferantur, si vehementes, si flagrantes. Parabit autem eum non lasciuiendo, neque demulcendo quem in deliciis sit habiturus: sed ista potius reprimendo, demonstrandóque non esse cur sic affectus velit viuere. Cùm autem amatum euicerit, ille fruetur, ad ea exhortans in quibus exercitatus, erit aliquando perfectus. Finis verò amantis, & amati erit, fieri amicos.*

Iac. Carpentarij Commentarius in Caput 25.

1 Hic in contextus ordine nonnihil immutauimus. Nam in Alcinoi Græco exemplari quod sequuti sumus, quæ de amicitia dicuntur hoc loco, priora sunt his quæ superiore capite dicta de ferenda inferendáque iniuria, déque omni genere perturbationum. Sed ista quæ ad virtutes morum pertinebant, magis mihi cohærere videbantur cum antecedentibus sermonibus de virtutum diuisione, ea.

rúmque comparatione cum vitiis in ratione voluntarij & inuoluntarij: ideóque illis proximè sunt subiecta. Nunc verò prius quàm de ciuili societate disseratur, accommodatè de amicitia & amore sermo videtur institui, vt de iis quæ societatis omnis principia in se continent. Ad id verò faciendum inuitatus sum exemplo Marsilij Ficini: qui in sua interpretatione eodem ordine de amicitia disseruit. Quanquam hic in cæteris, ea quæ ad Philosophiam moralem pertinebant, valdè perturbatè tractauit, sicut antea indicauimus cap. 19. Gaudeo verò hanc distinctionem contextus à nostro Logodædalo nõ modò in huius authoris interpretatione esse probatam, sed nostro exemplo ad Græcum contextum ab eodem esse translatam.

2 Per hanc morum similitudinem efficitur quod Pythagoras in amicitia valere volebat plurimum, vt amicorum communia sint omnia, & in illis anima vna in corporibus pluribus: imò verò vt amator in amato, potius quàm in seipso viuere videatur, quod Plato docet in Symposio. Contra autem, dispares mores, vt Cicero ait in Lælio, disparia studia sequuntur, quorum dissimilitudo dissociat amicitias. Nec ob aliam causam vllam boni improbis, & improbi bonis amici esse non possunt: nisi quod tanta est inter eos quanta esse potest maxima, morum studiorúmque distantia. De quo Aristoteles ex Platonis Lysíde, cap. 1. libr. 8. Ethic. scribit inter Philosophos dissensionem quandam existere. Alij enim, inquit, amicitiam similitudinem quãdam esse ponunt, & amicos similes. Ex quo prouerbia facta sunt, Pares cum paribus facillimè congregantur, & Graculus cum graculo, cæteráque eiusdem generis. Alij contra hos inter se vt figulos, aiunt esse animatos: eorúmque causas longius, & à natura studiosius petunt. Euripides quidẽ terram cùm sicca est, desiderare imbrem: cœlum autem cùm magna aquæ copia abundat, terram expetere. Et Heraclitus, Contrarium vtile, &, Ex rebus disparibus & dissimilibus pulcherrimum concentum effici, & discordia effici omnia. A quibus cùm multi alij, tum Empedocles dissentit. De quo sic Cicero in Lælio, Agrigentinum quendam doctum quidem virum, carminibus Græcis vaticinatũ ferunt quæ in rerum natura totóque mundo constarent, quæque mouerentur, ea contrahere amicitiam, dissipare discordiam. Quod autem ab Alcinoo subiicitur moderatum moderato amicum esse, immoderata verò neque inter se, neque cũ moderatis conuenire, antea in virtutibus & vitiis obseruatum est: & hoc ipsum medici ad corpora transferentes, aiunt ea quæ temperata sunt, similibus esse alẽda: quæ autem aliqua intemperie laborant, hæc per contraria ad conuenientem naturæ modum debere reuocari. Atque etiam hoc posteriore modo in amore, si quis alterum cum quo magnam habet morum dissimilitudinem, amare fortasse cœperit, aut hic ei quem perditè amat, omnino similis efficitur, aut ipsa consuetudine horum vterque vitæ rationem reuocat ad laudabilem quendam modum. In quo amoris vim hac similitudine explicat Marsilius Ficinus Commentario in Symposium Platonis. Prægnantes mulieres, inquit, sæpe vinum quod auidissimè cupiunt, vehementer excogitant: vehemens cogitatio spiritus mouet interiores, atque in iis excogitatæ rei pingit imaginem. Isti sanguinem mouent similiter & in mollissima fœtus materia vini imaginem exprimunt. Amator autẽ ardentius quàm prægnantes, suas cupit delicias: vehementius quoque & firmius cogitat. Quid mirum si vsqueadeò hærentes & infixi pectore vultus, ab ipsa cogitatione pingantur in spiritu, à spiritu statim in sanguine infigantur?

3 Aristoteles cap. 3. libr. 8. Ethic. pro vario fine qui in amore solet esse propos-

tus, triplicem amicitiam statuit. Quoniam alios diligunt, aut honestatis causa, aut vtilitatis, aut delectationis. Idem capite septimo, De amore parentum in liberos, hæc subiicit. Est aliud genus amicitiæ, inquit, quod in excellentia & præstantia cernitur: qualis est patri cum liberis, & seni cum adolescente, viro cum vxore, & principi cum iis quibus præest. In quo non eadem vtriq; ab altero officia tribuuntur: nec id quidem æquum sit vel postulandum. Cùm verò ea tribuunt liberi parentibus quæ debent procreatoribus, parentes vicissim liberis, quæ ex se natis debent, tum ibi stabilis quædam & honesta amicitia exoriatur necesse est. Qua etiam ratione in cæteris amicitiis quæ in excellentia sunt, amor debet existere, velut maior charitas ei debetur qui præstantior, quàm ipse alteri debeat, & ei ex quo maiores vtilitates fructúsque capiuntur. Idque esse videtur quod hoc loco Alcinous ait, hanc amicitiæ speciem non semper mutuam beneuolentiam habere adiunctam. Quanquam & hæc beneuolentię inæqualitas in eo spectari potest, quod parentes magis amare liberos vidétur, quàm ab illis redamari. Quod res ipsa testatur & Aristoteles indicat capite octauo libri eiusdem. Amicitia, inquit, in eo magis est vt colas, quàm vt colare. Hoc ipsum matres declarant, quæ ex eo quod diligunt, magnam capiunt voluptatem. Quædam enim dant nutriendos liberos, eósque vltro ac sponte diligunt, nec ab iis vicissitudinem amoris postulant, si fieri vtrumque non possit, satisque sibi fieri putant, si præclarè cum illis agi perspiciant. Quod de patribus eodem modo est iudicandum.

4 Locus hic descriptus est ex Symposio, in quo Plato loquitur non solùm de eo amore qui ad corpus pertinet, sed de honesto multò magis. Nam cùm superiores amoris laudatores in conuiuio, hunc maximum Deum feciſſent, Socrates recitat ex Diotima, quia Dij pulchri sunt & boni, amor autem pulchritudinis & bonitatis expers (etenim propter pulchrorum bonorúmque inopiam, hæc ipsa quorum indigus est, appetit) eum qui pulchritudinis & bonitatis, quam adhuc non habet, est appetens, in Deorum numerum referri non posse. Deinde idem Diotimam ita interrogat. Quid ergo? num mortalis est amor? Minimè. Quid igitur? Superiorum instar, mortalis immortalísve medium. Quid inquam est ô Diotima? Magnus ô Socrates, Dæmon. Etenim omnis natura Dæmonum inter mortales Deósve est media. In quo videtur noster Alcinous Diotimæ sententiam cum ea collaudatione amoris quæ conuiuis eodem dialogo ascribitur, conciliare voluisse. Cùm enim inter conuiuas laudationem suam Phædrus sic exordiatur. Magnus Deus est amor, & apud Deos hominésque mirandus, cùm propter alia multa, tum maximè propter originem: & Socrates eodem loco ex Diotima, amorem Deum esse neget, hæc ita inter se conuenire posse Alcinous indicat, vt priora de amore veræ pulchritudinis, siue de amore supercœlesti intelligantur: posteriora verò de eo qui corpori magis quàm animo addictus est. Et certè ex eadem distinctione, amor Deo hominique tribuitur, & ex abundantia atque indigentia dicitur proficiscí. Omnis enim amor noster à quadam indigentia rei amatæ profectus est, quod tamen Cicero exagitat in Lælio. Amor verò qui Deo attribuitur, profluit ab eiusdem bonitate, non solùm abundante, sed etiam infinita. Quoniam ipsum bonum, quod apud Platonem non modò perfectum est & redundans, sed infinitum, amatvíque amoris facit omnia, non sibi in iis nouam perfectionem appetens, sed suam communicare volens. Hincque existit secundus amor, quo nos in re alia nouam perfectionem expetimus: quíque dicitur medius inter rem amatam & amantem. De quo

sic Marsilius Ficinus ex Proclo, libro de Anima & Dæmone. Ipsum quidē quod amandum est, inquit, gradum sibi vendicat primum: amans autem, gradum tertium ab amato. Amor denique vsurpat inter vtrumque mediū, congregans atq; colligans inuicem, appetens atque appetendum, & implēs meliore deterius. Cōciliat igitur intelligibili quidē pulchritudini Deos omnes, Diis verò dęmones: nos autem dæmonibus Diisque coniungit. In Diis quidem subsistit primò, in dæmonibus verò secundò: in animabus autē particularibus per processum quendam tertium à principiis existentem. In Diis rursum super essentiam (omne nāque Deorum genus est eiusmodi) in dæmonibus autem per essentiam: in animabus denique per illustrationis effectum. De amore autem altero qui omnino diuinus appellatur, vide plura apud D. Dionysium Areopagitam libr. de Diuinis nominibus.

5 Amatorium affectum videtur appellare eum, quo expetimus coniunctionem cum amata re, nec ea adhuc fruimur: vel qui principium habet in communionis & coniunctionis cuiusdam desiderio. Vt propriè in hoc amatorio affectu ardor quidam appareat desiderij fruendi: in amicitia confirmatus amor, in quo multò plus insit voluptatis in fruendo, quàm ardoris in expetendo. Sic enim amatorem ab amico, & amorē ab amicitia distinguimus. Ex quo illud factum est tritū sermone, eum qui potitur re amata non amplius amare. In quam sententiam dictū est à Marsilio Ficino, argumento in Lysidem Platonis, amorem esse ad amicitiā mediam quandam viam: & ab ipso Platone in Symposio, eos qui amant, dimidiū sui perquirere. Quod homines primum extiterint Androgyni: nunc verò facta sexus distinctione, vnionem appetant, vt per hanc pristinæ naturæ restituantur. Ergo pro varietate rerum quæ in amore quęruntur vel expetuntur, amatorij affectus tres species existunt. Nam qui viuunt animo magis quàm corpore, honesto amore & generoso amant animi pulchritudinem: in qua ipsius honesti maximus splendor inest. Qui verò contra, ad ea quæ corporis sunt, se demittunt, corporis quoque amore rapiuntur, eóque fœdissimo, si forma corporis ab animi pulchritudine est separata. Si autem illa cum animi pulchritudine coniuncta est, amoris principium à corpore exoritur, atque in animum desinit: tūmque existit ea amoris species quæ media appellatur. In omni tamen amore quasi grauidi vel animo, vel corpore, ad immortalitatē videmur parturire. Corpore quidem, quia 1-8
appetimus coniunctionem ad similium procreationem, in quibus nostra species perpetuetur. Animo verò, quoniam, vt Socrates ex Diotima refert in Symposio, quicunque virtutum natura plenus & grauidus est ideóque diuinus, ætate debita imminente, párere iam generaréque affectat, atque idcirco passim vagatur, quęritque pulchrum in quo generet: in turpi nāmque minimè generaret. Quapropter corporibus speciosis magis quàm deformibus gratulatur, vt pote prægnās. Quòd si animam præterea pulchram, generosam docilémque reperiat, vtraque pulchritudine concurrente mirificè delectatur, & coram homine illo confestim de virtute loquendo, facundia pollet, qualis esse debeat vir bonus, edisserens, quòd ve sit eius officium, & hac doctrina imbuere illum studet. Adhærens quippe pulchro, eóque familiariter vtens, quæ quondam conceperat, parit & gignit, illius tam in absentia quam in præsentia memor. Quod verò inde nascitur, cum illo communiter nutrit atque educat. Id autem est quod ab Alcinoo præcipitur ad finem capitis huius, cùm amatus ab amatore fuerit euictus, eo fruendum esse, ad ea exhortando in quibus exercitatus, erit aliquando perfectus.

6 In iis amatoriis legibus de amatore eligendo, parando & fruendo, explicandis, positus est scopus Platonis toto dialogo qui Phædrus, siue de Pulchro inscribitur. In quo cum loquētem faciat adolescentulum Athenienſem Phædrum, declaran-

clarantémque quam multos habuerit suæ pulchritudinis turpes & fœdos amatores, hæc certè diuinus alioqui Philosophus non eò commemorat, vt eiusmodi obscœnum amorem comprobet, sed potius vt eundem illis temporibus peruersa consuetudine Athenienſibus nimium familiarem, detestetur, & reliquos adolescenses Phædri exemplo, ad veræ pulchritudinis amorem inuitet. Id verò vt perficiat, commemorat orationem Lysiæ, Venerem masculam, huiúsque amorem laudantis: deinde eandem quibus potest rationibus exagitat. In qua quidẽ Venere masc̃ula, quanquam idem Plato reprehendatur à multis, diuinitus tamẽ de ea statuisse videtur libr. 8. de Legibus. Hoc est, inquit, quod à me dictum est, ingenium scilicet atque solertiam adhibere me posse, ad hanc legem quo vsus procreandorum liberorum, vt natura requirit, seruetur. Si abstinent amare, ne genus humanum consultò ita interimant: si cauent ne in terram & lapides semen iaciant, vbi nunquam actis radicibus vim suam genitalem atque naturam capere possit, si abstinent ab omni fœmineo solo, in quo id quod fatum est nequeat enasci. Quinetiam si nobilem innuptam mulierem nemo tangere audeat, sed sua quisque contentus vxore viuat, nec semina irreligiosa & spuria pellicibus mandet, aut in marem præter naturam iaciat inane semen ac sterile. An maris quidẽ hunc vsum prohibere omnino debemus? Mulierum autem ita describere, vt si quis cum aliqua congressus fuerit, præter eas quas cum Diis & sacris nuptus domum duxerit, vel emptas, alióve modo acquisitas habuerit, nec lateat omnes sic egisse, hunc si honore ac laude in Repu. priuari lege statuerimus, rectè sancitum sit? Aristoteles verò contrà, cap. 8. lib. 2. Polit. scribit Minoẽm apud Cretenses legem tulisse de dimittendis vxoribus, ne nimium multos liberos parerent: eadẽque ratione illum consuetudinem cum maribus indixisse.

x

Ciuium tres ordiues in Republ. deinde Reipublicæ administrandæ formas quinque ex Platone distinguit. Atque simul indicat, quàm diuersa sint huius consilia libris de Legibus, & libris de Republ.

Caput 26.

1 *De Rerumpublicarum formis quasdam esse ait suppositas, quas libris de Republ. percurrit.* 2 *In iis enim priorẽ quidem descripsit bellorum expertem: alteram verò ardentem & bellicam, in iis inquirens optimam, & quomodo hæc constituenda.* 3 *Nonnunquam & secundum animi diuisionem Rempublicam in tres partes distribuit, in custodes, propugnatores & opifices. Quorum primis hoc tribuit vt consulant & imperẽt: secundis, vt cum opus est, armis Rẽpublicam tueãtur, qui irascendi facultati respondeant, quasi cum ipsa ratione in pugnam incumbentes: postremis relinquit artes & alias operas.* 4 *Principes autem vult esse Philosophos, & primi boni contemplatores. Hac enim vna ratione eos rectè omnia administraturos: nec vnquam res humanas malis omnibus liberari posse, nisi aut Philosophi regnent, aut qui reges appellantur, diuina quadam sorte verè philosophentur. Tum verò futurum vt optimè atque iustè ciuitates regantur, cùm singulæ earum partes suis legibus viuent: ita vt principes, populo consilium dent: his propugnatores seruiant, pro eisdémque in primis prælientur: hos autem reliqui obedientes sequantur.* 5 *Reipublicæ quinque formas esse dicit. Primam Aristocraticam, quando optimates imperant: secundam Timocraticam, quando ambitiosi regnant: tertiam Democraticam, siue popularem: quartam*

Oligarchicam, siue paucorum potentiam: postremam Tyrannidem, omnium pessimam. Describit quoque alias Respublicas ex suppositione, in quibus ea est, quæ libris de legibus instituitur, [6] *& quæ aliarum correctionem habet, in epistolis. Qua apud eas ciuitates vtitur, quas ægrotare dixerat libris de Legibus, iam locum definitum habentes, & homines ex omni ætate delectos: qui secundum naturæ differentias & locorum, disciplina propria egeant, & educatione, armorúmque tractatione. Qui enim maritimi, nauigationi studeant, & nauali prælio decertent. Qui autem mediterraneam regionem incolunt, ad pedestrem pugnam se comparent: vt & ad armaturam, leuiorẽ quidem qui in locis montosis, ad grauiorem autem qui viuunt in campis frequentes colles habentibus. Nonnulli quoque eorum equestrem pugnam exerceant.* [7] *Neque verò in hac ciuitate mulieres communes sua lege sancit. Est igitur ciuilis virtus in contemplando & in agendo posita: cui propositum est ciuitatem bonam beatámque efficere, & sibi omni ex parte consentientem.* [8] *Eadem rerum ordinem præscribit, sibíque subiectam habet artem bellicam & imperatoriam, eámque quæ iudicia exercet. Considerat quidem disciplina ciuilis, & alia infinita, sed hoc etiam, belláne gerenda sint, an non.*

Iac. Carpentarij Commentarius in Caput 26.

1 Suppositas Reipublicæ formas Alcinous vocat, quæ ab aliis ad communem ciuium vsum accommodatis, cogitatione abstractæ, & ad vltimam perfectissimámque sui generis formam reuocatæ, vulgaribus Rerump. formis pro scopo sunt, velut harum ideæ: vel ex ipsa idæa proximè deriuatæ, quæ sola absolutè primum principium est, non suppositio, quæ primo principio proxima,

aliis pro principio est. Tales verò sunt quæ à Platone describuntur libris decem de Republica, vel potius ex illis omnibus vna animo comprehendenda est, in quam tanquam in regulam, omnium ciuilium societatum rectores cogitatione defixi, ad id quod optimo proximum, semper aspirare debent in ea ciuitate constituenda & regenda cui sint præfecti. Nam certè in tali Republ. describenda Plato dicitur potius supponere quod optabat, quàm explicare quod in nobilissimis ciuitatibus rectè fieri arbitraretur. At libris duodecim de Legibus, demittit se ad ea quæ magis popularia sunt, & ex illa priore forma quasi præsupposita, deriuata: iisque selectis quæ in Republica Cretensi, Lacedæmonia, & Athenienſi magis probanda videbantur, populariorem ciuilis societatis regendæ formam describit. Quam idcirco Alcinous in sequentibus ait esse ex suppositione deriuatam, non autem præsuppositam. Quod scilicet illa prior, quemadmodum Marsilius Ficinus ait, vouentis sit & optantis, hæc posterior eligentis: vt qui ad illud arduum nequeunt ascendere, ad hos saltem clementiores colles non dedignentur accedere. De quo Platonem ipsum audiamus extrema pagina libri sexti de Republica, modò prius ex Aristotelis arte Analytica didicerimus, quo suppositiones à principiis omnino primis, & à reliquis differant. Arbitror, inquit, te non latere quòd qui circa Geometriam & Arithmeticam, & cætera generis eius versantur, supponunt quidem par & impar, & figuras ac tres species angulorum & horum similia in argumentationibus singulis, & his positis tanquam cuilibet manifestis, rationem de iis nullam exigendam putant. Atque hinc incipientes ad alia iam descendunt, & ad illud tandem perueniunt quod quærebant. Prorsus id noui. Enimuerò & illud nosti, quod & supradictis speciebus vtuntur, déque illis verba faciunt: quanquam non ad eas mentem dirigunt, sed ad illa potius quorum ista simulachra sunt, ad quadrangulum ipsum videlicet, ipsumque diametrum, non ad ea quæ describunt. Et in aliis eodem modo, speciebus quidé hisce quas describunt, figurántque, quarum & vmbræ sunt, & in aquis imagines, tanquam imaginibus quibusdam vtuntur, affectantes illa conspicere quæ non aliter quàm cogitatione perspiciuntur. Vera loqueris. Hanc generis intelligibilis speciem suprà dicebam: ad cuius inuestigationem cogi animum suppositionibus vti, ad principium non euntem, vt pote qui supra suppositiones ascendere nequeat, vtatúrque imaginibus his quæ in inferioribus sunt, ad superiorum similitudinem comparatæ, atque ita opinione conceptæ distinctæque sunt, quasi ad illa perspicuè conferant. Intelligo equidem dici abs te quod in Geometria, & aliis eius germanis artibus fieri solet. Alteram intelligibilis partem ad illud referre me scito quod ipsa ratio per demonstrandi facultatem attingit, dum suppositiones non pro principiis habet, sed reuera pro suppositionibus accipit, tanquam gradibus quibusdam & adminiculis vtens, quousque ad illud quod non supponitur, ad principium videlicet veniens vniuersi, ipsum attingat, & rursus adhæreat illis quæ principio hærent, atque ita ad finem vsque perueniat, nullo prorsus sensibili vtens, sed ipsis speciebus, per ipsas, & ad ipsas progrediens. Intelligo tandem quanquam minimè sufficienter, vt cuperem. Videris enim mihi magnum opus proponere. Moliris quidem differere partem illam verè existentis & intelligibilis generis, quam per demonstrationis scientiam speculamur, illa esse clariorem, quàm ex illis scientiis quæ artes appellantur, inuestigamus. In quibus pro principiis suppositiones habentur, & qui ista considerant, cogitatione coguntur, non sensibus intueri. Quoniam verò ad principium non ascendunt, sed ex suppositionibus indagant, intellectum circa hæc habere tibi nequaquam videatur, licet cum principio intelligibilia sint. Hæc quidem ex

Platone copiosius recensere placuit, vt intelligeretur quam Reipublicæ formam pro suppositione esse vellet, quamque ex illa suppositione tanquam ex principio & regula deriuaret. Ex quo minimè mirari debemus, si huius de permultis rebus non eadem semper sit in libris de Republica, & libris de Legibus, sententia. Si quidem vxores, liberos possessiones in sua Repub. communes esse vult, vt ciuitas maximè vna efficiatur, horumque omnium cura ad omnes ex æquo pertineat. De quibus aliud sentit libris de Legibus. In cæteris vero, vt Arist. obseruat cap. 4. lib. 2. Polit. pene eadem tribuit primæ & secundæ Reip. Nam disciplinam eãdem & vitam dat iis qui se abstinent, & absunt ab operis vnde vitæ necessitatibus occurrit. Et in vtráque Repub. de sodalitatibus eodem modo pronunciat: nisi quod in hac dicit esse oportere mulierum sodalitates: & illam cẽset numero mille hominum qui ius habeant armorum, hanc vero quinque millium. In qua varietate cum alia multa tum hoc maximè eodem loco Aristoteles exagitat, quod, vt ait, omnes Platonis sermones aliquid habeãt superuacaneum fallaci apparatu subornatum, rerum nouarum appetens inquirendi cupidum & quæstionibus molestum.

2 Sequutus hoc loco videtur Alcinous fundamentum Platonis in priore Reip. forma, cum eam bellorum expertem esse dixit. Nam ille idcirco in hac voluit omnia esse communia, vt ciuitas maximè concors atq; vna efficeretur. Ad quam accedente iustitia priuata & publica, nulla posset existere animorum inter ciues dissensio, nulla de possessionibus aut imperij finibus contentio. De qua sic idem scribit lib. 5. de Rep. Habemus ne vllum perniciosius ciuitati malum, quã quod eam diuidit, & ex vna plures facit? Vel melius quicquam eo quod ipsam vincit simul & vnam efficit? Non habemus. Nonne voluptatis doloríque communio vnit, quando ciues omnes maxime ex earundem rerum accessu, & decessu pariter gaudent ac dolent? Et maximè quidem. Horũ vero diuersitas eam dissoluit quando eisdem ciuitatis & eorum qui in ciuitate sunt, casibus alij vehementer dolent, alij gestiunt. Quid ni? Ex hoc autem tale quid prouenit, quando non simul in ciuitate hæc verba vulgantur, meum scilicet & non meum, ac de alieno eodem modo. In quacunque igitur ciuitate complurimi ad idem, secundum eadem, hoc dicunt meum & non meum, ea optimè gubernatur. Prorsus. Et quæcunque quàm optimè vt vnus homo affecta sit. Porro quoties alicuius nostrum percussus est digitus, tota corporis communio ad animam pertingens, in vnam coordinationem eius quod in ipsa anima dominatur, sensit protinus, totáque simul affecta parte condoluit: atque idcirco hominem dolere digitum dicimus. Eadémque est de quauis alia parte & passione hominis ratio: de dolore scilicet cum pars aliqua dolet, ac de voluptate cum aliqua sui parte reficitur. Eadem ratio certe: & quod quæris ciuitas quæ optimè regitur quam proximè ad hoc accedit. Quoties vt arbitror, cuiquam ciuium boni aliquid vel mali continget, talis vtique ciuitas suum esse clamabit eum qui sic afficitur: atque ideo tota vel lætabitur vna, vel dolebit. Quodquidem Platonis fundamentum Aristoteles exagitat cap. 3. lib. 2. Politic. Causa, inquit, quæ Socratem à vero deiecit & impulit in errorem fuit, vt verisimile est, hypothesis & scopus ab eo perperam constitutus. Debet quidem esse quodammodo vna tum domus, tum ciuitas: non omnino tamen. Est enim quo si processerit, non erit ciuitas. Est etiam quo si fuerit perducta, ciuitas erit quidem. sed parum aberit quin non sit: deterior facta ciuitas. Veluti si quis aptum ex vocum discrimine concentum redigeret in parem sonorum intentionem, aut si numerum qui ῥυθμὸς appellatur, quo voces aut corpora pulchrè & apte cum dissimilitudine mouentur, reuocaret in vnàm &

eandem gressus motúsque formam. Et certè hanc Aristotelis similitudinem confirmat Ciceronis elegans locus de ciuitatis cõcordia. Vt in fidibus, inquit, ac tibiis atque in cantu ipso ac vocibus, concentus quidam est tenendus ex distinctis sonis, quem immutatum ac discrepantem aures eruditæ ferre non possunt, isque concentus ex dissimillimarum vocum moderatione, concors tamen efficitur & congruens: sic ex summis, infimis & mediis interiectis ordinibus, vt sonis, moderata ratione ciuitatem consensu dissimillimorum contineri. Quæ harmonia in ciuitate dicitur concordia. Sed in iis omnibus quæ ab Arist. obiiciuntur, non est satis virium ad euertendum quod Plato voluit. Quoniam etiam hic in ea ciuitate quam cogitatione complectebatur, differentias partium, & munerum in illis esse voluit: sed omnem hanc diuersitatem ad vnum scopum toti ciuitati communem retulit. De ea autem formarum in Rep. instituenda varietate quàm hoc loco Alcinous indicat, apertius ipse Plato sententiam suam explicat lib. 5. de Legibus. Prima ciuitas est, inquit, Respublica, legésque optimæ. Vbi quammaxime per vniuersam ciuitatem priscum illud prouerbium locum habet quo fertur verè amicorum communia esse omnia. Certe in hoc præcipue virtutis erit terminus, quo nullus poni rectior poterit: si alicubi videlicet aut fit istud, aut vnquam fiet vt communes mulieres sint, communes & liberi, communis, quoque omnis pecunia: omníque studio quod proprium dicitur vndique è vita remotum sit, vsqueadéo vt ea quæ propria singulis natura sunt, communia quodammodo fiant, vt & oculi & aures & manus in communem vsum cernere audire, agere videantur: laudéntque & vituperent eadem similiter omnes, eisdem rebus gaudentes eisdémque dolentes. Ac denique pro viribus sub iis legibus viuant quæ vnam quam maximè ciuitatem efficiant. Talem vtique ciuitatem siue Dij alicubi, siue Deorum filij vna plures habitent, ita viuentes eámque seruantes, omni certè referti gaudio viuunt. Quapropter Reipub. exemplar non alibi considerare oportet: sed hac inspecta talem maximè pro viribus quærere. Ea vero quam hic nos aggressi sumus, si fiat, proxime quodammodo ad immortalitatem accedet: & si non primo, saltem secundo loco erit. Sed de tertia postea si voluerit Deus, determinabimus. Nunc vero quænam hæc sit, & quo pacto talis, fiat consideremus. Primum igitur domos & agros sortiantur, nec agros communiter colant. Nam maius hoc est quam hæc generatio nutritióque & educatio ferre possit. Sed hac mente ita distribuant, vt putent singuli sortem suam toti ciuitati esse communem.

3 Plato lib. 2. de Rep. in ea ciuitate quam instituit, primum ostendit necessarios agricolas, opifices & mercatores: qui cæteris ciuibus tanquam horum ministri, ea comparent & suppeditent, quæ pertinent ad vitæ necessitatem & commoditatem. Deinde his adiicit milites, qui ciuitatem contra finitimos exterósque omnes tueantur. Tertium ordinem facit custodum, quorum authoritate in pace regantur omnia, eorundémque consilio à militibus bella gerantur. Quoniam vt Cicero ait Officiorum primo, parum prosunt foris arma, nisi sit consilium domi. Horum vero trium ordinum quanquam distincta sint in ciuitate propria munera, referuntur tamen omnia ad eundem scopum, nempe ad communem totius ciuitatis vtilitatem. Ratione cuius vniuntur, & quandiu in eo cõsistunt, ciuitatis vnionem conseruant: quam dissolui necesse est cum singuli ordines suum officium deserunt: aut in hoc faciendo, neglecta publica vtilitate, sua quærunt commoda. Illos vero idem Plato ad finem lib. 3. distinguit ex naturæ varietate, quam parit in singulis ciuibus prima conformatio. Sic enim eos

ille alloquitur. Vos estis, inquit, in Ciuitate tanquam fratres. Sed cum Deus vos formaret, quicúmque vestrum ad imperandum idonei nati sunt, aurum in eorum generatione ipsis admiscuit: propter quod honorati sunt. Illis autem qui ad auxiliandum, argentum indidit. Ferrum denique & æs, agricolis aliisque opificibus. Ex qua Platonis sententia Cicero videtur aliquando Octauium appellauisse partum Iunonis aureum. Quod vero secundum ordinem Alcinous comparat cum irascendi facultate in animo nostro, ex eo certè desumptum est quod libro. 4. de Repub. Sapientia & prudentia, quæ intellectus virtutes sunt, tribuuntur custodibus, vt principatum in ciuitate obtinentibus: militibus fortitudo, quæ pertinet ad secundam animi partem in corde sedem habentem: ministris, id est agricolis, mercatoribus & opificibus, temperantia, per quam cupiditates quæ ad tertiam animi partem referuntur, rationi obsequuntur & parent. Eodémque loco constituitur eam fore iustam ciuitatem, in qua tres illi ordines hanc rationem in imperando & parendo inter se seruabunt: sicut & iustitiam in priuata singulorum vita, generalem virtutem antea diximus appellari. Quod per hanc tres animi partes adinuicem eo modo sint affectæ, quem recta ratio naturæque regula præscribit.

4 Locus hic desumptus est partim ex libro. 5. de Repub. partim ex epistola Platonis ad amicos Dionis. Sic enim ille scribit libr. 5. de Repub. Nisi philosophi ciuitatibus dominentur, vel hi qui nunc reges potentésque dicuntur, legitime sufficienterque philosophentur, in idémque ciuilis potentia & philosophia concurrant, neque quod nunc fit, à diuersis duo hæc tractentur ingeniis, non erit ciuitati, vel vt mea fert opinio, hominum generi requies vlla malorum: neque prius hæc Resp. quam verbis expositum, orietur pro viribus & lumé solis aspiciet. Et in epistola ad amicos Dionis, Tandem, inquit, compertum est mihi respub. omnes quæ nunc sunt, improbe gubernari. Nam quantum ad leges attinet, insanabiles fermè sunt: nullo instituto egregio, sed fortuna quadam viuentes. Quapropter dicere adductus sum, laudans rectam philosophiam, quid iustum sit & quid non, tam in re publica quam in priuata per eam duntaxat discerni. Itaque non prius desinere humanum genus in malis versari, quam aut homines rectè veréque philosophantes rerumpub. gubernationem adepti fuerint: aut hi qui gubernant diuina quadam sorte verè philosophentur. In quo considerandum est quo differant duo hæc, philosophos respub. regere, & rerump. gubernatores philosophari. In priore vero significat eos qui totos se contemplationi dediderunt, & in hanc ex professo incumbunt: in posteriore alios qui quãquam ciuilibus vndis magis quam ipsa contemplatione delectentur. Nonnnmquam tamen in illis mediis ad contemplationem se referunt, & ex huius regula in vrgentibus malis remedium quærunt: quos Neoptolemus apud Ennium, vt Cicero testatur initio 2. Tuscu. philosophari ait, sed paucis: nam omnino haud placere. Est enim, vt antea significatum cap. 2. libr. huius, philosophorum prima cura in contemplatione veritatis, per quam dicuntur Deorum vitam imitari: nonnunquam tamen intermissa contemplatione, sed animo retenta, iidem debent ad Rempub. accedere non tam sua sponte, quam temporum necessitate coacti: vt de non imperando potius quam ambitiosorum more, de imperando certêt. In quo posita est illa necessitas quæ, vt antea monuimus, à Cicerone lib 1. Officiorũ non satis iustè reprehenditur, sicut colligi potest ex lib. 7. de Rep. Nostrum qui cõdidimus ciuitaté, inquit, officiũ erit optimas hominũ naturas impellere ad eam quã supra diximus, maximã disciplinã, bonũq; cognoscendũ: adeo

vt & sursum ascendant, & postquam ascenderint ac satis inspexerint, ne ipsis quod nunc conceditur permittamus. Quid istud? Vt in eo videlicet studio permaneant, neque velint rursus ad homines istos carcere clausos huc descendere, neque laborum istorum honorumque seu viliores seu prœciosiores fuerint, participes esse. An ipsis iniuriam inferemus cogemusque eos deteriorem vitam subire, cum frui meliore possint? Oblitus es ô amice hoc legi curæ nõ esse vt vnum quoddam genus in ciuitate imprimis sit beatum, sed vt tota ciuitas. Profecto ad hoc ciues ipsos persuasione, & impulsione conciliat facitque, vt mutuo se se adiuuent communémque pro viribus vtilitatem colant. Nempe lex ciuili cœtu hominem congregat, vt non permittat vnumquemque quo lubet ferri, sed vtipsis ad copulam ciuitatis vtatur. Quamquidem Platonis sententiam de philosophis suæ contemplationis fructum ad Remp. transferentibus, veteres fabulis inuoluentes, dixerunt nobiles humanarum societatum gubernatores Deorum colloquio frui. Sic enim Romani fabulati sunt Numam ab Ægeria Nympha leges accepisse: & in Creta Minoem cum magno Ioue nouem annos collocutum Plato ipse scribit in Minoe. Vt scilicet istiusmodi fabulis authoritatem conciliaret suis legibus, vel vt significarent neminem rectè leges ferre posse, nisi qui veritatis contemplatione delectatur, & per hanc Deorum consortio quodam modo fruitur. Sic enim idem lib. 9. de Legibus, priscos legum latores Dei filios fuisse ait, eósque postea leges heroibus, qui etiam Diis erant geniti, tradidisse. Addendum verò illud etiam est ex lib. 5. de Rep. Eum tanto philosophi nomine dignũ esse, qui non occupatur in leuissimarum rerum contemplatione, nec eorum quæ sunt vmbras consectatur: sed semper aspirat ad ipsius boni atque pulchri cognitionem, eiusdémque amore ficardet, vt hæc quæ vulgo pulchra & bona appellantur, pro nihilo ducat, nisi prout cum suo principio atque fonte consentiunt. Nec enim fieri posse quin is qui est eiusmodi, in ciuili societate regenda inter omnes optime videat quæ recta sunt & honesta. Quoniam toto vitæ cursu versatur in contemplatione eius principij ex quo hæc pẽdent. Vt autem eadem velit aliis in vita præscribere, hoc facit quod ea maxime vel potius sola colit & admiratur. Quis vero non speret beatissimam futuram Remp. eo duce quiacutissime videt quæ recta sunt, & omnium maxime hæc eadem in vita expetit. Alij vmbras rerum sectantes, quia in cognitione veri, boni & honesti cæcutiunt, in Reip. administratione cæcos duces expetunt: veros autem philosophos vt suis opinionibus parum accommodos, in ciuili societate homines esse omnium ineptissimos mentiuntur. Quibus eleganti similitudine idem Plato respondet lib. 6. de Rep. simúlque vetat ne hãc Reipub. administrationem philosophi ambiant. Neque enim consentaneum est, inquit, vt gubernator quasi indignus, nautas oret quo se eius gubernationi committant, vel sapientes ad diuitum fores accedant. Sed qui hoc primus iactauit, profecto mentitus est. Reuera autem ita natura comparatum est, siue diues, siue pauper ab aduersa valetudine teneatur, vt necessario fores medicorum petat, & omnes qui superioris gubernatione indigent, domos adeant hominum gubernare potentium: non gubernatores, si modo alicuius prœcij sunt, orent vt ab iis gubernentur inferiores. Atque hoc ipsum est quod Alcinous ait, verè philosophari: idque diuina quadam sorte. Quoniam istud non omnibus datum est, sed paucis, quos, vt ait Poëta, æquus amauit Iupiter, aut ardens euexit ad æthera virtus, Diis geniti potuere. Etenim hic philosophandi modus ad Deum ascensum quendam continet. At, vt antea dictum est ex Platonicis, nemo potest ad Deum ascẽdere, nisi quem Deus ad se rapit. Idem Plato epistola secunda ad Dionysium, multa commemorat, vt doceat sapiẽtiam,

quæ

quæ propria philosophorum, absque potentia prodesse paucis, potentiam vero remota sapientia obesse multis. Ex quo concludit duo hæc esse coniungenda: sicut reuera coniunguntur in philosopho Reipub. clauum tenente. Quanquam ad illam cognitionem vniuersorum quæ potissimum Philosophos attingit, accedere oportet in rectore ciuitatis rerum singularum, per experientiam longa obseruatio. Quæ quia decursu ætatis in nobis perficitur, idcirco maiores nostri supremum consilium a senio senatum appellauerunt: & apud Lacedemonios qui supremum magistratum gerebant, appellabãtur senes, quod Cicero obseruat in Catone. Alij in Reip. administratione, præsertim populari, hanc exellentiam doctrinæ & virtutis adiuncta potentia, suspectam habuerunt, Quod existimarent eos in quibus esset tanta supra cæteros præstantia, vix posse cum reliquis ciuibus æquabili iure viuere. Hâncque ob causam in illis vsurparunt Ostracismõ, hoc est exilij genus quo viri eiusmodi ad tempus extorres profugere cogebantur. De quo multa sunt apud Arist. cap. 9. lib. 3. Polit.

5 Plato extrema pagina lib. 4. de Rep. statuit eam optimam esse ciuitatis regẽdæ formam in qua virtuti principatus defertur. Quæ, inquit, duabus appellationibus declarari potest. Nam si inter principes ciuitatis vnus quidam sit omnium præstãtissimus, regnum vocabitur: sin autem plures, gubernatio erit optimatum, quam cum regno specie vnam esse vult. Constitutionémque trium partium in animo nostro similem esset ait regiæ potestati: quòd ratio regio imperio reliquis duabus partibus irascibili & concupiscibili præesse videatur. Reliquas formas ab illa aberrare censet, quas quatuor facit initio lib. 8. In iisque primam esse ait quæ laudatur à multis, Cretẽsem & Laconicam: secundam paucorum potentiam, quæ plurimis malis plena est: tertiam gubernationem popularem: quartam tyrannidem ab illis omnibus differentem, in qua, inquit, ciuitatis extremus morbus est. In quo Platonis loco cum Alcinoo comparando, sub Aristocratica forma etiam regia est intelligenda. Quoniam, vt dictum est, has duas formas in quibus virtuti summa potestas defertur, Plato vna specie eaque optima complectitur. Timocratica vero quæ inter illas quinque Alcinoo secunda, ea est quam Plato dixit à multis in Cretensi & Laconica laudari. Reliquæ tres facilem comparationem habent. In his vero quinque formis cum Plato eodem libro octauo, optimam statuat primam, ab hac proximam esse vult declinationem in ambitiosam: secundam ex ambitiosa in paucorum potentiam: tertiam, ab hac in popularem: postremam à populari in Tyrannicam: quibus in ipsis hominibus respondeant quinque animorum habitus. Nam in prima forma animum qui imperat, esse optimum imperióque dignissimum: pessimum tyrannicum, medium vero quodammodo in tribus formis quæ sunt inter illas duas extremas interiectæ. Idem in Politico ciuilis imperij rationem primũ triplicem facit, vnius scilicet, paucorum & multorum: deinde his singulis in duas diuisis, sex enasci ait. Quibus rectam aliam adiicit velut septimam, ab illis omnibus secretam. De qua subdiuisione Hospes à Socrate interrogatus sic respondet. Vnius principatum, inquit, in regnum & tyrannidem distribuimus. Dominationem verò quæ non multis competit, in speciem vnam quæ laudanda est, optimatum scilicet gubernationem, & in alteram, quæ vituparanda, paucorum potentiam. At multorum administrationem tunc simplicem posuimus, popularem gubernationem denominantes: nunc vero & hanc duplicé esse dicamus. SOC. Qua igitur ratione diuidemus? HOSP. Non alia quam reliqua, etiamsi nomen huius desit. Verum tam huic, quam aliis commune hoc est vt leges vel seruent, vel transgrediantur. SOC. Est vtique. HOSP. Tunc sane rectam gubernationem quarentibus partitio hæc nihil con-

ducebat, vt supra monstrabamus. Postquam vero illam segregauimus, cæteras autem necessarias duximus, in iis iam legum vel custodia, vel transgressio bifariam partiuntur. SOC. Ex eo qui nunc dictus est, sermone ita videtur. HOSP. Vnius igitur dominatio bonis constitutionibus coniuncta, quas leges vocamus, sex illarum omnium optima: legum expers, dura est & subiectis omnium onerosissima. SOC. Sic apparet. HOSP. Gubernationem vero in qua non multi imperitant, mediam censere debemus: quemadmodum quod paucum est, inter vnum multáve medium obtinet. Cæterum multorũ administrationem per omnia debilem, vt pote quæ ad alias comparata, nihil magnificum siue bonum siue malũ efficere possit, propterea quod magistratus ad exigua redacti sunt in multósque diuisi. Quapropter legitimarum omnium rerũp. hæc deterrima, iniquarum optima. Ac si omnes intemperatæ sint, in populari præstat viuere: si temperatæ omnes, minime omnium in ista viuendum. In prima vero vitam agere potissimum est atque optimum, excepta septima. Illam námque ab omnibus gubernationibus non aliter quam ab hominibus Deum secernere decet. Aristoteles eandem distributionem sequitur cap. 5. lib. 3. Polit. nisi quod septimam speciem à magistro positam non agnoscit. Quoniam Respub. inquit, & administratio ciuitatis eadem res est, & administratio summum tenet in ciuitatibus principatum, necesse est vnum esse penes quem summum sit imperium, aut paucos, aut multos. Quod si vnus aut pauci, aut multi ad vtilitatem publicam dirigunt imperium, illas necesse est rectas esse resp. Quæ vero declinant ad vtilitatem propriam, aut vnius, aut paucorum aut multorum, degenerationes sunt atque deprauationes. Idem repetit cap. 2. libro 4. vbi etiam cum magistro Platone optimum regendæ ciuitatis statum ponit partim in regia potestate, partim in ea quæ paucorum & virtute excellentium. Quoniam, inquit, in vtraque summa imperij virtuti defertur, quæ seipsa contenta est. Addit etiam quod doctrinæ Platonicæ consentaneum est, primam potestatem regiam quæ maximè diuina est, facile mutari in tyrannidem, vt omnium deterrimam. Plato libro 3. de Legibus, has omnes differentias ciuilis imperij ad duas reuocare videtur. Duæ, inquit, gubernationum ciuilium quasi matres quædam sunt, ex quibus si quis alias dixerit originem ducere, rectè vtique dicet. Quarum alteram principatum vnius, alteram populi appellare decet. Alterius quoque summum tenere Persarum genus, alterius nos putandum est. Cęteræ vero formæ omnes huic vt dixi, variè componuntur. Necesse est autem harum vtrarúmque participem fore ciuitatem, si libertas in ea atque amicitia futura sit. Aristoteles vero cap. 3. libro 4. Polit. omnes quidem has differentias etiam in duas principes contrahit, sed eas aliter quam Plato distinguit. Necesse est, inquit, tot esse Resp. quot sunt rationes administrandi, excellentia ac præstantia ordinum & partium differentia atque varietate distinctæ. Sed maximè videntur esse duæ quibusdam. Vt aiunt in distributione ventorum alios esse Aquilonales, alios australes, cæteros non aliud esse quam immodicas illorum declinationes: sic & Respub. dicuntur esse duæ, populus & Oligarchia. Nam Aristocratiam speciem Oligarchiæ faciunt, vt quæ ad paucorum authoritatem pertineat. Et eam quæ Respublica vocatur, Democratiam statuunt: non aliter atque de ventis aiunt ad Boream Zephirum, ad Nothum Eurum pertinere. Superiorem vero comparationem formarum deprauatarum quæ paulo ante commemorata est ex 4. de Repub. Platonis, idem Aristoteles capit. 2. lib. eiusdem partim approbat, partim reprehendit. Manifestum est, inquit, harum Rerump. quæ in prauum degenerant, quęnam pessima atque deterrima, quæque sit secunda ac proximo genere prauitatis laboret.

Necesse est enim eam quæ à prima maximéque diuina cecidit, esse detertimam: atque regnum aut verbo solum non re esse, aut magna præstantia regnantis & excellentia consistere: atque ita pessimam esse tyrannidem & à Repub. abesse longissime. Oligarchiam, à qua Aristocratia longo distat interuallo, secundum occupasse praui locum. Democratiam minime omnium à modo recedere. Iam hisce de rebus quidam prius hoc modo suam tulit sententiam, qui tamen non idem quod nos, vidit. Ille quidem iudicauit omnium Rerump. quæ æquo bonóque nituntur, qualis est Oligarchia, quales aliæ bonæ, pessimam esse Democratiam, malarum vero omnium optimam. Nos autem has omnino à via recta deflexisse existimamus: nec bene rectéq; dicitur Oligarchiam aliam alia esse meliorem, sed minus malam ac improbam.

6 Plato in epistolis ad vtrumque Dionysium, multis locis horum vitia notat in regendis Syracusis, eosdemq; ad meliorem imperij formam instituēdam hortatur. Facit hoc idem epistola septima ad amicos Dionis, cum hos inuitat ad immutandam Dionysij tyrannidem, in potestatem verè regiam, quæ optimatum authoritate dirigatur. Epistolâque octaua laudat gubernationem Lacedemoniæ similem, quæ in institutione Ephororum moderationem quandam seruabat regiæ potestatis, cum ea quæ est optimatum. Ita tamen vt in vtraque nonnihil etiam authoritatis populo relinqueretur. Deinde hæc ipse præscribit. Principio, inquit, leges tales sint, quæ non ad opes pecuniásque comparandas, neque ad libidines, mentes conuertant: sed cum tria sint, anima, corpus, pecunia, virtutem animi maximè anteponant: secundo vero loco virtutem corporis virtuti animi seruientem: tertio vltimóque gradu pecuniarum præcium collocent, animo corporique ministrans. Quæcunque lex hæc efficit, recta est, reuera beatitudinem vtentibus afferens. Locupletes vero beatos appellare, sermo amens est & infelix, mulieribus pueríque conueniens, atque eos qui id credunt tales efficiens. Optimè vero habere se ciuitatem arbitratur, cum in ea totius corporis singulorúmque ordinum ratio habetur: non vna pars curatur, reliquis neglectis. Quoniam vt Cicero ait Officiorum. 1. qui vni parti ciuium consulunt, partem alteram negligunt, rem perniciosissimam in ciuitatem inducunt, seditionem atque discordiam. Ex quo euenit vt alij populares, alij studiosi optimi cuiúsque videantur, pauci vniuersorum. Rectè etiam hoc ipso capite dictum est virtuti ciuili propositum esse ciuitatem bonam beatámque efficere, & sibi omni ex parte consentientem. Consensus vero hic, sicut in partibus animi nostri, in eo consistit, vt singulæ suum officium faciant, suáque commoda, publica vtilitate semper metiantur.

7 Obseruatum est paulo ante ex Arist. cap. 4. lib. 2. Politic. secundam Platonis Remp. à prima hoc maximè differre, quod in prima communes vxores, liberos & possessiones esse vult, in secundā non item. Et certè Plato lib. 5. de Repub. in eā ciuitate, quam vt reliquarum ideam, vel vt ideæ proximam instituit, communes vxores esse vult, nullam cuiquam vt propriam adhærere: communésque filios, neque à patre filium recognosci, neque à filio patrem: nec in communibus connubiis vllum alium adhiberi delectum, nisi vt viri optimi cum mulieribus optimis, vt plurimum congrediantur, deterrimi autem cum deterrimis: & illorum quidem proles nutriatur, horum minime. At libro. 6. de Legibus, in secunda Reipub. forma, quam populariorem instituit, de proprietate vxorum harumque delectu, de dote & nuptiali conuiuio multa præcepit, quæ obseruatione sunt dignissima. Et ab ea vxore, quam quis semel delegerit, licitum tantummodo diuortium arbitratur, si mulier per annos decem infecunda

extiterit. Tum enim, inquit, consilio cum propinquis & mulieribus harum rerum curatricibus, habito, prout commodum vtríque est, disiungantur. In illa vero priore vxorum communione cum Platonem grauiter exagitet Aristoteles lib. 2. Politic. itémque Georgius Trapezuntius libro de comparatione Platonis cum Aristotele, hæc pro illo afferri solent, quando cogitamus de ciuitate in integrum restituenda, aut de huius morbis curandis, imitandam esse consuetudinem medicorum. Itaque vt hi morbos curant traductis corporibus à contrario in contrarium: sic Platonem cum animaduerteret proprietate vxorum & liberorum multis modis in ciuilibus societatibus peccari, voluisse experiri quid cõtraria communio esset effectura, & an num istum morbum curatura. Aut potius non tam voluisse ciues suos à proprietate harum rerum ad communionem omnino traducere, quam à contrario in contrarium, vel ab extremo vno ad alterum agitatos tandem laudabili cuidam moderationi restituere, in eâque hos conseruare. Hac enim arte vitia animi ad quæ quis natura propensus est, debere curari Aristoteles docuit in Ethicis. Quanquam communionẽ illam Plato non tam videtur retulisse ad promiscuos concubitus (à quibus ipsa natura abhorret) quã ea introducta suis ciuibus persuadere voluisse ciuem vnũquemque erga alienam vxorem studio ac voluntate eodemmodo affectum esse debere quo erga propriã. Ita scilicet vt eius honori in omnibus æquè studeat: quod de liberorum institutione eadem ratione est intelligendum. Idque certe in Repub. ad continendas vxores itémque liberos in officio esset potentissimum. Quomodo ipse suam sententiã videtur interpretatus initio Timæi, vt antea indicauimus in præfatione.

8 Iudiciorum artísque bellicæ institutio pertinet ad duo tempora quibus ciuitas regitur, vnum pacis, alterum belli. Quibus duobus non solum disciplina ciuilis præest, sed omnino omnibus artibus. Quoniam de his quas vult, in ciuitatem recipit, eisdémque receptis modum præscribit. Ex quo illa domina & princeps omnium ab Aristo. appellatur cap. 2. lib. 1. Ethic. dicitúrque facultates eas, quæ in maximo sunt honore & prętio sibi subiectas habere. Quare prudentes omnes legumlatores in eo maximè occupantur, vt doceant in quibus artibus, siue animi, siue corporis, ciues debeant exerceri: sicut obseruari potest in Arist. libro 8. Polit. & in vtraque Platonis Repub. Hanc vero disciplinam ciuilem penes philosophum antea esse voluit. Quam cum ait etiam prouidere debere bella ne gerenda sint, an non, hoc certe significat summum imperium in Platonis Repub. penes eundem philosophum esse debere. Quoniam hæc summi imperij propria sunt, magistratus creare, singulorúmque officia definire: leges iubere & abrogare: bella indicere ac finire: potestatem vitæ & necis habere.

Sophistam à Philosopho fine & subiecta materia distinguit, & quæ ratio sit non entis ad ens ostendit.

CAP. 27.

1 *Qualis verò Philosophus, cùm antea dictũ sit, ab hoc differt Sophista moribus, quia hic ex iuuenibus quæstũ facere studet, & quòd bonus ac honestus haberi mauult, quàm re-*

uera esse. Materia verò, quòd Philosophus in illis versetur, quæ semper eadẽ sunt, & eodẽ modo se habent: Sophista in eis quæ non sunt, secedẽs in locũ in quo propter tenebras nõ apparet. Enti autẽ non opponitur nõ ens. Siquidẽ hoc nec existit, nec intelligi potest, nec vllam existentiã habet. Quod quidẽ si quis vel voce exprimere, vel cogitatione cõplecti conetur, aberrabit. Quoniã in se dissidẽtia cõplectetur. Est autẽ non ens, prout auditur, nõ nuda negatio entis, sed subindicat aliquid relatũ ad alterũ: quodquidẽ aliquo modo enti adiungitur. Vt nisi ipsum aliquid entis assumpserit, ab aliis distingui nõ possit. Nunc autẽ quot sunt entia, tot modis nõ ens dicitur. Quoniam quod non est quoddã ens, id est nõ ens. Hæc verò ad institutionem in Platonis doctrinã sufficiant. De quibus quædam fortasse suo ordine, alia sparsim & inordinatè: sic tamen sunt omnia exposita, vt ex iis quæ tradita sunt, per consequutionem liceat contemplari & inuenire reliqua eiusdem decreta.

Iac. Carpentarij Commentarius in Caput 27.

1 Quis Sophista verò dicatur, & vnde nomen hoc habeat, sic Plato docet extrema pagina dialogi qui Sophista, siue de Ente inscribitur. Imitationis ad opinionem comparatæ duas species facit: vnam eius qui prolixa oratione apud populum ironia vtitur: alterã eius qui priuatim quasi captiunculis cogit eũ cum quo disputat sibimet in sermonibus contradicere. Deinde hæc subiicit. Quomodo superiorẽ illũ nominabimus, ciuilẽ ne an popularem? THE. Populare. HOSP. Alterũ verò sophum, id est sapientem, an sophisticũ? THE. Sapiẽtem quidẽ vocare illum non licet, quandoquidem ignorantẽ ipsum posuimus. Quoniã verò sapiẽtem imitatur, cognomentũ quoddã illius simile sortietur. Ac demum intelligo hunc ipsum prorsus & reuera Sophistã appellari decere. HOSP. An non, vt supra nunc nomen eius colligabimus, à fine iterum ad principia omnia complexi? THE. Omnino. HOSP. Is demum Sophistam verè definiet, qui generationem eius & stirpem istam esse asseuerabit. Sophista, inquam, est, qui in sermonibus disputantem cogit contradicere sibi ipsi, qui & ironici pars est, ab imitatore opinioni dedito veniens: phãtastici etiam generis ab imaginaria facultate profluẽs, non diuinæ sed humanæ affectionis determinata progenies, ex eorúmque numero qui verbis quasi quibusdam præstigiis mirum in modum decipiũt auditores. THE. Ita prorsus dicendum. Eodémque dialogo Sophistam præstigiatorem vocat, verarum rerum imitatorẽ, qui nullam earum scientiam habet, in quibus aliis

contradicere posse videtur. Ex quibus potest intelligi, quod ad hoc postremum caput maximè pertinet, solum Deum propriè esse sophum, id est sapiẽtem: quia vt Aristoteles ait initio Metaph. ipsa sapientia diuina est potius quàm humana possessio: Philosophum per sapientiæ amorem, verum esse Dei amatorem: Sophistam verò, ambitiosum & fallacem Philosophi æmulatorem. Cùm autem Socrates sua ætate in Sophistas incidisset qui ad quæstum & gloriam falsis opinionibus iuuenturem imbuebant, passim hos insectatur in variis Platonis dialogis, in Sophista quidem acutissimè, nec minus eleganter in Gorgia, facetè verò & vrbanè in vtroque Hippia, argutè & artificiosè in Euthydemo & Protagora. In quibus omnibus illos loquentes facit, vt falsa opinione sapientiæ elatos, arrogantes, quæstus auidos, qui nulla de re differendo, aptè possunt explicare quid sit, & qualis: cùm tamen profiteantur se omnia scire. Quæ omnia si placet cum Aristotelis doctrina comparare, facultas differendi ex probabilibus, quæ apud hunc Dialectica nominatur, cum apodictica comparata, sophisticæ pars quædam apud Platonem esse videtur. Atque fortasse sic etiam apud ipsum Aristotelem capite secundo libri primi Analytic. poster. Scire Sophistico modo, ipsi apodictico ex altera parte opponitur: isque sophisticus dicitur qui incertis ac fortuitis, non propria rei de qua agitur causa continetur. Sic enim Dialectica argumenta idem solet communia appellare. Aliquando verò ab eodem Sophistæ nomen magis in angustum contrahitur, & Dialectico opponitur: quòd hic opinionem quidem sequatur, sed minimè fallacem aut fucatam, ille fallacem tantum & adumbratam. Sicque capite secundo libri tertij Metaphysic. Philosophiam in eodem genere cum Sophistica & Dialectica versari ait, sed Philosophiam à Dialectica differre facultate: à Sophistica vitæ instituto. Dialectica enim, inquit, in iis periculum facere solet, quæ Philosophia cognoscit: Sophistica verò specie modo habet, non veritatem. Apertius quid Sophistæ nomine idem significari velit, intelligetur ex libro de redargutionibus Sophistarum. Quæcunque ratiocinatio, inquit, ad rem accommodata videbitur, quæ non erit accommodata, etiamsi necessariam habeat conclusionem, Sophistica tamen & contentiosa erit appellanda: propterea quod ea ex parte qua ad istam rem videtur accommodata, fallacem habet quandam speciem, per quam decipimur, ac veluti iniuria quadam afficimur. Quemadmodum enim inter certandum quas aduersario iniurias facimus, speciem quandam æquitatis præ se ferunt, & tamen reuera est iniqua certandi ratio: sic in disputatione iniquum certamen est, vbi ad nimiam cõtentionem res progreditur. Nam vt in certaminibus qui quauis ratione victores esse volunt, nihil non mouent, nihil non aggrediuntur: ita hîc in disputatione idem faciunt qui supra modum sunt litigiosi. Atque ex iis quidem qui tantam adhibent contentionem, quicunque sibi victoriam proponunt, illi sunt qui propriè litigiosi & contentionis amatores censentur. Qui verò gloriam, ex qua quæstum faciant, aucupantur, Sophistæ. Est enim Sophisticæ, ratio questus faciendi ex sapientiæ simulatione.

2 Aristoteles capite secundo libri tertij Metaphysic. Sophistam versari vult circa ens, hócque subiectum genus illi esse commune cum Philosopho & Dialectico. Hic verò Alcinous Philosopho ens, Sophistæ non ens subiicit. In quo nõ tam sententiarum est contrarietas, quàm diuersa loquendi philosophandique ratio. Nam Aristoteli entis nomine non solum continentur constantia æternáque, quorum scientia est, sed etiam fluentia, quæ propriè ad opinionem opinionisque speciem pertinent. Sicque Dialecticus & Sophista ab eodem Aristotele etiam circa ens versari dicuntur: ille quidem in fluentibus opinionem quærens,

hic in eiſdem opinionis ſpecie & falſa imagine contentus. Platoni verò paſſim, ſed maximè in Timæo & Sophiſta, ea tantum ſunt quæ æterna, omninóque immutabilia: cuiuſmodi ſunt ideæ circa quas ſola Philoſophia verſatur. Non eſſe autem dicuntur rerum imagines in fluente materia adumbratæ: in quibus non ſolum Sophiſtæ, ſed cæteri quoque communes artifices conquieſcunt. De quo Platonis ſententiam ſic explicat Proclus. Sophiſta, inquit, in id quod non eſt incumbit: quia quæ ſunt in materia gignit, & quod reuera falſum eſt, diligit, id eſt materiam. De quo etiam magiſtri ſententiam aliqua ex parte laudat Ariſtoteles capite ſecundo libri quinti Metaphyſic. Accidens, inquit, ferè tantùm eſt nominetenus. Itaque Plato quodammodo non malè id quod non eſt, Sophiſticæ attribuit. Verſantur enim Sophiſtarum ratiocinationes & diſputationes in accidente ex omnibus maximè. Quod verò hîc dicitur, Sophiſtam ſecedere in locum propter tenebras, non apparentem, vel in quo propter tenebras non apparet, deſumptum eſt ex Sophiſta Platonis. Vbi in eo ipſo de quo hic agitur, Sophiſtam cum Philoſopho ſic comparat. Alia ratione Sophiſta, inquit Hoſpes, alia Philoſophus intuitum refugit oculorum. THE. Qua? HOSP. Sophiſtam pono qui in non entis tenebras aufugit, & diuturna conſuetudine tenebris illis offunditur: idcirco ſumma difficultate diſcernitur. THE. Sic eſt. HOSP. Philoſophus autem entis ipſius ideæ ratiocinatione ſemper inhærens, ob regionis illius ſplendorem haud facilè cernitur. Nam vulgarium animarum oculi, diuinitatis tadios ſuſtinere non poſſunt. Hoc verò poſterius illud etiam eſt, quod ab Ariſtotele dictum libro ſecundo Metaphyſic. intellectum noſtrum ad ea quæ ſunt in natura clariſſima ſe habere, ſicut oculum noctuæ ad ipſum ſolem.

3 Locus hic breuiſſimè deſcriptus eſt ex eodem Sophiſta Platonis', vbi pluribus ſic explicatur. Quoties non ens dicimus, inquit Hoſpes, vt videmur nequaquam entis contrarium dicimus, ſed alterum quiddam ſolum. THE. Quomodo? HOSP. Vt cùm non magnum dicimus, non magis paruum quàm æquale eo vocabulo ſignificamus. THE. Sic eſt. HOSP. Non ergo contrarium quando negatio dicitur, ſignificari fatebimur: tantùm verò duntaxat aſſeuerabimus quod, non & neque, aliquid ex aliorum numero ſignificant, quando nomina antecedunt, imò quoties antecedunt res ipſas circa quas nomina negationes ſequentia pronunciantur. THE. Sic eſt omnino. HOSP. Hoc præterea, ſi tibi videtur, meditemur. THE. Quid iſtud? HOSP. Ipſius alterius natura eodem modo quo & ſcientia, concila videtur. THE. Dic age, quo pacto? HOSP. Vna quidem eſt & illa, pars autem illius in aliquo reſidens, ſigillatímque determinata, cognomentum proprium eſt ſortita: quocirca multæ artes ſcientiæque eſſe dicuntur. THE. Prorſus. HOSP. Nónne & partes naturæ ipſius alterius, quæ vna eſt, idem quod & partes ſcientiæ patiuntur. THE. Forſitan. Verùm qua ratione, declara. HOSP. Eſt pulchro pars aliqua ipſius alterius oppoſita? THE. Eſt. HOSP. Hánc ne omni cognomento carere dicemus: an potius cognominari? THE. Cognominari. HOSP. Quod enim non pulchrum vbique pronuntiamus, hoc non ab alio quoquam, alterum eſt, quàm à pulchri natura. Age itaque ad hoc reſponde. THE. Ad quid reſpondeam? HOSP. Cùm aliquid in parte quadam entium determinatum ſit, rurſuſque alicui entium opponatur, contingátque ita non pulchrum dici, ſequitur non pulchrum eſſe aliquid, quandoquidem eſt illud cui opponitur. THE. Rectè admodũ. HOSP. Nunquid ex hoc ſermone pulchrũ magis in numero entiũ, non pulchrũ minus ponendũ? THE. Nihilomagis. HOSP. Similiter ergo tã non ma

gnũ, quàm magnũ esse dicendũ. THE. Similiter. HOSP. Quinetiam nõ iustum ex æquo ac iustũ esse asseuerandũ. THE. Absq; dubio. HOSP. Eadéq; erit in cęteris ratio, postquã alterius ipsius natura è genere entiũ esse apparuit. Ea verò nõ existẽte, necesse & partes eius nihilomin⁹ existere. THE. Quid prohibet? HOSP. Oppositio ipsa quæ est inter partẽ naturæ ipsius alterius, partẽve entis, nihilominus, si dictu fas est, quàm ens ipsum essentia est: neq; contrariũ illius, sed alterum quiddã duntaxat significat. THE. Perspicuè. Quibus positis Plato eodẽ loco Parmenidẽ in proposito sic reprehendit. Aduertisne, inquit Hospes, quàm lõgè à Parmenidis mẽte diuertimus? THE. Curnã? HOSP. Illius limites trãsgressi sumus, dum vlterius quàm statuerit, cõsiderauimus atq; ostẽdimus. THE. Quo pacto? HOSP. Quoniã, inquit ille, nunquã & nullo modo sunt non entia. Sed tu quærẽs ab hoc progressu cohibe mentẽ. Hæc ille. Nos autẽ non solũ non entia esse ostẽdimus, sed quæ sint nõ entis species demõstrauimus. Cùm enim ostẽderemus alterius ipsius naturã esse, pérq; entia omnia diuisam atq; dispersam inuicẽ, tũc partem eius oppositã ei quod cuiusq; ens est, esse ipsum reuera non ens asseruimus. His adde cùm apud Platonẽ entium absoluta appellatione ea sola contineantur quæ semper se habent eodẽ modo, cuiusmodi sunt ideæ, non entiũ verò, quæ perpetuò fluunt, vt res materiatæ, & in sensum cadentes, quæ idearũ sunt imagines per imitationẽ expressæ: has nõ omnino nihil esse, etiã si absolutè nõ numerẽtur in entibus, sed esse aliquid entiũ. Vt enim Alexandri imago neq; omnino est Alexander, neq; omnino nihil, sed aliquid Alexãdri, nẽpe imago quæ ad Alexandrũ habet relationẽ: sic apud Platonẽ cùm idea hominis absolutè ens sit, homo fluẽs & in sensum cadẽs dicitur esse, non ens, nõ tamẽ quod omnino nihil sit. Est enim aliquid ipsius ideæ, quæ omnino est: nẽpe huius imago quæ ad ideã relationẽ habet. Sicque etiã intelligẽda Alcinoi cõclusio, qua colligit quot sunt genera entiũ totidẽ esse non entium. Quoniã vt Platonicè loquamur, quot sunt differentiæ idearum in mundo intelligibili, totidem in mundo hoc cadente in sensum, differentiæ imaginũ ideis participantiũ, quæ à Platone in non entibus numerãtur.

4 Plato eodẽ dialogo concludit motum reuera esse nõ ens, & entis quia ens est particeps: nõ ensq; in motu & aliis generibus esse. Propterea quòd in singulis alterius ipsius natura, dũ alterũ vnumquodq; quam ipsum ens efficit, non ens efficit singula. Atq; ideò, inquit, cuncta similiter non entia hac de causa prædicauimus: & quia ente participant, esse iterũ dicemus, entiáque vocabimus. Ex quibus eodẽ loco sic cõcludit. Ergo circa quãlibet speciẽ, inquit Hospes, ens quidẽ multiplex est, non ens autẽ multitudine infinitũ. THE. Videtur. HOS. An nõ ipsum quoq; ens aliud quàm vnũquodq; aliorũ est dicendũ? THE. Necesse est. HOSP. Ens itaq; quot numero alia sunt, totidẽ non est ipsum. Nã cùm illa ipsum nõ sit, vnũ quidẽ ipsum est, alia verò quę infinita sunt numero, nõ est. THE. Ita penè dicendũ. HOSP. Haud sanè turbare nos hæc debent. Siquidẽ natura generũ mutuã communionem habet. In quibus quod postremo loco dictũ est, id Alcinous quodammodo in aliam sententiam deflectit, cùm ita scribit, Nunc autem quot sunt entia, tot modis non ens dicitur. Quoniam quod non est quoddam ens, id est nõ ens. In hócque videtur Platonica coniungere voluisse cum Aristotelis sententia de comparatione nominum finitorum & infinitorũ, vel eorum quę contradicũt in simplicibus. De qua vide eundem Aristotelem post Categorias, libro etiam de Interpretatione, & cap. vltimo lib. 1. Analyt. priorum.

Finis Commentarij in Alcinoi institutionem ad doctrinam Platonis.

IAC. CARPENTARII, CLAROMONTANI BELLOVACI, PRO SVA ALCINOI INTERpretatione, aduersus quendam Logodædalum, huius calumniatorem, Defensio.

EQuidem in Thessalica contentione de nostra professione Regia, satis mihi dederas turbarum, Logodædale, satis erat tibi indultum in perferenda animi tui incredibili impotentia: viris bonis satis erant detecti tui mores, tua mens, tuus sensus in hac Academia. In qua ab annis quatuordecim in bonarum artium publica professione ante tyrocinium, adeptus summum operæ pretium, nunc inter omnes literatos de principatu contendis: & quoniam, vt est in prouerbio, pares cum paribus facilè congregantur, ad Thessali fastum adiunctus, neminem ferre potes, nisi qui in doctrina & moribus, tibi Thessaloque simillimus. Hinc nostri Alcinoi exagitatio. Hæc fundi calamitas. Si cum vtroque vestrum nouis rebus studere voluissem, & ad contemptum veteris disciplinæ (quæ est optima vitæ magistra) meo exẽplo, magnóq; orationis apparatu iuuentutem allicere (quod vos ante animiũ frequenter fecistis: vtinam verò posthac nunquam facere audeatis) in vestro sinu lusissem, nec solùm Regia professione dignus es-

sem habitus, sed vestra quoque prædicatione, inter Regios Professores magnam nominis celebritatem adeptus. Cur enim non audeam id mihi polliceri, cùm videam nonnullos auditorum omnium, virorúmque eruditorum existimatione, in docendo nulla ex parte tolerabiles, vobis admirabiles esse & semideos, hoc ipso quod in hoc rerum nouandarum studio, vestris cupiditatibus inseruiunt? At quia vetera semper colui, in hísque, quos potui sedulò retinui, Deum immortalem, quid à te tuísque non pertuli molestiarum? Omitto reliquos, qui in Thessalica contentione, non tam in eruditionem nostram inquirebant, quàm de religione querebantur, quíque Thessalo fauebant, non quòd huius doctrinam probarent, sed quoniam eius conatus in vetere Academiæ disciplina perturbanda, Regiísque Professoribus noua opinione fascinandis, plerisque ad res maiores quas animo conceperant, boni ominis esse videbatur. De te tantum dicam hoc tempore, vt omnes intelligant tibi quàm semper mala mens, malus animus: quoque iure expugnata tandem animi mei patientia, nunc ei respondeam à quo sæpissimè in rebus aliis prouocatus, ante istam contentionem de Alcinoo, omnino obmutui: & vt quod verum est, fatear, veterem iniuriam ferens, nouam in dies inuitaui. Ego te multos annos peregrinantem, nomine literarum patriæque (quæ eadem vtrique nostrûm communis est parens) penè colui. De absente, apud tuos (qui nunc candoris mei mihi fideles testes sunt) nihil vnquam nisi magnificè, vel certè supra tuum meritum sum loquutus. Ex Italia redeuntem, Regiáque

Profeßione (non dicam quo merito) exornatum, non modò non ſum conatus impedire, ſed cùm nonnulli qui in bonarum artium profeßione magna celebritate fruendo in hac Academia ætatem egerant (quos nihil neceſſe eſt nominari) hoc præmium ab homine nouo, & nunquam antea in publico docendi munere verſato, ſibi præreptum palàm quererentur, dedi quam potui operam, vt hi rerum meliorum expectatione recreati, tibi reconciliarentur. Atque non multò poſt, cùm antiquißimam & illuſtriſſimam familiam Cardinalis optimi Turnonij Mæcenatis tui, cuius beneficio, inter alia permulta, Regia profeßione auctus eras, in concione grauiter eò exulceraſſes, quod mihi ſatis eſt nunc à te intelligi, ego eadem qua antea vſus eram humanitate, impietatem tuam in illum parentem fortunarum tuarum, apud pleroſque viros maximos, qui eiuſdem memoriam piè ſanctèque colebant, & à te contaminatam paſſim querebantur, mea oratione lenire ſemper ſum conatus. Denique nulla vnquam in te humanitatis officia prætermiſi: multa beneuolentiæ ſigna edidi. Quæ ſi fortè non omnibus apparuerunt, at hoc certè meo iure prædicare poſſum, ante iſtam contentionem de Alcinoo, ne leuiſſimam quidem ſpeciem offenſionis à nobis eſſe profectam, in qua tu iuſti odij quantulamcunque occaſionem captare potueris. Tu verò quaſi res eſſet cum iurato hoſte, vel cum homine qui eum principatum vellet præripere, quẽ in literis falſa opinione tibi fingis, ea in nos ſæpe tentaſti, in quibus ſi conatui par fortuna reſpondiſſet, in Academia noſtra laude iampridem orbati, nunc nihil haberemus cur diutius

vellemus viuere. Vix adhuc Regius Professor nominatus, domum tuam adeo, & te qua possum humanitate saluto: sperans fore vt tua opera nonnullos de collegis, Thessali fuco fascinatos, & huius imperio in me commotos, reconciliarem: atque eundem iam contra me ferocientem, aliqua ex parte reprimerem. Tu pro congratulatione, effundis tua conuitia, méque in os, seditiosum nominas. Bona verba sanè, eóque mihi tum non iniucunda, quod meminissem vestros sic eos ornare solitos, qui veteri disciplinæ addicti, in seditionis principibus rerum nouandarum studium extinguere conabantur. Nec verò multò post, pridie eius diei quo Senatu frequentissimo atque ornatissimo, tam fœliciter, ne dicam gloriosè, causa à nobis contra Thessalũ perorata, Regiorum Professorum collegium contra nos tua authoritate cogis, & in hoc pro Thessalo ad dicendum paratissimus, conaris perficere, vt illi ad huius furorem se adiungant, vel vt ad eius causam adiuncti, insano furori prætendant honestam speciem publicæ vtilitatis quæsitæ in eo vexando, qui se suáque rei literariæ deuouerat. Ac certè tum mihi magnum aliquod malum dedisses, nisi inter illos viri quidam ornatissimi, absentis, nec de tuo conatu quicquam cogitantis, patrocinium vltrò suscepissent: & ad commendandum Regiæ professionis candidatum, pleraque recitassent, in quibus tibi valde quidem contra me animato, sed non satis contra veritatem armato, necesse fuit obmutescere. Testem vero appello conscientiam tuam, Logodædale, si modo huius adhuc restat aliquid, ac bona fide velim respondeas, cùm inter re-

gios professores neque cogendi, neque referendi, ex collegij consuetudine vllam authoritatem haberes, quid erat quod te in Carpentarium vsqueadeo cõmoueret? Num vllæ priuatæ offensiones? At hic mihi murus aheneus est, quod nullius in te recordatione possum pallescere. Nisi forte culpæ ascribis, quod de re omnium maxima (intelligis quid loquar) tecum sentire nunquam potui: nec in hac tam facile sententiam mutare quàm plerique vestrum. An vero vrebat amor regij collegij, in quo Carpentarium sedere turpe arbitrabaris? Atqui hic ab annis viginti & plus eo, cum aliqua celebritate Academiæ notus erat: & quod nõ ignoras, ad regiam professionẽ ante te ab auditoribus frequenter expetitus. Quid vero fecisses si alij olim tecum egissent isto modo? aut te in priuato quidem literarum studio quãtumuis, vel in tuis rancidis Italiæ exemplaribus euoluendis virum primarium, sed in publicæ professionis munere omnino nouum, nec vnquam antea in hac vniuersi schola auditum, ipso docendi tyrocinio ad regiam cathedram viam affectantem, si plerique quibus præmium debitum præripiebas, prohibuissent, qui motus essent exorti? qui risus excitati in singulis gymnasiis, quibus hoc erat iniurium? Sed hoc neque fecimus: neque cũ possemus, tentare voluimus. Quæ igitur pro tanta humanitate in te recipiendo, hæc in nobis vexandis animi tui impotentia? At, inquies fortasse, non tam me ad illud mea voluntas impulit, quam coegit Thessali imperium. Credo Hercle. In eóque animaduerto nactã in te Parisiensem Academiam, furiente Domino dignissimum mancipium. Quanquam ista omnia tulissem æquo a-

nimo si in eis insaniendi finem facere voluisses: aut si nobis in regia professione Senatus Regísque decreto cõfirmatis, ad meliorem mentem redire potuisses. Quod vt facere velles, non solum ego te præteritarum iniuriarum obliuione inuitaueram, sed bene merendo potius quam maledicendo certans, pro superioribus, in quorum recordatione non dubito quin hodierno die erubescas, frequentissimo Senatu & in amplissimo Regis auditorio, pene gratias egerã: & quod adhuc nostræ orationes testantur, laudes tuas non obscura commendatione eram complexus. Adeo vt plerique hanc in me nimiam, vt dicebant, animi demissionem vitio verterent: alij qui mores tuos melius nouerant, hoc etiam adderent, fore vt quoniam ad superiora conniuebamus, posthac in cæteris te nescio qua opinione victoriæ elatum, insolentiorem experiremur. Neque profecto hos fefellit opinio. Etenim paulo post, siue tuo Thessalo imperante, siue natura te ad maledicẽdum impellente, in ea ipsa Regia cathedra, in qua te paulò ante verbis ornaueram, de coniungenda eloquentia cùm philosophia, tuo more nescio quid declamitãs, hoc vnũ agis, vt Carpẽtarius non modo mathematica professione (quod ille tuus magister multis sudoribus paulo ante erat conatus) sed etiam philosophica explodatur: in qua à multis annis ea celebritate fruitur, quæ, si verum fateri vis, vobis est inuidiosa. Sequuta sunt alia pleráque deteriora. Nam cum te cõparares ad interpretationem libri octaui Ethic. in quo de amicitia agitur, ex amicitiæ cõmodis arripis occasionem dicendi de incõmodis, quæ in rem literariam inuehit literatorũ dissensio. Ac in eis enumerãdis qui nostra

ætate hoc contentionis æstu abrepti sunt, tibi vni parcis: reliquorũ qui nomen aliquod inter literatos obtinent, prætermittis omnino neminem. Atqui si quid adhuc in tua causa habuisses cõmunis sensus, hoc certe tacitus cogitasses, in isto genere cõtentionis neminem vnquã extitisse, quem arrogantis doctrinæ fastu & furore iracundiæ, longo interuallo non superaueris. Quod nõ modo scripta tua omnia apertè loquũtur, sed fere eodẽ tempore quo illa declamitabas, manifestius declarauit tibi nescio quid cõtrouersiæ de Lucretio (tuis deliciis, vel potius tuo corculo) cùm Doctissimo & modestissimo viro Gifanio. Qui etsi tuam in illũ operam, supra meritum exornauisset: quia tamen in nõnullis à te dissenserat, eoq; maiestatem tuã offenderat, memini cũ de eo quereris nobis audientibus, te in tantã animi impotẽtiam prorupisse, vt non modo in illum classicum caneres, sed Regem Populúmque Gallicum in eundem quasi perduellem commouere conareris. Nimium iracundè, profectò,

Nec Priamus tanti, totáque Troia fuit.

Sed eo valde infæliciter, quod in casu tua opinione tã graui, tũ inter audiendũ omniũ oculi arescebãt: nisi fortè nõnullis pro cõmiseratione vehemẽs risus lachrymas excuteret. In illis vero literatorũ contentionibus enumerãdis rem tandem deducis ad Thessalicã nostrámq; historiã: cuius gratia facile erat videre totam illam orationem à te fuisse institutam. Thessalum omni culpa liberas, imò laudibus in cælũ effers: Carpentariũ, quia se illi opposuit, vel potius quia ne ab illo opprimeretur, impediuit, perturbatæ rei literariæ reum peragis. Quid igitur? An homini in nomen fortunásque meas furenti, te authore iugulum præbuissem? Ego quidem tan-

tam acerbitatem in contẽtione, quæ inter nos à literis incæperat, non modo nunquam probaui: sed apud viros bonos ne excusare quidem volui. Quod animaduerterem nos in hac non modo de nostro nomine periclitari, verum vniuersam Academiam grauiter commoueri: Regiæ professionis authoritatem nostris contrariis actionibus imminui. Sed cum in rebus eiusmodi, eius qui se suáque tantum tuetur, cõditio melior fauoréque dignior semper esset habita, neminem vnquam fore existimaui, qui hac in parte ad Thessali causam accederet, meæ aduersaretur: nisi qui tibi esset simillimus, id est qui propter morum studiorúmque coniunctionem, Thessali amore cæcutiret, Carpentarij odio & inuidia arderet. Quare cũ hæc ad illa accessissent, mihíque ab amicis essent renunciata, nihilo magis commotus sum, quam in superioribus: in quibus perferendis tu à nobis contemptus, plus pœnarum dedisse videbaris, quam si in eisdem fortiter restitissem. Ecce vero animum tuum noua libido incessit experiundi, Num commodius hanc contra me iampridem conceptam rabiem alio loco posses euomere. Fere eodem tẽpore, vel certe non multo post, nescio quo longo & sesquipedali programmate, tuo more, in lingua græca montes auri pollicens, & ad huius perfectam explicationem tibi tantum biduum, vel ad summum triduum postulans (ex Thessali tui, vt opinor, sophistica officina) in Cardinalitiã scholam cogis pene infin·tam multitudinem auditorum hæc artium compendia affectantium. Quibus tum parturiebant montes, paulò post natus est ridiculus mus. Cùm verò huius frequentiæ vsuram paucorum dierum fore præsentires, quo

tuæ

tuæ contra nos aduſtæ bilis (quam noſtri dicere ſolent maniæ proximam) plures teſtes haberes, ſtatim initio, & in ipſo tuarum prælectionum exordio, nõ ſolum, vt antea ſæpe, pro philoſophia inſulſam barbariem nobis obiicis, ſed eo etiam nominatim reprehendis, quod in Sphæra Io. de Sacro boſco, explicanda, noſtros inuentis frugibus, vt dicebas, ad glãdem barbaricam reuocarem. Neque vero hic deerat quod reſponderem. Primum quidem eum authorem quem inſectabaris, tibi in ſententiis vſqueadeo eſſe incognitum, vt albus ne ſit an ater omnino neſcias, propter ſummam ignorationem rerum earum quas tractat. Deinde in orationis venuſtate nunquam philoſophiæ opes à me eſſe poſitas: ne in Logodædalia vllam partem laudis tecum viderer affectare. De Shæra autem iure dicere poteram me in hac interpretanda Academiæ legibus & Senatus Decreto obſequutum: maiorúmque exemplo feciſſe, qui authorem hunc ipſo quidem orationis genere incomptum, ſed ſententiarum pondere grauem, & in ea re de qua agit, ſupra reliquos exercitatum, coluerunt, quaſique vnicè poſteritati commendarunt. In quo illi bene cordati, quaſi ex ſtercore aurum colligi voluerunt: tu lingua tantum ſapis, in pectore nihil habes doctrinæ philoſophicæ, ſine qua author hic nemini poteſt placere. Quod ſi etiam recriminando, tuæ orationis venuſtati ſcilicet, tuam rerum inſcitiam voluiſſem opponere, & per ea quæ à te ſcripta ſunt, ſpatiando, ex his tuos errores colligere, ac ſub vno aſpectu omnibus proponere, num cogitas quæ horum Ilias ex tuo Cicerone, Lucretio, Horatio naſcitura? In quibus tibi indultum quidẽ eſt antea, ſed

si me cogis repueraſcere, & in his ponere partem aliquam temporis eius quod nũc grauioribus ſtudiis deberi exiſtimo, perficiam fortaſſe, vt ſentias neque animum nobis humanioribus literis tam male imbutum, quàm videri vis: neque te in rerum cognitione vllam partem conſequutum laudis eius quam tantopere affectas, quáque, falſa opinione concepta, ſolennitcr inſanis, non modo inter noſtros regios profeſſores, ſed inter omnes literatos, quos vniuerſa Europa frequentißimos habet & clarißimos. Niſi hanc cogitationem, in Cicerone Gifanius noſter anteuerterit, & iſtã partem nobis ademerit, in quam illum incumbere certò ſcimus. Adhuc vero ad illa tua omnia, in quibus nihil prater contumelias, nullus in noſtra doctrina error notatus eſt, malui obmuteſcere, quam de eiſdem tecum muliercularum more contendere. Dedi tantum operam vt accuratè docendo, & noſtrorum ſtudia ſedulo iuuando, eam de me opinionem extinguerem quã linguæ tuæ veneno excitare conabaris. Atque hæc fuit nõ leuis vtilitas, quam ex homine mihi, vt ſuperiora teſtantur, ſua ſponte inimiciſſimo, ſtudui reportare. Quouſque vero conuiciando progredière, Logodædale? aut quem ad finem effrænata hæc ſe iactabit impudentia? Nihil ne te hoc cõmouebit, quod ſuperiora omnia pertulimus? Quod in illis ſemper os nobis occluſimus? Imo patiẽtia noſtra abutens, moliris in dies deteriora. Etenim antea nomini noſtro peperceras: & quanquam hoc non tam nobis quã tibi indulgeres, veritus ſcilicet, ne aut ſupra modum hic homuncio à te nobilitaretur, aut tam leui aduerſariò maieſtatem tuam dedecorares, noſtro tamen nomini adhuc peperce-

ras: & erant superiora omnia tantum viua voce declamata, nihil eorum ad absentes, vel ad posteros editum. Itaque eo mihi animum leniebam, quod pauci essent intellecturi quẽ tuis conuitiis tacito nomine peteres, & quod ad præsentes tantum ea peruentura, quorum memoria cum sonitu peritura videbatur. At ne quid omnino intactum relinqueretur, paulò post à te est editus, & huius vrbis compitis affixus famosus libellus, conclusus octo versibus alternis longiusculis, cũ hac inscriptione, IN IAC. CARPENTERIVM OS NON HABENTEM, AVT ORIS DVRISSIMI HOMINEM. *In quo etiã his qui vix vnquam in pedestri genere scribendi se exercuerunt, facile est animaduertere, in te, qui aliis durum os obiicis, tam dura esse omnia, vt si hæc cum orationum tuarum male conclusarum, & in sententiis insulsarum, rapsodiis comparentur, verè dici possit te nihilo magis poetam esse natum, quã oratorem factum. Etsi in vtróque genere, græcè atque latinè, alter Homerus & Demostenes, alter Vergilius & Cicero videri velis: sic animo es natura elato atque superbo. Placet vero lepidissimum illum tuum famosum libellum (quem quomodo tuum esse certo cognouerim, tute scis, & tibi non ita pridem in aurem dictum meministi, nec dubito quin valde hodierno die erubescas) in hunc locum transcribere, vt de eo quod dico mecum alij iudicent, & hoc te miserè enecet, quod senties me ex eo ipso magna cum voluptate laudem quærere, quod tu mihi grauissimum fore sperauisti.*

Vis Carpenteri, inquis, de te quod ſentio, paucis
Dicam, nullo (ita me diíque deæque iuuent)
In te odio impulſus? Cum tibi lingua ſoluta
Et rapida, & quouis turbine mobilior,
Non doctrina tamen digna ingenuo atque polito
Eſt homine vlla tibi: non tibi iudicium
Non cura officij (dictu mirabile) non os:
Aut ſi etiam eſt, duro durius eſt chalybe.

An vero ipſe non ſentis, Logodædale, quã mihi iucundum eſſe debeat, te quem ſuperiora omnia manifeſtè arguunt, rumpi inuidia: quem certum eſt in nos lapidem omnem cõmouiſſe, neque fortunis, neque doctrinæ, neque nomini vlla in re peperciſſe, nihil grauius quam quod ſuperiores verſus continent, in me notare potuiſſe? Equidem, mea opinione, is Carpentarium valde laudat, qui in tãta rabie dum hunc conuitiis conatur obruere, tam leuia ſectari cogitur. Etenim ſit mihi, vt ais, os quouis chalybe durius. At hoc malo, quam quod de te verè dicere poſſum, in grauiſsimis rebus, quæque nõ modo ad communia officia, ſed ad pietatem & religionem pertinent, animum tibi quauis pluma molliorem eſſe atque leuiorem. De neglecta autem cura officij quod adijcis, caue ſis. Nam ſi hac in parte me aliquando coegeris ad ingrediendam comparationem morum & officiorum noſtrorum, egò Italicam peregrinationem tuam recolligẽs, vitam etiam domeſticam, tractabo te profecto duriter, atque fortaſſe pro ſuperioribus tuis verſibus,

Tincta lycambeo ſanguine tela dabo.

Quanquam etiam in his adhuc reprimam me, ſicut in ſuperioribus ſemper repreſſi quo ad potui. Neque vero vn-

quam ad ista scribenda accessissem, nisi in Alcinoo grauior occasio respondendi esset oblata, quàm in illis omnibus: & in hac fore sperauissem, vt ex nostris contentionibus res literaria aliquid adiumenti perciperet: quæ ex superioribus, si in eis restitissem, nihil referre posse videbatur præter conuicia: à quibus animus mihi semper abhorruit. Nunc verò cùm de intelligenda summi Philosophi sententia, déque huius veritate seriò inter nos agatur, non dubito quin ex hac contentione magnam vtilitatem doctrinæ Platonicæ *atque adeò vniuersæ Philosophiæ studiosi sint reportaturi. Cum qua si quid fortè acerbitatis erit, illud velim omnes cogitent, fuisse difficillimum perpetuam animi moderationem in eum seruare, qui nulla re læsus, tam sæpe antea maledicendo prouocauerat. Istud præfatus, exordiar à tua epistola. Quæ bella sanè, nisi longa esset plus satis: & ne quid dicam grauius, in ipso salutationis limine, vt in cæteris omnibus, inepta atque insulsa: tantum commendabilis ea verborum farragine, qua inter docendum & scribendum mirificè soles oblectari, tibi vni placens, cæteris vel maximè sobriis excitans frequentissimam nauseam. De illa verò prætermittam hoc tempore quæ non modò in hac, sed in vniuersa Alcinoi interpretatione, tibi longo vsu receptam pronunciandi scribendíque consuetudinem repudianti, valde familiaria sunt, qualia hæc, Promtum, ecscritum, assumserit, discriserit, sumta, dissupat, cooleſcit, contemturus, exsulium, valitudo, apiscatur: pro quibus nos plebei diceremus, promptum, exscriptum, assumpserit, descripserit, sumpta, dissipat, coalescit, contempturus, exilium, valetudo, adipisca-*

tur, hæc, inquam, omnia prætermittam, quæ tuam ex Italicis marmoribus & rancidis exemplaribus, nobis inusitatam sapientiam redolent, quæque ad Horatium & Lucretium, nuper etiam ad Ciceronem, tua manu translata, classicos istos scriptores omnino fœdarunt. Ac tibi facilè concedam, vt ista ames sine me corriuali: in quibus principem eloquentiæ sequutus, vsum do populo, scientiæ si quid est, id mihi lubens reseruo. At quod in eadem, Alcinoi librum multis verbis exornas, & ex eo mirificos fructus in Platonica doctrina colligi posse testaris, hoc lubens amplector, atque posthac opponam Thessali tui nugis: vt à te amico admonitus, ea immutet quibus authorem hunc (credo quod eo valde nos oblectari sentiret) contumeliosè semper est insectatus. Iam verò eas causas persequar, quibus ad eiusdem interpretationem ingrediendam, solo officio viri boni, & rei literariæ studiosi, scilicet, adductus videri vis. De quibus mihi agendum est paulò pluribus. In iis verò facilè, vt spero, mihi tecum conueniet Alcinoi sententiam non modò duriter, sed parum fideliter, à Marsilio Ficino olim esse redditam. Quoniam illam nominatim scribis in verbis inquinatam esse & barbaram. In sententiis autem (quod dissimulasse videris) idem mecum candidus lector facilè agnoscet in sequentibus, si vtriusque nostrûm interpretationem cum illa sedulò velit comparare. Ergo tua meáque opinione, dignissimus erat Alcinous, qui ab aliquo post Ficinum, de integro latinitate donaretur. Quod cùm in eo legendo sensissem,

atque sententiarum pondere & voluptate, quam nostri auditores in illis examinandis maximam capere videbantur, allectus, tentare cœpissem quid in singulis possem consequi, Platonem cum Aristotele sedulò comparando, facilè statim initiò animaduerti fideliorem eius interpretationem desiderari, sine qua non possem quod molliebar perficere. Itaque quasi hostiatim adiui singulos, qui ad eam rem quam optabam, plus facultatis habere videbantur, obsecrans vt Alcinoum inter Latinos iacentem inglorium respicerent, húncque sedula comparatione cum Græcis, excitarent, & quasi noua ciuitate donarent. Hoc illis pollicens, gratissimum fore Philosophiæ studiosis, qui nostra opera in rudi interpretatione Marsilij expendenda, iam huius authoris amore ardere videbantur. De eo tum egi sæpe cum Adriano Turnebo, qui vnus inter omnes ad id quod expetebam instructissimus esse videbatur. Nonnulla quoque cum Aurato nostro communicaui: quod hic in restituendis veterum libris, fælicissimus omnium haberetur. Imò etiam quia prædicari audiebam illa tua rancida exemplaria, quorum antea mentionem feci, ac ingenij quandam dexteritatem in coniectando de locis deprauatis, laudabilem quidem certè, si in hac modum teneres, per amicos vtrique nostrûm communes rogaui nunquid haberes reconditum, quod ad hunc authorem illustrandum aliquid adiumenti posset afferre. Neque verò suspicari poteram fore, vt quicquam nos cælares, præsertim cùm tibi incumbenti in tuum Ciceronem (cur enim tuum non dicam, quem totum immutasti)

& per ornatißimum doctißimúmque virum Henricum Memmium, roganti vt tuum ſtudium hac in parte iuuarem, eo exemplari quod Ranconeti manu, multis locis fœliciter correctum, & ab huius hæredibus redemptum, domi habebam, liberaliter hoc vtendum fruendum olim dediſſem: atque nunc etiam prætermitterem, vt pleroſque locos ex illo noſtro, vel potius Ranconeti exemplari reſtitutos, pro tuis vendites. In quibus tibi verendum eſt profectò, ne ſi fortè ſuas, vt quidam nuper in tuo Lucretio (mihi ſatis eſt quod intelligis quid velim)

repetitum venerit olim
Grex auium plumas, moueat cornicula riſum
Furtiuis nudata coloribus.

Cùm verò neque à te ipſo, neque ab illis quicquam impetrare potuiſſem: vrgerer autem quotidianis efflagitationibus auditorum, ad librum hunc repetendum, in quo olim de comparatione Platonis cum Ariſtotele ita cæperam diſſerere, vt eos ad ſuauißimas epulas allexiſſe potius quàm his expleuiſſe viderer: in lucem emiſi eam interpretationem cuius ſtatim initio, in epiſtola ad ornatißimum, doctrinæque Platonicæ atque Peripateticæ amantißimum virum Paulum Foxium, apertè teſtatus ſum me mihi non ſatisfacere, ſed ab aliis meliora in dies expectare, vehementerque expetere. Atque vt modeſtos lectores omnes in iudicando de hoc noſtro labore, faciliores & humaniores experirer, indicaui (quod adhuc extat in prima huius Inſtitutionis editione) eam à Præſule Tropienſi primùm, deinde à Marſilio Ficino de Græcis conuerſam, à me verò tantum de integro

reco-

recognitam & latiniorem factam. Quid in eo erat quod quemquam posset offendere? Quid quod dictum, aut factum videri posset arrogantius? Etenim ne tu quidem quantumuis à nobis abhorreas, negare potes hunc nostra opera paulò puriorem esse factum: iámque inter Latinos esse tolerabilem, quem ipse prædicas à Marsilio Ficino barbarè & inquinatè redditum: quemque fortasse non esses ausus attingere, nisi in eo tibi præluxissemus. Itaque si quid erat in quo tibi non satisfacerem, aut si plerisque locis habere te arbitrabaris meliora, candoris erat tui, vel certè eius qui viros literatos decet, illum nostrũ conatum non modò æqui boníq; cõsulere, sed si vlla re poteras, ipse sedulò iuuare. Præsertim cùm ex eodem Paulo Foxio, tum suam ad Venetos regiam legationem instruente, sæpius intellexisses nos hanc interpretationem accuratè cœpisse recognoscere, de eáque cum nostris Commentariis breui edenda cogitare. Imò cum nostra ad eundem Foxium epistola altera quæ extat initio Logici organi, idem ipse essem professus. An mihi licere noluisti quod in interpretandis Aristotelis Ethicis, Politicis, atque etiam in Cicerone, Horatio, Lucretio, tam frequenter tuo iure feciſti? Certè hoc illud est, vel, vt in superioribus, ardebas inuidia, atque animum tuum vrebat ea gloria quam fœliciter inchoata, huius authoris explicatio apud Philosophiæ studiosos nobis pepererat: vel quod magis suspicor, te tui Thessali imperium in has angustias coniecit, ex quibus mihi crede, rebus saluis pedem non referes. Vt verò omnes intelligant factum hoc non tam veritatis illustrandæ studio, quàm laedendi eum qui te nunquam antea offen-

derat: illud velim in ista contentione omnes animaduertãt, te Marsilio Ficino, in quo multa erant quæ ferri nullo modo poterant, in omnibus peperciſſe, vnum me, qui, vel te iudice, feceram pleraque meliora, modis omnibus exagitaſſe. Ego quidem, Logodædale, Apellem imitatus, vſque ad hodiernum diem latui poſt meam tabulam: variáque hominum iudicia de noſtro conatu in hoc authore ſum expertus. Quibus admonitus, nunc do operam, vt cum noſtris Commentariis prodeat in lucem, longè emendatior quàm antea. Qui, vt ingenuè fatear, in verborum interpretatione quædam tibi debebit, pro quibus poſtea ſuo loco gratia referetur. Quoniam ſum profectò ~~sin~~ſmodi vt abs quouis homine lubens beneficium accipiam, in eo præſertim quod ſpero rei literariæ profuturum. Feres verò tu, ſi placet, eodem animo de verbis nonnulla tibi indicari, quæ mirum eſt in vtriuſque linguæ artificio alteri Dædalo excidere potuiſſe. In rebus autem longè plura, in quibus cùm de his quæ ad Philoſophiam pertinent iudicare voluiſti, Tu Sutor vltra crepidam. Sic noſtra contentione Alcinous illuſtrabitur, creſcétque res literaria, cui vtrumque noſtrum ſeruire decet. Ducamus verò exordium ab iis locis in quibus reprehendendis, eadem epiſtola ſpecimen edere voluiſti ſingularis tuæ induſtriæ: vt in illis ſcilicet prima congreſſione ferocientem leonem, quaſi ex vnguibus agnoſceremus. Quos cùm tres in illa verbosè commemores, & tuis ſcholiis poſtea iterum repetas, de reliquis duobus ſemel tantùm tibi poſtea reſpondebo, in iis capitibus ex quibus ſunt deprompti: ne ineptam tuam loquacitatem in his repetendis, videar imi-

tari. Nunc autem tertium excutiam, in quo nos grauiter exagitas quod αἰσθητὸν, *ſenſile ſimus interpretati. In eóque tibi vſqueadeò places, vt quanquam hoc multis verbis hac epiſtola ſis inſectatus, in ſequentibus idem iterum atque tertiò, imò verò quartò & quintò vſurpes: veritus credo ne lectori id ex animo excideret, in quo, quia in muſtaceo coronam petere ſoles, tua opinione ampliſſimus triumphus erat apparatus. Præterea illi vbique ferè, inquis,* αἰσθητὸν *(quæ vox ſæpe vſurpata ab Alcinoo eſt, vt & ab aliis Philoſophis, quæ ſignificat id quod ſenſu percipi poteſt, aut quod ſub ſenſum cadit, aut quod ſenſum mouet) illi ferè ſemper verterũt ſenſile. At ſenſile eſt quod ſentiendi vim habet, aut quod ſentire poteſt, quod Græci* αἰσθητικὸν *appellant. Itaque ex illorum interpretatione nihil intereſt inter* αἰσθητὸν *&* αἰσθητικὸν. *Quo quid abſurdius? Repetis idem tuis ſcholiis in cap. 4. duobus locis: atque iterum in cap. 5. & 9. ac ne nobis excideret, etiam in cap. 18. In quo ſicut in re leuiſſima & digna profectò tua Logodædalia, pueriliter nugaris: ſic ſuperiore tua periodo illud mihi ſcribendo ridiculum eſſe videtur, quod breuiſſimam ſententiam interiectam idẽ antecedit, & ſequitur: Illi vbique ferè, inquis, &, illi ferè ſemper. An etiam reformidabas ne nobis valdè obliuioſis, hoc excideret, niſi tam paucis interiectis repeteretur? Sed hoc prætermittam, de altero verò tibi reſpondebo paulò pluribus. Ego quidẽ antea* αἰσθητὸν, *ſenſile ferè ſemper conuertẽ. Quibuſdã tamen locis pro eodẽ dixerã, id quod ſenſum mouet, nõnunquã etiã id quod ſentiri poteſt, vt ex cap. 4. prioris editionis noſtræ poteſt intelligi. Eóque reſtiterã tuæ ca-*

lumniæ: quoniam apertè declaraueram quid inter αἰδῶ & αἰδοῖον interesset: in quo profectò si me vinceres, deberes eru bescere. Nunc verò hac editione non modò illud non existimaui ad arbitrium tuum immutandum, sed studiosè affectaui, vt locis omnibus αἰδὼ sensile Latinè redderetur: quanquam intelligerẽ vobis in Logodædalia vocabulũ hoc Ciceronianũ non videri. Sed ista vestra in delectu verborũ Ciceronianorum religio, mihi inter philosophandum vana superstitio est. Quoniam hic ornari res ipsa negat, contenta doceri: & (quod memini à Cicerone quodam loco scriptũ) istæ verborum deliciæ, si à Philosopho afferantur, repudiandæ non sunt: si desunt, non magnopere expetendæ. Multò verò minus, etiamsi in Philosophia Latinè tractanda accuratos nos esse oporteret, loquendi formulæ ex Poetis viderentur esse repetendæ. In quibus vno atque fortasse altero Lucretij exemplo insanis, nec cogitas illorum orationem suis legibus astrictam, in verborum delectu, eorumdèmque contractione & dilatatione sic esse dissolutam, vt eisdem pleraque liceant, quæ in aliis ferri non possent: imò etiam apud tuum Lucretium permulta propter istam licentiam esse trita & vsu frequentia, quæ tamen non modò Oratorum, sed etiam Philosophorum aures meritò respuerent. De quo cùm nuper inter docendum tibi respondissem, & eorũ qui isto vocabulo passiua, vt aiunt, non actiua significatione mecum vsi essent, longa enumeratione penè obruisse, in hácq; modò sensile, modò sensibile apud meos vsurpassem, quod vtriusq; vocabuli vt eadẽ forma, sic idẽ significãdi modus esse videretur: tu per tuos emissarios nobis ea rescripsisti,

in quibus aut nouam tuam impudentiam prodidisti, aut in aliis authoribus legendis summam negligentiam. Illa vero fideliter hic recitabo quæ tum ad me tuo nomine, vel certè pro causæ tuæ defensione sunt delata. Quid hesterno die (inquit ille tuus emissarius) in dictione, Sensile, tandiu commoratus es? An vt auditoribus risum moueres, prolata grammaticorum regula, qua doceres nomina quæ eiusmodi formationem habent, passionem potius quam actionem designare? Sed egregiè sanè. Nam cum sensile, non sensibile vertisses, τὸ αἰσθητὸν, nec haberes quod errori honeste posses obtendere, sensibile dixisti, quo vendibilior tua defensio videretur. At nouimus D.L. non sensibile, sed sensile insectatũ esse: fatearisque necesse est apud latinos sensile id esse tantũ quod est facultate sentiendi præditũ. Quod si sensibile vsurpasses, nequaquam ille verbum notasset, cum intelligibile perpetuo silentio tibi passim concedere visus sit. Nec vero hi quorum authoritate & præsidio tutum te iactitas, sensile scripserunt, sed sensibile. Ignosce mihi D. Logodædale, sitque erranti medicina confessio. Ego profecto antea existimaueram sensile à sensibili tantum esse contractum, & vtrúnque eadem significatione dici: in hácque inter eos, qui nostro seculo politiores in loquendo haberi voluerunt, longe esse frequentius sensile, quam sensibile, ídque fere semper pro eo quod sentiri posset vsurpari: vix vnquam pro sentiente. Itaque valde miratus sum cum animaduerti in tuo Logodædaliæ regno sensibile hac significatione mihi indulgeri: sensile autẽ omnino repudiari. Sed illud multo magis, quod dicere ausus es eos quorum exemplis contra te vtimur, pro

eo quod sentiri posset, dixisse sensibile tantum, nunquam vero sensile. An hic etiam coges me eorum testimonia repetere? Necessarium esse videtur, vt à nobis omnem imposturæ suspicionem auertamus, & in frigida defensione, impudentiam tuam locupletissimis testibus confirmemus. Vnde vero exordiar? Vis à Laurentio Valla latinitatis vestræ seuerissimo censore? Is cap. 26. lib. 6. docet pro eodem hæc accipi Rationale, Rationabile, Exitiabile, exitiale: sensibile & sensile, hocque postremum confirmat sicut & Priscianus lib. 3. citato illo Lucretiano versu, quē tu in tui Lucretij editione, immutasti.

Ex insensibili, ne credas sensile gigni.

Addítque nomina omnia eiusmodi, etiam si nonnunquam ad actionem referantur, passiuæ tamen potius significationis esse. Adeò vt illud Lucretianum sensibile vel sensile, pro sentiente, dictum existimet, eadem licentia poetica, qua illud Vergilianum, penetrabile frigus adurens, pro penetrante. Nec vero Gullielmus Budæus & Iac. Tusanus in græcis duo nostræ Galliæ lumina, in ipsius tantum linguæ græcæ professione, αἰσθητὸν, sensile potius quam sensibile interpretātur: sed ipse Budæus, quem mihi concedes opinor, inter latinos non incomptum, eo ipso loco quo ornatus videri vult, vocabulo hoc eodem modo, & prorsus eadem significatione est vsus. Sic enim scribit lib. 1. de contemptu rerum fortuitarū. Quin & eo euasit obliuio, inquit, socordia, stupor, vt homines rerum secularium atque interiturarum prudentes, in rebus ipsis sensibilibus & concretis philosophentur catalepticè: in rebus æternis sólóque mentis intuitu perce-

ptis, consideratorem illum Arcesilam respuant, authorem in assensu summè illiberalem. Petrus Alcyonius & Ia. Schegkius non incompti Aristotelis interpretes, huius inscriptionem περὶ αἰσθήσεως καὶ αἰσθητῶν, latinè reddũt de sensu & sensibilibus: & cum de ipsius sensus obiectis loquuntur, dicunt semper sensilia communia & propria, nunquam quod sciam, sensibilia. Loquitur eodem modo Gentianus Heruetus in explicatione Theodori Metochytæ, Itémque Lodoicus Viues lib. 1. de prima philosophia. Atque Iulius Scaliger non modo in philosophia, sed in latini sermonis puritate summus quidam dictator, exercitatione 66. contra Cardanum, locis ferè decem, pro iis quæ sentiri possunt sensilia semper dixit, nusquam verò sensibilia: & exercitatione 298. eadem contractione, quam tibi paulo ante indicauimus, pro visibili, visile dicere ausus est, nõ quidem id quod videre potest, sed quod videri. An non sentis quàm frigida per tuos emissarios superior ad me tuo nomine delata defensio? aut quam impudenter in illa à te scriptum sit, eos quorum authoritate tutos nos arbitrabamur, pro eo quod sentiri posset, sensibile semper scripsisse, nunquam sensile? Quæ si fortasse tibi non sufficiunt contra vnum Lucretium, quem pro Deo colis: at certè satis habent virium ad eum defendendum qui in rerum cognitionem totus incumbit, nec vnquã se vestræ Logodædaliæ voluit addicere, idque in philosophando tantum affectauit, vt nõ omnino impurus, aut putidus haberetur. Quanquam neque hic conquiescam: sed te tuúmque Lucretium vnius hominis authoritate opprimã. Thessalũ Academiæ parisiẽsis methodicũ nosti, Logodædale?

Theſſalum, inquam, magiſtrum tuum, noſti? Hic in lingua latina non modo tecum altera columna eſt Logodædaliæ, ſed nonnunquam te ipſum cùm dicentem audit, exagitat vt putidum: ſic iudicio eſt difficili atque ſuperbo. Ergo ſi hic tibi amiciſsimus, mihi ſemper valde aduerſus, dicendi ſummus artifex, in propoſita quæſtione de ſenſili, an apud philoſophos ſignificet id quod ſentiri poteſt, ad meam cauſam acceſſerit, opinionem tuam damnauerit, non vides de te actum eſſe? Tantóque iudice, te in eas anguſtias coniici, in quibus contra ne hiſcere quidem audeas? Atqui hic Logodædaliæ princeps, in philoſophando ſenſili ſemper ea ſignificatione vtitur, numquam vero tecum pro eo quod ſentire poteſt. Nam commentario in cap. 14. lib. 1. analyt. poſt. lib. ſcilicet. 9. ſuarum Animaduerſionum. f. 188. vna & eadem pagina locis quatuor nomen hoc ſic vſurpauit, cum inductionem à ſenſilibus exemplis progredi dixit. Et cap. 18. lib. 2. ſenſilem notionem idem nominauit, non vt opinor, cum tuo Lucretio eam quæ ſentire poſsit: ſed quæ ſentiatur, vel potius ex iis quæ ſentiuntur, hauriatur. Quinetiam idem in mathematico proœmio, vbi contra nos ornatior vult videri, libr. 3. f. 351. ſenſilia poſteriora eſſe ait intelligibilibus: quia mens eſt nobilior ſenſu. Non ſentis quam infælix tibi ſit contra nos hæc prima tam ſæpe repetita cõgreſsio, in qua non modo aliorum pene infinitorum philoſophorum, exemplis abundamus, ſed magiſtrorum tuorum armis defendimur? Non poſſum vero riſum tenere in eo legendo, quod ſcribis eadem epiſtolæ, te breuibus ſcholiis in Alcinoo fuiſſe contentum, quòd author hic non admodum eſſet obſcurus.

At,

At, vt ex sequentibus intelligetur, in hoc leuissima tantum notasti: grauissima vero pleráque & obseruatione dignissima, aut non attigisti, aut si quando in hæc manum immisisti, tu profecto, vt paulò ante dixi, vbique sutor vltra crepidam. Siccine vero verborum tuorum lenocinio nobis illudes, vt ea facillima persuadeas quæ sentimus obscurissima? quæque si verum fateri vis, adhuc non intelligis? Ergo tibi facilia sunt, Logodædale, & indigna in quibus pleniore Commentario explicandis elabores, quæ de Criterio scribuntur cap. 6. quæ de ideis cap. 8. quæ de Deo cap. 9. De mundi corpore & animo, ac de vtriúsque compositione, ex Timæo capite 11. de animi immortalitate cap. 18. de Fato & arbitrij libertate cap. 19. Atqui hæc summa sunt doctrinæ Platonicæ & Pythagoricæ mysteria: quorum obscuritas etiam prouerbio celebrata. Mihi vero, vt ingenuè fatear, sunt hæc omnium quæ vnquam legi de philosophia, obscurissima. In quibus illustrandis quo magis elaboro, eo magis sentio mihi laborem crescere: quoque plura colligo, eo plura adhuc restare colligenda. Vt cum in his tractandis soleam nostris auditoribus nonnihil satisfacere, mihi adhuc nulla ex parte satisfaciam. Quanquam in eo erro quod non cogito non esse cuiusuis hominis, doctrinæ alicuius obscuritatem deprehendere: sed eius tantum qui in illa nouit secundum rationem dubitare, quique in eadem iam aliquid est consequutus. Tu verò in iis nihil potes tibi vĕdicare præter verborum artificium: in rebus subiectis puero es rudior. Quod perficiam profecto vt ex sequentibus intelligatur.

In Cap. I.

Liber hic græcam inscriptionem habet eiusmodi, ἀλκινοου φιλόσοφου, εἰσαγωγὴ τῶν δογμάτων πλάτωνος. Quam sic reddidimus, Alcinoi philosophi Institutio ad Platonis doctrinam: authorísque in scribendo breuissimi, sententiam pari breuitate expressimus. Nihil est, opinor, in eo quod possis reprehendere. At nos tuam luxuriantem, cum illa breuissima conferamus. Alcinoi philosophi elementa atque initia, inquis, quibus quis imbutus, ad Platonis decretorum penetralia facile introire ac peruenire possit. Sic nō modo isto loco, sed in sequentibus multis, authorem singulari breuitate admirabilem, tua luxuriāte copia fœdasti. Et tamen impudenter quadam oratione prædicas, te in interpretando, ipsorum græcorum virtutes, & dicendi formas omnes fidelissimè exprimere. Quod cum nemo vnquam adhuc sit assecutus, tu certè in eo omnium es ineptissimus. In prima periodo vnius verbi explicatione à nobis differre videris, quod κυριωτάτα δογμάτα, interpretor sententias maximè selectas: tu, decreta principalia & ratissima. Sciebam equidem Ciceroni κυρίας δόξας Epicuri, significare eiusdem ratas sententias, idque meis inter docendum indicaueram: nec dubito quin per tuos emissarios resciueris. Sed cum κυριωτάτην significare posset, tum maxime ratum, tum maxime selectum (sic enim Thessalus tuus lib. 12. scholarum Metaph. Epicuri κυρίας δόξας, selectas breuésque sententias interpretatur) id elegi quod ad mētem Alcinoi & ad ea quæ hoc libro colliguntur, magis accommodatum existimaui. Atqui quæ eo continentur, omnia Platonicis maxime selecta sunt & propria: non tamen eisdem maximè rata. Quoniam pleráque ex his Alcinous non vt rata proponit, sed dubitando seligit, tanquam maxime probabilia. Atque etiam Plato ipse in Timæo, cum ea quæ ad animam pertinent, exposuit, eum locum non vt ratum, sed vt probabilem, sic concludit. Quid anima mortale, quid diuinum habeat, inquit, & vbi & quibuscum, & quare hæc inter se disiuncta sint, diximus. At quod reuera ita sint vt diximus, ita demum assereremus, si diuinum confirmaret oraculum. Quod vero verisimile sit ita esse, & nunc, & etiam deinceps diligentius in inuestigando asseuerare non dubitamus. In quo si cui nostra coniectura placet, nostram quoque interpretationem sequatur. Sin minus, tua fruatur. Per me enim licet, in eo præsertim in quo nihil adhuc habeo definitum.

In secunda periodo prętermisisti particulam hanc, à corpore. Sic enim etiam in græco tuo exemplari (ne quid fortè rancidum nobis ex Italia inuehas) λύσις καὶ πδιαχωγὴ, ψυχῆς ἀπὸ σώματος. Sed hanc prętereritionem tibi facile cōdono, modo eadem facilitate posthac erga me

vtaris. Vtrique noſtrûm, περιαγωγὴ, antea viſa eſt circumactionem ſignificare. Ego vero nunc, quanquam attente conſideraverim quæ quadam oratione de hoc vocabulo contra nos à te notata ſunt, quia tamen poſteriores cogitationes prioribus meliores eſſe debent, pro illa dicere malo circũ auulſionem vel conuulſionem à corpore. In quo dabis, opinor, in tua logodædalia vocabulum id ferre poſſe. Quoniã περιαγωγὴ, græcis vtrúmque ſignificat: & περιαγειν, in contrarium agere vel detorquere: quod ſemper cum vi & difficultate eſſe coniunctum, didici ex Budæo Commentariis in linguam græcam. Reliquũ vt huius noſtri noui delectus cauſam reddamus. Primum vero in illa mea ſuperiore interpretatione, mihi illud non ſatis latine dictum videtur, circumactio animi à corpore. Quod tu fortaſſe vt in tua euitares, hanc particulam, ſicut dictum eſt, omiſiſti. Deinde in ſententia grauius peccatum, idque antea vtrique noſtrum cõmune. Quod hæc poſterior philoſophiæ definitio, vt noſtro cõmentario plenius expoſuimus, ducta eſt ab eo quod in philoſophia eſt maximũ, & in quod, tanquam in finem, illa deſinit. Ridiculũ vero eſt, & certè à Platonica doctrina omnino alienũ, philoſophiæ ſummum fructum in animi actione circa corpus exiſtere. Cũ potius exiſtat in auerſione vel auulſione à corpore: quã ſequitur conuerſio ad intelligibilia, vt ad ea quæ ſola Platoni verè ſunt. Idque eſt quod idem Plato ſignificauit lib. 7. de Rep. eo loco quem tu quidem citaſti: ſed eius quod moneo ignoratione, non ſatis fideliter latinè reddidiſti. Quale enim illud videri poteſt, quod ſcholiorum tuorũ numero ſecundo, loco poſtremo Platoni affingis, vim illam quæ cuiúſq; animo ineſt, cum toto animo ex eo quod fit circumagendam eſſe, donec ad id quod eſt, peruenerit? Quid enim hoc, circũagendum animum ex eo quod fit? Ego certè vel auellendum ſimpliciter, vel circũagendo auellendum ab eo quod fit, id eſt à rebus caducis, dicere maluiſſem. In quo ineſt præparatio ad ſummum philoſophiæ fructum, qui conſiſtit in fruitione Dei formarúmq; omnino corporis expertium: ſicut eodẽ loco Plato apertiſſime declarat. Quis vero nõ animaduertit animi ad corpus circũactionem eiuſmodi beneficio omnino repugnare? Addam vero, quod fortaſſe nondum intellexiſti, animum humanum apud Platonicos in corpore eſſe dupliciter: vel vt in ergaſtulo, vel vt in naturali gratóque domicilio. De priore modo multa diſſeruntur in Phædone & Phædro: de poſteriore intelligendum quod ex eodem ſcribit Alcinous cap. 18. inter corpus & animum cognationem eſſe mutuã, qualis inter ignem & bitumen cernitur. Itaque quatenus hic in corpore eſſe dicitur, vt in ergaſtulo, philoſophia eiuſdem eſt à corpore ſolutio. Vt autem ſuo corpore quaſi inebriatus delectatur, per eandem ab illo auellitur.

Et certè hanc auersionem vel auulsionem Alcinous hoc loco indicauit, cum subiecit eam contingere vbi animus ad intelligibilia & ad ea quæ verè sunt conuertitur. Pugnant enim hæc inter se, philosophiam esse animi ad corpus circumactionem & eandem ad intelligibilia, & ea quæ verè sunt, conuersionem.

Natum autem eum primum quidem ad mathemata esse oportet.) Significat Alcinous futurum philosophum non debere esse ἀγεωμέτρητον, sed natura aptum ad mathematicas abstractiones, per quas allicitur paratiórque efficitur ad cognitionem diuinorum, propriam Theologiæ: in qua summa est Platonicorum philosophia. Hanc vero versari in contemplatione eorum quæ sola verè sunt: mathematáque vno gradu inferiora, non quidem eorum esse quæ verè sunt, sed quæ discursu cogitationis comprehenduntur, quasiq; ipsa abstractione finguntur. Quod Platonicis tritum est & vulgare. Tu vero eius rei ignoratione locum hunc non satis distinctè expressisti: minúsque alterum qui sequitur. Nam eum, inquis, qui disciplinas, in iis rebus quæ sunt, positas, expetit & cæt. Vbi mathemata confundis cùm scientiis positis in iis rebus quæ sunt: in hocque sola contextus distinctione deceptus, eam sententiam authori ascribis, quæ à Platonicorum doctrina omnino est aliena. Quod vt effugerem, quanquam sciam mathematum nomen, quo hic Alcinous vtitur, disciplinam significare, quia tamen hoc apud latinos omnibus quæ discuntur, commune animaduertebam, ideóque nonnunquam scientiis omnibus accõmodari, græcum illud malui retinere. Vt melius intelligeretur quem ordinem mathemata apud Platonicos habeant ad diuinam sapientiam. De quo plura dicta sunt cõtra tuum Thessalum nostris prælectionibus in Spherã.

Vbi Alcinous scribit virtutis nomen homonymõs dici de naturæ dotibus, & de habitibus quibus illæ excoluntur, tu interpretaris, has nomine communi eodémque virtutes appellari: neque aliud quicquam addis. Quasi vero in synonimis non sit etiam nomen cõmune. Nos in hac voce exprimenda authoris sententiam & Aristotelis in Categoriis sumus sequuti: in quam tu eodem modo quo loco hoc, peccauisti numero 3. annotationum tuarũ in lib. 5. Arist. de moribus.

In Cap. 2.

Contemplantis quod potißimum est) Dicit Alcinous τὸ θεωρητικοῦ τὸ κεφάλαιον: quod de fine contemplationis erat intelligendum. Tu vero huius partis subdiuisionem significari existimasti. Eius vitæ, ais, quæ ad contemplationem pertinet, potissima pars in contemplatione veritatis sita est. Ergo si animaduertis quid ex tuo contextu sequatur,

opinione tua eiusdem vitæ contemplantis pars quædam erit altera minus præcipua, quæ in contemplatione veritatis minimè versabitur. Hoc verò absurdum esse ex eo intelligitur, quòd tota vita contẽplans, veritatem pro fine habet: totáque ad hanc refertur. Peccas eodem modo in altero membro, cùm scribis eius partis quæ ad actionẽ refertur, partem esse quandam in eis rebus agendis quę à ratione prę-scribuntur. Illa enim tota in eo consistit, quia hic quoque eius finis est. Atque τὸ κεφάλαιον, quod in homine potissima pars est, hic scopum significat: qui partes omnes continet, non in partibus debet numerari.

Paucis verbis interiectis, penè vna & eadem periodo, intelligentiæ vocabulum primum vsurpas pro ipsa mentis substantia, cùm scribis contemplationem functionẽ esse intelligentiæ seu mentis. Deinde cùm adiicis (eas res quæ sub intelligentiam cadunt intelligentis) hanc vocare videris ipsam intelligendi functionem, in quam cadunt eá quæ τὰ νοητὰ Alcinous nominat. Postremò ipsum intelligendi obiectum, cùm ais animum, qui naturam diuinam, & naturæ diuinæ intelligentias seu notiones contemplatur, bene affici. Quod in locuplẽtissimo Logodædaliæ cornu probare non possum: præsertim cùm de Græco contextu nullo modo sit expressum. Etiamsi meminerim Philosophos de verbis minus sollicitos, his omnibus modis nomen hoc nonnunquam vsurpasse. Sed te profectò in Logodædaliæ regno splẽdidiorem esse oportuit.

Atque hæc eius affectio sapientia est nuncupata.) Fateris in Scholiis tuis, hic ab Alcinoo φρόνησιν pro sapientia vsurpari: & tamen in tuo cõtextu maluisti prudentiam interpretari: credo, ne nobiscum sensisse videreris. Atqui ex Aristotele discere potuisti libr. 6. Ethic. prudentiã in actione, sapientiam in contemplatione versari. Hîc verò Alcinous manifestè de contemplatione loquitur, quæ nusquam quod sciam, à Cicerone tribuitur prudentiæ. Quoniam vt hic ait Offic. 1. prudentia quam Græci φρόνησιν dicunt, est rerum expetendarum fugiendarúmque scientia: de qua locus hic explicari nullo modo potest. Neque verò magis intelligo, cur τὸ θεῖον malueris diuinam naturam interpretari quàm mecum Deum, vel per excellentiam, ipsum diuinum. Cùm illud tuum (quod vis vocabuli alioqui ferre potest) pateat latius: nec apud Platonicos summa perfectio sapientiæ, de qua nunc Alcinous loquitur, posita sit in similitudine cum quauis natura diuina, sed cum solo Deo. Per quam animus Philosophi, huius consortio fruitur, & inter homines Deus quidam efficitur, sicut in nostris Commentariis plenius disseruimus. Quo etiam loco nescio, an satis aptè ἀκώλυτον interpreteris, munitissimum ab externa vi: quod potius significare vi-

debatur vitâ in contemplanda veritate versantem, liberam esse, miniméque impeditam, id est in fortunæ temeritate nullo modo sitam. Nec illud magis scio, an in vestra Logodædalia satis latinè à te dicatur, munitissimum esse ab externa vi. Ego certè contrà externam vim dicere maluissem. Quanquam sciam particulam, a, vel, ab, significare aliquando contra: vt in illo, à frigore defendere. Sed in hoc tuo genere loquendi, adhuc exemplum desidero: sine quo dicere profectò non ausim, vrbem ab hostibus munitissimam, id est cõtra hostes: nisi tu fortè in tuo regno ita tibi placere edixeris. De quo non valde tecũ contendam.

δικάζειν, interpretatus sum iudicia exercere: Marsilius Ficinus iudicia exequi: quod eorum est, qui ex legibus positis, de controuersiis inter ciues statuunt: ideóque inferioris potestatis, quam Alcinous ex Platone indignam Philosopho esse arbitratur. Tu verò illud Latinè reddere maluisti, rebus iudicandis præesse: nec animaduertisti hoc etiam ad primariam potestatem pertinere, & Nomothetam vel Nomophylacem (qualis apud Platonem in beata Republica Philosophus esse debet) rebus quidẽ iudicandis, summa sua authoritate præesse: nec tamen iudicia exercere aut exequi, sed hoc inferioribus magistratibus relinquere, qui ex scripta lege iudicant. Et certè sic Alcinous capite penultimo libri huius, politicæ disciplinæ tanquam dominæ, subiicit vt ministras, πολεμικὴν, στρατηγικὴν καὶ δικαστικὴν, militarem, imperatoriam & iudiciariam: quas Philosophi dignitate (etiam cùm hîc in Repub. versabitur) inferiores hoc loco esse vult.

In Cap. 3.

Tertia Philosophiæ pars dicitur ab Alcinoo versari ἐν αὐτῇ τῇ λόγου ἐπωρία. Quod antea latinè reddideram, in rationis consideratione: nũc verò addo, & orationis. Notum verò est vel tonsoribus, Græco vocabulo vtrumque significari. Tu autem ne vlla in re nobiscum communicasse videreris, veterem interpretem sequi maluisti, cum illóque dicere eam partem quæ inde Logice à Stoicis, magis quàm à Peripateticis nominatur, versari in cognitione sermonis & orationis. In quo tu de vocabulo sua significatione multiplici, deteriorem partem assumpsisti. Quod verò in priore interpretatione dixeram partem hanc Philosophiæ versari in ratione, potius quàm in oratione vel sermone, id sanè feceram magna ex parte authore Thessalo tuo, qui passim scribit, & inter docendum sæpè ad rauim clamitat, artificium hoc nullo modo esse positum in sermone, vel oratione, sed in excolenda ratione. Postea verò cùm animaduertissem capite quinto li-

bri huius, Rhetoricas artes Logicarum appellatione contineri, adieci, orationis. Quod ipsa etiam Dialectica Ciceroni, ars sit rationis oratione explicatæ: & quanquam magis circa rationem quàm orationem versetur, hanc tamen interpretem desideret. Tu autem, vt dixi, deteriorem partem elegisti. In qua ne te pluribus vrgeam, dabis operam, vt tibi cum tuo Thessalo conueniat: cui omnino ridiculum est quod hoc loco scribis, artem disserendi, quam Dialecticam Græci vocant, in sermone & oratione versari. Et certè quanquam ad disserendum cum altero hæc adhibeat rationis interioris interpretē orationem, falsum tamen est eam circa sermonem & orationem versari. Notum enim est, sed Philosophis magis quàm Logodædalis, quid significet circa aliquid, vel in aliquo, artem vel scientiam esse occupatam. Insulsum verò in vestra Logodædalia, ac vnius particulæ nimium frequenti repetitione molestum illud tuum, Dialecticum artificium distribui in rationem ratiocinandi, & cætera: ac rursum rationem ratiocinandi subdiuidi in rationem demonstrandi, in rationem argumentandi Rhetoricam, & in Sophisticum ratiocinandi modum. Tu me profectò enecas, eodem vocabulo rationis & ratiocinandi octies vna periodo repetito. Quod nos in nostra interpretatione vitare sumus conati.

Supra fol. 45. 1.

Illud Alcinoi, καὶ εἰς τὰ σοφίσματα, interpretatus sum, in sophismata. Quomodo ad verbum fuisse vertendum fateris, scholiorum tuorum num. 3. At perspicuitatis gratia, vt ais, dicere maluisti in sophisticum ratiocinandi modum. Cedo verò, quæ est ista perspicuitas maior? In qua, bone vir, non animaduertis te plus sophismati tribuere, quàm Alcinous velit. Ornas enim hoc absoluto ratiocinationis nomine, quo indignum hic arbitratur. Neque Dialecticum artificium sophismata vult complecti, quod hæc vllam ratiocinationis Dialecticæ speciem faciant, sed vt vitia; ratiocinationis vsum perturbantia: quæ ad fugam tantùm in hac arte sunt cognoscenda. Quod sequentia etiam indicant. In quibus προηγούμενα conuerti, eligenda: quod illa apud Græcos præeuntia & antegredientia significent. Talia verò sint, ea quę eliguntur. Vt Alcinous significare videatur, id quod Arist. dicere solet, Philosophum à Sophista non debere differre facultate decipiēdi, sed voluntate & electione. Hic verò ignoratione sententiæ in vocabuli vnius interpretatione, tuo modo luxurias. Qui sophisticus ratiocinādi modus, ais, non est Philosopho principalis, aut in principe loco positus, neque magnopere expetendus: sed tamen necessarius. Atqui id tantum significare voluit, quod Arist. scribit libr. 3. Metaph. & libr. 1. Rhetor. Philosophum à Sophista differre τοῦ βίου προαιρέσει, vitæ proposito vel electione.

In Cap. 4.

Quod propriè iudicium vocare possis.) Tu pro tua temeritate in omnibus authoribus deprauandis, vbi hoc loco apud Alcinoum κυρίως dicitur, id est propriè, legendum suspicaris ἀκύρως, impropriè. Hocine verò est, Logodædale, authores in integrum restituere, an potius fœdare, & omnino corrumpere? Etenim hic loquitur de actu iudicãtis circa iudicabile, quem propriè iudicium siue iudicationem esse ait: quemadmodum actus calefacientis circa id quod potest incalescere, propriè est calefactio. Quod si tibi illud impropriè iudiciũ est, quisnam igitur actus propriè sic nominabitur? Hoc enim isto loco vt vitares in immutando temeritatem, significatum saltem oportuit.

Apertius autem hoc in his quæ sunt.) Hîc reprehendis nostram distinctionem, quam tamen non negas esse in Græco exemplari quod sequuti sumus: nec tuæ reprehensionis vllam rationem affers. Hic locus, inquis, vitiosa interpunctione, & obscurus erat, & idcirco ab aliis interpretibus pessimè acceptus. Certè, sicut animaduerto, tibi reuera obscurus est, Logodædale, & quem sublata interpunctione deprauasti. Eius verò sententia est eiusmodi. Antea quidem obscurius in genere, & quasi abstrahendo, dictum est de distinctione eorũ quæ ad criterium pertinent: nunc velut appositis exemplis res illustratur, ac in Philosopho, & his per quæ hic iudicat, apertior efficitur. Nesciuisti hunc morem esse Philosophorum, vt rationes virtutum, qualitatúmque omnium abstractarum, clariores reddant, easdem accommodando concretis, hísque quæ ab eisdem denominantur. At, inquis (hoc enim memini per vnum de tuis emissariis circa locũ hunc mihi esse obiectum) antea voluisti τὰ ὄντα Platoni ideas significare, hîc verò ea quæ cõcreta? Quasi necesse sit nomẽ hoc ab illo semper eodẽ modo vsurpari. Disce verò, Logodædale, quod nostris iam tritũ est & vulgare, hũc quotiescũq; subtiliter philosophatur, ea sola τὰ ὄντα nominare, quæ semper eodem modo se habent, cuiusmodi certè sunt ideæ. At cùm demittere se vult ad captum popularium, sicut hoc loco, tum ista appellatione comprehendere ea quæ concreta sunt: quia hæc popularibus magis nota. Vísne te exemplis obruam, quibus doceam Platonem in philosophando non semper de rebus omnibus loquutum eodem modo? Lege de ea re Galenum in Fragmento libri de substantia naturalium facultatum, & Bessarionem Cardinalem cõtra Trapezuntium.

Duplex autem ratio est.) Obscurior locus qui sequitur de rationis distinctione. In quo profectò mihi adhuc non satisfacio, tibi verò multò

multò minus assentior. Significare autem videtur rationẽ in iudicãdo dupliciter se habere. Vno modo eã sine vllo discursu, sed solo præsentiũ intuitu iudicare, quæ exẽplaris ratio in Deo solo est, non autẽ in homine: altero verò cũ discursu, ex præcognito ad incognitũ. Qui modus pertinet ad eam rationẽ quæ illius summę & exẽplaris, imago quædã est in homine expressa. Rursum verò hanc in homine rationẽ duplicẽ esse, vnam quæ aspirat ad ideas, alterã quæ errat circa earũ simulachra, quæ sunt rerum sensiliũ. Errorémq; in rationis iudiciũ dupliciter cadere posse, vel ex parte iudicantis, vel ex parte rei iudicãdæ. Quibus positis, primum rationis iudicium, quod in Deo exẽplare est, omni ex parte verum esse, omninóque erroris expers, siue in eo res iudicata, siue Deus iudicans spectetur: nobis autẽ esse prorsus incomprehensibile. In homine autem iudicium quod ad ideas refertur, ratione rerum iudicandarum (sic enim illud interpretor, κατὰ τὴν τῶν πραγμάτων γνῶσιν) falsitatis & erroris esse expers: etiãsi in hoc varius error cadere possit, qui non ab inconstantia idearum, sed ab hominis iudicantis, & circa ideas cæcutientis imbecillitate proficiscatur. Alterum verò rationis humanæ iudicium, circa simulachra rerum sensilium, vtrinque falsitatis & erroris esse particeps: tum scilicet propter inconstantiam rerum istarum iudicandarum, tum propter hominem: in cuius sensu, imaginatione & rationis discursu varij errores existunt. Quę sententiæ commoditas vt retineatur, vbi tu legis, παντελῶς ἀλήπλοες καὶ ἀπρεικὴς, interpretarísque prorsus inexpugnabilem, inuictã & veram, ego quãquam sine tuis rancidis exemplaribus, commodè legi posse existimarem, παντελῶς ἀλήθης καὶ ἀπρεικὴς, lubénsque interpretarer, omni ex parte veram & certam: id est tam ex parte iudicantis, quàm rei iudicandæ. Sed nihil volui immutare, præsertim cùm animaduerterem τὸ ἀλητὸν quoque incomprehensibile significare, quod mirum est tibi in mentem non venisse: & ex sequentibus hanc sententiam confirmari posse, eo quod ait istiusmodi cognitionem Deo possibilem esse, homini impossibilem. Id enim est nobis incomprehensibilem esse eam, quæ in primi intelligibilis sola fruitione consistit, sine vllo discursu. Neque verò Logodædale, vt Dei ratio ab humana distinguatur, satis est, illam inexpugnabilem & inuictam dicere. Quoniam etiam in humana quiddam est inexpugnabile, quod demonstratione comparatur: sed illa diuina hoc sibi habet proprium, quod homini omnino incõprehensibilis est.

Scientiæ & opinionis principia sunt intellectio & sensus.) νόησιν intellectionem verto, modò per tuam Logodædaliam mihi liceat sic eã appellare, quam fortasse malles latinè intelligentiam dicere. Mea verò nihil refert, modò locus hic ad intelligendi actum, siue ad muneris

functionem quæ intellectui propria est, referatur. Tu autem illam cognitionem interpretaris. Quod in Logodædalia manifestum peccatum est, quia non satis fideliter verbum verbo redditum: sed in sententia illud grauius, quod in eadem diuisione cognitioni ex altera parte sensum opponis. Scientiæ & opinionis, inquis, principia sunt cognitio & sensus. Quasi verò sensus ipse cognitio quædam non sit: aut adhuc nescias in diuidendo vitiosum esse, membrum vnum sub altero contineri.

In definitione sensus, particulam διὰ σώματος, inepta interpunctione retulisti ad sequentia, quæ erat ad antecedentia referenda. Verùm enim illud nostrum, & ex germana Philosophia petitum, sensum esse affectionem animi per corpus: sicut mihi facilè concedent, qui ex Aristotele didicerunt, in quibus functionibus obeundis dicatur animus cum corpore communicare. Adde quod hæc eadem manifesta est Platonis sententia in Theæteto, ex quo locus hic est descriptus. At tuum, ineptum est & falsum, sensum esse animi affectionem, quæ corporis ministerio atque opera, valet ad enunciandam primo loco potestatem siue facultatem aliquid esse perpessam. Etenim in sensu animus quidem per medium corpus quodammodo afficitur: sed idem per corpus non declarat facultatem suam aliquid esse perpessam. Deinde quod genus hoc loquendi est, in sensu animi affectionem valere ad enunciandam facultatem primo loco aliquid esse perpessam? Amplius verò, in sensu facultas animi nō est primo loco aliquid perpessa, sed potius corpus, & per hoc medium, ipsa facultas: cuius propriè actio est, potius quàm passio: corporis verò contrà, passio potius quàm actio. Vis hoc te ipso authore confirmem? Recordare Commentario tuo in librum quartum Lucretij, cùm causam reddere voluisti cur nimium splendida nostros oculos offendant, nominatim à te scriptum, ea quæ sub sensum videndi cadunt, actionem quandam in eum explicare: ita vt videndi sensus à rebus quæ cernuntur, patiatur. Aptè sane. Sed heus tu, quam ineptè cætera quæ eodem loco sequuntur? Cùm igitur, inquis, actio & perpessio sunt intra modum, & altera alteri ex proportione respondet, iuuatur videndi sensus à re quæ cernitur potius quam offenditur, & probe suo munere fungitur. Cùm verò perpessio actionē superat, id est cum id quod cernitur plus æquo acre & validum est, oculum & videndi sensum offendit. Næ tu in philosophia homo es doctrinæ reconditæ & in qua perpaucos omnino habeas pares! An nescis in motionibus naturalibus actionem cum perpessione re vnam esse semper & eandem: ratione tantum distinctam? Aut si hoc ex Aristotelis physiologia a-

liquando audiuisti, quem inter illa proportionis modum requiris quæ re sunt eadem? aut quid est hæc intra modum alterum alteri ex proportione respondere? aut quî tandem dicere potuisti actionem à perpessione aliquando superari, cum Aristoteles libr. priore de Ortu, contra doceat, nunquam omnino existere actionem, nisi agens patiente sit potentius? Equidem de illa quæstione (de qua si voles cõsule nostra Physica) scio quid statuendum sit: quid tibi velis, omnino nescio: nisi quod de re tibi incognita balbutiendo, id affectasti vt pro Logodædalo magni nominis Philosophus habereris.

Quæ intellectio quædam est in animo iam corpore concluso.) Loquitur Alcinous de intelligendi munere nobis proprio in vita hac, hócque differente ab altero quo mens fruitur à corpore separata, quod hæc intelligit sine discursu, hausto initio ex visis, quæ in ipsa imaginatione sunt recondita. Itaque quæ functio mentis est separatæ, ea absolutè νόησις appellatur: quæ verò animi iam in corpore habitantis, & cum hoc per mediam imaginationem communicantis, ea non amplius νόησις absolutè, sed φυσικὴ ἔννοια, id est naturalis cogitatio, vel cogitationis discursus nominatur. Quæ, inquit Alcinous, animi est non quouis modo se habentis (nõ enim eius est separati) sed huius in corpore habitantis, & cum eodem aliqua ex parte communicantis. Hæc germana est loci huius sententia, eáque cum Platonicorum doctrina omni ex parte consentiens. Tu verò nihil horum intelligens, confugisti ad tuam in immutando temeritatem, singulare scilicet ignorantiæ tuæ patrocinium. Súsque decúsque peruertendo omnia, perficere conatus es, vt Alcinous dicere videretur φύσικην ἔννοιαν esse, non quidem νόησιν animi habitantis in corpore, sed potius notionem, vt ais, in animo repositam. Tandem verò cùm in tua recondita Philosophia, nihil haberes definitum quod sequereris, vtramque sententiam, vt ais, es sequutus, voluistíque dici ab Alcinoo naturalem cogitationem, esse intellectionem quandam repositam in animo, & animi repositi in corpore: vel vt fidelius tua vsurpem, intelligentiam esse quandam in animo in corpus insinuato repositam. Hoccine est Alcinoum interpretari? an potius in illo pro tuo arbitrio monstra fingere?

In loco altero qui sequitur de diuisione obiectorum, nimium quo que indulges temeritati tuæ in bonis authoribus immutandis. Statuit Alcinous rationis eius quæ nobis data est ad iudicandum, duos quasi habitus vnum ad scientiam accommodatum, alterum ad opinionem: & paulò ante hoc ipso capite, duo principia his respõdentia, scientiæ quidẽ intellectionẽ, opinioni verò sensum. Quibus positis

inquirit ea quæ his obiecta sunt: atque scientiæ, cuius principium intellectio subiicit τὰ νοητὰ, intelligibilia: opinioni verò cuius principium sensus, τὰ αἰσθητὰ, sensilia. Quem locum sic expressimus. Cùm sit ratio duplex, inquit Alcinous, vna ad scientiam accommodata, altera ad opinionem, itémque intellectio & sensus: necesse est & his obiecta quædam existere, qualia sunt intelligibilia atque sensilia. Nec enim amplius quicquam est in antiquo contextu Græco, quem cum Marsilio Ficino sumus sequuti. Tu verò, vt acutus es in philosophando, cùm in antecedente parte comparationis hoc loco institutæ, quatuor animaduerteres, scientiam, opinionem, intellectionem & sensum, in consequente, quæ obiectorum differentias complectitur, duo tantum τὰ νοητὰ καὶ τὰ αἰσθητὰ, duo alia adiicienda putauisti, τὰ ἐπιστητὰ καὶ τὰ δοξαστὰ, scibilia scilicet & opinabilia. Quæ duo, inquis, fuerant ab aliis prætermissa, & ne quid dissimulem, aberant à vulgatis exemplaribus. Sed heus tu, Philosophotate, apud Platonem duo tantum rerum genera sunt, vnum intelligibilium, alterum sensilium: omniaque intelligibilia, apud eundem scibilia sunt: sicut omnia sensilia, opinabilia. Non sentis igitur quàm Philosophicè duobus membris à te aucta sit hæc obiectorum diuisio, in qua contra primam diuidendi legem, duo sub reliquis duobus continentur? Vis hoc ipsum quod dico etiam amplius Alcinoi testimonio confirmem? Paulò ante docuit hoc ipso capite, humanam rationem duplicem tantùm esse, vnámque circa intelligibilia, alteram circa sensilia versari: eámque quę circa intelligibilia occupatur, scientiam esse & rationem scientiam gignentem: quæ verò ad sensilia refertur, rationem esse opinionis effectricem & opinionem. An non eo efficitur τὰ νοητὰ esse τὰ ἐπιστητὰ, & τὰ αἰσθητὰ esse τὰ δοξαστὰ? Addit quoque idem rationem circa sensilia, esse opinionis effectricem, & opinionem sensus memoriæque complexionem. Lege etiam amplius, si modò tu legendo potes intelligere, finem capitis sexti. Ex eo cognosces intelligibilia esse scibilia, sicut & opinabilia esse sensilia. Ideóque de Mathematicis dubitari, quem ordinem habeant ad opinionem atque scientiam. Ad quæ Philosophica omnia hac ætate grandiore discenda, vehementius reluctarer, nisi viderem animum omnino occupatum in finu tuæ Logodædaliæ, & longiorem viam in illis tibi restare, quam vt tandem possis consequi quod olim sexagenarij, Socrates in fidibus, & M. Cato in lingua Græca dicuntur adepti.

περιλήψιν, vertis circumactam comprehensionem: ego vero comprehensionem, tantum: quod meo iudicio aptius est, & ad mentem Alcinoi accommodatius. Nam si animus in comprehendendo circũagitur, hæc eius motio erit (quòd Alcinous negat) διέξοδος. Discursum

latine interpretor, tu vero vt es in tua Logodædalia valde religiosus, hoc vocabulo damnato in tuis scholiis numero 18. maluisti percursionem & animi peragrationem dicere. In quo cum & discursus & percursio & peragratio vocabula latina sint, nescio cur apud philosophos in translatione tibi durius videatur animum discurrere, quam illud tuum, percurrere vel peragrare. Sed ista tibi concedamus, rémque ipsam expendamus. In qua Alcinous significat ideas, quæ sunt prima intelligibilia, non cognosci discursu, sed quasi quodam mentis intuitu, sublatis corporeis impedimentis: vel potius cum animus repurgatus, ad Deum idearum fontem ascenderit. Quemadmodum oculus sublatis impedimentis omnibus, lumen comprehendit: nec ad hoc comprehendendum circumagitur, aut indiget alio præcognito. Sic enim à Platone scriptum est in epistolis, diuina doceri nō posse, sed animum purgatum ad illáque conuersum, eorundem primo intuitu perfrui. Nec vero illa in tua interpretatione mihi satis inter se consentire videntur, prima intelligibilia cognosci ratione ad scientiam gignendam valente, idque per circumactam quandam comprehensionem, nō tamen per rationis percursionem seu peragrationem: quorum vtrúnque hoc loco affirmasti.

Discurrere.

In Cap. 5.

στοιχεῖον ἔσχατον, initio capitis huius, interpretaris vltimum ac minimum elementum: ego vero contra, elementum potissimum ac maximum. Quoniam quod in comparatione inter elementa gradu supremum est, id esse non potest minimum inter elementa, sed in iis potissimū. Atque certe vel pueris in arte differendi ridiculum quod hoc loco Alcinoo affingis, Platonem existimasse Dialecticæ vltimum ac minimum elementum, primum cuiúsque rei naturam videre. Quid vis à te expectemus in comparatione Platonis & Arist. cum in hoc tam miserè cæcutias? Præsertim cum hoc ipso capite Alcinous errorem tuum apertissimè detegat, paulò pòst de Platone hæc subiiciens, Planè hic vir, inquit, admirabiliter perfectus in definiendo & diuidendo, quæ in illo vim dialecticæ maximam declarant. Quem locum in tua interpretatione magna ex parte mutilasti. An vero potest in Platone vim dialecticæ maximam declarare, quod in hac minimum est elemētum? Nisi fortè eo confugias quod memini ab Arist. quodam loco scriptum, elementa, mole minima, sua virtute esse maxima: quod multo magis errorem tuum confirmat.

κατὰ λόγον, verterem antea secundum naturam. Quod quanquam non omnino adhuc improbem, malo tamen nunc interpretari, meri-

to, vel ad rationem accommodatè, quod barbare dicunt rationabiliter: pro quo Aristoteli familiare est λογικῶς, siue tolerabiliter. Vt scilicet Alcinous hoc loco significet, merito & iusta ratione, præcepta dialectica ex Platonis doctrina reuocari posse ad hæc quinque capita, de diuidendo, de definiendo, de analysi, de inducendo & ratiocinando. Et certè ex his, quatuor solent à Platonicis retineri in Dialecticæ distributione, sicut colligi potest ex Commentario Ammonij in præfationem Porphirij. In eiusdem vero particulæ explicatione tuis scholiis tota via aberras, cùm ita scribis, Verti locum hunc, inquis, quasi græcè scriptum esset, κατὰ λόγον τετον (sic aliena vbi non intelligis, tuis additis fere semper contaminas) licet tamen seruata scriptura recepta, sic vertere κατὰ λόγον, pro portione, seu ex comparatione modorum supra expositorum, ibi superne, diuidendo, ac definiendo, & cætera. Vellem illius proportionis explicationem esses aggressus. Ampliorem risus occasionē nobis apparasses. Quem, ita me Deus amet, non possum tenere, cùm animaduerto te (tua quidem opinione) in Logodædalia regem regum, in istis rebus philosophicis leuioribus sic cæcutire. Hanc verò admonitionem nostram sedulo, si placet, cōparabis cum num. 50. annotationum tuarū in 1. lib. Arist. de moribus.

In primo exemplo analyseos quod de pulchro instituitur, cum primus gradus ad illud pertineat quod in corporibus dicitur, de eo ita scribis: Vt si ab eo pulchro quod in corporibus propriè locum habet & cætera. Vbi addis de tuo, proprié, quod deest in græco exemplari: eóque addito Platonicorum sententiam peruertis. Quoniam apud hos omnino falsum est, pulchrum propriè dici in corporibus, aut in his magis quam in animo.

In. 2. analyseos exemplo, magis mirater impudentē audaciam tuam in addendo, detrahendo, immutando, nisi aliquot superioribus locis iam mihi ea in te facta esset familiarior. Primū vero eo peccas quod existimas ratiocinationem integram, quæ apud Platonem est in Phędro, omnibus iisdem gradibus hic Alcinoo fuisse describendam: nec animaduertis in hoc cōpendio doctrinę Platonicæ, istud minimè fuisse necessarium: sed satis esse potissimos gradus recensèri. Hinc illa temeraria additio scholiorū tuorum num. 5. propositionis integræ, τὸ δὲ ἀεικίνητον, αὐτοκίνητον, id est quod autem semper mouetur, per se mouetur: Sic, inquis, locus mutilus & lacer in integrū à me est restitutus. Atqui hæc deest in antiquo græco exēplari, & in Marsilij Ficini nostráq; interpretatione: neq; vero vllo modo necessaria. Peccas nō minus in exprimēda demōstrationis eiusdem propositione prima. Quæ cum apud Alcinoū sit eiusmodi εἰ ἡ ἀρχὴ, ἀγέννητον καὶ ἄφθαρτον: eáq; à nobis sic reddita, si principium, ingenitum & interitus expers, ita scilicet vt

ex superioribus intelligatur ad naturam principij primi, duo hæc esse suo ordine consequentia, loco quidem priore ingenitum, deinde interitus expers: tu contextum immutando & sententiam deprauando illam sic expressisti. Si principij nulla est origo, neque eius est interitus. Quasi scilicet, iam tibi datum esset, principium esse ingenitū, restarétq; ex eo concludendum interitus quóque expers esse. Nec verò in conclusione minor est temeritas, hæcque ab eadē rerum philosophicarum ignoratione profecta. Illa enim cum ex veritate græci contextus à nobis sic esset reddita, Interitus ergo expers, ingenitus & immortalis animus, à te nescio qua inuersione omnino est deprauata: Origine igitur, inquis, & interitione caret animus & immortalis est. De quo etiam exultas in scholiis tuis numero 6. quasi re fœlicissimè gesta. Mutato ordine sic verti, inquis, Nam apud Alcinoū sic legitur ἄφθαρτος ἄρα καὶ ἀγένητος, interitionis igitur & originis expers animus. At dic mihi bona fide, Logodædale, cur illum ordinem immutasti? Num quia vt ortus in quáque re interitū antecedit, sic prius in animo spectandū existimasti an esset ingenitus, deinde vero an interitus expers? Næ tu nimium subtiliter philosopharis. Atqui idem ordo est apud Platonem in Phædro. Sic ergo, inquit Plato, principium motus est quod se ipsum mouet. Hoc autē neque mori, neque nasci potest. An eadem temeritate in Platonis cōtextum manum quoq; immittes? Disce potius quod adhuc ex tua Logodædalia discere minimè potuisti, quanquā in Alcinoi & Platonis contextu philosophis per se manifestum, hic duos ordines contrarios statui. In quorū vno ex eo quod animus rationē habet primi principij, colligitur eundē esse ingenitū & ex hoc rursum illū quoque interitus expertē esse. Altero vero quia animus interire non potest, eundem minimè esse ortum. Atque certe vtrūque & in Platone & in Alcinoo notare poteris, modo in illis temeritate tua nihil immutaueris. Sic enim Plato in Phædro, Principiū sine ortu est. Ex principio enim necesse quicquid generatur oriri: ipsum autē ex nullo. Cum vero sit absq; ortu, & absq; interitu sit necesse est. Hic vides antecedere ingenitū, sequi veri interitus expers. At idē paulo post. Hoc autē, inquit, neq; mori, neque nasci potest. Istud ipsum in Alcinoo lōge manifestius. Quoniā quæstionis propositæ de animi immortalitate, analysin & synthesin in ascēsu & descensu explicare se manifeste profitetur. Quæ duæ ordinis differentiæ, vt in causa & effectu, sic in ingenito & eo quod interitus expers, contrariam progrediendi rationem postulant.

Plato probabilibus ratiocinationibus vtitur cōtra sophistas & iuuenes, contētiosis autē in eos qui propriè contentiosi dicuntur, vt in Euthydemum & Hippiam.] Expectabam à te si quid in locum hunc obseruares, vt edoceres

quo sophistæ à contentiosis differrent. Quoniam hoc non sine dubitatione est, cuius explicatio ad tuam Logodædaliam potissimum videbatur pertinere. At ea præterita, audiamus quid circa hæc garrias scholiorum tuorum numero 9. Euthydemus, inquis, adolescēs erat: Hippias Eleus, sophista. Deum immortalem, quanti est sapere! quam bene & gnauiter te in doctrina Platonica versatum esse oportet, qui hæc in promptu habeas, quæ cęteris sunt abdita! Sed animaduerte bone vir, Hippiam à te Sophistam nominari eo ipso loco, in quo author quem habes in manibus cōtentiosum illum fuisse vult, eundémque à Sophista distinguit, imò ipsi sophistæ quasi ex altera parte opponit. Deinde Euthydemum à te adolescentem dici, quem Socrates apud Platonem initio Euthydemi, refert iam senem facultati huic cōtentiosæ se dedidisse. Non sentis etiam in leuibus quā turpiter cæcutias? Eorūdem scholiorum tuorum numero 11. videris metuere, ne in contextu Alcinoi tuo more cæcutientes, non videamus quæ sunt in eo clarissima. Nam cum à te ipso eius sententia in hunc modum esset expressa, Syllogismos hypotheticos cum multis in libris reperiemus interrogando ab eo conclusos, tum maximè in Parmenide tales argumentationes reperire possimus. Si vnum non habet partes, neque principium, neque medium, neque finem habet, & cætera. In scholiis obseruas id ipsum quod in contextu erat clarissimum: nec quicquam amplius de tuo adiicis. Hæc sunt, inquis, ex Parmenide, Si vnum nullam partem habet, neque principium, neque finem, neque mediū habet & cætera. Hoccine est philosophari, an Logodædalorum more verba inania fundere?

In Cap. 6.

Primarum causarum & earum quæ sunt suprema ac principes.) Tu principiales causas, quam principales aut principes hoc loco dicere maluisti: eiúsque rei causam sic explicasti numero primo scholiorum tuorum. ἀρχικαὶ, inquis, principalia sumus interpretati, ducem Lucretium secuti. Aliud autem est principale quam principiale: vt aliud scilicet est ἡγεμονικὸν seu κύριον quam ἀρχικὸν. Principiale à principio ducitur, estque id quod ad principia pertinet: principale à principe, estque id quod principem locum obtinet, seu obtinere debet. Digna profectò Logodædalo obseruatio, & propter quam à philosophis omnibus vadimonium meritò deseratur. Vtinam vero ex Arist. Metaph. 4. potius didicisses ἀρχῶ siue principium dici etiam, de fine & capite, de eóque, quod in quod in quáque re potissimum est atque adeò de ipso principatu. Tum certè dici etiam de eo quod principem locum

locum obtinet minus esses miratus: presertim cum & ipsa principia in vnaquáque scientia eiusmodi esse, omnes philosophi inter se consentiant. Quid quod tu ipse capite 12. lib. huius ἀρχικώτερον vertis magis principale, non principiale? Da operam vt in eo tibi consentias, in quo superbe alios reprehendis.

Septies in tuis scholiis repetiuisti, ea quæ hoc capite dicũtur de mathematicis, ex libro 7. de Rep. esse desumpta. An non erat satis semel hoc monuisse? Sequitur vero locus alter de numero & ordine artium mathematicarum. In quo non differam pluribus de sententia Alcinoi, quoniam id ad nostrum Commentarium pertinet: sed satis erit declarasse impudentem audaciam tuam in eo contextu deprauando, quem nullo modo intelligis. Ad quam rem lectoris attentionem postulo, & mihi paulo prolixiorem sermonem indulgeri. Ex loco Platonis 7. de Repu. notas hic intelligi posse, quædam apud Alcinoum deesse. At multo plura sane menti tuæ desunt ad huius loci intelligẽtiam. Ea vero sunt, inquis, quæ ad disputationem de cubis & corporibus solidis ac profundis pertinent. Atqui de illis nihilo plura sunt eo loco apud Platonem, quam hic apud Alcinoum. An eo temeritas tua progredietur, vt etiam Platoni quædam adiicienda existimes? Sed reliqua audiamus. Vel dicendum, inquis, ordine peruerso & perturbato locum hunc esse depravatum, & sic restituendum. Imò potius statuendum est, Logodædale, tibi iudicium peruersum esse atque perturbatum, ad cuius restitutionem in integrum, multa profectò essent necessaria. Alcinous hoc loco in mathematicis primam facit Arithmeticam, secundam Geometriam, quæ circa differẽtias linearum & figuratarum in Planis versetur: in quibus dimensiones duæ longitudo & latitudo spectentur. Deinde adiicit tertiam mathematicæ contemplationis partem, quæ in corporibus tertiam dimensionem, nempe crassitudinem, exquirat: siue hæc geometriæ particula quædam sit, siue noua quædam disciplina, quæ à nonnullis Stereometria nominatur, de quo in Commentario à nobis est disputatum. Post quam quarta dicitur astronomia, postrema vero ipsa musica. Vt scilicet ea quæ absolutè solidum, dimensione tertia supra planum accrescens, contemplatur, tertia esse dicatur: quarta vero quæ idem solidum spectat in motu, quod Astronomiæ est proprium. Quæ etiam Platonis aperta est sententia libro 7. de Rep. Tua verò somnia cum illa clarissima luce conferamus. Locus hic, inquis, inuerso ordine sic restituendus. Atqui Geometria etiam ad ea quæ ad actionem effectionémque pertinent, vtilissima est, si quis eius principia & rationes ad illa accommodare velit. Vtilis porro veluti quarta quædam disciplina etiam Astronomia est. Nam secundã accretionem subsequi deinceps

debet eius contemplatio & consideratio, vt quæ tertium incrementum continet. Ex qua contemplabimur in cælo astrorum, & cæli motum, & cæt. Egregiam vero laudem & spolia ampla, Logodædale. Quæ tibi pro eo debẽtur, quod tua authoritate facis, vt Alcinous qui Platoni addictus est, inuito Platone secundæ artium mathematicarũ parti quæ circa lineas & plana versatur, quartam Astronomiam subiiciat: deinde ab hac resiliat ad tertiam, quæ duabus dimensionibus in lineis & planis, tertiam corporum propriã soliditatem adiicit. Quodque hanc ipsam tertiam, quæ in solidis absolutè sine motu tres dimẽsiones considerat, eam esse vis quæ in cælo astrorum & cæli motum contemplatur. Quæ omnia Platoni, Alcinoo & ipsi veritati omnino aduersantur. Eadem vero nota scholiorum tuorum, locus alius sequitur, pro quo tibi iam triumphus decernendus est in mathematicis. Vt autem locus hic intelligi possit, inquis, admonendi sunt iuniores Arithmeticam tractare numeros, Geometriam lineas & corpora plana: Astronomiam corpora solida & profunditate seu altitudine prędita, vt mouentur. Ita Geometria in secunda accretione, Astronomia in tertia versatur. Hui! In tanto fastu tãtum ne esse potuit insciti æ? Ergo tu, Logodædale, geometrica corpora distinguis ab astronomicis, quod illa plana tantum sint sine vlla profunditate, quã crassitudinem dicimus: hæc, solida & profunda: quódque illa accretionem tantum habeant secundum duas dimensiones, hæc vero etiam tertiam, crassitudinem scilicet longitudini & latitudini adiunctam. At, stultus ego, semper antea credideram corpora omnino omnia, tribus dimensionibus esse absoluta: idque certe ex Arist. videbar didicisse cap. 1. lib. 1. de cælo. An hoc specimẽ esse voluisti singularis tuæ industriæ in mathematicis, in quibus ante annos quinque de nostra facultate tam superbè iudicabas?

Ex quibus secundum familiarem viam vniuersorum opificem inquiremus) διπλῆν ὁδὸν Alcinous dicit, viam eam quæ à posterioribus natura, vt à mathematicis & physicis, deducit ad Deum natura primum. Hanc autem nobis familiarem vocat, quia est ad nostrum captum, & imbecillitatem accommodata. Tu directam es interpretatus: nescies contra, hanc philosophis indirectam esse, atque inuersam. Quod pueris in Peripateticorum schola tritum est. Disce vero ex Aristote. libro 1. Ethic. permultum interesse inter eas docendi rationes quæ à principiis proficiscuntur, & eas quæ ad principia ferunt. Priores in natura directas esse, sed nobis minimè familiares: posteriores contra, in natura inuersas, sed nobis maximè familiares.

Loco proximo coniecturam tuam in comparatione duarum parti-

cularum ὕπαρ & ὄναρ, in eóque quod pro ὑπερ, putas legendum ὕπαρ approbo: sed in hoc iterum offendendo quod iam tua epistola, tam magnificè verbis ornaueras, tuum fastum ferre nullo modo possum. Locus hic, ais, vna litera apud Alcinoum deprauatus, pessimè ab aliis intellectus & interpretatus erat. Illi enim sic verterunt, sed circa id somniantibus sunt similes, nec in eo amplius quicquam consequi possunt. Quorum verborum inepta sententia est: in quibus tamen explicandis quosdam audio & disertos haberi & vocales esse, vt & in aliis quamplurimis. Sed deposita inuidia quæ ex nostratum prælectionum publica approbatione, concepta, te in tuis langueſcentem omniáque in docendo de scripto frigidissimè recitantem, iampridem cœpit conficere, dic mihi, Logodædale, quid in sententia interpretationis nostræ tibi vsqueadeo est ineptum? aut vnde colligis locum hunc à nobis tam male esse intellectum? Equidem permulti fideles testes sunt in huius authoris explicatione tibi tuíque sua celebritate inuidiosa, nos sępius auditorem admonuisse, & pluribus locis ex Platone commemoratis probauisse, apud hunc rerum veritatem solis ideis contineri: ea vero quæ semper dico sensilia, vt tibi stomachum moueam, ab eodem comparari cum falsis rerum imaginibus, quæ somniantibus apparent. Ideóque dici solere in vita hac studium nostrum in contemplãda veritate, quasi perpetuum esse quoddam somnium. Quòd ad ideas vix vnquam possimus peruenire: conseneſcamus vero in harum materiatis imaginibus: quæ hoc ipso fallaces sunt, quod semper fluunt, nec naturam habent vlla ex parte constantem. Quod nescio an ipse hoc loco videris: miniméque vidisse ex eo suspicor, quod cum id esset obseruatione dignissimum, eius nullam omnino mentionem feceris: pro illóque hoc tantum pueriliter in tuis scholiis obseruaueris. Dicimus, ais, quædam videre ὄναρ cùm somniamus: quædam ὕπαρ, id est, verè, euidenter & planè, cum vigilamus. En hominem in Platonica doctrina supra quam Logodædaliam decet, eruditum! Quod vero etiam addis nostræ interpretationis sententiam omnino esse ineptam, in hac non vides, si candidè eam accipere velis, significatum id ipsum quod in tua es sequutus. Nam circa id quod est, nos somniantibus esse similes, nec in eo amplius quicquã consequi, quid aliud est quam somniare tantum circa imagines eius quod est: nec assequi veram huius essentiam?

Vt per Geometricas hypotheſes) Græcũ nomẽ retinui, quod hoc in principiorũ diuisione philosophis tritũ magis ex Platone, & Arist. esse videretur. Tu suppositiones dicere maluisti. Est enim, ais cap. 5. numero 3. iterúmq; idem hoc loco repetis, suppositionis nomen latinũ, à ver-

bo ſuppono, quod eſt Lucretianum. Digna profecto Logodædalo obſeruatio. Mallem vero docuiſſes, cur Geometrica principia cum Dialecticis, id eſt methaphyſicis, comparata, hypotheſes tantum ſiue ſuppoſitiones appellentur. Ex quo eſt conſequens Geometras ſcire tantum ex hypotheſi, non omninò & abſolutè. Sed hoc ſupra tuam Logodædaliam. Ex cuius ignoratione in vſu vocabuli huius inſignis alter error tuus profectus eſt, qui poſtea cap. 26. detegetur.

Cogitationis diſcurſum eorum quæ mathematicis ſunt ſubiecta) διάνοιαν, quã modo cogitationem, modo cogitationis diſcurſum ſoleo interpretari, tu vertis hoc loco, ſicut & initio cap. huius, mentis agitationem. At ea Platoni propriè mentis nõ eſt: cuius Plato ipſe in Timæo Deos quidem omnes participes eſſe ait, homines autem paucos: ſed vno gradu mente inferior, ſuperior vero ſenſu. Quare eadem propria eſſe dicitur mathematicorum: quæ media ſunt inter phyſica, quorum ſenſus, & diuina quæ ſola mente percipiuntur. Sicut à nobis pluribus explicatum in diſputatione contra Theſſali mathematicum proœmium: quo loco in horum ordine, ex noſtro typographo error quidam enatus eſt, qui aliâs indicabitur. Sed hac in parte tibi cogitationem, mentis agitationem appellanti, venia danda eſt. Quoniam ne Theſſalo quidem tuo illud ſatis perſpectum: & in veſtra Logodædalia non tam ſubtiliter quã à Platonicis iſta diſtingui ſolent.

εἰκασίαν latine reddo imaginationem: tu coniecturam, Marſilius Ficinus duo hæc coniunxit. Alij, inquis, εἰκασίαν imaginationem dixerunt, ſed minus rectè. Cur vero minus recte? Víſne vt tibi tuos canos oſtentanti, ſine ratione credamus? Atque etiam vbi Alcinous ſcribit præter ſuperiora hanc poni à Plat. & eam quam πίστιν nominat, tu de tuo adiicis, hæc duo poni ab illo in aliquo numero. In quo neſcio ſanè quid de numero ſomnies. Ego quidem illam imaginationem ſum interpretatus, exiſtimans phantaſiam ſignificari, quam viſum vel viſionem in veſtra Logodædalia nominare ſoletis. Quæ propriè formarum eſt & imaginum, quæ cogitationis diſcurſui ab hac ſuppeditantur, de qua ſe hoc loco agere Alcinous aperte teſtatur. Nec video quid in verbi ſignificatione nobis aduerſetur. Etenim hanc ſubſequentem eſſe vult ad aſſenſionem primam, quæ ſenſu efficitur, quæque eſt fidei. Quod de imaginatione verum eſt, quæ ſenſum conſequens, ad cogitationis diſcurſum viam parat: de cõiectura vero non item. Vt ſcilicet in noſtra cognitione prima ſit per ſenſum aſſenſio, quæ fidei, ſecunda imaginatio, tertia cogitatio, quarta & poſtrema mentis ſimplex intelligentia, quæ ſine diſcurſu. Quæ omnia ex ſeptimo de Repu. ſunt repetenda: ſed quemuis lectorem non admittunt.

Locus qui de Dialectica sequitur, ex eodem lib. 7. de Repub. haud dubiè de prima sapientia, vel Metaphysica intelligendus: quæ omniũ scientiarum suprema est & domina. Idque ex eo facile est colligere, quod Alcinous scribit, hanc Mathematicis esse superiorem, & circa diuina constantiaque versari. Quaquidem significatione nomen hoc Platonicis esse familiare docet Plotinus cap. 6. libr. de ascensu ad mũdum intelligibilem, itémque Proclus cap. 1. & 14. Commentarij 1. in Euclidem. Tu verò quasi in schola Peripatetica, aut Stoica versareris, de arte differendi, quæ omnium ministra est, potius quàm domina, eundem es interpretatus. Atque ideò θρίγκον existimasti sepem significare: imitatus, vt opinor, Ciceronis locũ lib. 1. de Leg. Cùm potius loricam significet, vel vt placet doctissimo viro Petro Victorio, apicem culménque. Sed mallo vt circa locum hunc errorem tuum ex ipso Victorio recognoscas cap. 12. lib. 2. variarum lectionum.

In Cap. 7.

ἐκμαγεῖον, quod de materia dicitur, conuerti fictioni subiectum: vt hoc ex altera parte respondeat ideæ, quæ est exemplar, cuius imitatione subiecta materia à Deo opifice efformatur. Tu formarum receptaculum dicere maluisti. Eodémque loco, cùm illam quoque τιθήνην Alcinous nominet, quòd rerum formas suo gremio exceptas, quodammodo foueat, ego nutricem sum interpretatus, tu verò hanc particulam nescio quo iure, in tua versione prætermisisti.

Νόθον λόγισμον (quod de materia dicitur) interpretatus sum rationem adulterinam: tu spuriam dicere maluisti. Quod etiam tibi facilè concedam, modò in eo quod ad hunc locum obseruasti, te verè Logodædalum recognoscas. Spuriam, inquis, rationem appellauimus, quam Alcinous dicit νόθον λόγον, quamuis nos non fallat non esse idem nothum & spurium. Spurij enim sunt, quorum pater ignoratur: nothi, qui non sunt ex iustis nuptiis procreati, quamuis pater eorum notus sit. Expectabam profectò vt eodem Logodædaliæ tuæ ardore illud excuteres, an ea ratio per quam materia cognoscitur, ignoto patre nata sit, an hoc quidem noto, sed ex illegitimis nuptiis. Mallem verò docuisses, cur ea siue notha, siue spuria, siue adulterina esse dicatur. Sed hoc supra Logodædaliam, tu tantùm nosti simulare Cupressum.

In Cap. 8.

Idea ad Deum relata, hîc ab Alcinoo dicitur eius νόησις, quam latinè reddo notionem, Marsilius Ficinus intellectionem, tu modò in-

telligentiam, modò notionem, quæ tibi passim in huius authoris interpretatione significant actum intelligendi, & functionem. Cic. lib. 3. de Finibus, ἔννοιαν intelligentiam, vel notionem potius latinè interpretatur: in Topicis notionem, in Lucullo notitiam: sed hoc eidem aliquando nomen est obiecti, aliquando actus intelligendi. Hoc verò loco dubito num magis obiectum muneris, quàm huius functionem significet, sicut ex sequentibus colligi potest. Atqui nec tibi quidem nouum est, sed frequens in hoc authore, atque adeò hoc ipso capite, νόησιν, notionem interpretari: sicut & ego ipse aliàs hanc intellectionem potius quàm intelligentiam, pro actu intelligendi latinè reddidi. In hac varietate lector pro commoditate sententiæ delectū adhibebit. Quanquam in re fortasse parum interest. Quoniam in Deo actus intelligendi re idem est cum obiecto, & vtrumque horum idē cum Deo. Atque capite proximo Dei se intelligentis energia, siue actus, idea esse dicitur: in quo manifestum est hanc pro obiecto non vsurpari.

Ἐπίνοια, significat iudicium, consilium, inuentum, vel inuentionem. In qua varietate, delectus etiam hoc loco fuit adhibendus, pro ratione sententiæ, quam ita expressi. Omnino quicquid fit animi iudicio, & cætera: tu verò, vniuersè quicquid fit ex inuentione artificis. In quo primùm malè de tuo addidisti, artificis. Quoniam non solùm de artifice hic agitur, sed de vniuersæ naturæ opifice, & moderatore Deo. Deinde non animaduertisti hîc Alcinoum loqui de omnibus quæ cōsultò fiunt, siue hæc nostra inuenta sint, siue alienorum inuentorum imitationes. Quibus ex aduerso ea opponuntur, quæ fiunt temerè & casu. In his enim nulla esse potest vllius exemplaris imitatio: quæ casui & fortunæ repugnat.

In proxima tua periodo non satis assequor quale illud sit, *Si quid ab aliquo imitatione expressum, fiat.* Nescio enim quàm aptè ista cohæreant, aliquid iam imitatione expressum, adhuc fieri: aut quod adhuc fit, iam ipsa imitatione esse expressum. An nescis tritum illud Physicis, id quod gignitur, nondum esse? Neque verò illud magis in vestra Logodædalia probarem, expressum fieri imitatione, pro eo quod est, per imitationem exprimi. Deinde eodem loco puerilem existimo istam tuam copiam (exemplar ante subesse, & subiectum esse) in qua subesse, & subiectum esse, videtur ad materiam pertinere: at illud προϋπάρχειν, quo Alcinous vtitur, præsuppositum significat, quasi pro principio antepositum: nec de materia intelligendum est, sed ad ideā referendum. Hoc verò maioris est insciticæ, quod redditionem similitudinis esse putasti, vbi occupatio est dubitationis de exemplari quomodo se habeat ad artificem: externum ne semper sit, an plerunque

huius mente conceptum. Vt hoc scilicet de Deo intelligatur, cui idea interna est, vel potius ipsa est Dei essentia. In qua quæstione alius est error tuus Commentario in libr. 5. Lucretij. Vbi cùm ex huius authoris atheismo, nata esset hæc dubitatio, vnde primùm Diis immortalibus insitæ sint rerum creandarum ideæ? vnde hi nacti sint illarum notitias, per quas scirent animóque cernerēt quid facere instituerēt? Platonici, inquis, responderent, ideas esse æternas, & in mente diuina ab infinito tempore vna cum Deo insitas. Deum immortalem quā hoc eruditè, quàm longo interuallo supra tuam Logodædaliam? quā firmum propugnaculum ad diuinam prouidentiam contra Lucretiū defendendam? Nec verò in hac tantū, sed in aliis permultis quæstionibus, in quibus ille cum suo Epicuro, veterum Philosophiā, nostrāq; religionem oppugnat, plerique viri docti & pij, in te non dico meliorem animum, sed certè maiorem diligentiam non immeritò requirunt. Atque dictitāt huic, si tua manu è tenebris in lucem erat excitandus, in illis peruersis & capitalibus opinionibus, quibus abūdat, grauioribus argumentis fuisse resistendum. Ne sine aduersario irrepat in adolescentum animos, quos ad huius lectionem videris omni ex parte velle allicere. Quo studio, memini ante annos quinque ad istud aggrediendum ab ornatissimo viro, nec minus literato, quàm literatorum omnium, quos in suo sinu fouet, amante, Henrico Memmio me esse inuitatum. In quo conabor aliquando ei satisfacere, vbi plus otij nactus ero. Vt hac occasione tuos in Lucretium (quem dicunt esse tuū cor) Commentarios possim excutere, & eam gratiā abste inire, quam tuis in Alcinoo nostro ornādo laboribus puto deberi.

In Cap. 9.

Cùm Deum, quem Alcinous ἄῤῥητον vocat, ineffabilem latinè dixissem, tu contradicendi studio, immemorabilē, ego inter docendū meos sæpius admonui (quoniā vocabuli huius in Alcinoo frequens vsus est) aures pias hoc tuo genere interpretandi facilè posse offendi. Quod vt Poëta quando illaudatū Busiridē dixit, omni laude omnino indignū significauit, sic qui Deum immemorabilē diceret, nihil eius memorandum, aut nostra memoria comprehendendū relinqueret: quod certè non multum ab atheismo distare videretur. Sic enim animaduertebā etiam libris his quos nostri auditores frequētissimos habent in manibus, notari dictos à Plauto spurcidicos versus immemorabiles eos qui omnino supprimi deberent, & quorū nulla deberet esse memoria. Itaque quoniā Philosophis & Theologis, non valde etiam repugnantibus magistris tuæ latinitatis, frequēs videbā Deum esse ineffabilē, immemorabilē autē eū ante te dixisse fortasse omnino

neminem,illud noſtrum retinendum exiſtimaui,à tuo abſtinendum, quod offenſionis maximæ ſpeciem præ ſe ferret, & in te à ſolo contradicendi ſtudio profectum videbatur. In quo non dubito, quin omnes viri boni mihi facilè aſſentiantur. Et certè tu ipſe in eo commotus es. Nam neſcio qua oratione quam ex illo tempore de tuo maledicentiæ cornu contra nos edidiſti (de qua tibi aliâs reſpondebo, quoniam permulta continet, quibus iampridem ſatisfeciſſem, niſi in Alcinoo fuiſſem occupatus) hoc ipſum lenire conaris. Memorare, inquis, apud bonos & probos latini ſermonis authores, idē valet quod commemorare, dicere, referre. Ideóque immemorabile eſt quod memorari, ſeu dici non poteſt, vel non debet. Sciebam equidem illud & in eam ſignificationem tenebam hoc Virgilianum,

Muſa mihi cauſas memora, &c.

Sed hoc quoque didiceram, idem verbum ſignificare aliquando in memoriam reuocare, vel memoria agitare. Ideóque Latinis memorabile duo complecti, nempe quod memoria dignum eſt, & quod prædicatione. Quorum vtrumque ſi euertitur, eò quod immemorabile dicitur (ſicut euerti debere, ipſius nominis formatio indicat) non ſatis profectò tutum erit Deū immemorabilē dicere: ne cum tuoquidē Lucretio, cuius authoritate inſoleſcis, quod duobus locis, opinor, immemorabile ſpatium dixerit. Hoc verò tu primus omnium, vel certè ſine vllius pij viri exemplo ad Deum traduxiſti.

Secunda periodo, cùm propoſitio connexa ſit (quam hypotheticā antea nominauimus) in qua ex affirmatione antecedentis, infertur conſequens, tu in antecedente, particulam, πρώτων, ab Alcinoo poſitam, in qua vis erat concluſionis, prætermiſiſti: nec animaduertiſti illationis neceſſitatem illa prætereita nullam eſſe. Nos eum locum ſic expreſſimus. Si ſunt intelligibilia: hæc autem nec ſenſilia, nec ſenſilibus participantia, ſed primis quibuſdam intelligibilibus: ſunt prima intelligibilia, quemadmodum & prima ſenſilia. In quo connexionis ratio inter partem antecedentem & conſequentem, in eo conſiſtit, quod intelligibilia, quæ Platonici vocant ſecunda, non poſſunt eſſe per participationem primorum, niſi poſitis intelligibilibus primis, quæ illis ſuperiora ſint & ſimpliciora. Iam verò tua cum noſtris conferamus. Si ſunt hæ res, inquis, quæ mente comprehendi poſſunt, hæ autem nec ſub ſenſum cadunt, nec eo ſunt, quòd res ſub ſenſum cadentes participent, ſed quod quarumdam rerum ſub intelligentiam cadentium, ſeu mente comprehenſibilium communionem habeant: ſunt aliqua prima mente comprehenſibilia ſimplicia, vt & nonnulla prima ſub ſenſum cadentia. In quibus præterquàm quod magna eſt verborum tuorum luxuries, in interpretando authore ſua breuitate

tate admirabili, illud non animaduertis res quæ mente comprehendi possunt, non esse per participationem rerum quarumlibet sub intelligentiam cadentium, sed primarum tantùm: neque verò sine hoc inde effici, Deum esse: qui vt rationem habet primi intelligentis, sic & primi omnino intelligibilis. Equidem non dubito quin hominibus in Platonica doctrina exercitatis, vim huius argumenti attentè considerantibus, manifestum futurum sit te nihil hîc sapere, ídque certè quoniam loci huius sententia superat tuam Logodædaliam.

In altera periodo quæ proximè sequitur, illud Alcinoi, ἀνθρώποι μὲν δή, ego sic interpretor, Homines quidem: tu verò, Homines igitur. Atqui hîc nulla omnino est ex superioribus illatio. Sed cætera in eadem videamus. Homines igitur, inquis, vt pote qui sensus affectu implentur, ita vt cùm id quod sub intelligentiam cadit, intelligere consilium capiant, id quod sensum mouet, eorum animis imagine quadã informatum occurrat, vsqueadeò vt magnitudinem & figuram, & colorem sæpenumerò vnà cum illo intelligant & cogitent, non sincerè ea quæ sub intelligentiam cadunt, intelligunt. De quibus illud primum parum aptè in lingua Latina dici videtur (capiant consilium intelligere) præsertim ab eo cuius excellentia in loquendi magisterio est posita. In reliquis Alcinoi sententia nulla ex parte à te est expressa. Non enim dicere vult cum mente aliquid comprehendere conamur, sensile noua imagine informatum occurrere: sed ipsum intelligibile apprehendi sub imagine rei sensilis. Idque quoniam intelligendi munus in nobis phantasia adiuuatur. Hæc autem nihil apprehendit, nisi hausto initio ex imaginibus rerum sensilium: quod Aristoteles passim docuit, & in hoc Alcinoi contextu sequentia manifestè declarãt. Quem locum obscurum sanè & difficilem, vt sine errore interpretemur, statuendum est ex eodem Aristotele lib. 3. de Animo, quomodo se habet intelligens ad materiam, & ad sensiles qualitates, quæ hanc comitantur: sic ab eodem ipsa intelligibilia comprehendi, vt scilicet hæc vel â sensilibus omnino separata sunt, vel vt ex eorum imaginibus excitata, eisdémque quasi informata. Itaque homo quia est intelligens non omnino materiæ expers: id est (vt loquitur Aristoteles) quia in intelligẽdo, cum corpore nonnihil communicat: non potest, vt homo, intelligere, nisi coniuncta cum qualitatibus materiatis. Dij autem quia omnino à materia secreti sunt, intelligi hoc modo non possunt: neque certè ipsi hoc modo intelligunt: sed vt antea dictum est, sine vllo discursu, qui proprius est cogitationis. In quo valde miror, cùm capite quarto διανοίαν, cogitationem conuerteris, hãcque eodem loco definieris, ipsius animi secum habitam sermocinationem seu disputationem, à qua etiam intelligendi munus, ibidem me-

ritò distinxisti, quo modo nunc tui immemor, contra ea quæ in Platonica & Peripatetica doctrina rata sunt, & maxima, dicere audeas Deos sincerè, sine vllius rei permixtione cogitare: ac paulò post, omnia simul ac semper intelligere ac cogitare. Quæ duo tibi quidem in tua Logodædalia confundere licuit: in Platonica verò doctrina non licuit.

τὸ ὀρεκτικὸν, vertis in potestatem appetendi, locum Alcinoi intelligens de ipsa animi parte, siue facultate. Quod ego in vestra Logodædalia vim vocabuli considerans, non audeo improbare. Et tamen in sententia hæreo. Quoniam Alcinous ait τὸ ὀρεκτικὸν ita mouere, τὴν ὄρεξιν id est appetitionem, vel appetitum, vt illud ipsum immotum manear. At falsum est, & à Philosophia prorsus alienum, facultatem, quando hæc appetitionem mouet, immotam manere. Imò illam prius moueri est necesse. De obiecto autem appetitus idem est verissimum sicut Aristoteles docet capite decimo libri tertij de Animo. Quoniam tria sunt, inquit, quorum vnum est quod mouet, alterum verò id quo illud in mouendo vtitur, tertium id quod mouetur: quoniamque id quod mouet, duplex est, quorum vnum immobile, alterum quod monet, & mouetur: bonum quidem quod agendum est, immobile permanet: pars autem animi in qua sunt appetitus, partim mouet, partim mouetur. Qua ratione nunc malui τὸ ὀρεκτικὸν, appetendi principium conuertere: vt lectori diiudicandum relinquerem, hoc ne de obiecto, an de animi parte, siue facultate sit intelligendum. In quo ingenuè fateor, quid sequendum sit mihi non satis liquere.

Altera periodus sequitur, in qua profectò valde miror tibi tam frequentem solœcismum potuisse excidere. Quoniam prima mens, inquis, pulcherrima est, oportet & pulcherrimum mente comprehensibile ei subiectum esse. Nihil autem eo pulchrius est. Seipsum igitur, & suas ipsius notiones eum semper intelligere credibile est. Vel pueri sine flagitio negare non auderent dicendum fuisse, nihil autem ea (prima mente scilicet) pulchrius. Seipsam igitur & suas ipsius notiones eam semper intelligere credibile est. Ego verò etiam amplius dubito, num dicendum fuerit, sui ipsius notiones: quo in mea interpretatione sum vsus. Sed istam litem malo remittere ad tuos Logodædalos.

θεότης, à te Latinè dicitur diuinitas, non autem causa efficiens diuinitatis: & rectè, opinor. At οὐσιότης, quæ eadem forma, pro ea libertate quam Philosophia concedit, à nobis dicitur essentialitas:

à te redditur, causa efficiens essentiæ. Cur? Nempe quia essentialitatis vocabulum in tua Logodædalia non receptum. Abi verò in malam rem, cum ista tua in philosophando verborum religione. In qua non animaduertis cùm Deus οὐσιότης dicitur, eum in se spectari, supra omnes essentias, & potius vt ab his abstractum, quàm vt ad easdem relatum. At quando essentiæ causa dicitur, iam eum ad certos propriósque effectus quodammodo determinari. Quæ duo valde esse differentia, nescio an possis in tua Logodædalia cogitatione complecti: sed Platonicis notum est & vulgare. Verùm hoc saltem considera, etiam si tibi concedamus vocabulum hoc, quod abstractum est, & omnes essentias excedens, hoc loco significare potuisse causam essentiæ: non fuisse tamen addendum, efficientem. Quoniam hîc etiam de exemplari agitur, quam in Deo quoque considerat. Eodem errore cùm paulò post Alcinous Deum absolutè nominat, causam omnis boni, addidisti, efficientem: nihil de exemplari cogitans. Quanquam propter hanc potius, quàm propter illam, Deus à Platonicis dicitur ipsum bonum.

Vbi uerò agitur de varietate nominum, quibus Deus solet exprimi, cùm antea legeretur, λέγω δὲ οὐχ ὡς χωρίζων ταῦτα, tu pro tua licentia legendum arbitraris, οὐχ ὡς ὁρίζων ταῦτα. Itaque cùm nos vulgatum exemplar sequuti, sententiam Alcinoi sic reddidissemus, Dico autem hæc, non vt separans, sed vt per omnia vnum intelligens: sic tu exprimere maluisti, Dico autem hæc, non vt his Deum definiens, sed tanquam in omnibus vnus intelligatur. Atqui Logodædale, seruata vetere lectione, authoris sententia longè est melior. Non enim hîc agitur de Dei definitione: sed significatur, etiam si Deus pluribus nominibus exprimatur, non induci tamen in eius naturam, diuisionem vllam aut multitudinem: sed in illis omnibus vnũ & simplicissimum illum debere intelligi. Qui idem locus est nostrorum Thelogorum, & Dionysij Areopagitæ, libr. de Diuinis nominibus, quem pluribus explicatum videre potes, apud D. Thomam libris contra Gentiles, si modò ab huius doctrina animus tibi, propter nescio quam religionem, non abhorreat.

Quod ait Alcinous Deum esse σύμμετρον, interpretaris commensu esse præditum, mensuræque conuenire. Ineptè sane, nec seruata Platonicorum sententia. Omne enim quod alicui mensuræ conuenire verè dicitur, agnoscit mensuram superiorem cum qua conferatur. Quod de Deo impiè diceretur. Ideò Platonicis Deus potius est, τὸ σύμμετρον, id est, ipsum commensuratum: quia reliquorum mensura est, non quod ali-

cui mensuræ conueniat: siue quia est idipsum à quo omnium rerum naturalium commensuratio: eóque significatur pulchritudinem huius superare omnem eam quæ rerum est naturaliu m. Quemadmodum etiam idem antea esse dicebatur τ' ἀγαθὸν, quia est ipsum bonum: non quod alicuius bonitatis sit particeps.

Vbi Alcinous scribit, Deum κοσμεῖν τὸν οὐράνιον νοῦν, καὶ τὴν ψυχὴν τοῦ κόσμου πρὸς ἑαυτὸν, καὶ πρὸς τὰς ἑαυτοῦ νοήσεις, tu conuertis, eum mentem cœlestem, & animam mundi, ex seipso, suísque notionibus moderari & temperare. Illúdque κοσμεῖν, referre mauis ad moderationem rerum earum quæ iam esse intelliguntur: ego verò ad exornationem in eisdem procreandis. Quoniam de mundi creatione à Deo patre, vt rerum omnium opifice, earumdémque exemplari, agi potissimum existimaui. Deinde illud, πρὸς ἑαυτὸν, quod relationem significat rerum quæ in mundo sunt, ad Deum vt primum exemplar, priusque in procreando intelligendum erat, quàm in moderando, tu interpretaris, ex seipso: quod verbo non respondet, & potius est efficientis causæ, quàm exẽplaris: ego verò, ad seipsum. Neque magis probare possum postremũ illudquod πρὸς τὰς ἑαυτοῦ νοήσεις, conuertis ex suis notionibus: pro quo dicere malui, ad sui ipsius, quàm ad suas notiones. Cùm in Deo fortasse, sicut & in homine, permultum interfit, dicamúsne suam, an sui notionem. Etenim homo suas notiones dicere potest, quarumlibet rerum in animo impressas: sui verò notionem, eam tantum quæ homini hominem in intelligendo & contemplando repræsentat.

Paulò post, vbi etiam in tuo Græco exemplari legitur, οὔτε διαφορὰ, id est, neque differentia: tu interpretatus es, neque quantum. Tum, opinor, nescio quid somnians de Categoriarum ordinibus: quia in eodem contextu statim sequebatur οὔτε ποιὸν, neque quale. Nec ita multò post in tuam Logodædaliam peccare videris. Neque Deus, inquis, qualitatis est expers. Non enim vlla qualitate ad eum pertinente priuatus est. Ego certè, ad se, dicere maluissem.

Scholiorum tuorum in caput hoc numero septimo, negare non potes, cùm dixi Solem præstare oculis vt videant, aspectabilibus verò vt videantur, à nobis huius Philosophi sententiam fideliter esse expressam. Est enim, vt Aristoteles scribit libro secundo de Animo, lumen, actus & rei aspectabilis, & aspectus. Sed, vt ais, non solùm vim Græci sermonis exprimere voluisti: verum etiam ea quæ per verba significantur, quasi repræsentare. Ecquo tandem modo? Tua audiamus. Sol, inquis, videndi sensui suppeditat videndi actionem, seu videre: illis verò quæ cernuntur, videndi perpessionem,

seu videri. Pape! Quam philosophicè nos in rem præsentem quasi manu deduxisti! Ergo tua opinione, Logodædale, rerum aspectabiliũ actu facta per lumen inspectio, earundem est perpessio, oculorum vero actio? Num quia videre, si verbi formam consideremus, est agere, videri autem pati. Dignum hoc sanè tua officina. At nobis potius lumen de aspectabilibus imaginem excitans, & per medium hanc ad ipsum oculum deferens, præstat illis suum actum & actionem, oculo perpessionem. Neque videri magis est eius quod videtur perpessio, quam audiri eius quod auditur. Nisi forte ad illud Platonicum confugias, videre nos emittendo, audire recipiendo: quanquam neque in hoc apud philosophos tua opinio poterit consistere: sicut ab eo facile intelligetur, qui ea attente legerit quæ nostro Commentario de videndi modo pluribus disputata sunt.

Coniecturam tuam in eo quod vbi in vulgato exẽplari legitur τοὺν Ν καὶ θεὸν συνεπινοεῖν, tu legẽdum arbitraris, καὶ θεόν, prima fronte non improbaui. Sed vbi propius inspexi, putaui veterem lectionem non incommodè posse retineri. In quo meæ religioni nihil facile immutanti, tu in tua leuissimus, si placet, pro tua humanitate ignosces. Quod vero scholiorum tuorum numero 8. arroganter notas, ex illa vetere vitiosa scriptura, natam esse ineptam nostram interpretationem eiusmodi, cum hoc autem cúmque ipso Deo intelligit, dic mihi Logodædale, quid tibi in eo ineptum videri potest, nos non modo Deum, sed ne quidem quicquam eorum quæ sunt, intelligere sine ipso Deo, & sine splendore ab hoc in nostrum intellectum emanante? Equidem istud & Platonicis & nostris Theologis familiare esse certo scio: cum quibus nihil potest, solo te iudice, ineptum videri. Vt scilicet hoc (cũ ipso Deo intelligere) significet quando mens philosophi fruitur ipso Deo, & quasi cum illo vnita est, extremo & summo philosophiæ munere. Túmque ab eisdem Platonicis, sicut & à Mercurio Trismegisto, illa dicitur frui Dei colloquio. Quanquam de eo ipso nihil temere pronunciatum velim, sed suum cuique liberum esse iudicium. In quo cum longe grauius à Marsilio Ficinio esset peccatum (quia omnino nihil horum expressit) ei omnia à te indulta sunt, in me vel leuissima seueriss imè exagitata. Sic, credo, castigare soles quos amas ex animo.

Rideo vero plumbeum acumen tuum in explicanda comparatione partium cum toto, scholiorum tuorum numero 9. Non est simpliciter verum, ais, partẽ esse priorem eo cuius est pars. Nam totum qua ratione ad suas partes refertur, & qua ratione suis partibus constat, vel simul est cum suis partibus, vel suis partibus prius. Si quis enim dicat manum aut pedem & similes humani corporis partes, esse corpore humano priores, quis ei concedat partes corporis à corpore se-

paratas, esse partes, nisi homonymῶs, quemadmodum manus picta manus est? Hui! quam subtiliter! Et si ex vnguibus leonem, quid à te in comparatione Platonis cum Aristo. quam tua præfatione in vniuersa philosophia polliceris, ex his possumus aut debemus expectare? Quid enim istud est, Logodædale, totum qua ratione ad suas partes refertur, vel simul esse cum illis, vel eisdem etiam prius? An non vt consideratur ex partibus quasi nascẽs, vt hoc loco ab Alcinoo, ad eas refertur? Atqui eisdem hoc modo, natura posterius est. Equidem eo tempore quo hæc ipsa contra nos meditabaris, cum tuam in Politica Aristotelis latinam interpretationem adornares, animaduerto te valde fuisse impeditum eo loco quo ille scribit cap. 2. lib. 1. Ciuitatem esse natura priorem domo. Sed quis credidisset in eo fastu quẽ præ te fers, tantum esse posse insciticæ: præsertim in eo quod philosophiæ candidatis iam omnino tritum est & vulgare? In quo philosophi sententiam peruertis, & ea effundis quæ vix puero digna sunt. Aristoteles enim non solum eo loco, sed aliis pene infiniris, vult partium naturam & essentiam spectari in vsu quem à toto accipiunt, extra totum amittunt. Ideóque negat partes ab illo separatas amplius manere, nisi secundum nomen: quod in illis tantum propter figuræ similitudinem manet, etiam sublato vsu. Quemadmodum manus picta aut lapidea, manus appellatur: non quod habeat manus vsum, in quo posita est vera eius natura & essentia, sed propter figuræ similitudinem tantum. Tu vero quid censes? Si quis dicat, inquis, manum aut pedem & similes humani corporis partes, esse corpore humano priores, quis ei concedat, partes corporis à corpore separatas, esse partes, nisi homonymῶs, quemadmodum manus picta, manus est? In quo dupliciter erras. Priore quidem loco, quòd putas quæri ab Aristo. an manus, sit humani corporis pars cum à corpore separata est: Num potius an manus sit manus, postquam separata est ab eo cuius manus erat. Illud enim quod tibi fingis, esset omnino ridiculum: in hoc autem dubitationem pariunt dignam philosopho, vna quidem ex parte manens ipsius manus quasi corpus, vel eiusdem materia cum sua figura: altera vero ex parte sublatus vsus, in quo finis est & quasi forma essentiæ, vt idem Arist. docet cap. vltimo lib. 4. Meteor. Alter error tuus longe grauior, quod componens locum Alcinoi cum eo, quem ex Aristo. Politicis paulo ante indicauimus, colligis si vt Alcinous vult, partes toto priores concedantur, neminem daturum partes à toto separatas manere nisi homonymῶs. At contra Aristoteles concludit totum esse natura prius, partes verò posteriores, quia hæ ab illo separatæ non manent nisi homonymῶs. Et certe in philosophia, cuius in te hic indicas crassam & supinam igno-

rantiam, quæ priora sunt, sublatis posterioribus, adhuc sinonymῶs manent, non tantum homonymῶs. Quia rationem essentiæ priora à posterioribus non accipiunt: ideóque his sublatis, secundum eandem essentiam (quod est sinonymῶs) manere possunt. Sed hæc vt antea dixi, longissimo interuallo penéque infinito superant tuam Logodædaliam. De quibus si quid voles discere, vide quæ à nobis obseruata sunt Commentario in cap. 12. Alcinoi, numero 1.

τὸ ἐπίπεδον, cur in tuis scholiis numero 6. & decimo mallueris interpretari figuram in planitie & superficie descriptam, quam ipsam superficiem, nescio. Cum Plato corpora composuerit ex superficiebus tanquam ex principiis, vt Aristoteles ait libro 1. de ortu, de quibus agi video hoc loco ab Alcinoo. Quanquam earum differentias per figuras exposuerit. Quemadmodum apud eundem Platonem superficierum principia sunt ipsæ lineæ, non harum rectitudo, vel obliquitas. Quod verò ferè eodem loco ἀλλοίωσιν interpretaris mutationem qualitatum, quam vulgo alterationem vocant: alij vero variationem dicere mallunt, id non improbo. Sed hoc non placet quod subiicis ea quæ hoc modo mutantur, fieri alia. Hoc enim improbant Porphyrius capit. de differentia, Aristoteles in Categoriis, capite de substantia, & capite 2. libro 1. de ortu. Si quidem hi ea sola volunt fieri alia, quæ substantiam mutant, non solas qualitates: quibus mutatis adhuc substantia etiam numero eadem potest manere. Quod cum accidit, tum subiectum mutationis aliud fieri non dicitur, sed dissimile. Ex quo philosophi repetere solent discrimen inter motum propriè dictum, & substantiæ mutationem. Nisi fortè tu cum Heraclito dicere mallis alium esse æquum qui ingreditur aquam, & eandem egreditur: quod ad hunc tuum loquendi modum necessariò est consequens.

Postquam Alcinous dixit corpus ex materia formáque constare, quod sequitur de similitudine cùm idea, id ego interpretatus eram de tota re naturali illis duobus principiis constante, sicut & Marsilius Ficinus, in eo haud dubiè Platonicorum sententiam sequutus. Quibus ipsa naturalia corpora, sua materia formáque constantia idearum sunt imagines, inexplicabili quodam modo per imitationem adumbratæ: Nec hominis anima sola, ideæ hominis imago est, sed homo vt in sensum cadit, ex suo corpore & anima constitutus. Atque certe in Græco Alcinoi cõtextu à particula ὅπερ non tam referri videtur εἶδος (quanquã hoc propinquius) quam τὸ σῶμα vel σωδύασμα. Tu vero hoc de sola corporis naturalis forma intelligi voluisti: quæ fortasse non tam est ideæ imago, quam radius qui ab illa defluens, &

in materia exceptus & cum hac inexplicabili modo vnitus, ipsam imaginem materiatam parit. Corpus omne, inquis, conflatum est ex materia & forma ei iuncta: quæ quidem ideis assimilatur. Sed in ambigua particulæ vnius relatione, hoc tibi condonemus: Subtiliorémque tuam philosophiam in huius sententiæ explicatione expendamus. Alcinous ait imagines ideis similes fieri earúmque participes modo quodam inexplicabili. Expectabam profecto cum eum locũ à te numero 13. scholiorum, notatum animaduerti, vt id explicare conareris, quod hic dicit inexplicabile. Sic enim hominem raræ & reconditæ doctrinæ facere decuit: præsertim in eo authore, in quo breuibus scholiis id tantum attingit quod paucis est cognitum. Quid vero est quod hoc loco obseruas. Forma, inquis, quam εἶδος appellant græci, ideis æquiparetur, nihilque præterea. At hoc ex ipso contextu cuiuis erat manifestum. Scilicet, istas ad populum phaleras. In quibus digna profecto Logodædalo obseruatio. Mihi vero crede sanctè iuranti, non potui cum in te seria & grauissima te tam puerilia sectantem animaduerti, istis nugis legendis risum tenere.

Omnis qualitas in subiecto est] Hic integra vna ratiocinatio est tribus membris absoluta, quæ à te tota est prætermissa. Quod quia homini reprehendendi studio festinanti, facile potuit accidere, liberaliter condono. Sed vide vt hanc meam erga te humanitatem alio loco recognoscas.

In Cap. 10.

Huius capitis prima tua periodus parte posteriore dura supra modum esse videtur, & ne quid dicam grauius, parum digna Logodædalo. In eáque etiam amplius, quod interiectam sententiam sequitur, si cum eo conferatur quod eandem antecedit, omnino dissolutum est. Quoniam eorum, inquis, quæ natura sub sensum cadunt, & cætera: quando igitur hæc ita sunt. De quibus hoc posterius neque est in cõtextu græco: neque cum superiore satis apte connexum.

Habentia quidem tunc tantum vestigia) Etiam si in tuis scholiis notes locum hunc à nobis pessimè esse cõuersum, priorem tamen nostram sententiam, perpaucis in verbis mutatis, adhuc retineo: quòd hæc ad mentem Alcinoi, & Platonicorum maximè accommodata videatur. Significat enim, quod ipse non videris satis attente considerasse, in materia confusa ante mundi originem, non fuisse elemẽtorum actus (sic enim Peripatetici formas nominãt) quia nulla adhuc erat eorum distinctio: sed tantum ad illos rudimenta quædã: ac in iis ad eosdem actus quandam naturæ aptitudinem, qualis est in omni materia ad

suam

ſuam formam relata. Cæterum velim obſerues tres aut quatuor periodos ineptiſſimè à te in vnam eſſe coniectas: eóque authoris ſententiam valde eſſe tua interpretatione confuſam. Adde quod in eadem, illud in lingua latina à Logodædalo parum comptum eſſe videtur, ita vt eas, inquis, ad eum modum inter ſe diſtinxerit quemadmodum nunc ignis & terra, & cætera. Sed illud ineptius, quod vbi ex Platone mundi origo ex quatuor elemẽtis explicatur, τὸ γενώμενον, vertis id quod ortum eſt. Quaſi vero id quod ortum eſt, adhuc ex elementis oriatur: aut iam ortum id eo loco dici poſſit, in quo de illo procreando Dei cogitatio explicatur. Deníque cum inepte, ſicut dictum eſt, tres aut quatuor periodos in vnam coniecisſes, non minore inſcitia ad extremum id ſeparaſti, quod cum ſuperioribus neceſſariò erat connectendum. Nam cum de mundi procreatione quaſi deliberantem Deum feciſſes, hoc modo, Cum hæc, inquis, Deus cogitaſſet, primum quidem id quod ortum eſt corporeum ſiue corporatum eſſe debere, & omnino tractabile atque aſpectabile: nihil autem igni vacuum aut terra carens, neque cerni poſſe, neque tangi. Pendula adhuc erat, ſicut vides, authoris ſententia. At tu periodo illic omnino cõcluſa, nouam ſtatim exordiris, Probabili igitur ratione, inquis, eum ex terra & igni creauit. Quod cum ſuperioribus manifeſtè erat connectendum, & eadem periodo, ſicut fecimus, comprehendendũ: aut certe in ſuperioribus alia diſtinctio adhibẽda. Satis vero illud pro tua authoritate quod ſequitur, Idcirco inter ignem & terram, inquis, aër & aqua ex proportionis modo locati ſunt. Nos certè plæbei, locata, dicere malluiſſemus: ſicut tu paulo ante, hoc ipſo capite cum populo rectius dixiſſe viſus es, quemadmodum ignis & terra ad aërem & aquam affecta ſunt. Sed tibi in Logodædalia regnanti, quæ rara ſunt, magis ſolent placere.

In proxima ſententia interiecta, tuo more luxurias. Cum enim hoc ſolum ab Alcinoo dictum eſſet (ἀπέχει γὰρ ἓν αὐτο μία μεσότης) quod nos ſic latinè reddidimus, huic enim vnum medium fuiſſet ſatis: tu addendo multa de tuo, ita explicas, tum enim vnum interiectum medium ei ſatis eſſet, ad ſe ipſum & ad ea quibus eſſet interiectum, colliganda, Quod quidem animaduerto ex Ciceronis libro de vniuerſitate eſſe deriuatum. Sed hoc non eſt Alcinoum interpretari: verum, vt ſolet Perionius, pro Alcinoo loquentem Ciceronem inducere. Nec quod ſequitur in tua Logodædalia magis probo, duabus ei medietatibus, inquis, opus fuit, ad eius coniunctionem. Quale enim hoc, ei ad eius? aut illud, mundo ſatis eſſe vnum medium ad ſe ipſum, & ad ea colliganda quibus eſt interiectum? Equidem neſcio cum dicis ad ſeipſum, mundum ne an medium debeam intelligere. Nec

vtrumuis eligas, aptè videris hæc omnia de tuo addidisse. Eodem vero loco valde probo coniecturam Nicolai Gulonij collegæ nostri, in eo quod vbi legitur σφαιροειδὴς δὲ, reponendum arbitratur στερεὸς δὲ, id est, pro globoso solidum. Nec enim plano, quod τὸ ἐπίπεδον dicitur, globosum propriè opponitur, sed solidum. Et certè Platonis locum sic Cicero eodem libro videtur interpretatus. Non multo post, vbi ab Alcinoo dicitur καὶ τοῦτο πρὸς γλῶ, id est, & hæc ad terram, tu conuertis, & hæc terræ proportione respondeat. At non quæritur an aqua terræ proportione respondeat: sed quam proportionem ad terram habeat. Quæ duo si eadem esse putasti, tota via aberrasti.

Et quoniam neque aspectu egebat, neque auditu, neque vllo alio sensu.] Nos hac in parte Alcinoi sententiam sic expressimus, vt concludat mundum in suo corpore nulla habere distincta ad sentiendum instrumenta: quia non egebat sensibus. Tu vero sic, quia neque oculis egebat, neque auribus, neque vero vllo alio tali sensu: non affinxit ei talia ad sentiendum instrumenta. Perinde ac si inferas, quia non indigebat instrumentis ad sentiendum, nulla talia ei à Deo esse data. Quod ineptum est & insulsum. Neque vero Alcinous oculos dixit, sed ὁράσιν, id est aspectum vel videndi vim, vel si mauis, oculi in videdo actionem atque functionem. Hæcque eius ratio innititur illi axiomati quod Aristoteli in physiologia familiare, Deum & naturam nihil frustra facere, sed omnia ad certum quendam finem & vsum esse destinata. Frustra autem sentiendi instrumenta mundo data essent, cum in eo nullus sit sensuum vsus. Quoniam extra mundum nihil est quod hic sensu debeat, aut possit percipere.

In Cap. II.

Initio te amicè monere volo, toto hoc capite, physica ex Platonicorum consuetudine à Pythagoreis deriuata, per Geometrica explicari. Vt hac occasione animaduertas, eius rei ignoratione à te magna temeritate deprauatum locum Ciceronis initio Academicæ primæ. In quo cum Academicus idémque Platonicus, causam reddere vellet cur ad philosophiam latinis literis illustrandam non accederet, nempe quod in physicis Platonicorum more tractandis, ipsis Romanis verba deessent: vt pote quibus nondum erat satis nota Geometria, vt colligi potest ex præfatione Tusculanæ 1. per quã tamẽ Platonici sua physica solebant explicare, Nostra, inquit, tu physica nosti, quæ cõtineantur ex effectione, & ex materia ea quam fingit & format effectio. Adhibenda enim Geometria est: quam quibusnam quisquam enuntiare verbis, aut quem ad intelligendum poterit adducere? Hæc

ipsa de vita, & cætera. Quo loco perpaucis mutatis maxima est sententiæ commoditas. Tu vero eius rei ignoratione, lineam integram expungendam censes: neque adhuc hac expũcta reperire potes, quod Cicerone dignum videatur. Sic enim legendum arbitraris. Nostra tu physica nosti, quæ continentur ex effectione & ex materia: adhibenda enim ea materia est. Hæc ipsa de vita & moribus, & cætera. Pro eóque loco, sine vllius exemplaris authoritate sic deprauato (restitutum dicere volui) tu in scholiis tibi triumphum decerni postulas. In quo, vt cætera tibi condonem, dicito nobis obsecro te, Logodædale, quorsum hoc esset à Cicerone subiectum, adhibenda enim materia est? An quod vnquam quisquam de physicis dubitauerit num in principiis materia esset ponenda? De quo, fateor, me primum per literas Gifanius noster admonuit: quibus tibi in tuo Cornelio nepote, vel Æmilio Probo, plagium obiicit, quod loca ferè quinquaginta, quæ ille, vt ait, in suo Lucretio apud Plantinum anno 1565. edito, restituerat, tu pro tuis impudenter venditaueris. Quæ cum voles ex eiusdem epistola tibi fideliter recensebo. Eadem vero occasione non possum prætermittere locum alium in eodem Cicerone libro 2. de natura Deorum, à te eadem temeritate deprauatum. In quo cum Cicero probare vellet calorem esse fusum per omnia, etiam ea quæ natura frigida sunt, Ipse vero aër, inquit, qui natura maxime est frigidus, minimè est expers caloris: ille vero & multo quidem calore admixtus. Tu quia aliquando ex Peripateticis audiueras aërem non frigidum, sed calidũ, maximéq; humidum, legendum putãsti, qui natura maximè est humidus. Neque in eo animaduertisti Ciceronis argumento suam vim adimi: quæ in eo est maxima, quod calor fusus dicatur etiam per ea quæ natura frigida sunt: nec Stoica à Peripateticis distinxisti. Quoniam hic certum est Ciceronem loqui ex Stoicorum opinione: quos inter philosophos constat aërem natura frigidum, non calidum posuisse. De quo à nobis sæpe inter docendum admonitus, errorem tandem agnouisti: sed eum in Typographum reiicere es conatus. Sic enim scribis Commentarij tui in Æmilium Probum fo. 447. Lectorem, inquis, hic admonebo, apud Ciceronem lib. 2. de natura Deorum, nõ longe à principio, locum esse in nostra editione corruptum, in vulgatis emendatum: quod non tam mea, quam operarum & eorum qui impressioni præerant, culpa contigit. Nam cum adnotassem ad oram illius loci, aër qui maximè frigidus, & cætera. imo humidus ex Aristotele: illi eiecta vera voce, frigidus, humidus substiterunt. Sed præstat totum illum locum ascribere. Ipse vero aër qui natura maximè est frigidus, minimè est expers caloris. Sic habent omnes aliæ editiones, inquis, & rectè. Nam ex sentẽtia Stoicorũ, quam hic explicat

Cicero, aër frigidissimus est. Gaudeo ita me Deus amet, id ipsum loco hoc tandem placuisse, de quo nostris prælectionibus frequenter, vt permulti mihi testes sunt, te admonuimus. Valdéque approbo commentum tuum, quo probabiliter sanè culpam hanc in Typographos horúmque operas videris reiicere. Hi enim in suo munere frequenter peccando, iampridem sunt consequuti, vt eiusmodi excusatio non possit nisi valde probabilis existimari. Sed tibi caue, Logodædale. Vereor enim ne iidem grauius quam existimes eo ipso loco in te peccauerint, tibíque aliud impoſuerint, in quo noua excusatione sit opus. Nam quod tu in Æmilio Probo illis attribuis, hi tuis in Ciceronem scholiis tibi ascribunt: fáciúntque vt magnam laudem quærere videaris ex eius loci restitutione, quem tu hic depravatum fateris, idque eorum culpa contigisse causaris. Sic enim à te scriptum fingunt notis tuis in librum 2. de natura Deorum (Ipse vero aër qui natura est maximè humidus) Sic legendum est, vel libris omnibus inuitis, non vt habent (frigidus) Aër enim calidus est natura: sed humidior quam calidior: quod minus apparet minúsque sentitur, propter calorem. At contra aqua humorem suum habet in promptu maximéque declarat, propterea quod frigida est. Quo modo vero potest esse maximè frigidus, si non est expers caloris, atque adeo si est multo calore admistus, & si est aquarum quasi vapor: cum vapor omnis sit calidus? Hæc tui Typographi tuo nomine ediderunt: pro quibus si me audis, dicam grandem illis impinges. Sin minus, caue ne illa ferendo, non effugias quin te in veterum scriptis immutandis, & contaminandis valde precipitē ac temerarium: in hácque temeritate excusanda valde obliuiosum senem merito existimemus: atque in his dubitationibus quæ loco posteriore te perturbant, rerum philosophicarum omnino ignarum. Hinc vero alius error tuus emanauit, numero 71. annotationum tuarum in lib. 7. Aristo. de moribus, quem tantum tibi indicabo. Notum est ex Platonis Timæo, inquis, ex materia, quæ indiuidua est & quæ semper est vniusmodi, & ex ea quæ corporibus diuidua gignitur, Deum tertium materiæ genus ex duobus in medium admiscuisse, quod esset eiusdem naturæ & quod alterius. Imo philosophis in Platonica doctrina exercitatis, vel ex iis solis notum est Logodædale, te omnino ineptire ab illáque tota via aberrare.

Seruans Alcinous initio capitis eundem ordinem in assumendis elemētis ad cōpositionem corporis mūdi, quē cap. superiore in illorū origine explicanda, dixit illud coagmentatū ex igne, terra, aqua & aëre: quod nos obseruauimus. Tu vero eo neglecto dixisti, ex igne aëre aqua & terra. Hoc pro tua authoritate leue videri potest. Cúmque ab

eodem esset subiectum, materiam illorum rudem conformatam pyramide atque cubo, & cætera: quòd hæ figuræ secundum Pythagoreos in elementis rationem habeant formæ essentiæ, qua res dicitur conformari, quia vt Philosophi loquuntur, dat esse rei: tu dicere maluisti, in pyramidem & cubum conformauit. Quæ duo si existimauisti idem significare, in rebus Philosophicis puero es rudior. Sed hoc profectò te dignum est, quod cùm in eodem contextu dictum esset ab Alcinoo, pyramidis figuram omnium maximè secando, diuidendóque esse accommodatam, paucioribus triangulis constare, essèque tenuissimam: atque idcirco eam igni esse attributam: tu qui nihil nisi reconditum in tuis Scholiis sectaris, horum num. 4. de eadem re id ipsum repetis quod omnibus erat in ipso contextu clarissimum. Pyramis, inquis, figura est solida, tenuissima, & acutissima, & ad scindẽdum aptissima, & ex paucissimis triangulis seu triquetris conflata. Idcirco ignis naturæ tributa est à Platone. Næ tu magno animo, Logodædale, ad Philosophiam aspiras, sed in hac vires deficiunt.

Reconditæ verò huius eruditionis tuæ specimen maius edetur, in accommodandis quinque figuris regularibus ad corpus vniuersi. Vt ex iis adhuc quasi ex vnguibus, sicut antea sæpe, in doctrina Platonica & Pythagorica rugientem leonem recognoscamus. Ergo hac in parte Scholia tua attentè consideremus. Plato, inquis, Mathematica ad Physica accommodat, Pythagoreos sequutus: ita vt ex Mathematicis Physica componere videatur. Non tamen hoc significat corpora naturalia ex figuris & numeris, tanquam ex partibus constare: sed tanquam ex principiis & terminis componi. Quia natura in Mathematicas figuras, tanquam in principia & terminos retexantur. Hui! quanti est sapere? quàm tibi aperta sunt, quæ aliis omnibus recondita, summa doctrinæ Platonicæ & Pythagoricæ mysteria. Ex quibus, si placet, hoc aliquando nobis explicabis, cur tibi absurdum sit naturalia corpora ex figuris & numeris, tanquam ex partibus constare: placeat autem ex eisdem tanquam ex principiis componi. Itémque serióne id affirmes, quod pro ratione subiecisti, naturalia ex illis componi, quia in Mathematicas figuras tanquam in principia retexantur. Nam mihi certè vtrumque patem dubitationem habet: quod video ab Aristotele in Metaphysicis, & libris de Ortu esse reprehensum. Quod verò de Dodecaëdro scribis, ita à nobis redditam Alcinoi sententiam, vt nullo modo possit intelligi, in eo manifesta est tua calumnia. Dico enim, cùm quatuor sint elementa, & quinque primæ figuræ regulares, de his, quatuor singulas singulis elementis accommodari. Ex quatuor autem elementis constare magnũ corpus vniuersi: cuius figura est quintæ speciei, nempe Dodecaëdra. Itaque ignem formatũ

pyramide,terram cubo,aërem octaëdro,aquam icosaëdro:coniuncta autem hæc omnia,vel præterea,hæc omnia, id est, ἐπὶ πᾶσι, Dodecaëdro. Quæ sententia est Io. Grammatici in disputatione contra Proclũ de mundi æternitate. Imò verò etiam tua. Dodecaëdrus, inquis,ipsi vniuerso & mundo accommodatur,propter sphæras duodecim,& signa duodecim in orbe signifero. Nisi quod in contextu πᾶσι, prætermisisti:dixistíque,& postremò in figuram duodecim sedium. At cum quatuor elementis,quatuor primæ figuræ erant accommodatæ,indicandum fuit quid esset illud postremum, cui figura Dodecaëdra cõueniret.

In Scaleno autem quàm flagitiosè peccas, ignoratione rerum Mathematicarum & Philosophicarum! Hîc trianguli species quædam est,quæ habet tria latera inæqualia, indéque etiam tres angulos inter se inæquales. Inæqualia autem tria latera, itémque tres anguli,infinitis modis esse possunt. Quare cum hac specie pro altero principio figurarum regularium,Alcinous ex Platone vti vellet,eius infinita natura ad finitum fuit reuocanda, per determinationem proportionis quam haberent inter se,vel illa tria latera in sua inæqualitate, vel anguli ex illorum laterum compositione nati. Determinatio laterum est apud Platonem in Timæo, apud Alcinoum verò angulorum: vt scilicet vnus sit rectus, reliqui duo ex communi Geometrarum sententia, ita æquent alterum rectum, vt horum vnus eius duas tertias complectatur,reliquus eiusdem reliquam partem tertiam. Quæ germana est hoc loco Alcinoi sententia:tu verò eam de quocunque Scaleno es interpretatus. Planæ naturæ,inquis,quidam quasi progenitores sunt trianguli duo pulcherrimi:quorum alter Scalenus tria habet latera inæqualia: alter Isosceles, id est æqualibus cruribus præditus. Cùm Scalenus vnum quidem angulum rectum, alterum verò duos trientes vnius recti,reliquum vnius recti triente definitum. Hîc igitur prior(triangulum Scalenum dico)pyramidis,& cætera. Ineptius est quod scribis in Scholiis num. 5. Scalenus, inquis, figura est plana triquetra seu triangula, tria latera habens inæqualia, vnum angulum rectum,cæteros duos æquales vni recto, ex quibus alter habet duos trientes,seu duas tertias vnius recti, alter vnum trientem, seu vnam tertiam partem. Elegans sanè,& te digna Scaleni definitio. Fœtorem verò tuæ impudentis ignorantiæ, in eo quod certæ speciei proprium est,ad vniuersum genus referendo,satis ex ipsius contextus vitiosa interpretatione percipiebamus, etiam si idem in tuis Scholiis apertius non expressisses.

Quod paulò post Alcinoo ascribis, tres triangulos æquicruros congressos (sic enim loqueris) quadrangulum talem efficere, quales

hi sunt quadranguli sex, ex quibus cõstat cubus, id tuę est impostura, & eius insciti, quæ excusari nullo modo potest. Nam Alcinous ait ex quatuor triangulis talibus quadrangulũ componi. Nec video quo modo tu supra omnem Geometriæ fidem, ex tribus talibus triangulis, tale quadrangulum possis absoluere. In vestra verò Logodædalia nescio quo authore, quadrangulum, cùm substantiui loco est, masculino genere vsurpaueris: vt tibi latinè dicere liceret, quadrangulum talem & quadrangulos sex.

Cùm ad finem capitis huius, materia superioribus figuris expressa & informata à Deo dicatur: quæ prius rudibus vestigiis inordinatè mouebatur: tu Scholiorum tuorum num. 6. suspicaris verba esse transponenda, dicendúmque, His igitur figuris quasi vestigiis à Deo impressa materia, &c. Deinde vbi indicasti veterem scripturam retineri quoque posse, mones in hac translationem esse ab animalibus, quæ cùm titubant & vacillant, inquis, vestigia figunt inordinata: quæ à Poëta titubata dicuntur. In quo omnibus elucet singularis tua doctrina Philosophica eáque profecto, digna Logodædalo. At istis verborum deliciis ad Poëtas relegatis, in quibus nosti simulare Cupressum, disce ex Platonicis, materiam confusam ante mundi originem, in se tantum habuisse elementorum vestigia, quibus inordinatè tum mouebatur: eandem verò in mundi origine superioribus figuris distinctam & efformatam esse, sicque singula elementa ex confusione in ordinem adducta, cœpisse quoque ordinatis motibus moueri. Neque verò vestigium elementorum aliud significat quàm eorumdem rudimentum: quodquidem materiæ est, non ipsius formæ. Itaque cùm figuræ, quibus elementa distincta sunt, in eisdem ex Platonica & Pythagorica doctrina pro formis vsurpentur, nihil ineptius ea sententia quam verbis transpositis inducere voluisti. His figuris quasi vestigiis inquis, à Deo impressa materia, &c. Atqui elementorum summæ perfectiones in figuris ab illis positæ, eorumdem vestigia dici nullo modo possunt.

In eo quoque quod paulò post scribis non, manere perpetuò quatuor elementa vno in loco ita descripta, Alcinoi sententiam immutas. Non enim vult ea non semper manere vno in loco, quia post distinctionem in mundi origine, non in vno loco sunt: sed cùm in ipsa mundi origine secundum regiones suas essent distincta (διακριθέντα καὶ χώραν) grauia scilicet in regione inferiore, leuia in superiore: ea non manere sic semper distincta, sed locis propriis permutari. Quod indicat, cùm subiicit tenuia venire in locũ crassiorum. Quodquidem intelligendum est cùm eadem elementa secundum partes in se inuicem permutantur.

In Cap. 12.

Initio capitis huius, contextui addendo, detrahendo, ordinem immutando, prodis in tuis Scholiis certissima argumenta temeritatis tuæ, in bonis authoribus contaminandis. Et tamen etiam si tibi hac in parte liceat quidlibet, Alcinoi sententiam, quam non valde obscuram prædicas, nulla ex parte assequeris. Postquam sursum, deorsum, omnia sine iudicio permutasti, sit, ais, hic Alcinoi sensus. Eas animi potestates quæ in animo apparent, ad eius doctrinam fecit Deus: vt his potestatibus, corpora cognoscere posset. Sed quàm hic insulsus erit & putidus! Primùm enim de Deo interpretaris, quod de Platone erat intelligendum. Quoniam non hîc quæritur, qualem animi doctrinam Deus esse voluerit: sed qualem eam Plato instituerit, & quo modo nos ad eius cognitionem deducere sit conatus. Quod sequentia tam manifestè declarant, vt te valde rudem esse oporteat, quiid videre non potueris. Deinde cuius est hoc acuminis, dicere animi potestates, quæ in animo apparent? aut Deum fecisse animi potestates ad doctrinam animi? Ineptissimum verò illud, doctrinam animi ex potestatibus animi institui, vt per eiusmodi potestates animus corpora possit cognoscere. Quis enim tandem hic erit fructus doctrinæ de animo instituræ, per quam corpora poterunt cognosci? Equidem nihil vnquam legi insulsum magis, & vt ingenuè fatear, quo longius pergo in his examinãdis, eo magis sentio in me minui opinionem eã quam de tua doctrina quantulamcunque animo conceperam. Disce verò Logodædale, & in verborum artificio quantumuis excellens, meliorem rerum cognitionem noli aliis inuidere. Disce, inquam, nouum non esse in Platonis doctrina, sed huic cum Aristotele familiare, in quæstione de animo ex obiecto venari actionem, ex actione facultatem, ex facultate essentiam. Hunc enim ordinem Aristoteles ipse præscribit cap. 4. lib. 2. de Animo. Et certè id ipsum est quod hoc loco dicere voluit Alcinous, Platonem animi doctrinam instituisse, ex corporibus ad eas facultates quæ in animo apparent. Nam cùm videret animo inesse facultatem cognoscendi duo genera obiectorum, vnum eorum quæ semper eodem modo se habent, alterum mutabilium & fluentium, existimauit quoque in eodem duas facultates esse distinguendas, & in huius essentia ea ponenda, quæ duabus his facultatibus essent accommodata. Talia verò in illo idem & alterum. Quemadmodum apud Aristotel. cap. 2. libr. 1. de Anima, Empedocles dicitur in ipso animo posuisse essentiam quatuor elementorum: vt hic ignem igne, aërem aëre, aquam aqua, terram terra posset cognoscere.

Vbi

Vbi Alcinous ita scribit, καὶ τὴν ψυχὴν δὲ ἀεὶ ὄσαν τοῦ κόσμου οὐχὶ ποιεῖ ὁ θεός, tu vertis, Neque animum autem mundi semper esse facit Deus. In quo huic falsam affingis sententiam, & in doctrina Platonica impiam. Nam si animus semper est, Deus certè qui sua voluntate huic præstat, vt semper sit (quod vno consensu omnes Platonici dicunt) eundem semper esse facit. At id non est, quod author hoc loco vult: sed Deum mundi animum semper (vt sic dicam, verbum verbo reddendo) essentem, non facere, vel non procreare. In quo contextus distinctione opus est. Quoniam pugnant hæc inter se animum mundi semper fuisse, & reuera à Deo factũ esse: id est originem eam habuisse quæ à Philosophis rei, non rationis tantum appellatur. Quam distinctionem sic expressimus, Neque verò mundi animum qui semper fuit, Deus procreat, sed exornat. Háncque certò scio germanam esse Alcinoi sententiam, & ex eorum fontibus deriuatam, qui mundo originem rationis tantum, non rei attribuunt. De qua plura à nobis dicta sunt in Commentario.

In caro oculos habes profectò nimium perspicaces. Ego celeritate interpretandi, præterita copula vna, καὶ, quam nunc in Alcinoo recognosco, conuerteram ex cari profundo somno, vbi dicendum erat ex caro & profundo somnò. Candido æstimatori alienorum scriptorum leue hoc videri potuit: cùm haud dubiè authoris sententia esset seruata: qua significat profundum somnum, non tam naturalem quàm morbosum, qualis contingit in caro. Tu verò de eo perinde mecum agis, quasi omnino ignorauerim quid κάρος esset. In quo quãquam non omnino Sus Mineruam, ineptè tamen facis qui me ea docere vis, quæ artis nostræ sunt, & supra Logodædaliam. Pro quibus vt tibi debitam gratiam referam, primum illud moneo, quod ex Suida scribis, carum esse innatam ex vini potu ebrietatem, & mentis abalienationem, non satis apud me habere virium ad statuendum de re medica. Nec solùm carum non semper nasci ex vini potu, quod obseruasti, sed ridiculum esse eam ebrietatem quæ nonnunquam carum parit, dicere homini ex vini potu esse innatam, his præsertim qui intelligunt innata assumptis & aduentitiis, vel aliundè receptis solere opponi. Sed neque in morboso somno, tam verum esse abalienari ipsam mentem, quàm obrui, vel vinctam teneri. Quoniam in alienatione perturbatio est mentis vehemens, & commotio inordinata: in caro, quædam, vt Medici loquuntur, paralysis facultatis imaginatricis, & mentis multò magis. Sed illa tibi, tuóque in Logodædia magistro condonemus, & ea quæ ex Galeno nos docere vis, expendamus. Hoc authore scribis, carum omnes sensus adimere: at idem Commentario 2. in lib. 1. Prorrhetic. vult carum etiam esse, cùm æger tum

sensu, tum motu aliquantisper tantum priuatur. Falsum verò omnino est quod subiicis, carum à veterno differre, quòd febris carum antecedat, veternus subsequatur potius. Quid enim tamne ineptus es, vt existimes, veternum ad carum aut semper aut vt plurimum solere subsequi? Equidem dignus es, quem supra Logodædaliam exornemus & ad medendi magisterium extra ordinem euocemus. Quod si in febre carum & Letargum comparare voluisti, disce sic tibi potius loquendum fuisse, in caro adhuc humorem non putrere: ideóque sine febre esse, & cum profundiore somno: in letargo eundem putrescere oportere, & idcirco esse cum febre, minoréque somnolentia. Hoc enim magna ex parte tibi cõtrarium, Galenus docuit libro 13. Metho di: cui in hac quæstione credendũ est potius, quàm tuæ Logodædaliæ.

Nec fortè ipsa mens.) Tu hoc loco non satis accuratè considerans vim argumenti quo Alcinous vtitur, distinctionem contextus omnino peruertisti. Concludit enim quia mundus erat futurus intelligentiæ particeps per mentem, oportuisse illum animum habere. Quod in eo vniri mens cum corpore non potuerit, nisi per medium animũ. In quo quod idem dicit, ὑποστῆναι, id pertinet ad existentiam vel subsistentiam corporeã in rerum natura, quod nos Philosophorũ more interpretati sumus, subsistere, modò id per tuã Logodædaliã nobis liceat. Tu verò, cõstare, dixisti: nec animaduertisti in formis à corpore separatis mentẽ quidem sine animo constare: sed in corporeis naturis mentem sine animo, non existere vel subsistere. Idq; quia extrema in natura non cohærent sine medio. Mentis autẽ & corporis vt naturarum suis proprietatibus extremarum, vinculũ ac mediũ à Platonicis in animo est positum. Sed hoc quoq; supra tuã Logodædaliam.

Ἀνατολὴ, mihi hoc loco potius significare videtur ortum absolutè, quàm quod de tuo addis, ortum Solis. Quoniam loquitur Alcinous de globo supremo & extimo: quem dicere moueri ab ortu Solis ad occasum, mihi omnino ridiculum est. Cùm potius Sol quotidie ab huius ortu ad eiusdem occasum moueatur. Idque quoniam diurnus Solis motus, in quo tu hunc ortum posuisti, potius pendet ex motu primi globi, quàm hîc ex illo: & naturalis Solis ortus, qui in eiusdem proprio motu consideratur, contrarius est ortui cœli extimi. Quanquam accidat vt ab hoc naturali puncto ortus cœli extimi, Sol nobis quotidie moueatur: non tanquam à suo ortu, sed tanquam ab ortu eius cuius motu rapitur. Quod sine subtiliore Philosophia ex hoc loco colligere potuisti.

Quod in descriptione temporis origo pro imagine superiore editione interpretationis nostræ est posita, amanuensis errore factũ est. Qui festinatione sua hocvocabulum ex proxima periodo in hanc de-

riuauit. In quo vt me erroris suspicione liberem non valde sanè laboro. Quod existimem vix eruditis persuasum iri, in me tantam esse cæcitatem, & rerum Philosophicarum ignorationem, vt existimare potuerim tempus originem sempiternitatis. Ac ne tibi eius loci emendationem vendices, testes sunt permulti qui nos in huius authoris publica explicatione audiuerunt, hócque prius quàm Alcinoum attingeres, à nobis esse restitutum meminerũt. Addam quoque si voles, eiusdem rei testem esse omni exceptione maiorem, ornatissimum virum, & nostræ Philosophiæ amantissimum fautorem Paulum Foxium. Qui, supra quam cuiquam credibile esse possit in vita tam occupata quàm eius est, hoc authore delectatus, meminit, cùm de hoc domi colloqueremur, & de Philosophia, sicut plerunque solet, commnnicaremus, locum hunc esse emendatum. Tu verò paulò post in interpretando eo loco peccauisti, in quo de magno Platonis seculo agitur. Quoniam vbi dicitur ἀριθμὸς καὶ χρόνος, tu vertis, numerus temporis. Atqui paulò ante in quæstione de caro, ipse noluisti vnius copulæ præteritionem nobis indulgere: cùm hîc & copula prætermissa sit, & casus temerè immutatus.

Loco proximo quid tibi velis omnino nescio. Nec sanè mirum. Quoniam ipse non intelligis quid ab Alcinoo, aut à nobis exigas. Dixeram in orbe errante septem esse sphæras. Quæ ad verbum Alcinoi sententia est: nisi quod, sphæram, orbem eram interpretatus: hócque vt Latinè vitarem id quod quia in Græco tibi durius visum est, Scholiorum tuorum num. 7. contextum peruertisti. Mendosus, inquis, videtur esse contextus verborum Græcorum in Codicibus vulgatis ὃν τῇ πλανωμένῃ σφαίρᾳ, id est in globo errante: legendúmque ὃν νῇ πλανωμένῃ φορᾷ. At si hoc modo legeremus, Alcinous ad verbum significaret septem esse sphæras in motu errante: sicque sphæram in motu poneret: nec sphæram alteram antea distinctam ab inerrante, subdiuideret, sed potius huius motum in septem sphæras. Quod esset fortasse Logodædalo dignum, sed Philosopho variis de causis indignum. Quid verò, inquis, hæc sibi vellent septem sphæras esse in sphæra errante? Equidẽ valde laboras in re facillima. Antea cœleste corpus, quod sphæricum est, distinxit in duas sphæras: quarum priorem dixit indiuisam, nunc verò in harum altera notat sphæras septem, in quas subdiuidatur: eas scilicet in quibus mouentur stellæ septem, quæ errantes nominantur. Tám ne rudis es, vt hoc nescias, quod Philosophis & Astrologis tritum est & vulgare? Quod verò loco posteriore sphæram, circulum vel orbem prius eram interpretatus, equidem sciebam quid inter hæc interesset: sed animaduertebam Astrologis nondum satis esse definitum, moueantur ne stellæ errantes in globis.

à se inuicem distinctis, an in circulis quos in globo eodem atque cõtinuato nostra fingit cogitatio. Videbam etiam amplius Alcinoum hoc ipso capite, ea in quibus mouentur errantes stellæ, modò σφαίρας, modò κύκλους nominare: vt non multò post cùm de Luna loquitur. Imò te ipsum hac eadem periodo, quem initio dixisti globum errantem, eundem ad finem circulum appellare. An mihi licere nolebas, vt pro circulo, orbem dicerem? Quaquidem in parte, ne tua Logodædalia contra nos insolescas, hoc te etiam admonitum velim, Ciceronem ipsum in Somnio Scipionis, cùm de eadem re loquitur, orbem cum globo coniungere. Nouem tibi orbibus, inquit, vel potius globis, cõnexa sunt omnia, &c. Et eodem libro, postquam dixit Saturnum obtinere eum globum qui summo cœlo est proximus, de Luna subiicit, hanc radiis solis accensam, in infimo orbe conuerti. Sed vt in eo tibi quidlibet concedamus: non possum certè in altero quod sequitur risum tenere. In quo postquam locum illum, sic vt dictum est, restituẽdum putauisti (quæ mihi profectò summa deprauatio est) ad extremũ de hac ipsa lectione tua dubitare incipis. Contrà, inquis, absurda lectio videatur, si quis ita scribat, οἱ τῇ πλατωμένῃ φωρὰ: quasi verò φωρὰ sit aliqua quæ non erret. Tandemque hac leuissima dubitatione perterritus, assensionem tuam cohibes: atque ita concludis. Consideret igitur, inquis, hunc locum lector. Ego enim de eo nihil statuendum duxi. Deum immortalẽ, quæ est ista iudicij inconstantia, vel potius summa infirmitas? Atqui ne dubita, Logodædale, námque est aliqua φωρὰ quæ non errat: vt ea certè quæ ad supremum globum pertinet.

In Cap. 13.

Quod initio capitis huius spectata sententia, magis quàm fide Græci exemplaris quod habebam in manibus, dixi Dæmones intelligentiæ participes Deos, potius quàm intelligibiles, id feci coactus partium contextus comparatione atque connexione. Nec enim nisi hac vrgente, soleo quicquam in bonis authoribus immutare. In quo factum meum abs te laudari, quanquam in hoc artificio viro magis sua temeritate nobili, quàm laudato, vehementer tamen gaudeo. Sed illud probare nullo modo possum, quod pro νοεροὺς θεοὺς, putas legendum, νοερὰς φύσεις, audacter profectò nimium, ne dicam, valde impudenter. Nec verò minus inepta ratione ad id commoueris. Nempe quod, vt ais, absurdum videatur Deos aliquos intelligentiæ participes dicere, quasi aliqui Dij intelligentia vacent. In quo næ tu homo es, non modò subtilioris Philosophiæ ignarus, sed omnino nullius iudicij. Vt pote qui non potueris initium capitis huius

cum fine superioris comparare. Etenim in illo concluſum eſt aſtra omnia eſſe νοερὰ ξῶα, καὶ θεοὺς, id eſt, animalia intelligentia & Deos. Nunc vero ſubiicitur pręter hos, alios quoque eſſe dæmones, quos ſicut & aſtra, dicere poſſis νοερὰ ξῶα καὶ θεοὺς vel νοεροὺς θεοὺς. Non ſentis quã apte hæc inter ſe cohęreant? Aut tam ne rudis es & inexercitatus in doctrina Platonica, vt adhuc neſcias in hac aſtra dæmonéſque & animalia eſſe, & intelligentiæ participes Deos. Lege Epinomidem Platonis, in eo ſenties illi omnino idem placuiſſe. Magni vero aliquid à te expectare debemus, vbi pleniore commentario in librum hunc ex lympidiſſimis tuis fontibus, vt quodam loco ſcribis, incipies philoſophari, cùm in iis quæ Platonicis trita ſunt tam miſerè cęcutias. At, inquis, ſi ſic legimus, erit neceſſarium Deos aliquos minimè participes intelligentiæ ponere. Equidem non video quo diſſerendi artificio iſtud concludas: niſi forte tuo, id eſt eo quod à maxima huius artificij ignoratione profectum, in ſumma rerum imperitia, impudentem tuam Logodædaliam fouet. Sed tamen hoc tibi concedamus, ſi dęmones alij ſunt ab aſtris intelligentiæ participes Dij, apud Platonicos, Deos quoſdam eſſe oportere, qui intelligentiæ participes dici non poſſint. An neſcis apud eoſdem Platonicos primum ſummũque rerum omnium opificem & primam mentem, quam illius filium nominant, Deos quidem eſſe, intelligentiæ tamen participes ſiue νοεροὺς non eſſe? In quo etſi vereor ne huius ſubtilioris philoſophiæ non ſis idoneus auditor: dicam tamen, quod philoſophi facile mihi concedent, aſtra & dęmones cum intelligentiæ participes, ſiue νοεροὺς Platonici eſſe volunt, ab illis ſignificari intelligẽtiam in eis non eſſe ſummam, nec tanquam in fonte, ſed aliunde deriuatam: ideóque Deum patrem illis non eſſe intelligentiæ participem, ſed ipſum intelligentiæ fontem, vel potius immenſum pelagus. Quemadmodum idem boni particeps verè dici non poteſt, ſed ipſa bonitas, aut ipſum bonum: ſicut neque is λογικὸς eſt, ſed ὁ λογός. Quod inter philoſophos dictum velim, nec ad tuam Logodædaliam traduci: in qua tibi tuíſque riſum moueret. Quanquam neque in hoc, vt antea dixi, haberent ſimiles veſtra labra lactucas.

Nos ſequentem locum ita conuertimus, Neque vniuerſum vnquã diſſoluetur, propter eiuſdem voluntatem. Sic illud, κατὰ τὴν ἐκείνου βούλησιν, interpretantes, vt cauſam complectatur propter quam mundus nunquam diſſoluetur, quanquam ſuapte natura ſit diſſolubilis. In eo ſignificari exiſtimantes, quod ex Platonis Timæo didicimus, quodq; copioſius noſtro commentario expoſuimus, Vniuerſum eſſe quidem naturæ legibus diſſolubile, quia ex pluribus coagmentatum, nunquam tamen futurum vt reipſa diſſoluatur. Quia Deus non vult diſ-

ſolui. Maior autem vis Dei diſſolutionem huius ſua voluntate impedientis, quam naturæ eandem ex ſuis legibus appetẽtis. Tu vero non intellecta huius loci ſententia, ſic conuertiſti, Vniuerſum quo ad Dei voluntatem attinet, nullo modo diſſolui poteſt. Quod quale ſit ne ipſe quidem, ſi verum fateri vis, intellexiſti.

In ſpeciebus diuinationis eius quæ à dæmonibus emanare aut regi dicitur, quatuor ab Alcinoo enumerantur, κλήδονες, ὀπτεῖαι, ονείρατα, χρησμοί: quæ nũc interpretor Sortes, Furores, Sõnia, Oracula: de quorum diſtinctione in Commentario à nobis dictum eſt. Tu vero, Sortes ſeu vaticinia, viſa inania, Somnia & oracula. Quo loco preterquã quòd ſortes cum vaticiniis male cõfundis, eo etiam peccas, quod vbi de horum accurata diſtinctione agitur, ὀπτεῖαν viſum inane interpretaris. Nam quãquam in tua Logodædalia vocabuli huius multiplex ſignificatio hoc fortaſſe ferre poſſit: non eſt tamen rationi cõſentaneum, vt inter ea in quibus diuinatio quęritur, viſa inania enumerẽtur. Quoniã quæ viſa Platonicis inania ſunt, ea certè eiſdem nihil diuinationis habere poſſunt.

Loco ſequente de cõtextu maior eſt inter nos diſſenſio. Ego enim eum ita diſtinxi, vt primũ terra Deorum omnium qui cæli ambitu cõtinentur, antiquiſſima eſſe dicatur: deinde eadẽ poſt mundi animum, nobis abunde alimẽta ſuppeditare. Tu vero voluiſti illã Deorum qui intra cæli ambitũ continentur, ſecundum animum mundi antiquiſſimam eſſe: victum nobis vberẽ & copioſum ſubminiſtrantẽ. Atq; in ſcholiis obſeruaſti me verba hæc, κατὰ γῆν τὴν φυχὴν τοῦ κόσμου, alieno loco repoſuiſſe. At caue ne ignoratione ſentẽtiæ ea à ſuo, in quo à me erãt ſeruata, in alienum tranſtuleris. Primum enim mihi cũ Marſilio Ficino hac in parte omnino conuenit. Deinde cum in quæſtione de diſtinctione contextus, commoditas ſententiæ imprimis ſpectanda ſit, hæc in mea interpretatione longe maior quam in tua eſſe videtur. Si quidẽ exiſtimo terræ duplicem cõparationem exprimi. Vnam in antiquitate cùm reliquis Diis qui cæli ambitu continentur: alterã cum animo mundi, in eo quod eſt nobis vitam & alimenta dare. In priore, dixit Alcinous abſolutè ſicut & Plato in Timæo, Terrã Deorum qui intra cæli ambitum continentur, antiquiſſimã eſſe, propter eam cauſam quæ in Cõmentario à nobis eſt reddita: nulla hac in parte facta cõparatione cum mundi animo: quem nullo loco, quod ſciam, inter eiuſmodi Deos enumerat, quod ad tuã interpretationem retinendam doceri oporteret. In poſteriore, cum eſſẽt ab eodẽ Platone dictum tãtum, terram eſſe noſtram altricem, hic in eo illam cum animo mundi cõparans, dixit eam poſt animum mundi, nobis abundè alimẽta ſuppeditare. Vt ſignificet fœcunditatẽ eorum quæ è terra oriuntur ad ho-

minum nutritionem, primo loco esse ab animo mundi, vt omnia viuificante, secundo vero à terra, vt cõtinente suo gremio materiã fœcunditatis. Hinc enim illa magna mater & cæli coniux à veteribus est appellata. Quod in tuo nostróque cõtextu attentè considerari postulo.

Ingreßis autem ad astrum & cæt.) Quanquam sciam τὸ συνόμιον dici aliquando quod societate pabuli coniunctum, vel quod simul pascitur, mihi tamen pro eo satis fuit hoc loco dicere, astrum quadam societate coniunctum, vel cognatum. Tuúmque omnino ridiculum visum est apud Platonem, partem animi immortalem, de qua hic agitur, pabuli societate quadam cum suo astro esse coniunctam. Quia neque eius partis, neque astri, apud illum pabulum vllum est. Nisi fortè nos ad illud reuoces astra, ali humoribus oceani. Quod dignum erit profecto tua philosophia. Et certe Cicero libro de vniuersitate, vbi locum hunc pene ad verbum interpretatur, pro eo dicere malluit, astrũ quo cum animus aptus fuerit: quod paulò post es imitatus.

Vbi Alcinous dixit βίον γυναικὸς tantum, nos vitam fœminæ, tu vertis muliebrem naturam ac figuram. Et rursus vbi idem paulò post, θηρίων φύσιν tu reddis ferarum figuram. Credo quod vita fœminæ atque natura, tibi in sola figura sit posita: aut quod nescio quid hoc loco de Ouidiana Metamorphosi somniares. At sic Cicero, inquies, Sed nos non id agimus hoc tempore vt Ciceronem imitemur: sed vt Platonis sententiam in Alcinoo fideliter interpretemur. Memineris vero modam hunc interpretandi, in quo Plato aut Aristoteles ad Ciceronis formulas cogitur, à te sæpe in Perionio in Ethicis esse reprehensum.

In Cap. 14.

Equidem cum lego quod in scholiis tuis, Numero 2. ad locum hunc obseruasti (scilicet, vt supra Logodædaliam aliquis in medicina esse videreris) Platonem tam copiosè & disertè coporis humani fabricam persequutum esse, vt medici non possint melius, hic etiam, vt antea sæpe, inuitus exclamo, Sutorem istum suo fastu omnes enecare, quod tam frequenter vltra crepidam. Nam ne posthac erres, Logodædale, infinita pene peccata à Galeno merito notata sunt in Platone, circa ea quæ pertinent ad corporis humani fabricam hæcque pluribus ab eodem exposita, libris Anatomicis, de vsu partium, de placitis Hippocratis & Platonis, vnóque altero cuius fragmentum tantum extat, de iis quæ à Platone medicè dicta sunt in Timæo. In quibus colligendis si vellem hoc loco laborare, tu profecto quãtumuis impudens, nonnihil, vt opinor, erubescerres. Sed

nolo tuo more simulare Cupressum. Tantum repetam quod iam sæpe admonui, vt te tuæ Logodædaliæ finibus contineas: vel si forte hac ætate grandiore medicinam discere vis, horum pleráque quæ medici longe melius quam Plato, & de quibus huius sententia iampridem explosa est, ex nostris Commentariis colligas.

In carnis origine explicanda Alcinoum ita interpretaris, vt dicas factam hanc esse ex salso & acido quasi fermento. Ego quidem antea ex salso & amaro: nunc vero ex salso & acuto. Sic tibi hoc loco ὀξὺς acidum, mihi potius acutum significat. Scis quamobrem? Quoniam in philosophia absurdum est inter sapores acidum, qui maximi frigoris pene gustatui stuporem inducentis, perpetuo comes est, cum salso coniungere, & in generatione carnis pro fermento quod ζύμωμα Plato nominat ponere. Cum huius apud eũdem Platonem propria sit ebullitio, per quam ex sanguine vult carnem generari. Quod de acido dici, nisi ab homine omnino stupido, nullo modo potest.

Quod de carnis nomine obseruas scholiorum tuorum numero 3. hic tam latè patere, vt accipiendum sit non modo pro ea, quæ ossa tegit, sed quæ fibrarum est & intestinorum, quanquam sciam ex Doctissimi Gorrei definitionibus à te esse descriptum, non possum tamen hoc loco approbare. Sed contra contendo, Alcinoum ex Platone carnem tantum externam intelligi voluisse, eam scilicet qua, vt ait, ossa teguntur. Quod facile is mihi concedet qui integrum locum in 4. Sectione Timæi attentè considerauerit. Arbitratus Deus ossium naturam, inquit Plato, aridiorem rigidiorémque quam oporteat, fore, & cum ignita quaserit atque etiam frigefacta, illisuram corruptumque cito semen internum, neruorum carnisque genus effinxit. Vt neruis quidem membra reliqua vincientibus, intensis remisisque circa cardines ipsos, corpus omne ad flexionem tensionémque promptum & agile redderet: caro vero tegmen foret aduersus frigus atq; calorem: & quemadmodum externa corporis fulcimenta solent, ad casus varios munimentum: præsertim quia talis erat futura, vt molliter leuitérque corporibus cæderet. Cui calidum idcirco humorem indidit, vt æstate quidem roscida madidáque extrinsecus, toti corpori domesticum præbeat refrigerium: hyeme vero rursus proprio igni exteriorem glaciem moderatè repellat. Vides, opinor, quod rectè suo loco à viro medico de carne obseruatum est, quam ineptè in tua Logodædalia & sine iudicio, Alcinoo Platonem sequenti, accommodaueris. Nempe vt in medicina alter Hippocrates esse videreris. Atqui illud ipsum sine subtiliore rei medicæ, vel philosophicæ cognitione tibi indicare potuit quod subiicitur de calore carnis extrinsecus apparente.

Ad

Ad finem capitis, dicis sensus quinque corpori circundatos: vbi nos capiti circumpositos. Et certè in græco legitur τῇ κεφαλῇ, non autem σώματι: atque ita dicendum fuisse, sequentia aperte declarant. Quod vero eadem periodo subiicis, sensus in corpore, vel in cerebro, custodire partem animi vel facultatem principem, contemplantem & iudicantem, id à philosophia tam alienum est, vt in eo affirmãdo communi sensu carere videaris. Animaduerto quidem in Alcinoi contextu illos translatione quadam à nostris regibus, rationis & intelligentiæ Doriphoros appellari, quos hastiferos liceat nominare. Sed cum regum doriphori eorundem internuntij sint & custodes, prius de sensibus cum ratione & intelligentia comparatis aptè, dici potuit, posterius non item. Sic enim Cicero illos animorum internuntios appellauit. Quod horum ministerio rerum sensilium imagines ad animum deferantur, & ex iis notiones vniuersæ intellectui suggerantur.

Pro variis læsionibus, & cæt.] πάσας dicit Alcinous, quas antea persuasiones eram interpretatus: in quo tu meum errorem es sequutus. At nunc hanc gratiam debeo Nicolao Gullonio collegæ nostro, quod me primus admonuit vocabulum hoc de læsionibus cerebri isto loco esse intelligendum. Pro quarum varietate mentem quóque ac rationem variè in suis munetibus impediri, facile quoque ipse intelliges, si quando supra tuam Logodædaliam ad physica, & medica animum tuum erexeris.

In Cap. 15.

Scholiorum tuorum in caput hoc numero 2. vbi agitur de somniis & speculis, exultas certè cum aliqua probabilitate, ne quid dissimulem, in eo in quo authoris sententiam non videbamur assecuti. Quare mouit me tuum studium in reprehendendo, ad inquirendum aliquid melius eo, in quo mihi superiore interpretatione non satisfeceram. Spero vero futurum vt ipse quoque beneficium aliquod à nobis profectum in eodem recognoscas. Primum autem illud tuum nõ probo quod locum hunc interpretatus es de visionibus, quæ vigilantibus & dormientibus nobis occurrunt. Quoniam hæc cum superioribus proximis manifestè cohęrent: in quibus de somniis in somno contingentibus tantum agebatur. Quorsum ergo nunc de vigilantibus? Ergo potius esse videtur somniorum, quæ in somno occasionem & initiũ capiunt ab antecedentibus vigiliis, subdiuisio in ea quæ vera, & quæ falsa sunt. Sic enim particulas duas, ὄναρ & ὕπαρ, quibus hoc loco Alcinous vtitur, vsurpari solere, paulo ante in cap. 6. libri huius, docuisti. Sic tamen vt his omnibus somniis commune signifi-

cetur, quod nãscuntur ex imaginibus animum siue mentem directè petẽtibus, non, vt in speculis cõtingit, aliunde relatis. Atque hoc quidem primum peccatum tuum. Alterum quod eorũdem scholiorum numero 3. scribis remum in aqua inflexum videri per radios fractos. Qui idem error tuus est Cõmentario in lib. 4. Lucretij, de quo aliàs pluribus tecum agemus, nostris in illum authorem disquisitionibus, quas tibi adornamus. In quo ne diutius hæreas, disce illum propriè per radios inflexos videri, qui à fractis differunt. De eóque audi, si placet, Plutarchum cap. 5. lib. 3. de placitis philosophorum. Videre nos constat, inquit, per lineas aut rectas, aut flexas, aut refractas. Ac per rectas quidem quæ in aëre sunt videmus. Flecti autem lineas in aqua cernimus. Flectitur enim visus propter aquæ materiam densiorem. Quæ causa cur in mari flexos quóque remos videamus. Tertio modo refracta videmus, cuiusmodi specularia. Sed quid aliena authoritate opus est ad errorem tuum detegendum? Ipse quouis Cameleonte mutabilior, numero 5. scholiorum tuorum in cap. hoc, istud ipsum aliqua ex parte agnoscis, ac in speculis radij aspectus ἀνακλάσιν fieri vis: in aqua ἀνακάμψιν. Hanc vero inflexionem & de recto motu leuem declinationem, vides ex Plutarcho esse intelligendam: eámq; ex dissimili aëris & aquæ natura proficisci, cum per hæc duo media rem eandem videmus, ex Opticis facile collegisses, si in illorum arte aliquid videre potuisses. Quãquam scio ab iis minus in loquendo accuratis, hanc ipsam inflexionẽ aliquando fractionem quoq; appellari. Sed à Logodædalo limatius quiddam merito videtur desiderari. De quo vide si voles Iulium Scaligerũ exercitatione 75. cõtra Cardanum. Tertium peccatum tuum, quod in explicãda somniorũ varietate omnia in quibus ex hepate tanquã ex speculo, rerum imagines ad mẽtem efferuntur, sine vlla distinctione, diuina esse vis: in issque rerum futurarum imagines à Diis, vel dæmonibus quasi depingi, aut efformari. At ex his pleráque sunt naturalia, quæque humorum in nostris corporibus dominantium naturalem tantum significationẽ habent, nihílque diuinitatis continent: sicut nostro Cõmentario collegimus ex Hippocrate, Aristotele & Galeno. Atque ex eisdẽ sunt quoque nonnulla valde turbulenta eóque diuinis omnino contraria, vt ex Platonis Politia Cicero docet lib. 1. de diuinatione.

Vbi in vulgatis exemplaribus legitur ὅστε διαφανῆ, tu legendum arbitraris ὅστε ἐμφανῆ: nosque qui vulgata exẽplaria secuti, locũ eum de pellucidis sumus interpretati, grauiter reprehẽdis ac de splendidis intelligendũ arbitraris: reprehensionísque causam reddis, quã ad verbum recitabo. Loquitur Alcinous, inquis, de speculis & de his quæ reddũtur à speculis. Quis vero nescit specula esse debere corpora densa, le-

uia & ſplendida,nõ pellùcida ſeu διαφανῆ? Nam ſi pellucida eſſent, ſeu διαφανῆ, non eſſent ſpecula,neq; redderẽt imagines. Quia radij oculorum nõ reflecterẽtur,ſed vel tranſirent,vel ſcinderentur,& in ſummo corpore quod cernitur, hęrerẽt. Ex quibus cõcludis vulgatã interpretationem (ſic enim noſtrã nominas) ferri nullo modo poſſe. In quo niſi tibi mentẽ adimeret iracundia,idem peccatũ, ſi peccatum eſt, vel etiam grauius, in Marſilio Ficino notauiſſes: qui pro pellucidis dixit tranſlucentia. Sed nolo errorẽ meum alieno exẽplo tueri. Illud vero primum reſpondeo me authorẽ eum eſſe interpretatũ quem habebã in manibus: apud quẽ,ſicut fateris,legebatur ὅσα διαφανῆ. In cuius cõtextu volui ſuũ cuíque iudicium relinquere,& eã in immutãdo temeritatem vitare,quæ tibi in omnibus ſcriptoribus eſt nimiũ familiaris. Addo etiam amplius, in hac tua reprehenſione multa partim contra philoſophiã, partim contra tuam Logodædaliam eſſe peccata. Nam quod ſcribis omnia ſpecula oportere eſſe denſa: nulla vero talia, pellucida,ſeu διαφανῆ, falſiſſimũ eſt. Quod vt doceam ponã illud ex Opticis,quod etiam ipſe in his tuis ſcholiis cõcedis,omnia illa pro ſpeculis eſſe,à quibus fieri poteſt radij aſpectus ad oculum reflexio. Ex quibus quædã eſſe pellucida ſeu διαφανῆ, Ariſto.nobis cõfirmat lib.3. Meteor. Aſpectus,inquit, ab omnibus leuibus videtur reflecti: in eorum autẽ numero aër & aqua. An negare audebis aërẽ & aquam propriè eſſe pellucida corpora? Audi eundẽ Ariſt. lib. de ſenſu, Ac illud quidem verum eſt,inquit,aſpectum aquæ naturã imitari. Sed tamen non cernimus quia aqua eſt, ſed quia perlucidus eſt oculus: quod etiam cum aëre habet cõmune. Et in corona ſiue halone nubes quæ Soli vel Lunæ ſubiecta eſt,eodẽ Ariſt.authore li.3.Meteor.pro ſpeculo eſt. Quæ eadem,etiã tuo more loquendo,perlucida eſt. Alioqui per eam mediã Sol vel Luna nullo modo videretur. Adde ſpeculorũ duas eſſe principes differentias,vnã extinctorũ & terminatorũ,quæ tu appellas denſa, alterã non extinctorũ & interminatorũ,quæ ſunt,vt ſic loquar,diaphana. Imo ab ipſis opticis dubitatũ eſſe an pelluciditas (quam illi diaphaneitatẽ nominãt) ad ſpeculi eſſentiã pertineat. Quæ duo ſi attẽtè cõſideraſſes,vitaſſes aliã impudentiã cõmẽtario tuo in lib.4. Lucretij,quo Platonẽ ipſum docere vis quo modo de ſpeculis ſit loquendum. Duo ſunt,inquis, omniũ ferè cõſenſu neceſſaria ad ſpeculorũ naturã, nẽpe corporis lævitas ſeu lævor,qui nunquã eſt ſine ſplẽdore: alterũ eſt dẽſitas. Nã ſi corpus ſit leue quidẽ,ſed ita tenue vt ſimulachrũ ab ore fluẽs tranſeat,nõ erit ſpeculũ, neq; reddet imagines. Quo magis miror Platonẽ in Timęo vbi de ſpeculis diſputat,& cauſas imaginũ quę à ſpeculis reddũtur,affert,dẽſitatẽ omiſiſſe,cũ ſplendorẽ & leuitatẽ poſuiſſet. Siccine Sus impudẽs, Mineruã? In quo illud obiter diſce,de quo tecũ

pluribus aliquando in eo authore agemus, ineptissimũ esse, & vno verbo dicam, te solo dignum, quod Platoni affingis, nostri vultus aut oris simulachra, quando speculis obiicimur, à nobis ad specula transire illáque ab his ad nos remitti: quod de solo visus radio in huius doctrina erat dicendum. Sed redeo ad superiorem rationem tuam, in qua contra nos hæc vt opposita vsurpas, corpora esse densa, vel solida, & eadem adhuc pellucida. Atqui Aristoteles cap. 7. lib. 2. de Anima, scribit multa corpora solida & densa, esse tamen pellucida. Pellucidum, inquit, id appello quod sensum oculorum illud quidem mouet non tamen per se ac vi sua, sed vi alieni caloris. Quo in genere aër & aqua multáque corpora ex his quæ solida dicuntur. Neque aqua & aër hoc ipso quod aqua & aër sunt, pellucida sunt: sed quia in vtróq; eorum natura eadem inest, quæ in æternis corporibúsque cælestibus. Idem cap. 2. lib. de sensu, contendit oculum esse natura pellucidum, quia aqueus est, & tamen eundem concedit Democrito pro speculo esse posse. Quid, quod eodẽ loco colorem definit extremitatem pellucidi in corpore terminato? An num hoc arguit corpora terminata, quæ tu densa appellas, ab eodem etiam pellucida nominari, hoc ipso scilicet quod suo colore quodam modo relucent, cum reipsa videntur. De qua definitione scio quid garrias Commentario tuo in lib. 2. Lucretij: sed ad illud examinandum mihi locus alius est destinatus. In quo semper plus deferam Alexãdri Aphrodisei philosophiæ, cap. 2. lib. 1. philosophicarum quæstionum, quàm tuæ Logodædaliæ. Idque vt ita faciendum alij quoque philosophi mecum existiment, prius quam quæstionem hanc cõcludam, hoc vnum eos rogabo, vt animaduertant te eo ipso loco in quo de quæstione philosophis obscura, iudicare vis, flagitiosè peccare in prima artificij differendi elementa. Sic Lucretius, inquis argumentatur. Sine luce colores non cernuntur. Corpora prima non cernuntur. ergo corpora prima nullo sunt colore tincta. Syllogismus inualidus quidem est, ais, omnes tamen eius partes veræ sunt. Vtinam, Logodædale, de annis quadraginta, quos in sola lingua excolenda te posuisse prædicare soles, partem aliquam vel ad solius artificij differendi cognitionem retulisses. In cæteris, Logodædalia tua minus insolescerres, & hoc ipso loco facile intellexisses in eo exemplo quod Lucretio tuo affingis, Syllogismum omnino nullum esse. Quoniam in eo collocatio est figuræ secundæ, quæ propositiones omnes habet negantes. At ex omnibus negantibus, nihil vsquam effici, pueri in schola philosophica clamitant. Neque vero syllogismus esse potest, si inualidus est: vt ex Syllogismi definitione philosophis manifestum. Neque inualidus esse potest, si syllogismus est cuius omnes propositiones veræ. Et certè fateamur necesse est

præclarissimè te esse meritum de tuo Lucretio: quem facias in secunda figura ex omnibus negantibus illo modo ratiocinantem. An verò id eò agis, vt cum illo tuo magis dignus Epicuri schola esse videare, quem Cicero scribit Logicum artificium omnino contempsisse? Atqui ego hoc errore Lucretium libero: eiúsque ratiocinationem plenã validámque esse contendo. Quæ cum tribus versibus concluſa sit,

Præterea, quoniam nequeunt sine luce colores
Esse, neque in lucem exeunt primordia rerum:
Scire licet quàm sint nullo velata colore.

hi certè ad eiusmodi formam reuocari possunt, Omnes colores in lucem exeunt, id est suapte natura aspectabiles sunt (id enim est quod ille ait, colores nequeunt sine luce esse) nulla autem rerum primordia exeunt in lucem, id est suapte natura aspectabilia sunt. Ex quibus necessariò, & vi eorum quæ posita, efficitur, nullos eorum colores esse. Ego verò cùm voles docebo te, Logodædale, quibus Logici artificij legibus prima propositio, quæ negationis formam præ se fert, ad affirmationem, quam pro illa expressimus, sit referenda. Sed hoc in aliud tempus reiiciamus: veniamúsque ad illud quod his tuis in Alcinoum Scholiis subiicis, Si quæ corpora pellucida sint, seu διαφανῆ, non futurum vt radij reflectantur: sed vt vel transeant, vel scindantur, & in summo corpore quod cernitur, hæreant. Etenim cùm tu ipse paulò ante tres tantum differentias radiorum aspectus posueris, sublata reflexione, quam hic excipis, duæ tantum relinquentur: vna secundũ quam ipsi radij in obiectam rem directè feruntur, & transeunt per medium omnino pellucidum, eiusdémque naturæ: sicque dixisti per medium aërem Socratem videri: altera in qua, vt antea notauimus, dixisti radios frangi, nos verò tantum inflecti, sicque per mediam aquam remum inflexum, non fractum videri. An igitur hic erit tertius modus in quo nunc scribis radium scindi, & in summo hęrere? Indoctè sanè, ne quid dicam grauius. Nam cùm in fundo per mediam aquam remum videmus, neque radius scinditur, sicut antea probauimus, sed tantum inflectitur: neque in summo ipsius aquę hęret. Alioqui ad remum non perueniret, quem in aqua esse ponimus. Quo loco cùm certè hærerem, quæreremque in tuo Lucretio, si quæ possent me isto scrupulo liberare, ecce in hoc occurrunt mihi deteriora omnia. Nam Commentario in libr. 4. de eadem quæstione sententiã tuã apertius exprimis: id est summam tuam inscitiam Philosophis omnibus detegis. In omni re cernenda, inquis, aut radij ab oculis incidunt, duntaxat in rem visam, quamuis tales radij non sint causa visus: & hic visus fit recta, per vnum corpus diaphanes seu pellucidum: aut radij qui ab oculis in rem visam inciderunt, reflectuntur in oculos: aut

iidem illi radij franguntur. Incidunt duntaxat in rem visam, cùm verbi gratia equum, aut corpus aliquod, aut colorem in corpore non leui, aut si leui, non tamen denso cernimus. Reflectuntur radij cùm speculum id est corpus aliquod politum & densum cernimus. Franguntur cùm rem aliquam per plura corpora pellucida, verbi gratia, per aërem & vitrum, aut aquam cernimus. Limatius est, & certè Logodædalo dignius, quod sequitur eodem loco. Nam cùm verbi gratia, inquis, remum seu potius remi partem sub aqua cernimus, eam remi partem non rectè, sed obliquè cernimus: neque ipsa remi pars reuera cernitur, in eo corpore pellucido quod densius est aëre, sed imago & similitudo duntaxat, quia linea à re visa non reflectitur recta via ad oculum: sed in extremitate secundi corporis pellucidi, nempe aquæ refringitur. Quo fit vt oculus rem non suo loco cernat, sed alio: imò non rem ipsam, quippe quæ recta sit, sed vmbram quandam rei incuruam ac refractam videat: & cùm remi partes continuæ directè apparere non possint, appareant continuatæ & indirectæ. Cedo verò cur non rem ipsam, id est eam remi partem quæ in aqua est, sed eius vmbram tantum videmus? An quia per medium quod paulò densius res ipsa videri non potest, eius verò imago nescio quæ, aut vnde excitata, potest? Equidem incredibilis in Logodædalo tanta sapiẽtia: quæ me nescio qua admiratione elatum hoc loco prolixiorem esse cogit. Sed vt ad rem rursum redeam, illud velim in contextu Alcinoi attentè consideres, postquam dixit, καὶ τὰς κατὰ τῶν κατόπτρων ἀνακλάσεις, statim subiicere, καὶ τῶν ἄλλων ὅσα διαφανῆ: quasi in iis aliud genus apparentium imaginum per reflexionem ponere videatur. Vt prius in iis quę κάτοπτρα nominantur, pertineat ad specula quæ terminata & extincta sunt, ea scilicet quæ tibi tãtũ specula sunt, posterius autem in iis quæ διαφανῆ, ad specula interminata & minimè extincta, quibus propria quædam est ratio imaginum per reflexionem apparentium, hæcque à superiore nonnihil differens, vt Aristoteles docuit libro tertio Meteor. Vide verò ad extremum quàm liberaliter tecum agam. Etiamsi tuæ temeritati indulgens, hoc loco concedam ἐμφανῆ, non διαφανῆ esse legendum, illúdque de his ipsis speculis terminatis, non de aliis esse intelligendum, adhuc tamen contendo tolerabiliter à nobis dictum esse specula eiusmodi sua superficie pellucida esse, quæ tu splendida mauis appellare. Quoniam pellucidum in vestta Logodædalia, non solùm id significat quod ipsam lucem per medium transmittit (quod transluciduum Marsilius hoc loco appellauit,) sed quod sua superficie relucet: lucémque suam in alia effundit, vel aliunde acceptam sua æquabili & leui superficie remittit. Quod pluribus exemplis eorum

qui latinè loquuti sunt, probarem, nisi mihi summa esset religio in tuam possessionem manum immittere.

In saporum septem differentiis latinè exprimendis hęc ferè sunt, de quibus mihi tecum non conuenit. ὀξὺς à te hoc loco redditur, sapor acutus. At antea capite decimoquarto cùm de carne agebatur, idem tibi erat acidus. Nunc verò δριμὺς à te dicitur acris, seu acidus, (sic enim duo ista coniungis) à me verò, acer: quod in genere masculino, non minus aptum videtur. Quare tua sententia ὀξὺς & δριμὺς, quasi eadem sint, acidum significabunt: & acida, tibi erunt acria: quæ mihi potius stuporem inducunt. Quæ verò talia sunt, ea nemo aptè acria dixerit: si modò rectè in acribus Medici ea numerent, quæ suo calore linguam exulcerant, qualia sunt, piper, pyrethrum, allia. Peccas grauius in horum septem saporum distinctione quæ sequitur. Nam Alcinoo γλυκὺς siue dulcis, vt sapor est inter reliquos medius, ita medio modo linguam afficit. Reliqui sex in duos ordines sunt diuisi. De quibus tres caloris comites, semper quidem calefaciendo linguã afficiunt: sed in hoc gradibus differunt, δριμὺς, πικρὸς & ἅλμυρος: pro quibus dicimus saporem acrem, amarum & salsum. ὀξὺς, qui acutus, dicitur quidem linguam proritare, non tamen calefacere. Reliqui duo στρυφνὸς καὶ αὐστηρὸς, acerbus & austerus, manifestè comites frigoris sunt, ideóque linguam obstruere & contrahere dicuntur, quod huius est proprium. Quæ eadem est sententia Medicorum omnium. Tu verò videamus quàm miserè hanc dilaceres. Ex reliquis, inquis, qui permiscent, perturbant ac dilacerant, acuti. Hac in parte tecum consentio, ideóque antea cum de fermento, in carnis generatione agebatur capite superiore, ὀξὺς mihi videbatur acutum potius quàm acidum significare. Quoniam tales effectus in acuto tolerabiles sunt: acido verò attribui (nisi fortè propter tenuitatem substantiæ) nullo modo possunt. Pergis verò sic in tua interpretatione. Qui calfaciunt, inquis, & ad superiora excurrunt, acerbi. In quo cùm paulò ante δριμὺς tibi videretur modò acre, modò acidum significare, hoc loco rerum de quibus agitur ignoratione deceptus, deterius eligis. Quoniam acre calefaciendi vim habere, & ad superiora excurrere, verè quidem dici potest: acerbum autem, quod suapte natura cum frigore coniunctum est, tale dici nullo modo potest, nisi ab homine non modò Philosophiæ & Medicinæ ignorantissimo, sed omnino stupido. Quod velim ex Galeno cap. 9. & 21. libr. 4. de Facultatibus simplicium medicamentorum, recognoscas. In postremis duobus, vna parte Alcinoi sententiam assequeris, altera flagitiosè peccas. Eorum, inquis, qui meatus corporis contrahunt, & cogunt in vnum, alij sunt asperiores, & hi sunt amari: alij leuius hoc faciunt, & hi austeri. In

quibus quod στυφνὸς nunc à te redditur amarum, paulò verò ante eadem pagina, acerbum, id summæ est inconstantiæ. Quod autem amara dicis meatus contrahere, & in vnum cogere, hoc apertè arguit tibi linguam nihilò magis quàm mentem sapere. Nunc verò nihil te pudeat, Logodædale, hac ætate grandiore ex Physicis & Medicis discere acerba & austera meatus linguæ, non totius corporis (quod Alcinoi contextui ineptè de tuo addidisti) contrahere & obstruere. Quia talia suapte natura & temperamenti proprietate sunt frigida. Frigoris verò proprium est, meatus constringere & contrahere: sicut caloris, relaxare & aperire. Acerba autem tanto vehementius id facere quàm austera, quanto his suapte natura sunt frigidiora. De quo vide quæ ex Theophrasto à nobis collecta sunt, num. 8. Commentar. in caput hoc. Eiusdem est inconstantiæ tuæ, quod cum paulò ante ex Alcinoi sententia à te ipso rectè dictum esset, amara abstergendi & liquefaciendi vim habere: eadem non ita multò post subiicis, meatus contrahere & in vnum cogere, quod superiori omnino contrarium. An erit cuiquam credibilis in eo fastu quem præ te fers, tanta rerum inscitia, cum pari inconstantia, nisi prius in tuorum scriptorum comparationem, quasi in rem præsentem descenderit?

Cogor in his quæ sequuntur, multa in vnum locum coniicere, propter eorum in quibus à te hoc capite peccatum est, multitudinẽ: qua penè obruor. De hac verò quædam tantum tibi indicabo, quæ si placet, postea accuratius recognosces. Scholiorum tuorum num. 6. mones contextui addendum, verbum λέγομεν: quod exprimi minimè fuit necessarium, sed ex consuetudine huic authori familiari facile potuit intelligi. Paulò post vbi de gustatu agitur δοκίμια καὶ κριτήρια, latinè reddis lapides Lydios & obrussas, satis apertè, inquis, non incõcinnè, neque insulsè. At mihi genus hoc interpretandi nimium affectatam Ciceronis imitationem habere videtur, quam tu in Perionio non tulisses. Ego pro tuis lapidibus & obrussis, apertè dicere malui venulas saporum probatrices & diiudicatrices. Quod autem à te interiectũ est Scholiorũ num. 8. ad leniendũ genus hoc interpretandi, id certè quale sit in vestra Logodædalia non satis intelligo. Quod præfiscine, inquis, præfato dicere liceat, ne quis maleuolus me fascinare possit. Quid enim illud est præfiscine prefato dicere? aut quid est quod metuis, ne quis maleuolus te in eo possit fascinare? At illud quod numero 9. obseruas de verbo cooleſcere, vix audeo attingere. Quoniam proprium est tuæ Logodædaliæ: in qua scis simulare cupressum. Sed cùm in eo authore versemur, in quo summa quędam est vniuersæ doctrinæ Platonicæ, profectò

-- *Nunc non erat his locus.* Etenim, vt ait Poëta,

Quid

-- Quid hoc? si fractis enatat exspes
Nauibus, ære dato qui pingitur.

Vnum adiiciam, quod ad finem capitis huius videtur Alcinous in calore & frigore tres differentias agnoscere, duas quidem simplices, primam in calore, secundam in frigore, tertiam verò in horum duorum mixtione, qualis in tremore & rigore contingit. At tu ignoratione sententiæ, quæ inepram contextus distinctionem in te peperit, duas tantum posuisti, neque tremorem aut rigorem, in quibus quodammodo mixtus est effectus caloris & frigoris, à simplici frigore separasti. Quæ nostra interpretatione ex Medicorum doctrina distinguere sumus conati. Hoc verò mallem considerasses, quàm in eo quod de rigoris vocabulo obseruas, hæsisses. Quanquã illud bene habet quod in eo te contines finibus tuæ Logodædaliæ. In cuius regno si quid auderem, hoc etiam contenderem, istud ipsum in quo rigoris vocabulũ reformidas, tibi profectò nimium esse religiosum. Quoniam eadem significatione multi inter Latinos authores nõ ignobiles, illo vsi sunt. Et cùm fatearis Scholiorum tuorum num. 11. rigorem latinè dici pro affectione seu qualitate rei quæ frangatur, potius quàm flectatur, nõ video cur à Medicis transferri non possit ad intensissimum frigus, quod in febribus intermittentibus, initiis accessionum tale ægrotantium corpus nonnunquam reddit, vt facilè inflecti nõ possit. Ex quo etiam frigus illud horridum, à te ipso hoc eodem capite nominatur. Sed tamen vtinam sic semper de verbis tuo more garriendo, in rebus ipsis philosophandi scientiam aliis concessisses. Non tam ineptè sanè rigorem hoc loco definiuisses. Quem cùm esse ais frigus horrorem incutiens, non animaduertis eum non tam frigus esse, quàm quiddã cum frigore coniunctum. De quo audi si placet, Galenum libro de Tremore & rigore. Rigorem si, vt aliqui, frigus simpliciter appelles, inquit, est veternosus error. Cùm multi non rigentes, frigeant. Neque si vehementiam frigiditati addas, vera dicas. Stomachici enim & cardiaci frigefacti admodum, non rigent. Ex quibus eodem loco tandem concludit rigorem esse, non frigus, sicut vis, sed frigoris sensum violentum, repentè contingentem: qui ab humore acri & calido plerunque habet initium. Quod verò addidisti, rigorem frigus esse quod horrorem incutit, in eo nescisti quod ab eodem Galeno scriptum est cap. 4. libr. 2. de Symptomat. causis, non à rigore horrorem, sed ab horrore, cùm in motum agitur cõcutientem, rigorem excitari. Quod si ab eodem verè scriptum est, primum existere leuẽ mordicationẽ, deinde horrorem, húncque magis ac magis accrescentem, tandem in rigorem desinere, vide obsecro te, quomodo dicere potueris rigorem frigus esse quod horrorem incutit: cùm potius horror incrementum

accipiens, tandem rigorem incutiat. Sic quotiescunque à tua Logodædalia peregrinaris, in eas rerum asperitates incidis, in quibus tibi spinosa sunt omnia.

Num.12. Scholiorum tuorum, quæ afferuntur de comparatione Lucretij tui & Epicuri cum Platone, in quęstione de eo quod sursum & deorsum esse dicitur in vniuerso, ea vt dicã vno verbo, te dignissima sunt. Nullũ est in vniuerso sursum, aut deorsum, inquit Alcinous ex Platonis Timæo: Tu verò, sic Lucretius (ais) ex Epicuro post Platonem lib.1. in ext. ibi,

Illud in his rebus longè fuge credere Memmi,
In medium summæ quod dicunt omnia niti, &c.

In quo indoctissimè maximáque rerum Philosophicarum ignoratione, Epicurum cum Platone consentire existimasti in ea quæstione in qua potius hi omnino dissentiũt. Etenim Platoni, terra in vniuersitate media est: nihil verò in hac natura deorsum, ad quod grauia ferantur. At Epicuro in eadem nihil est natura mediũ: terra verò est deorsum: ad quã suo põdere grauia omnia mouẽtur. Non sentis igitur quã ineptè in huius sententiæ Platonicæ confirmationem Lucretij tui versus vsurpaueris: Atqui vtrumq, ex illorum doctrina videor certissima ratione posse efficere. Sic enim Plat. in Tim. Illud dictu absurdũ est, inquit, esse duo quædam natura loca à se inuicẽ longo interuallo distincta, & vnum quidẽ deorsum vocari, ad quem locũ ea ferantur omnia, quæcunq; molem quandã corporis habẽt: alterũ verò sursum, ad quẽ vi omnia moueãtur. Cùm enim cœlum omne rotundũ sit, quæcunq; à medio æque distãtia extrema facta sunt, similiter esse oportet extrema. Medium quoq; æqualibus lineis ab extremis vndiq; distans, è regione æquè omnia respicit. Quoniam igitur mũdus ita dispositus est, si quis dictorũ quicquã sursum esse dixerit, vel deorsum, non iniuria errare videbitur. Medius enim locus in ipso, neq; sursum, neque deorsum dici debet, sed medius. Vides opinor quàm apertè mediũ in vniuerso agnoscat: in eodẽ verò hoc deorsum esse neget. At tuus Epicureus Lucretius, etiã in his versibus, quos ad illius Platonicæ sentẽtiæ confirmationẽ citauisti, mediũ in vniuerso esse negat, negationísque suæ hanc rationem reddit.

Nam medium nihil esse potest, vbi inane locúsque
Infinita.

Itaque dicito Logodędale, eo loco Platonis sententiã de motu grauiũ ad mediũ, ex Epicuro à Lucretio oppugnari, potius quàm laudari: ad illámq; oppugnandã rationẽ hanc afferri quod ipsa naturę vniuersitas eidem Epicuro infinita sit. Ergo, vt eodem loco Lucretius concludit,

Non habet extremum, caret ergo fine medóque.

Quoniã omnis medij ratio ex cõparatione cum extremis, definitur. Vt verò doceã eundẽ Epicurũ contrariũ fuisse Platoni, in quæstione altera de natura grauiũ, horumq; motu deorsum ad ipsam terrã, tantũ postulabo vt attentè cõsideres quę ex huius Philosophia à Cicerone cõmemorantur lib. 1. de Fin. In cæteris quæ eodẽ loco affers ad cõparationẽ Aristotelis cũ Platone in quæstione proposita, nõ possum, mihi crede, risum tenere quoties animaduerto te in iis tã leuia sectantẽ, nihil adhuc habere in quo cõsistas: & tamẽ quasi in horũ Philosophorũ sinu per multos annos dormitaueris, sic in eisdẽ insolescere, vt repudiata tua Logodędalia iã in horũ doctrina nouũ principãtũ affecta re videaris. Melius Aristoteles, inquis, omniũ qui post fuerũt Philosophorũ sentẽtia, qui demõstrat locũ esse infimũ seu deorsum, in quem grauia corpora suapte natura ferũtur: sursum, in quẽ leuia: & id mediũ esse quod æqualiter distat ab extremis: & Mathematici docẽt punctũ mediũ esse in sphæra ad quod ab extremitate ductæ lineę omnes sunt æquales. Atqui Logodædale inter hos de medio nulla est dissensio. nã & Arist. libris de cœlo, multis locis docuit terrã esse in medio vniuersi, ideóq; eandẽ centri rationẽ obtinere. Maxima verò inter eosdẽ cõtẽtio de natura grauiũ: leuior de eo, an terra, quæ in medio est, possit alia ratione infima iudicari, ad quã quę mouẽtur, deorsum moueri dicantur: quę duo hoc loco nõ attigisti. Quorsum verò ex eodẽ Arist. cõmemorasti, mediũ id esse quod æqualiter distat ab extremis? An de eo vlla huic esse potest cũ Platone dissensio? Quod verò subiicis, Mathematicis mediũ esse punctũ in sphęra, ad quod ab extremitate ductę lineæ omnes sunt æquales: dicẽdum fuerat potius, à quo ductæ lineæ ad extremitatẽ sunt æquales, sicut ex definitione circuli potest colligi. Quæ duo si eadem existimasti, tota via aberrauisti. Cur verò, hoc etiam isto loco docerem, si tu huius Philosophiæ esses idoneus auditor: aut nisi iam tã multis noratis hoc capite, penè animo conciderẽ. Ecce verò cùm in publica Alcinoi interpretatione, superiora omnia auditoribus indicassem, in eísque cõstrictus tenereris: ad quę per tuos emissarios relata, cogebaris obmutescere (in his scilicet, vel à veritate victus, vel non satis rerum ipsarum de quibus à nobis disserebatur, cognitione, ad resistendum instructus) ne tamen omnino cessisse videreris: deserta contẽtione quę te authore de Alcinoo inter nos erat exorta, recriminaris certè alacriter: noratóq; verbo vno in vniuersa Logici organi interpretatione, quam nuper in lucem emisimus, speras te posse consequi, vt superiorum omnium memoria ex audientium animis deleatur. Itaque per vnum ex tuis, tuo more mittis ad me sequens epigramma cum hac inscriptione. IN quendam qui ἀποβάλλειν χρῶμα apud Porphyrium interpretatus est, repudiare colorem.

Digna profectò Logodædalo, in tanta sylua superiorum errorum defensio. Sed quid hæc ad Alcinoum, de quo nunc agitur? An non cogitas quàm mihi glorioſum esse possit, te in iis omnibus de quibus tum inter nos agebatur, omnino obmutuisse? atque in tam longo opere, quam illud est Arist. Organum, hoc vnum tantum extra rem notare potuisse? In quo etiamsi à me peccatum fatear,

Sunt delicta tamen quibus ignouisse velimus, Quoniam, vt idem ait,

— opere in longo fas est obrepere somnum.

Quanquam non eò confugiam, nec causam dicam quin tu superioribus omnibus abundè satisfeciſſe videaris, nisi efficiam vt manifestè intelligatur in eo ipso in quo recriminari voluisti, te non modò nouę animaduersionis iustam occasionem præbuisse, sed scriptorũ nostrorum calumniatorem esse & impostorem. Tuum igitur epigramma expendamus.

Proh, inquis, quale verbum eliminauit dentium
Septo tuorum, cùm nigros coruos nigrum
Dixti colorem repudiare, barbare?
Isthæc crocitans, potin es εἰς κόρακας *procul*
Ire hinc directè, stridulis tuis sonis
Obstrepere blandis desinens oloribus?
Coruo nigrorem cogitatio potest
Detrahere, licet inseparabilis siet:
Monstrosa verò barbaria tua, accidens,
Nec mente, nec re, separari à te potest.

Amarulenta sanè exclamatio, nec minus iracunda, quàm si in eo patriæ salus versaretur. Aliunde profectò animum tibi commotũ oportuit. Sed hoc naturæ tuæ, sic plerunq; in leuissimis sine ratione æstuãti, condonemus: vímque huius tuæ anticatigoriæ accuratius expẽdamus. In qua quod scribis, dictũ à me nigros coruos, nigrũ colorẽ repudiare, id manifestè est impostura tua. Siquidẽ eo loco (qui extat apud Porphyriũ cap. de Accidente) dixi coruum albũ intelligi posse, & Æthiopẽ repudiato colore: in cóq; notaui modos duos secundũ quos accidens eiusmodi cogitatione separari potest. Itaq; de coruo cõmemoras, quod de Æthiope dictũ est: & fingis coruũ repudiantẽ nigrũ colorẽ, cùm neq; de coruo, neq; de Æthiope id à nobis in Porphyrio scriptũ sit, sed tãtũ posse Æthiopẽ à nobis intelligi repudiato colore: id est, posse nos Aethiopis essentiã cogitatione cõplecti, nulla habita ratiõe coloris inhærẽtis. In qua sentẽtia certò scio nihil esse quod possis, aut debeas reprehẽdere. Sed hîc, inquies, de sentẽtia nõ agitur, verũ de vocabulo barbaro. Sit ita sanè. Digna enim est Logodędalo ista cõtẽtio. At si Demosthenes in eo laudatur quod Æschini quædã in ver-

bis dura notāti, eáq; portēta appellāti, purgans se iocando respōderit, nō in eo esse positas opes Græciæ, hoc ne an illo verbo vteretur: nō vides quid in schola philosophica à nobis audire possis? Nēpe non in eo esse positā philosophiā, neque in hac propter verbū aliquod durius veritatem sententiæ esse respuendam. Quanquam etiam amplius contendo, nihil hic esse barbarum: vt omnes intelligant te etiam in tua Logodædalia, calumniandi cupiditate incredibili plerúmque cæcutire. Quid enim est quod in lingua latina barbarum appellatur? Id, opinor, quod in simplicibus verbis ab hac alienum est, vt Afrum, vel Hispanum. Sic enim video Fabium lib. 1. definiuisse. An vero tu hoc modo repudiandi verbum barbarum dicere audebis, quod omnibus latinè loquētibus vsu tritum est & familiare? Equidem si ita statuas, non dubitabo à tua sententia prouocare. Ad quē vero, inquies? Certe ad te ipsum, tanquā ad Logodædaliæ principem: modò prius eum furorem cōposueris qui te transuersum agit. Sed fortasse vocabulum hoc vsu latinis frequens (id enim negari nisi impudentissimè, nullo modo potest) colori male accommodatum tibi videtur. Atqui primum istud accōmodationis vitium, si quod est, non nisi ineptè, barbaries potuit appellari: Deinde cur tibi ineptius est nos dum Æthiopem intelligimus, colorem repudiare: id est nullam in eius essentia coloris rationem habere, quia ad illam nihil pertinet, quàm repudiare consilium, gratiam, voluntatem, authoritatem, quæ latinis sunt familiaria? Quanquam versibus tuis amplius quiddam est indulgendū. Nec solum in illis spectandum est quid dicas, sed quid dicere volueris: nempe vocabulum hoc, etsi latinis vsu tritum sit, tamē illi græco, ἀποβάλλω, quo Porphyrius vtitur, non satis respondere. Sit ista sanè Logodædalo noua barbaries. Nec enim ea veteribus fuit vnquā cognita. De qua vnum hoc tibi respōdebo, sic non modo Ia. Tusanum, sed & Gullielmum Budęum verbum hoc latinè esse interpretatos. Dicerem hos in lingua græca duo nostræ Galliæ lumina, nisi certò scirem te iampridem eam laudem illis cępisse inuidere. Sed tamen num cogitas quàm mihi apud alios, quibus istorum authoritas omnem in partem splendescit, tua omnino vilescit, tutum sit cōtra tuas calumnias sub horum clypeo latere? Quorum posteriori, Commentariis in linguam græcam ἀποβάλλω idem est quod repudio & respuo. Quod etiam, inquit, ἀποβάλλομαι dicitur, hoc est floccifacio, despicor. Et certè nostra ætate Doctiss. vir Nicolaus Gruchius non solum eloquentia clarus, sed magni nominis philosophus, cum antea in recognoscenda Perionij interpretatione eo loco, de quo nunc inter nos agitur, dixisset Æthiopem mutato colore posse intelligi, à nobis admonitus, spectatáque commoditate sententiæ, dixit, abiecto colore. Cur vero

illi licuit ἀποβάλλειν χρῶμα, latinè dicere, colorem abiicere, mihi repudiare non licebit? Atqui certo scio hanc esse commodissimam verèq; philosophicam de duplici accidentis separatione, quæ sola cogitatione fit, sententiam: quã si non intelligis, cum voles tibi apertius explicabo, méque in eo ad captum rudioris ingenij tui magis demittam. Sed in ista λογομαχία tibi mea sponte cedo. Quî enim possem in ea resistere, quam rerum cognitioni ab ineunte ætate longo interuallo postposui, cum ipse prædicare soleas te in eadem assidua annorũ quadraginta exercitatione armatum? Ego profecto istam coronã in mustaceo tanti non emo. Imo tam multorum annorum in istiusmodi verborum studio male positorum recordatione, valde erubescerem.

In Cap. 16.

Initio capitis huius, vbi respirationis modus ex Timæo explicatur, negationem addis de tuo, quæ neque in Platone est, neque in Alcinoi contextu quem nos cum Marsilio Ficino sumus sequuti: & certè ea addita philosophi sententiam peruertis. Quod nostrorum cum tuis nuda comparatione facile intelligetur. Aër externus, inquam ego, per os & nares aliósque corporis meatus ratione cognitos, in interiores partes influit. In quibus calefactus, ad externum cognatúmque refluere nititur. Qua vero ex parte effluxerit, externum aërem rursum in interiora coercet, &c. Tu vero sic. Calfactus, in exteriores partes ad cognatum aërem properat & contendit, & qua parte non emanarit, externum aërem rursus in interiores partes retrudit. Hic frustra negationem adiicis: quam si forte in aliquo exemplari deprehendisses, ad retinendam philosophi sententiam, delendam esse facile animaduertisses, si quid habuisses iudicij. Nam quo modo aër in interioribus partibus calefactus, qua parte non emanauit, externum aërem potuit in interiores partes retrudere?

In exemplo præposteræ generationis dico tantum, verbum scilicet verbo reddens, vt si ex carne fieret sanguis, aut bilis, aut pituita. Nec vero in Alcinoo amplius quicquam est. Tu vero sic, vt si ex carne, ex qua nasci debet caro, oriatur sanguis, &c. Vbi ineptè & falso de tuo illud addis, Ex qua nasci debet caro. Neque ratio præposteræ generationis in eo est posita, quod pro carne, quæ ex carne nasci debuit, sanguis nascatur. Neque verum est carnem ex carne, sed ex sanguine nasci. Quod vt te doceam, medicos prętermittam hoc tempore: quorum testimoniis te hac in parte facile obruerem. Vnum Platonem sequar, ex quo non est dubium quin huius authoris interpretatio sit repetenda. Ille vero sic scribit in Timæo, Carnes & nerui secundum

naturam ex sanguine generantur: nerui quidem à villis & ligamentis, propter cognationem: Carnes autem à coagulatione quadam eius quod secretum à villis & ligamentis, concreuit. Quod rursus à neruis & carnibus emanat glutinosum & pinguæ, simul quidem carnem vt plurimum ad ossium naturam, ac etiam os ipsum medullam circundans, nutriendo exauget. Quod rursum per ossium crassitudinem stillat purissimum genus triangulorum leuissimúmque, & pinguedine abundantissimum, dum effluit ex ossibus atque delabitur, medullam irrigat. Quatenus igitur singula in hũc modum fiunt, bona valetudo seruatur. Mala vero valetudo sequitur, quando contrà fit. Nam quoties eliquata caro tabem rursus transmittit in venas, sanguis vnà cum spiritu multus ac varius in venis, coloribus diuersis amaritudinéque, & acidis salsísque infectus saporibus, bilem, cruorem, pituitam gignit quamplurimam. Reliqua si voles, persequere: in eis senties quàm longo interuallo ab authoris mente hoc loco defeceris. Adde vero quod apud physicos fieri nullo modo potest, vt ex carne caro directo generationis modo, nullo alio medio interposito generetur: cuius rei causam amplius docebo te, si quando voles à tua Logodædalia ad physiologiam accedere.

Eandem acutam & salsam.) Antea capite 14. cum de fermento carnis ageretur, illúdque in coniunctione duarum qualitatum poneretur ὄξος τε ἅλμυρου καὶ ὀξέως, tibi ὀξὺς eo loco acidum significabat, nobis vero acutum. Nunc in pituita vitium faciente, vbi eadem est duorum saporum coniunctio, illud idem, acutum nobiscum interpretaris: & certè melius. Quoniam salsa pituita, acida verè dici nullo modo potest, acuta vero potest. Si quidẽ ab ipso sapore salso acrimoniæ capit initium, in quo acuties quædam est. Sed da operam vt in illo tibi consentias. In eo vero quod proximè sequitur de effectibus eiusdem pituitæ acutæ & salsæ, vbi Alcinous tantum scribit hos in rigore (ἐν ῥίγει) cõtingere, tu vertis in horrore & frigore. Quoniam scilicet tam stupidus es, vt non sentias quid rigor ab horrore & frigore differat. Caue, obsecro, ne hoc ad grauiorem aliquam & fœdiorem naturæ deprauationem tibi magnum sit initium.

πάντα δὲ τὰ φλεγμαίνοντα, conuerteram antea de pituitosis corporibus. Quoniam hoc ipso loco sæpe pituitam φλέγμα nominauerat, & affectus pituitæ ac bilis videbatur in sequentibus coniungere. Adde quod animaduertebã Marsilium Ficinũ in sua interpretatione idẽ esse sequutũ. Nũc vero dubito debeãne in priore illa opiniõe permanere, an vero hoc de corporibus à bile ardentibus intelligere. Et certè Prodicus, sicut Galenus obseruat libr. 8. de Decretis Hipp. & Platonis,

mutato nomine amaram bilem φλεγμα nominauit: quod à verbo φλέγεσθαι eam appellationem habeat: alij vero pituitam ab eodem verbo, φλέγμα per contrarium sensum nominari scribunt: nonnulli etiã quod ea putrendo facillimè inflammetur.

Miram vero prodis rerum inscitiam, cum pari temeritate in verbis immutandis, scholiorum tuorum numero 3. circa febrium distinctionem, idque quoniam tuam professionem egressus, in aliena peregrinaris. Alcinous, inquis, ἀφημερινὸν, mendosè: pro quo legendum arbitror ἐφημερινὸν, seu ἐφήμερον. Itaque febrem vnius diei significari existimo & diariam seu diurnam latinè redddidi. At, bone vir, loquitur hic Alcinous ex Platone de febribus putridis, quæ versari dicuntur in humoribus, ac pro humoribus homini propriis, quatuor elementa vsurpat, sicut à Galeno obseruatum est lib. 8. de placitis Hippocratis & Platonis. Tua vero ephemera febris, siue diaria, neque puttida est, neque in humoribus versatur, sed in spiritibus. Non sentis quem risum in schola medica excitatura sit hæc tua animaduersio? Pergamus vero in eadem examinanda. Alij, inquis, quotidianam sunt interpretati: quod mihi non probatur. Nam primum legendum esset ἀμφημερινὸν. Sit ita sanè. An non est facilius vnam literam addere, quàm sicut vis, ἐφήμερον legendo, quatuor aut quinque immutare? Et certe apud Platonem eo loco quem Alcinous hîc sequitur, ἀμφημερινὸν legitur. Sed in reliquis acumen tuum spectemus. Deinde cum febris quotidianæ, inquis, causa sit pituita putrefacta, Alcinous autem dicat huius febris causam esse aërem immoderatum, verisimilius est febrem diariam seu vnius diei significari, quæ omnium febrium placidissima & mitissima. Atqui quod te hac in parte perturbat, & ad contextum mutandum impellit, idem me in vetere lectione confirmat. Quoniam didici ex Galeno eodem libro de decretis, hoc quidem quod reprehendis, à Platone sic dictum esse in Timæo, sed vnum esse ex his quæ cum medicorum doctrina non consentiunt. Ad veram quotidianæ febris & tertianæ causam, inquit Galenus, ne prope quidem Plato accessit. Nam cum euidenter pateat in quotidianis phlegmaticum humorem redundare qui humidus & frigidus est, in tertianis vero flauam bilem, quam contrà summè calidam & siccam esse constat, dicere debuerat in tertiana ignis, in quotidiana aquæ elementum redundare. Legat qui volet cætera quæ de hac re nostro commentario collecta sunt, tum hic in te idem sentiet quod sæpe antea, Sutorem vltra crepidam.

In Cap.

In Cap. 17.

Quod Alcinous dixit, ἄλλο σῶμα, ego latinè reddidi, aliud corpus, tu, corpus reliquum. Nec dubito quin locum hunc intellexeris de eo quod in humano corpore, ab ipso capite est reliquum: ego autem de spiritu, qui fusus non minus per ipsum caput, quàm per reliquum corpus, animæ est pro vehiculo: & aliud corpus est ab hoc nostro, quod ex quatuor elementis concretum, palpabile est & tractabile. In quo facile, vt spero, in meam sententiam descendes cum ea legeris (Si modo legendo quoque intellexeris) quæ à Plotino, Marsilio Ficino & Nicolao Leonico Thomæo, scripta sunt de animæ vehiculis. De quo etiam Aristoteles ipse nonnullis videtur cum Platonicis magna ex parte consentire, cum dicit cap. 3. lib. 2. de animalium ortu, mentem astreo elemento participare: quod scilicet illius spiritus natura cœlestis & astrea esse videatur. Tu vero in tua interpretatione considera quàm illud ineptum sit, mentem in capite habitãtem reliquo corpore, quod capiti subiectum est, vti tanquam vehiculo. Etenim, mi Logodædale, animæ in capite residẽtis virtus, fortasse per subiectum corpus reliquum vehitur, quoniam per hoc etiam diffunditur. At vehi ab hoc, dici non potest nisi ab homine tui simillimo.

Locus Alcinoi in quo hoc capite secundum Platonem, ponit rationem in cerebro, cupiditatem in iecore, iram in corde, iustam occasionem afferre videtur obiter admonendi de eo errore, quem nuper in te obseruaui cum Lucretianos Commẽtarios tuos cursim euoluerem, ad eas disquisitiones instruendas quas tibi in illos adorno. Sic enim Commẽtario in lib. 3. Scribit Lucretius, inquis, Tition amorem esse, hoc est libidinem: quæ secundum physicos & medicos in iecore est, vt risus in splene, iracundia in felle. In quo per Deum immortalem, nunquam ne abs te consequemur, vt ad sobrietatem sapias: id-est vt te intra tuæ Logodædaliæ fines contineas? A qua, vt antea dixi, quotiescúmque peregrinaris, noui risus nobis occasionem prębes, & eius quidem in quo nescio splen ne magis an ipsum cor afficiatur. In quo primum illud tuum (amorem, hoc est libidinem) probare nullo modo possum. Scis quamobrem? Quoniam grammatici nostri, quos oratione quadam docere voluisti quam esset difficile in eadem lingua, verbum vero reddere, superbéque insectatus es quod, peto id est quæro, interpretarentur, clamabant hoc tuum (amorem, hoc est libidinem) longe esse ineptius. Atque ad id efficiendum te ipso teste vtẽtur: apud quem memini legisse me versu pene vltimo annotationum in lib. 3. Arist. de moribus, in pueros libidinem non cadere: in quos tamen cadunt amor & cupiditas, quæ à Platonicis in iecore dicuntur

sedem habere. Sed quid ago? Aut satísne sanus sum, qui in Logodædalia non modo gladiatorem multarum palmarum, sed Triumphatorem magnificum infinitis annorum quadraginta (quos in ea se posuisse prædicat) spoliis ornatum, audeo in hãc de verborum proprietate contentionem reuocare? Deum immortalem quas ruinas edes, si me in ea aggrediaris. Itaque malo mea sponte cædere & de re tantum agere. De qua hoc primum rogo te, mi Logodædale, vt edisseras, si placet, quos physicos dicas simul cum medicis in iecore amoris sedem posuisse. Etenim memini quidem hoc Platonicis esse familiare: sed nescio quis ante te cum hoc laudis priuilegio Platonicos physicos nominauerit. De Aristoteleis autem qui maiore probabilitate inter omnes philosophos physici cognominari potuerunt, dici nullo modo potest, eos in iecore amoris sedem posuisse. Sed illud ridiculum magis est, quod vbi à te agitur ex philosophis & medicis de distinctione principum facultatum, secundum principes nostri corporis partes, tu dicere ausus es risum esse in splene, iracundiam in felle. In quo vno multa peccata sunt, quæ nunc tantum tibi indicabo: differã alio loco pluribus. Primum enim cur tibi risus in splene? Num quia, vt quidam ait, splen ridere facit? Ex quo à Persio dictum est.

Sed tum petulanti splene cachinno.

Næ tu homo es in re philosophica, doctrinæ omnino nullius: qui illud non vides splenem inter partes principes numerari nullo modo posse, sed tantum destinari ad recipiendum à iecore melancholicum sanguinem & excrementum. At illud certè esset necessarium, si facultatis ridendi sedes merito dici posset. Deinde cur tibi risus in ea parte est, in qua abundat melancholicus humor risui inimicus? Sciebam equidem melancholicos natura frigidiores, vt raro ridere solent, sic incalescente isto humore, si quando in risum erumpunt, in hoc solere esse immoderatos: sed certe nesciebam id efficere posse, vt inter philosophos risus in splene verè esse diceretur. Postremò vero iracundiam in felle esse ais: cuius conceptaculum certum est esse in folliculo cauæ parti hepatis adnascenti. At Plato & Aristoteles illam in corde statuunt. Tibi ne ergo potius, quàm illis credemus? Sed video quo possis confugere. Iracundos, inquies, dicimus esse bilioſos: tales vero sunt in quibus multum fellis est. Erras hic quoque. Bilioſos enim eos propriè dicimus non qui secreta bile, aut felle abundãt, sed quorum sanguis valde bilioſus est. Qui idem quia ad naturam ignis proximè accedit, in corde promptissimè feruescit, vel etiam inflammatur: in quo ratio iræ est posita.

Quod ὀισφαλῶ pro ὀιστρον legendũ arbitraris hoc recipio. Nuncq; interpretor aculeo punctam & ferã belluam. Ac cum isto loco antea here-

rem, neque viderem quo modo ea facultas quæ in iecore resident, aculeus dici posset, quod de irascibili apud Peripateticos erat tolerabile, eius cõmodiorem sententiam, quã nunc sequimur, acceptam refero ornatissimo viro, Paulo Foxio, rerum quidẽ maximarum administratione clarissimo, sed philosophiæ cognitione lõgè magis admirando. Qui cum nos in huius loci explicatione laborantes animaduerteret, singulari dexteritate ingenij sic restituendum admonuit: idque prius quàm de tuis edendis quicquam cogitare cæpisses.

Scholiorum tuorum numero 5. quod scribis diuinationẽ cã quæ ratione, & arte seu scientia carer, duplicẽ esse: vnam furoris, alterã somniorum, agnosco hoc & recipio ex Cicerone profectũ initio lib. 1. de diuinatione. Quod vero vt has duas species suis notis distinguas, subiicis eam quæ furoris est, fieri animo afflatu diuino cõcitato: alteram quæ somniorũ, animo soluto, hoc quia tuũ, Ciceroni cõtrarium, & ab ignoratione rationis diuidendi profectum omnino reiicio. Quoniam vnam speciẽ ab altera distinguis eo ipso quod vniuerso generi de quo nunc agitur, est cõmune. Et enim fieri animo soluto, nõ pertinet tantum ad eam diuinationẽ quæ cõtingit in somnis: sed etiam ad alterã, quæ furoris est. Quod vt cõfirmem vnius Ciceronis authoritate, ero cõtentus. Cum duobus modis, inquit, animi sine ratione & scientia, motu ipsi suo soluto ac libero incitarẽtur, vno furẽte, altero somniãte, &c. Nec verò minus erras nume. 7. scholiorũ eorundem. Vbi enim ab Alcinoo dictũ est, idq; ex Platonis Timæo, diuinationẽ in somnis cõtingere, q̃ in iecore, propter leuorẽ & nitorem, vis quædam à mente fluens reluceat, tu Platonis, scilicet, seuerissimus cẽsor & castigator, subiicis eam vim potius esse intelligendã quæ à Diis, vel dæmonibus obiicitur. Vel dic, inquis, per mentẽ solutam ac liberam, qualis est in somnis, propter cognationẽ quam mẽs habet cũ Diis & dæmonibus, Deum ipsum aut dæmonẽ significari. Atqui Plato in Timæo apertissimè loquitur de potentia cognitionis quæ ex mente nostra descẽdit. Visne tibi potius quã illi credamus? Quid quod statim numero eodẽ, tui immemor hoc ipse de nostra mẽte interpretaris. Omnino, inquis, non dixit vim quæ à phantasia fluit, sed quæ à mente, id est, à parte nostri diuinissima. Quid tibi vis Logodædale? An ea mens quæ pars nostri diuinissima, in nobis somniat, tibi Deus est aliquis, vel dæmon: nempe is ipse qui dicitur somnia immittere? Equidem hæc comparans cum numero 3. scholiorum tuorum in capite 15. facile animaduerto te circa quæstionem propositam de somniis, in eo luto hærere ex quo non possit te tua Logodædalia eripere. Itaque philosophica manu excitandus es. Ex qua hoc si placet accipe, In somniis mẽphica manu excitandus es. Ex qua hoc si placet accipe, In somniis mẽtem nostrã descendere ad ea quæ in iecore tanquã in speculo elucent

Ex iis vero quædam de ipso iecore enasci, nempe de humoribus in hoc dominantibus, qualia sunt quæ nos exercent in somniis naturales causas habētibus, de quibus antea dictum est: alia extrinsecus immitti, nempe vel ab ipso Deo, vel à dæmone.

Græco exemplari totum hoc de tuo adiicis, τὸ λογιστικὸν οὐ τοῖς ἀνθρώποις μόνοις ὑπάρχειν, id est, ratiocinatiuum in solis hominibus reperiri. Hoc vero deest in eo quod nos sumus sequuti, sicut ipse in tuis scholiis monuisti: falsóque & ex philosophiæ Platonicæ ignoratione, à te est adiectum. Quoniam in Platonica doctrina verum non est τὸ λογιστικὸν solis hominibus inesse. Quod ex iis intelligere potuisti quæ superius, de cælo, astrísque animatis & de dæmonibus dicta sunt. Et certè philosophiæ candidati ex Porphirij primis elementis hoc ipsum iampridem didicerunt, meminerúntq; idcirco in definitione hominis, mortale, ab illo esse vsurpatum. Neque vero illud addi ad vim eius argumenti quo Alcinous vtitur, erat necessarium. Quoniam cum propositum sit partem animi passiuam aliis quoque animalibus, brutis scilicet, inesse: assumendum fuit τὸ λογιστικὸν in illa non cadere: quod Alcinous philosophorum more non exprimit, vt satis per se manifestum. Ex quo concludit, ratiocinatiuum (sic enim philosophicè loquamur) à passiuo differre. Quoniam si duo hæc non differrēt, substantiis animatis, quas informant, non distinguerentur. Quo argumento Aristoteles ipse lib. 2. de animo, confirmat primas animi facultates esse distinctas: quod hæ scilicet pariant distincta rerum animatarum genera.

In Cap. 18.

Quod in græco dicitur ἀσώματος γὰρ ἐστὶν οὐσία ἀμιτάβλητος, ita latine reddis, corpore enim vacat ea essentia quæ immortalis est. In quo præterquam quod ineptè ἀμιτάβλητος, à te redditur, immortalis, non vides Alcinoi sententiam sic peruerti, vt pro argumento sumas quod in quæstione est positum. Probatur enim animum immortalem esse, quia immutabilis, intelligibilis, inaspectabilis, &c. Talem vero esse, quia essentia est incorporea. At tu contra, sumis eam essentiā quæ immortalis est, oportere corpore vacare. Quasi iam tibi concessum sit, animum immortalem esse, nouáque quæstio afferatur, an sit corporeus. Hoc tibi potius erat considerandum quā insectandū quod diximus, corpus omne esse sensile. In quo cum docere vis numero 2. scholiorum, non omne corpus sentire posse, dic mihi, Logodædale, bona cum venia, in hoc si me vincere non erubescerés? Nunquam profectò ἄθεος tuus Lucretius à nobis extorquebit, vt nomen hoc in

Schola Philosophica, ista significatione vsurpemus. Atque certè debuerat esse satis hoc contra nos, de quo initiò respondimus, quartum quintúmve repetiuisse. Quanquam hic etiam tibi venia danda est, in quæstione omnium maxima, de re nihil habebas quod diceres: de verbo nugari oportuit.

Noua ratio ex Platonis Phædone, sic ab Alcinoo exprimitur, τὰ τε ἄκρα τὰ ἐναντία, καὶ μὴ καθ' αὑτὰ, ἀλλὰ κατὰ συμβεβηκὸς, πέφυκεν ἐξ ἀλλήλων γίνεσθαι. Quam ita reddidimus, Contraria immediata, non secundum seipsa, sed aduentitia tantum vi, ex se inuicem oriuntur, & fiunt. Quæ vera est non modò Platonis & Alcinoi, sed Aristotelis sententia de contrariis ex se inuicem orientibus, lib. 1. Physic. Quoniam vno consensu Philosophorum omnium, ex principiis in re constituta manentibus, vnumquodque per se oritur. At contrarium ex contrario oritur, non tanquam ex principio manente (hoc enim fieri nullo modo potest) sed tantum quia contrarium contrario in eodem subiecto succedit. Quod quidem est ex alio κατὰ συμβεβηκὸς, oriri. Tu verò ea sententia non intellecta, locum hunc sic peruertisti. Præterea quæ medio carent contraria, inquis, & non per se, sed ex euentu contraria sunt, eorum alterum ab altero nasci solet natura. In quo si te non pudet in primis Physiologiæ elementis cæcutire, hoc saltem pudeat quod Alcinoo falso ascribis, contraria medio carentia (quæ Philosophis maximè propriè contraria sunt) non per se, sed κατὰ συμβεβηκὸς tantum esse contraria.

Quod de respiratione Alcinous subiicit, ad id pertinet, vt intelligamus quomodo nonnunquam errari contingat, in eo quòd obseruatis aliquot singularibus, non tamen omnibus, propositioni vniuersæ temerè assentiamur. Vt si, quia obseruatum est pleraque animalia respitare, hinc eliciamus, omne animal respirare. Quod in huius loci interpretatione non animaduertisti. Sed hoc negligentius Scholiorũ tuorum numer. 7. à te factum est, quod de propositione Philosophis veteribus & recentioribus controuersa, temerè & sine iudicio statuisti. Id solum esse animal, inquis, quod respiratione vtitur, falsum est. Pisces enim non respirant, cùm pulmone careant. Hui! Támne rudis es, & ignarus rerum Philosophicarum, vt nescias Aristoteli pisces nonnullos pulmones habere? & aliis contra Aristotelem, eos etiam qui pulmones non habent, per branchias respirare? Aut si hoc aliquãdo audiuisti, támne temerarius, vt de re tantopere controuersa, sine vlla distinctione pronuncies? Neque verò magis illud animaduertisti quod ex artificio differendi didicisse oportuit, quando propositioni vniuersæ resistendum est, id in ea parte faciendum quæ manifesta, non quæ plus habet dubitationis. Atqui de piscibus an respirent,

multum dubitationis est (vt intelligere poteris ex nostro Commentario in cap. 16.) Alia verò pleraque sunt animalia de quibus quod non respirent, manifestum est & certum. Itaque in his potius oportuit te propositioni vniuersæ resistere.

In ea ratione quæ sequitur ex 10. de Rep. eo iterum peccas, quod ignoratione sententiæ, non distinguis conclusionem ab argumento. Nam Alcinous quia animus à proprio vitio non corrumpitur, colligit nequaquam fore vt ab alieno, aut ab vllo alio corrumpatur. Idque quia causarum internarum maior vis est ad interitum, necessitate quadam ineuitabili inferendum, quàm externarum. Ex quo tandem concludit eum nullo modo corrumpi. Quod tu in tua interpretatione non satis distinxisti. Lege verò quæ ad hanc rationem nostro Cõmentario repetita sunt ex 10. de Rep. tanquam ex suo fonte. Tum nõ dubito quin in his errorem tuum facilè sentias.

Ratione postrema ad confirmandam immortalitatem, quæ ex Phædro adducta est, cùm in Græco exemplari, cuius fidem sumus sequuti, legeretur ἀρχικῶς ὄν, hoc sumus interpretati, quod principij rationem habet. Tu interiecta vna particula, eáque, mea opinione, ad huius argumenti vim minimè necessaria, legendum arbitraris ἀρχικῶς κινητὸν ὄν, ac latinè reddis, cùm principium motus in se inclusum habeat. Nec animaduertis in sententia & pondere rationis huius permultum interesse, sitne aliquid principium motus, an verò in se huius principium inclusum habeat. Nam quod principium motus est, id Plato vult semper moueri, eóque esse immortale: quia nunquam se ipsum deserit. At animalia in se habere inclusum principium motus, nempe animum à quo mouentur, Plato, vt opinor, concederet: nec tamen hæc semper moueri posse fateretur. Et certè sine subtiliore Philosophia hoc ex Cicerone in somnio Scipionis, intelligere potuisti. Vbi hanc Platonis rationem sic interpretatur, vt dicat animum, non sicut vis habere in se inclusum motus principium, sed esse ipsum mouendi principium. Quod semper mouetur, inquit, æternum est. Quod autem motum affert alicui, quódque ipsum agitatur aliunde, quando finem habet motus, viuendi finem habeat necesse est. Solum igitur quod sese mouet, quia nunquam deseritur à se, nunquam ne moueri quidem desinit: quinetiam cæteris quæ mouentur, hic *fons*, hoc principium est mouendi. Principio autem nulla est origo. Nam ex principio oriuntur omnia: ipsum autem nulla ex re alia nasci potest. Nec enim esset hoc principium, quod gigneretur aliunde, &c.

In Cap. 19.

Scholiorum tuorum num. 1. aliquot exemplorum enumeratione, ex Ciceone confirmas Latinè dici, esse in nostra potestate: quod nos, in nobis situm esse, diximus. Idque vt nostram interpretationē vno in verbo rectè immutasse videaris. Atqui vtrumque horum in vestra Logodædalia receptum est, & à nobis hoc ipso capite vsurpatum, esse in nostra potestate: & eodem, à te sæpius illud nostrum, in nobis situm esse. Quid igitur erat necesse hoc à te immutari, aut cùm immutasses, istud tam pueriliter aliis permultis grauioribus prætermissis, annotari? Equidem de re nihil habuisti quod diceres: in verbis ludere oportuit. Sic nosti simulare Cupressum. Hoc verò in istiusmodi Philosopho quid aliud est, quàm pro rebus verba dare? aut pro fructibus folia? Sed sit sanè istud proprium tuæ Logodædaliæ.

Magis erras in sententia, cùm paulò post sic Alcinoum interpretaris. Rei illi prædictæ, inquis, Paris Helenam rapiet, quæquidem in eius potestate erat posita, consequens erit hoc, bellum inferent Troianis Græci ob Helenam. Nec enim, Logodædale, Alcinous ait prædictum esse oraculo, fore vt Paris Helenam raperet: nec si esset prædictum, id amplius, ex ea sentētia quam hoc loco sequitur, in eius potestate fuisset. Sed vult ex conditione tantum prædictum fuisse, Si Paris Helenam raperet, fore vt pro hac Græci contra Troianos bellum gererent. Cuius quidem conditionis pars antecedens, erat adhuc in Paridis potestate. Quoniam eo fato minimè definiebatur. At cùm ille sua sponte Helenam rapuisset: Græcorum bellum, quod ad raptum consequens, fato erat definitum, vitari nullo modo potuisse. Sanè miror te in hoc tam turpiter lapsum esse, præsertim cùm tibi in eo nostra interpretatione præluceremus.

In eo autem quod vbi de Laio, & filij procreatione agitur, pro θεσμῶ, id est, vt placet Marsilio Ficino, pro lege, vel vt nos eramus interpretati, pro oraculo, legendum arbitraris ἐν τῷ δεσμῷ, ac explicas, in coniunctione & vinculo matrimonij contineri, facilem quidem fuisse video vnius literæ mutationem: sed si ea tibi concedatur: locúsque ad eam sententiam quam tibi fingis, referatur, hanc nihilo meliorem, imò deteriorem fore animaduerto. Nam illud tuum, Laium & filij procreationē in coniunctione & vinculo matrimonij contineri, quā aptè & quorsum, vel etiam quàm venustè latinè dicatur, profectò nō video. At Laium & filij procreationē esse in oraculo, mihi significare videtur hæc ex his esse, quæ quanquam fato definita non sint, sunt tamen confatalia. Sic enim dictum fortasse initio capitis huius, omnia quidem esse in fato, non tamen omnia fati legibus teneri.

Et certè id maximè consentit cum oraculo Apollinis, quod in tuis Scholiis commemorasti. De illis autem quæ cõfatalia nominauimus, audi si placet in proposito exemplo, Ciceronem lib. de Fato, hæc ex Chrysippo commemorantem. Quædam sunt, inquit, in rebus simplicia, quædam copulata. Simplex est, morietur eo die Socrates. Huic, siue quid fecerit, siue non fecerit, finitus est moriendi dies. At si ita fatum sit, nascetur Oedipus Laio, non poterit dici, siue fuerit Laius cum muliere, siue non fuerit. Copulata enim res est, & confatalis. Sic enim appellat, quia ita fatum sit, & cõcubiturum cum vxore Laium, & ex ea Oedipum procreaturum. Vt si esset dictum, Luctabitur Olympiis Milo: & referret aliquis, Ergo siue habuerit aduersarium, siue non habuerit, luctabitur, erraret. Est enim copulatum, luctabitur: quia sine aduersario nulla luctatio est, &c. Quæ si attentè consideraueris, facilè, vt opinor, agnosces, etiam si tibi concedamus ἐν τῷ ἀσωμῷ, hoc loco legendum esse (quod ego non omnino repudio) id tamen non de cõiunctione matrimonij, sicut vis, sed de eorum quę à Chrysippo confatalia dicuntur, connexione esse intelligendum. Quod nos posteriore nostra interpretatione sumus sequuti.

Placet verò obiter in tuam Logodædaliam excurrere, & de nonnullis monere te, quæ hoc ipso capite circa orationis artificium nonnihil regiam maiestatem tuam dedecent, cuius sceptrum dicere soles, annorum quadraginta laboribus tibi esse comparatum. Etenim illud non satis te dignum videtur, infinitum esse id quo tanquam vehiculo vehitur quod in nobis situ est. Quo etiam loco, sicut & paulo post, numero scilicet 7. nobiscum latinè dixisti, in nobis situm esse, quod antea fastidire videbaris, & pro quo sine ratione dicere malebas, in nostra potestate esse. Quod verò ad istum num. 7. notas in tuis Scholiis, locum ad finem capitis huius sic esse interpretandum, Definiendum, inquis, quod in nobis situm est, ex eo momento quo in vtramuis partem propenso, verum aut falsum orationis adipiscatur: in eo prodis magnam temeritatem tuam in contextu immutando, cum pari ignoratione sentẽtię. Nam cùm doceat hîc Alcinous quale sit quod in nostra potestate propriè esse dicitur, & circa quod nostræ deliberationes versantur, nempe id quod paulò ante τὸ δυνατὸν appellauit, & natura sua inter verum & falsum interiectum, atque idcirco ἀορίστου esse dixit: tu deprauata sententia, pro ἀορίστου, hoc loco qui superiori omnino respondet, contendis ὁριστέον esse legendũ, ea certè temeritate quę lõgo vsu, multorúmq; annorũ pręscriptione, tibi in tuo Logodædalię regno iampridem propria esse cœpit. Sed vt in hac tibi liceat quidlibet, dic nobis Logodædale, quæ erit in his verbis tuis sententæ commoditas? Definiẽdum, inquis, quod in nobis situm est, ex eo momento

to

to quo in vtramnis partem propenſo, verum aut falſum orationis adipiſcitur? In quibus primum quorſum addis de tuo (orationis) quaſi veritas de qua hîc agitur, in re eſſe non poſſit, niſi oratione exprimatur? aut determinatio quæ à nobis electione fit, circa poſſibile, ad cuius vtramliber partem liberam facultatem habemus, ex oratione pẽdeat? Deinde qualis hæc definitio eius quod in nobis ſitum, ex eo ſcilicet momento quo in vtramuis partem propenſo, verum aut falſum orationis adipiſcitur? Næ tu, vt quod debitum eſt deferam, ſingularis es definiendi artifex.

In Cap. 20.

Quanquam in verborum & orationis examine multa tibi antea condonauerim, ne in tuæ Logodædaliæ fines viderer irruere, non poſſum tamen hoc capite prætermittere illam tuam periodum quæ ita incipit, Ex quo homines verè Philoſophos, &c. totam videri malè cõtextam. In qua illud addis de tuo (& quandiu cum corporibus coniuncti ſunt) credo quia in eadem ſequitur (poſtquam corporum vinculis ſunt ſoluti) deinde in eo valde luxurias (expurgaſſent, reſtituiſſent, ſanauiſſent) iterúmque in hoc (intereat, extinguatur, obcæcetur) poſtremò non ſatis Latinè dixiſſe videris (eius totum quod ratione præditum eſt, naturam amplecti) pro quo reponendum (eius totius, vel eius totam) vt hoc naturæ adiiciatur. Sicut in reciproci vſu, tria aut quatuor eodem capite peccata ſunt: quę tibi in huius authoris interpretatione familiaria. At illud laudo quod tandem aliquando huius capitis initio, τ' ἀγαθὸν ſummum & primum bonum ſignificare ex Platonica loquendi conſuetudine agnouiſti: cuius ignoratione multis locis antea peccauiſti.

Monſtroſa verò eſt in Philoſophia Platonica, bonorum diuiſio quam proponis Scholiorum tuorum num. 2. & ad quam euertendã nullæ externæ rationes quærendæ: ipſa ſibi ad detegendam abſurditatem eſt ſatis. Bonorum, inquis, tria ſunt genera. Alia ἑκτὰ, quæ conſequi & habere licet, vel per naturam, vel per ſtudium vel exercitationem, vt bona valetudo, iuſtitia, temperantia, alia μεθεκτὰ, quæ conſequi & habere quidem non licet: ſed ad eorum communionem recipi, cáque participare licet, vt ſummum bonum: alia ὑπαρκτὰ, quæ neq; habere, neque participare licet, ſed ea ineſſe & extare oportet, vt bonum eſſe, iuſtum eſſe, bonum eſſe. In quo vt tibi tuos Typographos ſæpe cauſanti, iſtam poſtremam repetitionem condonemus, in cæteris quid dicere debueris, facile intelligo: quid dicas, omnino neſcio. Quoniam tu teipſum nõ intelligis. Etenim quid illud eſt μεθεκτὸ bo-

na esse, quę habere & consequi non licet, licet tamen ad eorum communionem recipi, eadémque participare? Quomodo enim eorum est communio & participatio, si haberi non possint? Aut quale illud, nos ad summi boni communionem participationémque recipi, summum tamen bonum habere non posse? An eius est communio vel participatio quod haberi non potest? Aut ea quæ tu ὑπαρκτὰ nominas, quo modo, vt ais, inesse possunt, si hæc neque habere, neque participare licet? Quod si μεθικτὰ bona ea hoc loco dicere voluisti, quæ cap. 9. num. 5. κατὰ μέθεξιν, id est ex participatione bona nominasti, quomodo in his summum bonum à te hoc loco ponitur, quod certum est nullius participatione bonũ esse? quódque Platonicis te idem est cum Deo: qui à te eodem loco, κατὰ ὕπαρξιν, siue ex essentia sua bonus dicitur?

Scholiorum tuorum numer. 4. locus quem citas ex Platone 4. de Republ. illic nusquam est: sed repetendus ex 4. de Legibus, ex quo ad verbum est descriptus. Numer. verò 9. rectè quidem obseruas ea quę dicuntur ab Alcinoo ex Phædro esse collecta: sed temerè hoc totum adiicis (sursum extulit in extimum locum aurigæ caput) quod non est ab Alcinoo expressum, nec ad id de quo agitur necessarium. Quoniá satis erat docuisse Platonem in exprimenda humana fœlicitate, nonnunquam duo hæc in animo coniunxisse, Deum sequi, & huius similem fieri. Cætera ex Platonis contextu citata, à te in Scholia referri ad illustrationem sententiæ potuerunt: adiici verò contextui, nisi pro tua temeritate non debuerunt.

Quod paulò post ab Alcinoo scribitur, καὶ γάρ τοί τῆς ὠφελείας ἀρχὴ τὸ ἀγαθὸν, τοῦτο δὲ ἐκ θεοῦ ἄρηται, id nos sic Latinè reddidimus, Etenim vtilitatis principium ipsum bonum: hoc autem ex Deo dictum est. Tu verò sic, Itaque vtilitatis principium dictum est bonum: hoc autem à Deo oritur. Quem locum Scholiorum tuorum num. 10. falsò putas nominatim citari ab Alcinoo ex certo Platonis dialogo, quem Epinomidem esse vis. Quoniam quanquam in eo Deus bonorum omniũ causa esse dicatur, sicut & in Eutyphrone, & lib. 2. de Repub. nihil tamen hìc ad verbum citatur, sed ex sententia Platoni familiari & rata, causa redditur, propter quam apud eundem animus Deum sequẽs, & huic similis factus, beatus esse dicatur. In quo tuum alterum peccatum est, quod vbi superiorum ratio ab Alcinoo redditur, tu ex superioribus nouam illationẽ fingis. Nec verò leuius illud est, quod τὸ ἀγαθὸν (quod de idea boni erat intelligendum, quæ sola vtilitatum omnium principium est & regula) tu ineptè & contra consuetudinem Platonicorũ, de bono simpliciter, vt antea sæpe, es interpretatus. Cæterùm quę cõtra nos in Scholiis tuis obseruas de distinctione verbi ἄρηται, in qua Marsilius Ficinus nobis assentitur, ea apertissimè arguunt te Alcinoi

sententiam hac in parte nullo modo esse assequutum. Cogúntq; addere verbum (oritur) cui in Græco contextu nullum omnino respondet. Quanquam τὸ ἀγαθὸν (quod ipsum bonum siue ideam boni interpretor) reuera apud Platonem ex Deo non oritur: sed est & dicitur ipse Deus. Quod facilè intellexisses, si vel leuiter tantum Platonicorũ doctrina fuisses imbutus. Sequitur verò alterum grauius peccatum, in eo quod vbi dixisti Deum virtutem non habere, quia virtute melior: statim subiicis, ex qua (virtute scilicet) rectè quis dixerit infœlicitatem, &c. Qua sententia nihil potest fingi absurdius. Sed hoc si voles, per me licet in tuum Typographum reiicias.

In Cap. 21.

Hoc capite multa sunt in quibus nostra interptetatio à tua dissidet. Sed hæc magna ex parte inde profecta, quod in Græco contextu immutando, huic addendo & detrahendo, tibi licere putas quidlibet. Nec cum ista tua temeritate, in secunda & tertia periodo vitare potes rerum multarum repetitionem, in ea breuitate quam Alcinous affectat, imprimis odiosam. Sine qua huius sententiam (assentiente etiam Marsilio Ficino) retineri posse existimauimus. In ea quoque periodo quæ Græcè incipit ὁταν δὲ φῶμεν τάξιν, &c. quàm multa addis de tuo? quàm multa peruertis? In quibus cùm ὑπείρσιαν, non incommodè, opinor, obedientiã essemus interpretati, tu dicere maluisti rationem quæ adhibetur in cupiditatibus & appetitionibus moderandis, & ad obtemperandũ adducendis. In cęteris pari copiæ inanitate luxurias.

σωτηρίαν in definitione fortitudinis, malui obseruationem, quàm tecum salutem interpretari, Quoniam etiamsi hoc vocabulum ferre possit, ridiculum tamen in sententia mihi videtur, fortitudinem dicere salutem eius præcepti in cuius obseruatione versatur. Frustra etiã in huius definitionis explicatione illud addis (de rebus extimescendis & non extimescendis) quod neque addidit Marsilius Ficinus, neque est in Græco exemplari quod sequuti sumus, neque ad illustrandam sententiam quicquam commoditatis affert.

ἀκολουθεῖν interpretatus es, continuò efflorescere, nescio profectò cuius authoris exẽplo. Sed hoc vnũ scio id esse profectum ab ignoratione sententię: quã ex fine capitis colligere potuisti. Ex superioribus enim cõcludit virtutes in recta ratione tanquã in regula, esse connexas. Vt verum id esse velit quod Cicero pluribus locis disputat, eum qui illarum vnã habeat, reliquas etiam habere oportere. Quare illud maluimus interpretari, mutuo se consequi: quod in illa regula virtutes inter se quasi concatenatæ sint. Quod non dubito quin posthac

facilè sis probaturus, modò supra Logodædaliam animum erigens, ex contextus comparatione commoditatem sententiæ hac in parte videre possis.

Scholiorum tuorum num. 4. scribis, non Platoni solùm, sed & Aristoteli post Platonem, de connexione virtutum omnium cum recta ratione & prudentia idem visum esse, & pluribus verbis demonstratum atque explicatum lib. 7. de Morib. ad Nicom. In quo facile est animaduertere tibi non deesse voluntatē seriò philosophandi: sed istud profectò superat tuam facultatem. Itaque pascis animum eo quod est reliquum: dásque operam vt inconsiderata & tumultuaria horū Philosophorum comparatione, in vtroque aliquid consequutus esse videaris. Locus de hac connexione virtutum omnium cum recta ratione & prudentia, expressior est apud Aristot. capit. vltimo lib. 6. Ethic. quàm in vlla parte libri 7. quē tu citasti. Neque in eo Aristoteli, sicut arbitraris, idem quod Platoni videtur: sed ab Aristo. Plato in persona Socratis reprehenditur. Socrates quidem, inquit Aristo. partim rectè quærebat, partim aberrabat. Nā quòd virtutes omnes prudentias putauit esse, errauit: quòd autem eas non sine prudentia censuit, præclarè dixit. Quod ex eo intelligi potest, quia nunc omnes qui virtutem definiunt, cùm habitum eam esse dixerunt, & in quibus cernatur, tū habitum eum esse adiungunt, qui rectæ rationi sit consentaneus. Atqui ea demùm recta ratio est, quæ prudentiæ congruat. Ergo hoc omnes quodammodo diuinare & augurari videntur, habitum eum virtutem esse qui prudentia dirigatur. Sed tamen facienda mutatio est. Neque enim solùm virtus est habitus, qui prudentiæ sit cōsentaneus, sed is potius qui sit cum recta ratione coniunctus. Recta autem de his rebus ratio, iam nomen habet prudentiæ. Socrates ergo virtutes omnes rationes esse putauit, cùm in scientia omnes poneret: nos eas non rationes, sed cum ratione esse dicimus. Non sentis Platonem ab Aristotele in ea quæstione castigari, in qua vtrique idem videri temerè affirmasti?

In Cap. 22.

Hoc capite sic in verbis es dissolutus, vt tuæ Logodędaliæ desertor esse videaris. In quibus primum hoc, hominem omni genere vitiorū coopertum, non satis te dignum esse videtur. Deinde in illo, ad virtutem trameare & transuolare, pro vno verbo duæ sunt metaphoræ dissolutæ. Atque in eadem periodo, quatuor aut quinque senariis versibus concluſa, mihi hæc mouent nauseam, nam neque, qui enim, non enim, longè enim. Nec verò in altera longè breuiore, magis hoc placet, virtutes res honestas agere ex ratione, non quæ in eis inest,

carent enim ratione, sed quæ à ratione eis est tradita. Quid enim erat necesse rationis vocabulum tam frequenter iterari? aut quis ferret hoc, virtutes agere ex ratione, quæ à ratione eis est tradita? Præsertim cum Alcinous semel tantum illud vsurpet, κατὰ λόγον: secundo loco particulam hanc minimè repetat: tertio, pro ea dicat φρόνησιν; quã prudentiam sumus interpretati. In his autem quæ scholiorum tuorum numero 2. & 3. notas ex Arist. Ethicis, facile animaduerto animũ tibi incalescere studio philosophandi: sed facultatem valde esse languidam. Quoniam scilicet, in magisterio Logodædaliæ tibi, vt iactare soles, annorum ferè quinquaginta laboribus comparato, ætatem consumpsisti.

Neque vero magis quam superiora probare possum hoc tuum loquendi genus (propterea quod in omnibus virtutibus, aut certè in plurimis in vnaquáque vtrínque duo vitia cernuntur.) Cur enim si in omnibus, addi oportuit, in vnaquáque: aut si in vnaquáque virtute & in omnibus id verum est, cur interiectum à te est, aut certè in plurimis?

ἀμέτριαν, quæ excessum & defectum hic complectitur, eram antea interpretatus immoderationem, quæ nunc mihi magis ad excessum pertinere videtur: tu nihilo melius, vacuitatem à modo. Nunc fortasse dico aptius, discessum à modo, qui in vtrámque partem fieri potest. De quo liberum sit lectori iudicium: modo tamen meminerit hac particula, id quod est vtriúsque vitij, excessu scilicet & defectu peccantis, significari.

Neque vero qui cum parentes) locus alius sequitur obscurior, in quo duobus exemplis explicatur varietas discedendi à modo circa perturbationes: in cuius quidem interpretatione mihi antea non satisfeceram expetebámque in dies meliora. Sed certe in eo hoc videbar assequutus, quod nulla facta contextus mutatione vulgatum exemplar græcum ad verbum expresseram: in quo immutando tibi tuo more licere vis quidlibet. Ego vero nunc minus multis immutatis, meliorem sententiam videor assequutus. De qua liberum quóque lectoris iudicium expeto: ea lege vt à quouis meliora facile recipiam.

In Cap. 23.

Si virtus voluntaria sit, concludit Alcinous initio capitis huius ex Platonica doctrina, vitium esse inuoluntarium. Quia hac in parte cõtrariorum consequentia cõtraria Plato existimauit: vel si hoc mauis, contrariorum causas esse contrarias. In quo ab Arist. reprehenditur lib. 3. Ethic. atque contrà disputatur vitia, quemadmodum & virtu-

tes, esse voluntaria, sicut nostro commentario in locum hunc abundè videmur docuisse. Tu vero confundens Platonica cum Peripateticis, sic Alcinoum latinè loquentem facis, Si virtus spõte suscipitur, consequens est vt vitium sponte contrahatur. Hoccine vero est latinè vertere, an potius authoris sententiam euertere? Et certè vel sola sequentia mouere te debuerunt, hanc à te confictam sententiam cum authoris mente nullo modo posse consistere.

Quod Alcinous vno verbo nominat, τὸ ἀκούσιον, tu ita exprimis (quod inuitè suscipitur, eiúsque quod inuitè susceptum est, natura) in quo alteri luxuries esset mirabilis, sed ea tibi vsu trita est & vulgaris, verùm hoc attentius considerandum, quod illud τὸ ἀκούσιον, siue quod inuitè suscipitur, vis ad ea omnia pertinere quæ ab ignoratione aut ab aliqua animi perturbatione proficiscuntur. Sic enim hoc loco Alcinoum loquentem facis. Præterea quod inuitè suscipitur, inquis, eiúsque quod inuitè susceptum est, natura, in ignoratione quadam, aut in animi perturbatione posita est. Atqui tu ipse, annotationibus tuis in cap.1.lib.3. Ethic. inuitè factum definis quod inscienter & coactè, & cum dolore, ac molestia factum est. An potest cuíquam esse eiusmodi quod à gestiente lætitia est profectum? At hæc animi perturbatio est, tibíque hoc loco, omnia quæ ab aliqua animi perturbatione proficiscuntur, inuitè suscepta, vel facta esse dicuntur. Da igitur operam vt hac in parte tibi ipse consentias. Nos vero τὸ ἀκούσιον, inuoluntarium sumus interpretati, repugnante quidem tua Ciceroniana religione: sed quæ, vt antea dixi, mihi in schola philosophica, vana superstitio quædam est. Nam si Ciceroni familiare est, voluntarium, non modo pro eo quod à voluntate tanquam à principe causa proficiscitur, sed in omni eo quod hanc habet minimè repugnantem aut in contrarium nitentem: cur philosopho ea aliorum vocabulorum imitatione in qua exemplis abundamus, dicere non licebit inuoluntarium id omne quod aut voluntati omnino contrarium est, aut certè præter hanc accidit? Quo modo certè apud Platonem in homine intemperante omnia quæ à gestiente lætitia proficiscuntur, inuoluntaria sunt: non quod contra voluntatem accidant (hanc enim ille nõ habet repugnantem) sed quia præter hanc. Quæ duo quo differant tum intelliges cùm te philosophiæ excolendum tradideris.

καὶ λόγῳ, καὶ ἤθεσιν ἀστείοις, καὶ μελέτῃ) tu latinè reddis, ratione & moribus vrbanitate politis & meditatione: ego vero cum Marsilio Ficino, ratione & consuetudine ciuili, vel si voles, moribus ciuilibus, atque diligentia. Quo loco cum agatur de his quæ pertinent ad homines ita regendos, vt minimè sint ad inferendam iniuriam propensi, in

hoc magnam vim esse uideo ciuilis consuetudinis: quando scilicet ciuitas ipsa bene morata est. Quid vero ad id afferre possint tui mores vrbanitate politi, profecto non video.

In Cap. 24.

Hoc capite quo loco de perturbationibus agitur, numero scilicet 1. scholiorum tuorum, tibi non est satis Alcinoi contextum temere immutare: sed in eo me reprehendis, quod receptam lectionem, & Marsilij interpretationem sequi maluerim, quàm tuo more in bonis scriptoribus immutandis licenter insanire. Mendosè, inquis, legitur vulgo apud Alcinoum σπίσατα δὲ τὰ ἡμέτερα ἔργα, & cætera. Nam σπίσατα, pertinet ad ea quæ antecedunt, & legendum ὀυδὲ τὰ ἡμέτερα ἔργα. Quod cum alij non vidissent, hunc locum non rectè interpretati sunt, quinetiam deprauarunt, cum sic verterunt. Nostra quidem opera consistunt, non tamen in nostra potestate. At vero tu caue, mi Logodædale, ne ipse ignoratione sententiæ, addita negatione, contextum immutando omnino deprauaueris, nimiúmque acutè intuendo, nihil omnino videris. Ego quidem facile culpam omnem in eo vitare possum in quo receptam distinctionem, & lectionem tua confessione sum sequutus: præsertim ad meam opinionem accedente, vel potius in hac mihi prælucente Marsilio Ficino. Qui rerum philosophicarum maximéque Platonicarum cognitione vsqueadeo excellit, vt apud eruditos eius authoritas contra tuam rerum earundem inscitiam, mihi non leue momentum sit habitura. Attamen hoc etiam amplius contendo, nostram interpretationem quam reprehendis, germanam Platonis sententiam continere. Quæ mihi eiusmodi esse videtur. Perturbationes quidem ipsas non esse in nostra potestate: facta tamen vel opera quæ ab illis proficiscuntur, nostra esse putanda nobísque ascribenda. Quoniam non possumus omnino non commoueri: sed primos motus ratione reprimendo, malefacta & opera quæ ab illis exultantibus, vel longius excurrentibus solent proficisci, euitare possumus & debemus. Ideóque facta hæc, vel opera tanquam nostra legibus, & suppliciis in nobis vindicantur: ipsę vero perturbationes minimè. Nec enim quisquam ciuili disciplina quantumuis seuera, punitur quòd in alterum iratus sit (quandoquidem hoc non tam illius opus vel factum esse putatur, quàm passio) at si intus alterum percusserit, vel interfecerit, hoc factum illi ascribitur, supplicióq; coercetur. Lege accuratè quæ de hac quæstione pluribus disputantur à Platone lib. 9. de Legibus, tum,

vt spero, senties tuam in hoc loco immutando temeritatem ab ignoratione philosophiæ esse profectam. In qua tuum illud quàm insulsum est, perturbationes (quæ à philosophis passiones appellantur) nõ esse nostra facta? Quis enim vnquam passionem factum appellauit? Aut si ea in factis numeratur, cur non in nostris, si quidem nostra est passio? Ac denique si in nostris factis est, cur non vel sola perturbatio in nobis lege punitur, sed tantum ea facta quæ à perturbationibus nostra culpa longius excurrentibus, proficiscuntur? Equidem Logodædale, perturbatio nostra est, sed ea non est nostrum factum: quia omnino factum non est. Et actiones quæ à nobis perturbatis proficiscuntur, facta quædam sunt, eadémque nostra. Quare etiam in nobis merito puniuntur, perturbationes vero non item.

Quod scholiorum tuorũ ad caput hoc nota. 7. à me prætermissum obseruas, πλεονάξει γαρ, & cætera, quanquam in omnibus exemplaribus & codicibus græcis reperiri scribas, deerat tamen in eo quod cũ Marsilio Ficino sumus sequuti. Nec adhuc mihi necessarium esse videtur. De quo nostra cum tuis sedulo cõparari postulo. Non possum vero illud quod proximè sequitur, non male contextum, vel *potius* omnino dissolutum obiter indicare, Qui concupiscit, inquis, quia *in* expectatione eius quod concupiscit adipiscendi acquiescit, lætatur, &c. Hui! Quam lepidè lexeis compostæ, & cætera. Notum enim tibi carmen est.

In diuisione voluptatum quam nos hoc capite complectimur, tu vero in cap. 25. reiecisti, particulam δι ὅτι, non satis attentè videris cõsideraſſe. Vbi enim Alcinous διδάσκει δὲ καὶ δι ὅτι πολλαί εἰσιν ἡδοναί, tu sic latinè reddis. Docet multa esse genera voluptatum: nos vero, Docet autem propter quam causam multæ species sint voluptatum. Atqui non tam voluptates sic diuidit, quàm earum causas indicat partim in animo, partim in corpore esse positas. In sententia vero illud te obiter admonitum velim, significatum hoc loco ex Platone maximam vitæ humanæ partem transigi in statu medio inter voluptatem & dolorem: in quo scilicet, homo quidem sentiat, in sentiendo tamen nulla voluptate, aut dolore afficiatur. Quod cum sit verissimum, tu tamen tam stupidus es, nec solum omnis philosõphiæ, sed communis sensus expers, vt affirmare audeas in omni sensu perceptionem esse quandam voluptatis vel doloris. Recordare enim, Logodædale, sic à te probatum principia esse sensus expertia Commentario in libro 2. Lucretij, Quoniam, inquis, si principia sentirent, & voluptate afficerentur & dolore. Nam quicquid sentitur, aut iucundum est aut molestum. Propositio certè eo homine digna qui ratione nõ modo non regitur, sed sensu indiget. Quod vero eodem loco subiicis, voluptatem

tem definiri motum naturæ consentaneum: dolorem, motum præter naturam, nescis ab Aristotele esse reprehensam eorum opinionem, qui voluptatis essentiam in motu ponunt, & à Galeno rectè obseruatum, lib. 4. de Sympt. causis, voluptatem non esse coniunctã cum motu quolibet ad naturam accommodato, sed cum eo tantum qui adiunctam habet celeritatem & vehementiam. De quo satis est hoc loco te admonuisse: accuratius vero aliquando differetur nostris disquisitionibus in tuum Lucretium.

In Cap. 25.

Initium capitis huius, quod tibi est 26. ita conuertis, Amicitia autem ea quæ maximè & propriè dicitur amicitia. Vbi frustra amicitiæ vocabulum repetiuisti, quod in græco deest. Sicut & paulò post cum dixisti mutuam beneuolentiam, quam Alcinous ἔνοιαν ἀντίστροφον vocat, de tuo adiicis, & pariter vtrinque respondentem. Sic in te semper

Luxuriat phrygio sanguine pinguis humus.

Quo loco amor ab Alcinoo dæmon appellatur, scribis in tuis scholiis omnia pessimè à nobis esse accepta, à te vero sic illustrata, vt ea quiuis facile possit intelligere. Hæc igitur expendamus, & nostra cum tuis sedulò conferamus. Cupido, inquis, cui corpus affingitur, quíque corporatus est, dæmon potius quàm Deus dicendus est. In quo σωματοποιούμενον ἔρωτα, Cupidinem corporatum, id est sua essentia corpore constantem, interpretaris. In hoc, opinor, nescio quid somnians de illius arcu & sagitta, ex poëtarum fabulis. Ego vero corpori addictum aut incorporatum, vel si mauis, eum qui neglecta animi pulchritudine suapte natura amabili, ad eam descendit quæ propria corporis: quem Marsilius Ficinus interpretatur, magna ex parte ad corpus declinantem, ea sequutus quæ ex Diotima Fatidica refert Socrates in Symposio. Et certè Alcinoi contextus manifestè arguit locum hunc de amoris obiecto, potius quàm de eiusdem fabulosa essentia, intelligendum. Quanquam non negem indicari etiam, hoc locum dedisse fabulæ. Secundum quam dictum videri potest cum quadam poëtarum correctione, eum qui præest huic amori corporeo, vel ad corpus declinanti, dæmonem potius quã Deum esse appellandum.

Quod ab Alcinoo scriptum est θεωρήματα δὲ αὐτοῦ τὸ γνωναί, & cætera, ego sic interpretatus sum, De eo autem quæ præcipi solent, hæc sunt. Tu vero hoc modo, Eius autem præceptiones & cognitiones hæ sunt, cognoscere eum, & cætera. In quo primum non vides quam

illud ineptum sit (cognitiones eius sunt cognoscere) deinde præceptiones alicuius latinè dici eas potius, quæ ab eo traduntur, quam quæ de eo. At locus hic posteriore modo erat intelligendus. Eodem loco vbi agitur ab Alcinoo de dignoscendo eo qui amore dignus sit, cum id diiudicandum esse dicat ex duobus quorum vnum πρόθεσις, alterum ὁρμὴ nominatur, nescio quo authore pro priore appetitionem dixeris, pro posteriore cogitationem: si modo in interpretando eundem ordinem cum Alcinoo sis sequutus. Quod si hoc inuerso tibi ὁρμὴ appetitio est, an erit etiam πρόθεσις cogitatio? Omitto vocabuli proprietatem, atque de sententia tantum disputo. An is qui sibi quærit quem amare debeat, vsque ad interiores huius cogitationes progredietur, ex eisque sibi illum deliget?

In Cap. 26.

Vbi Alcinous ex Platone scribit Rerumpub. formas quasdam esse ὡς ὑποθέτους, id est, vt interpretor, suppositas vel pro suppositis, de tuo addis græco contextui τὰς δὲ ἀνυποθέτους: hocque interpretaris, alias esse sine suppositione. Credo quod hic nescio quid de diuisione somnians, existimes vni membro aliquid ex altera parte esse opponendum. Sic enim notas in tuis scholiis, vulgatis libris hoc alterum membrum deesse. In quo, næ tu circa leges diuidendi magnus es, & singularis ingenij artifex. Vtinam vero docere etiam esses conatus quæ rerumpub. formæ sine suppositione esse dicerentur. Equidem principium contradictionis omnino primum, Aristoteli lib. 8. Metaph. est ἀνυποθέτους: quia minimè suppositum per séque firmissimum: quod qua ratione huic loco conuenire possit, aut quo modo opponi ei formæ quam Plato explicat libris de Repub. nullo modo video. Tu cum voles in eo explicando elaborabis. De hypothesi autem memini quidem à te obseruatum numero 39. annotationum in libr. 5. Ethic. sic à mathematicis ea appellari quæ postulare solent, vt sibi concedantur: quæ ponuntur, inquis, non probantur, neque docentur: quæque sunt eis denique velut quædam suarum demonstrationum principia. In quo ex artis Analyticæ ignoratione multipliciter à te peccatum est. Nam hypotheses non sunt eædem cum postulatis, neque complectuntur ea omnia quæ poni dicuntur: sed eorum speciem vnam faciunt, Neque verum est has non doceri, aut esse tantum velut demonstrationum principia: quod ad Aristotelem hoc tempore remitto. In eo vero peccas grauius quod postquam has duas re-

rumpub. differentias tibi in Alcinoi contextu finxisti, eundem sic interpretaris, vt ab illo dictum velis, earum vtrámque à Platone esse expositam libris de Repub. Quod ille nunquam dixit, neque vero sine errore dicere potuit. Quoniam Plato libris de Repub. priorem differentiam solam persequitur: alteram huic oppositam, illic non attingit, sed tractat libris de legibus. Verum hæc tibi facile condono quæ percipi non potuerunt sine accuratiore intelligentia doctrinæ Platonicæ, in qua leuissima tantum sectaris. Modo illud discere velis, initio huius capitis membrum vnicum ab Alcinoo proponi, idémque solum libris de Repub. à Platone explicari. Ei vero postea ex altera parte opponi Resp. non quidem, vt arbitraris, ἀνυποθέτους, sed ἐξ ὑποθέσεως, eo loco quem sic sumus interpretati. Describit quoque, inquit Alcinous, alias respub. ex suppositione, in quibus est ea quæ libris de Legibus instituitur, & quæ aliarum correctionem habet in epistolis, & cætera. In rerum autem publicarum formis quid sit suppositio, quid ex suppositione, plenius intelliges ex nostro Commentario in locum hunc, si modo prius te in Arist. Analyticis posterioribus exercueris, sine quibus hæc non possunt intelligi.

In Cap. 27.

In comparatione sophistæ cum philosopho, penes genus subiectũ, ei quod scribit Alcinous enti non ens non opponi, addis de tuo, vt contrarium: quod etiam Marsilio Ficino video placuisse. Sed hoc, pace vestra dixerim, ad sententiam authoris non est accommodatum: & certè apud eos qui oppositorum differentias tenent, quæque in his species sit contrariorum, ex philosophis intelligunt, ridiculum est dicere ens & non ens non opponi vt contraria: quæ manifestum est ex Aristotelis sententia, in simplicibus contradicere. Sed hæc si verum fateri vis, tibi non satis sunt perspecta: nec vero dubito quin valde miratus sis, ens & non ens hoc loco ex Platone ab vniuerso genere oppositorum separari. Quod in quam sententiam accipiendum sit, si placet, ex nostro Commentario intelliges.

Tu in contextu Alcinoi legens, περὶ παντὸς ὄντος, hoc interpretaris, euertetur: nempe id quod non est, inquis, seu non ens. Quod quale sit, omnino non intelligo. Nam dicere quidem tu fortasse potes, Logodædale, quid sit euerti ens: at quid sit euerti non ens, nullo

modo potes. Atque idcirco nos illud ad hominem qui non ens voce exprimit, aut cogitatione complectitur, referre malluimus, verteréque, aberrabit. Quod quanquam reprehendas, nihil tamen adhuc video propter quod sit necesse me de priore sententia decedere. Quoniam ratio ea quæ ab Alcinoo subiicitur, illam confirmat: nec patitur id de alio quàm de ipso homine intelligi. Etenim qui non ens cogitatione complecti conabitur, idcirco aberrabit, quod in se dissidentia complectetur. Hoc vero de euersione non entis nullo modo potest intelligi. Adde quod vocabulum sua significatione hanc sententiæ cõmoditatem non respuit: in cuius delectu habeo authorem mihi Marsilium Ficinum, tanto te in doctrina Platonica superiorem, quanto in Logodædalia eodem maior vis videri.

Illud vero Alcinoi ἔστι δὲ τὸ μὴ ὄν, & cætera, sic eram interpretatus pene ad verbum Marsilium Ficinum sequutus. Est autem non ens, cum auditur, & cętera. Quod adhuc non repudio: nisi quòd commodius paulò dici posse existimaui, hoc ipso quod auditur, vel prout auditur: κατ' ὃ, & cętera, quod dicunt vulgo, quatenus. Quem locum sic latinè reddere maluisti, Non est autem, inquis, id quod non est, ex quo auribus sentitur. De quo audiamus quid contra nos in tuis scholiis garrias. Hoc Alcinous significat, inquis, non ens non esse id quo auribus percipitur, nempe nudam negationem entis, seu eius quod est: sed semper habere vna secum speciem alicuius rei quæ animo obiiciatur, & ad aliud referatur. Verbi causa, cum dico lapis est non homo, hoc, non homo, est non ens, quod nihil est & obiicit mihi oculis seu animo potius, speciem hominis, ad aliúdque hæc mihi obiecta species refertur. In quo præterquam quòd Platonis mentem de comparatione imaginum cum ideis, ad quam locus hic pertinet, nulla ex parte assequeris, de qua à nobis abunde dictum est Commentario in locum hunc, sed Peripatetica de nominibus finitis, & infinitis cùm Platonicis confundis, etiam in ipsis Peripateticis vsurpandis variè & multipliciter erras. Primum quidem cum dicis, non ens semper habere vnà secum rei alicuius speciẽ, quæ ad aliud referatur. Quoniam ipsa rei species quam non ens quodammodo habet adiunctam, non refertur ad aliud: sed ea ipsa est ad quam non entis cogitatio referenda. Deinde manifestè repugnat Alcinoi sententiæ quod subiicis, non hominem nihil esse. Nam si, non homo, nihil est, quo modo de lapide, & ligno aliísque rebus pene infinitis verè affirmatur? Ridiculum illud quoque hominis speciem, ex qua non homo à nobis intelligitur, referri ad aliud. Cædo enim quid illud tandem aliud est, ad quod obiecta hominis species dicetur referri? Imo

non homo quatenus auditur, ſubindicat aliquid quodammodo relatum ad alterum, & quod per ipſam relationem quodammodo aliquid eſt. Quoniam quod animo concipitur, audito non homine, id refertur ad hominem, ex hócque ſpectatur. Sic enim ab Ariſtotele dictum eſt lib. de Interpretatione, nomen infinitum quodammodo vnum ſignificare. Sed hæc ſunt ſubtilioris artificij diſſerendi, in quibus tibi plumbeum ingenium.

Loco altero qui proximè ſequitur, rectè coniectaſti quod in vulgatis exemplaribus legitur, ὃκ ἔστι ὄν, id vna particula tranſpoſita commodius legi poſſe, ἔστιν ὃκ ὄν. Idque ſi verum fateri vis, ex noſtra interpretatione collegiſti. Quoniam, vt interpretor, quod non eſt quoddam ens, id eſt non ens. Ex quo Alcinous effici arbitratur, quot modis ens dicitur, totidem non ens vſurpari. Sed illud tuum omnino inſulſum eſt, Quod non eſt quiddam, inquis, non eſt id quod eſt. Eo etiam peccas, quod ſuperiore periodo ad ea quæ ſunt in Græco contextu negationem vnam in tua interpretatione adiicis. Nam ſi non etiã ipſa quæ ſunt, inquis, non participarent id quod non eſt, ab aliis ſeparari non poſſent. Vbi ex fide Græci contextus tui ad verbum erat dicendum, Nam ſi ipſa non participarent id quod non eſt, ab aliis ſeparari non poſſent. In quo quæ Alcinous indeterminatè nominat αὐτὰ, ea tu de tuo interpretaris τὰ ὄντα, ego verò μὴ ὄντα, id eſt ipſa non entia. Sícque locum hunc exprimo, vt niſi ipſa aliquid entis aſſumpſerint, ab aliis diſtingui non poſſint. Quo loco ex Peripateticis manifeſta eſt Alcinoi ſententia, de natura nominum infinitorum: quę vt dictum eſt, inter ſe diſtinguuntur ex relatione quadam ad finita, quibus ſunt oppoſita. Quæ etiam facilè accommodari poteſt Platonicorum doctrinæ de comparatione imaginum cum ideis quibus participant. At illud tuum. Nam ſi etiam ipſa quæ ſunt, non participarent id quod non eſt, ab aliis ſeparari non poſſent, monſtrò profectò ſimile eſt. Quid enim hoc, entia participare non ente, nec ſine hac participatione poſſe intelligi? Quare ex tuo Græco contextu negationem vnam detraho, vt huius loci ſententia ſit eiuſmodi, Niſi ipſa (non entia ſcilicet) aliquid entis participent, ab aliis ſeparari non poterunt. Non entia autem aliquid entis participare, ex ſuperioribus interpretor, ea non poſſe intelligi niſi ex quadam relatione ad ipſum ens. Quod facio (quanquam repugnante Marſilio Ficino) ad maximam commoditatem ſententiæ: quam non dubito quin Philoſophi ſint amplexaturi. Hoc verò, vt in Logodædaliæ regno, ad tempus depoſita tua maieſtate, mihi per tuam humanitatem concedas, etiam atque etiam rogo.

Ad finem huius capitis cùm Alcinous docere vellet, & confirmare quod antea proposuerat, non ens, quando profertur, intelligi non vt nudam negationem, quæ nihil omnino ponat, sed tollat tantùm: verùm ex relatione quadam ad ens: ad hoc confirmandum assumit quot sunt entia, tot modis non ens dici. Quia non ens dicitur ex relatione ad ens. Hócque rursum ex eo confirmat, quia quod non est quoddam ens, id est non ens. Quod in comparatione imaginum cum ipsis ideis apud Platonicos luce est clarius: idémque si ad Aristotelis nomina finita & infinita referre placet, intelligetur hoc modo. Entia quædam sunt lapis, lignum, homo: non entia, non lapis, non lignum, non homo. Hæc autem tria posteriora dicuntur ex relatione ad illa: neque omnino nihil sunt. Sícque quot sunt differentiæ entium, totidem non entium ad illa relatorum. Hæc certè germana est doctrina Alcinoi ex Platonis Sophista de ente, & non ente, itémque Aristotelica, de nominibus finitis & infinitis ex Categoriis, libro de Interpretatione, & capite vltimo lib. 1. Analyt. priorum. De qua tuam sententiam audiamus, nota vltima Scholiorum tuorum in cap. hoc: vt intelligamus quàm fœliciter opus istiusmodi à te concludatur. *Sic Alcinous*, inquis, τὸ μὴ ὄν, ἐκ ἔστιν ὄν, verbi gratia, quod est non homo, non est homo. Quasi verò hîc quæratur, quo ordine se habeat affirmatio infinita ad negationem finitam. In eodem verò luto hærens, sic pergis. Fortassis, inquis, sic legendum ἔστιν ἐκ ὄν, est non ens, verbi gratia, quod non est homo, est non homo. Quo loco ab Alcinoi sententia peregrinando, in nouum errorem incidis, quod ad negationem attributi finiti, facis consequentem affirmationem attributi infiniti: magna ignoratione rerum Logicarum, & doctrinæ Peripateticæ. Disce verò hoc postremum, negationem illam attributi finiti, non est homo, veram esse in iis quæ sunt, & in iis quæ non sunt, vt in lapide & Hippocentauro. At affirmatio attributi infiniti, est nō homo, de lapide quidem vera est, de Hippocentauro non item. Nam si hic verè diceretur esse nō homo, cum certè esse oporteret, quem fictitium quiddam esse supponimus. Non sentis igitur, quàm ineptè à te scriptum sit, quod non est homo, id esse non hominem? Siquidem eo vero posito, verè vt opinor assumerem, Hippocentaurum non esse hominem. Ex quibus sequitur quod est falsissimum, Hippocentaurum esse non hominem. Lege quę à nobis de horum ordine in consecutione scripta sunt, contra Thessalum tuum Animaduersionibus in Dialecticas institutiones, habebis, si voles, quod discere possis: aut si in tuo errore permanere mallis, in magistro tuo illud erit exemplum nobile, quo te possis tueri.

Postremus locus hic, de comparatione Philosophi cum Sophista, suadere videtur, vt quoniam tu me non modò passim in hac Academia, sed etiam apud exteros, Sophistam nominare soles (sicut ego te Logodædalum, quem cum illo Plato coniungit) ea subiiciam quæ de istiusmodi nominibus, partim ad te scripta sunt, partim apud nostros dicta. Quæquidem iusto dolari indulgens, iampridem, vt scis, edidissem, nisi id tuis artibus impediuisses. Nunc verò si quid in illis esse videbitur amarulentū, hoc, si placet, cogitabis, hac arte moderãdam eam suauitatem, qua in maledicendo nimium oblectaris. A me, sicut ab aliis permultis, qui te istiusmodi tuo merito oderunt, tum incipies bene audire, cùm cœperis bene facere, benéque dicere. Talibus verò maledicendi & calumniandi initiis, sine vlla occasione introductis, nulla in respondendo vehementia mihi, vt opinor, vitio dari potest: ab his præsertim qui de nobis humanitus iudicabunt, id est qui in altero facilè ferent, quod in re consimili sibi apud omnes vellent licere.

Finis defensionis aduersus quendam Logodædalum.

IAC. CARPENTARII, CLAROMONTANI BELLOVACI, ORATIO, QVAM HABVIT IN AVDITORIO Regio, in repetenda sua Alcinoi Platonici interpretatione Latina, contra quendam Logodædalum, huius calumniatorem.

SEMPER existimaui, Humani Auditores, augustam & sanctam Philosophiæ maiestatem, paucis contentam iudicibus, nullam à suis Professoribus in populo iactationem expectare debere: hánc-que delicatiorum, & quasi fugacium ingeniorum, quæ vt ad audiendum alliciantur, fucum sibi fieri volunt, æstimationem facilè contempturam, si modò suus, id est solidioris doctrinæ atque reconditæ hominibus, vel certè his satisfaceret, qui orationis sola puritate contenti, in rerum cognitionem omnino incumbunt, verborum delicias aut effœminatum & mollem ornatum in eorum officinis, qui totos se ad aurium voluptatem componunt, nihilò pluris faciunt, quàm pudica matrona frontem notatam frequentibus calamistri vestigiis, aut in myrotheciis, fucati candoris atque ruboris medicamenta omnia. Sic enim legeram vetustissimos in ea principes, & quasi maiorum gentium Deos, Pythagoram, Socratem, Platonem, Aristotelem, & in iis quos

noſtra ætate multos in hac vrbe vidimus, plures in aliis hac ipſa profeßione florentes accepimus, obſeruaueram, omnes in philoſophando eodem animo ſemper extitiſſe: illóſque in ſuis acroamaticis potius reformidaſſe, ne plures quàm par eſſet, quàm ne non ſatis multos ad huius ſtudium allicerent: hos verò ratum habuiſſe quod ex magiſtro eloquentiæ fortaſſe magis quàm ſapientiæ, hauſerant, à Philoſopho orationis ornatum, ſi inter docendum non afferat, non eſſe effla gitandum: ſi verò eiuſdem nonnihil præ ſe ferat, id quantuluncunque ſit, in lucro eſſe ponẽdum. Quo animo cùm eſſem, ab annis quatuor & viginti, quibus me in hoc genere profeßionis exerceo (vtinã verò, humani Auditores, tam ad veſtram vtilitatẽ, hãc enim imprimis expetiui, quàm mihi iucundè et alacriter) rerũ cognitionem, magis quàm verborũ ſplendorẽ, ſemper affectaui: in illáque vt vos explerẽ, potius elaboraui, quàm vt nouis & popularibus exordiis demulcerẽ. Itaque quanquã quidã de noſtris (ſi modò hi de noſtris cẽſendi ſunt) nõ arbitrarẽtur authorẽ vllum manibus, quod aiunt, ſatis lotis attingi niſi quẽ primùm longo prograãmate, per vrbis compita, quaſi ſuſpẽſa hædera, vſque ad nauſeã vobis cõmendaſſent, deinde verò in ipſis docendi præludiis, nouis laudibus ornaſſent, more veterum Sophiſtarũ merces ſuas populo obtrudentium, ego vix vnquã antea in vllo opere aggrediendo, extra rem ſum præfatus: niſi cùm aut nouum Regis beneficiũ, quo ſumus hoc loco exornati, præfandi neceſsitatem attulit, aut Theſſali hoc eripere conãtis, ardentes aßiones eò nos adegerũt, vt pro me mihi ſæpius eſſet dicendum, & contra eum hominẽ qui in nomen fortunáſq;

noſtras ſæuiebat, dicendo quidem potentiſsimum, ſed impudentia longè omnibus ſuperiorẽ. In quo difficile erat animi moderationem perpetuam ſeruare, aut ſemper cauere, ne vlla in parte noſtra regula Philoſophica excideremus. Nunc verò in hac Alcinoi interpretatione tertiò ab annis decẽ repetenda, partim vobis efflagitantibus, partim nobis noſtra ſponte ad eam currentibus, nouus caſus iuſtiſsimã, mea quidem opinione, præfandi occaſionẽ affert. Quoniã verendum eſt, ne dum in illo ea quæ nobis trita ſunt, & iampridẽ meditata quærimus, aut velut crambem recoctã vobis ſæpius eadem reponimus, inepti illius more cupreſſum pingere, aut ſimiles eſſe videamur neſcio cui profeſſori, ſua tamẽ opinione ter maximo, qui haud ita pridem trium Aphoriſmorum, velut triũ cãtilenarũ, doctor, venuſtè profectò magis quàm acerbè nominatus eſt: quod in ſententijs contractus, nunquã diſcedat ab aliquot verborũ formulis: dicerem Coccygis in morem, niſi hæ in ſpeciem valde eſſent ſplendidæ lepidéque compoſitæ, & Coccygis cantu longè ſuauiores: ſed quæ in tanto apparatu tam ſæpe repetitæ, dicendo ſentiendóque plus faſtus in illo quàm facultatis arguunt. Quare dum hac in parte vobis nobíſque obſequimur, rationem qua impellimur hoc initio reddendam exiſtimauimus, dandámque operam vt intelligeretis quod nunc paramus, id quoque à quadam neceſsitate eſſe profectum, quæ cogit de huius authoris interpretatione cum eis decertare, qui contra eruditionis & humanitatis iura omnia, in nos, à quibus nulla re fuerant prouocati, ab annis quatuor ſua ſponte ſæuientes, vel certè ad Theſſali in nos apertè

furentis, libidinem compositi, de manibus eripere conati sunt eam laudem, qua vestra beneuolentia in hoc Platonico Philosopho illustrando frui cœperamus, & maiorem ex eiusdem recognitione sperabamus, vbi ad hanc Platonis cũ Aristotele comparatio iampridem à vobis expetita, accessisset. In qua quia magnam partem ætatis egeram, posse videbar nescio quid meo iure mihi vẽdicare : præsertim inter istos Logodædalos, quorũ fastus sola verborũ ostẽtatione elatus, Philosophorũ schola iã pridẽ explosus est. Quod si paulò tardius facere videor quàm sperabatis, quãq; vos ipsi expetebatis, simul quoq; in eo tarditatis causam fortasse probabitis, si modò me vtrumque explicare conantem: sicut adhuc feciſtis, attentè audiatis.

Ego quidem, humani Auditores, paulò ante annos nouẽ in Marsilij Ficini Alcinoo publicè explicãdo, eo ferè tẽpore quo bellis ciuilibus in hac nostra Gallia omnia ardere cœperunt, tã fœliciter (auditorũ frequẽtia et approbatione nostra studia beãtibus) versari cœperã, vt hic mihi primus aculeus extiterit ad cogitandũ de Platonis & Arist. cõparatione, quæ ab eodem tẽpore me vehemẽtius fortasse exercuit, quàm rerũ mearũ, & artis medicæ faciendæ ratio postularet. At verò accrescẽtibus discordiarũ flammis, cùm illud opus inchoatũ ad extremũ perducere non licuisset: ad quod tanquã ad solenne epulũ, allectus modò erat auditoris animus, non satiatus, meus verò in illo instituta duorũ principũ philosophãdi cõparatione, sic irretitus tenebatur, vt hãc non solùm cogitationibus aliis omnibus anteponeret, sed ex eadẽ in grauissimo luctu bonorũ omniũ, philosophicã consolationẽ pe-

teret, illa quidē huius authoris explicatio temporū neceſsitate tum intermiſſa eſt, ſed eiuſdem ſtudium noſtro auditorúmque animo retentum. Quo poſtea ciuilibus flammis non tam reſtinctis, quàm ad aliquod tempus ſopitis, neque hi deſinunt eius repetitionem à nobis efflagitare, neque ego in dies melius aliquid conari, quo cumulatius quàm antea eiſdem ſatisfacerem. Itaque cum in illa priore inter docendum reipſa ſenſiſſem fideliorem authoris huius latinam interpretationem meritò deſiderari, quàm quæ à Marſilio Ficino exierat, cæpi cogitare de hac vel hoſtiatim à viris eruditis mendicanda potius quam quicquam deeſſet. Atque idipſum quod molliebar, fortaſſe effectum dediſſem, ſi mihi tum liberum tempus datum fuiſſet & vacuum: aut præparatum ocium in quo animi minimè penderem: nec ſemel quid exorſus ſtatim alio eſſem traductus: aut denique niſi auditorum importuna efflagitatio vſque ad quotidiana cōuitia, rudem fœtum ante tempus de manibus extorſiſſet, quem non poteram niſi diu multúmque lābendo perficere. Sic enim nobis tandem expugnatis, Alcinous editus eſt, latinior fortaſſe paulò quam antea, ſed in ſententiis magna ex parte adhuc diſcerptus potius quàm bene cōpoſitus: & quod nonnulli veſtrum meminiſſe poſſunt, velut ventis diſperſa Sybillæ oracula. Adeo vt eiuſdem explicatio prius eſſet à nobis publicè repetita, quàm duo folia recognita, aut horum tertium à Typographo auditoribus poſſet exhiberi. Magna temeritate, fateor, ſed cuius culpa hoc ipſe lenienda videbatur, quòd illa erat profecta à ſingulari ſtudio inſeruiēdi vobis omnibus, quibus nihil ſoleo denegare: quod

que duabus epistolis ad ornatissimum virum & literatissimum, literatorúmque amantissimum Paulum Foxium, quarum una in eundem Alcinoũ, altera in logicum organum nostrã præfationem continet, veniam quasi ante peccatum videbar deprecatus: palámque erã professus me mihi in illa editione nullo modo satisfacere, meliorẽ in dies expetere, speraréque futurũ vt hanc ipse nõ multò post exhiberem, nisi quis hac in parte nostrã cogitationem anteuerteret. Sic enim, Humani Auditores, Alcinoũ hunc antea nostris vix de nomine cognitũ, quasi Spartam alterã nactus videbar, vel potius mihi ipse delegerã, in quo latinè recognoscẽdo, illustrando &, si modo possem, Cõmentariis aliquando exornando, reliquum vitæ tẽpus transigerẽ, ad idq; conferrẽ quicquid in philosophia multorũ annorum laboribus eram cõsecutus. Sic, inquã, hunc mihi inter philosophiæ professores vendicabã, eo fere occupationis iure, quo omnes vti volunt qui in vacua aut deserta primi venerunt. Neque vero in eo horũ humanitas me fefellit. Quoniã non modo in hãc hereditatem quã, vt dixi, meam quodam modo feciſſe videbar, pedẽ non intulerunt: sed eiusdem possessionem voce, & scriptis suis sæpe sunt cõgratulati: iidémq; nos ad id quod in illa molliebamur, perficiendũ, ex eo tẽpore frequẽtissimè cohortati. Pro quibus humanitatis officiis ego illis vniuersis, & singulis magnã habeo gratiam. Quã vt aliqua ex parte referre possim, vtinã aliquando cõcedatur eorundẽ expectationi in eo quod mollior, cumulatè satisfacere. Sed exortus est quidã Logodædalus, quẽ ego non nominabo: non tã metuẽs ne in hoc vlla inhumanitate peccem, quã ne pluris eum

feciſſe videar quàm volui. Exortus, inquã, homo qui in græcis atque latinis venditandis neſcio quibus rancidis exemplaribus, fulcire putatur porticũ Logodædaliæ, ſed doctorũ omnium iudicio rerũ philoſophicarũ omnino ignarus: ante illud tempus nulla vnquã in parte à nobis læſus, imo pleriſque humanitatis officiis ad amorẽ ſæpe allectus: Qui cũ antea in ſeuiſſimis tẽpeſtatibus huius regiæ profeßionis noſtræ, Theſſalicæ libidinis cõtra nos furẽtis, domini ſcilicet impotentis æſtuans miniſter improbus, pleriſque in rebus extitiſſet, nec modo priuatim apud ſuos ſæpe, ſed hoc ipſo loco nõnunquã apud vos ore ſuo maledico nomen noſtrũ dilaceraſſet, famoſis verſibus cõtra nos nominatim editis, & per vrbis cõpita affixis, ne quid in domino imitando furoris eſſet reliquum quod hic ſeruus ad viuũ non expreſiſſet, cum, inquam, his omnibus patientiã noſtram ad extremum tentaſſe ſe exiſtimaret, nec tamen illis cõmotum animaduerteret, &, credo, maximè miraretur: tãdem rationem inuenit, qua nos in eam arenã pertraheret in quam mea ſpõte nunquam ſoleo deſcendere. Nam fere eodem tẽpore me in Vrbis defenſione cum multis viris bonis alacrem, ſeditionis inſimulat, & noua Alcinoi interpretatione edita, Marſilio Ficino condonat omnia: in nos vero ſic exultat, vt iam in triumpho portare videatur. Quid feciſſet ſi antea læſus fuiſſet, cum nulla re prouocatus, maledicẽdo maléque faciendo expleri non poßit? nunquãque quieſcere? Quanquam fortaſſe erro, Humani auditores, nec animaduerto eos qui cũ hominibus eiuſmodi cõflictãtur, veterẽ iniuriã ferẽdo nouã ſolere inuitare, & plus æquo indulgẽdo eoſdem ad maiorẽ animi

impotentiam prouocare. Quem si quondam extra se vidimus, furentem iracundia, classicum inter literatos canentẽ, quòd, vt dicebat in partem laudis sibi propriæ de atheo Lucretio suo nitori restituto, nescio quis venire voluisset,

Egregiam vero laudem & spolia ampla!

An non debuit cogitare quid in Alcinoo à nobis posset audire? In quo etiam si locis plerísque peccauissem, at certè licere debebat simul cum tempore conari meliora omnia: præsertim per eum cui in Aristotelis Ethicis, aliísque nonnullis græcis scriptoribus latinitate donatis, in Lucretio, Cicerone, Horatio, fere annuos fœtus nouos, nec dum tamen satis bene conformatos, indulgebamus: quíq; ex scriptis nostris, & multorum sermonibus cognouerat nos in huius libri proxima editione, quam parabamus, operam esse daturos, vt cum nostris commentariis veniret in manus hominum longe emendatior quàm antea. Quod si mihi licere noluit mea semel recognoscere, is qui in suis de integro tam frequenter immutandis, tam multa sibi in dies indulget, quis vnquam inter literatos inhumanior extitit? Quis vnquam inter eos egit isto modo? Nisi fortè in isto homine hoc singularis humanitatis est quod eodem tempore ad Thessali iracundiam animum adiunxerat, cum illóque ardebat communi studio opprimendi eum quem vtérque certis de causis præsentiebat alendis iis monstris, quæ tum parturiebant in Academia, parum accommodatum. Hoc certe illud erat. Hinc ille lachrymæ. Itaque cum in eodẽ Alcinoo, Thessalus sua oratione vernacula ad mulierculas edita, quam funesto sibi exitu, nobis vero glorioso, apud principes in aula

paulo

paulo ante declamauerat, plagium obiecisset, hic vt irato vel potius furenti Domino, seruus obsequẽs, gratificaretur, eodem tẽpore clamitat in illo nihil esse dignum schola philosophica, multa ab authoris mente prorsus aliena. Quẽ tamẽ ex eodem tempore vtérque frequenter vidit in manibus nobilissimorum philosophorum, hunc suis interpretantiũ. Nec dubito quin videndo pene contabuerit.

Inuidia Siculi non inuenere Tyranni, Maius tormentum.

De eo vero ipsi Logodædalo, iampridem respondissem, nisi in postremorum bellorum ciuilium æstu à nobis admonitus vt scribendo, de iis præsertim quæ ad religionem Rémque publicam pertinent, posthac maiorem cautionem adhiberet, sic tum animo deiectus visus esset, sic prostratus, vt ego ipse eius sortem misertus, in erigendo confirmandóque laborarem. Itaque verebar ne si eodem tempore de Alcinoo responderem, iam satis, vel etiam plus satis afflictum, vehementius affligerẽ: multóque magis ne vt tum illi res erant in Academia, in periculum fortunarum eum adduxisse viderer, cum quo mihi tantùm de literis certamen esse volebã: aut certè ei omnem respondendi facultatem voluisse adimere: quem ad contentionem de rebus atque sententiis maximè cupiebam allicere. Præsertim cum eodem tempore, quasi in extrema arena, absente domino, ad solam palinodiam confugisset, velut ad reliquam tabulam vnam naufragij: quæ in illo sua quidem certè opinione, multarum palmarum gladiatore, multis nominibus miseranda esse videbatur.

Nunc vero rebus compositis, cùm in Vrbe, sua suorúmque & domini præsertim (à quo non dubito quin ad hæc omnia fuerit impulsus) authoritate fruatur: cum eos animos receperit quibus antea elatus, nos hac regia professione exclude-

re conatus est, nomen fortunásque nostras quantùm, potuit oppugnauit: cum denique is ipse sit qui erat antea, quãdo nobis in Arist. pro philosophia mera sophismata: in Sphera, quã tum interpretabamur, insulsam barbariẽ: in Alcinoo, Platonicorũ & Peripateticorum summã ignorationẽ, dicendo scribendóque tam superbè obiiciebat, quis reprehendat, si hũc in eam arenã iustissimis cõditionibus reuocamus, in qua nos antea sæpe iniustissimè prouocauit? aut si de illis conamur respondere, in quibus sine sudore de nobis voluit triũphare? Nam conuitia omnia quæ hoc ipso loco contra nos sæpe ex eiusdẽ ore audita sunt, libellísque famosis atque alijs huius scriptis plerísque testata, facilè cõdono. Quoniã in omnibus quæ nihil habent præter contumeliã, vinci semper mallo quã quemquam vincere. In Alcinoo vero, in quo de doctrina agitur, conabor efficere, vt intelligatis, non quidem à me nihil esse peccatũ (quoniam homo sum, neque humani quicquã à me alienum puto: nec soleo nisi lambendo fœtus meos efformare, quod factũrũ me in hoc authore spopondera, feciſſemque nisi huius præceps inuidia recognoscẽdi facultatẽ præripuisset) sed multa adhuc ab illo esse præterita, quæ nouã animaduersionẽ desiderant: plura in nobis reprehensa, in quibus nõ deest interpretationi nostræ iustissima defensio: pene vero infinita in quibus hic qui in alienis perspiciẽdis tã acutus videri vult, in suis talpa cæcior est: in totóque interpretãdi genere nostra authoris ingeniũ suã breuitate imprimis cõmendabile, magna ex parte pene expressisse, seruata in verborũ delectu & orationis cõpositione, philosophica libertate: cui, vt istis Logodædalis stomachũ moneam, quantũ possum semper indulgeo. Apud hũc vero pro

singulari breuitate perpetuã esse luxuriẽ & putidã redundantiã. In sentẽtiis autẽ, si quãdo cõtra nos voluit nõnihil in suis scholiis philosophari, sic insulsa esse omnia, & ab eiusmodi rerũ philosophicarũ ignoratione profecta, vt ea legens tenere me nõ posim quin frequẽter exclamẽ, Sutorem vltra crepidã. Quoniã vt illi in græcis atq; latinis, in quibus nihil vnquã mihi arrogaui, quãtũ volet facile cõcedo: sic in rerũ cognitiõe, quoniã in hac ætatẽ cõsumpsi, si quid mihi assumo pſertim cõtra huius Logodædaliã, videor id meo iure quodã modo vẽdicare. Hoc nisi efficio, humani Auditores & vtriusque interpretatiõis perpetua cõparatione, quasi in rẽ præsentẽ ventũ sit, digito apertè demõstro, causã nõ dico, quin de nostri nominis & famæ existimatione, quãtũ quisque volet detrahatur. Vos vero in his omnib⁹ iudices vehemẽter expetim⁹: quos vniuersos singulósq; rogamus atq; obtestamur, nõ quidẽ vt nobis aliquid cõdonetis, nisi id forte quod ꝓ vestra humanitate denegare nõ potestis: sed vt ĩ vtriúsq; nostrũ interpretationẽ seuerissimè inquiratis, ac de ijs ĩ quib⁹ peccatũ esse videbitur, scripto vel viua voce liberè moneatis. Ego, vt olim Apelles, tãdiu latebo post meã tabulã, quãdiu vnusquisq; vestrũ syncerũ intelligẽsq; iudiciũ ad eã rẽ, quã prius bene nouerit, adhibere videbitur. Vt hoc modo quasi publica & cõmuni omniũ cẽsura ad nostrũ conatũ accedẽte, vel potius eũdẽ excitãte, author hic inter latinos scriptores tãdẽ eũ lucis ſpledorẽ recipiat, quẽ illi iã pridẽ expetim⁹: nostríque cõtentionibus vestro iudicio moderatis res literaria crescat, nulla animorum nostrorũ acerbitate offendatur: nullis conuiciis dedecoretur, præsertim quæ proficiscantur ab iis qui suo exemplo ad omnem modestiã aliis prælucere debent. Quod

vtinã ſuperiore vitæ meæ parte ſemper ſeruare potuiſſé, nec vnquã in eos incidiſſem qui de Peripatetica doctrina ꝑ vete re huius Academiæ diſciplina, cui me ab ineunte ætate addixerã, ſæpius in certamẽ vocati, rem omnẽ primũ ad cõuicia, deinde ad fortunarũ & nominis oppugnationem traduxerunt. In qua ſuſtinenda difficile fuit animis nihil omnino incaleſcere, aut eam moderationẽ perpetuam retinere quam officij, & publicæ profeſſionis ratio ab vnoquoque noſtrûm ſuo iure exigebat. Nõ quod in hoc me vllo modo poſſit aut debeat prioris inſtituti mei pœnitere. Ad quod eo ipſo tempore quo omnia variis difficultatibus inuoluta à nobis referebantur, erãt tamen in mediis fluctibus ſola ſpe, quæ animum ſemper alebat, iucũdiſſima: nunc vero in portu in quo optata requie fruimur, ipſa præteritorũ laborum ſecura recordatione longè ſunt ſuauiora. Sed quoniam nõnunquam antea ſum veritus ne hominibus exteris, aut poſteris, ſedato trãquillóque animo quaſi ex alta terra, in ſcriptis noſtris ſuperiores illas Theſſalicas cõtentiones ſpectantibus, in eis iuuenili ardori plus ſatis videretur eſſe indultũ. Atqui hoc tẽpore multo magis metuendũ eſt, ne in Theſſali miniſtro præter redintegratũ prælium, profeſſionis noſtræ omnino immemores, non ſatis prudenter facere videamur, qui in eo ſtudio conſeneſcamus, in quo neſcio quorũ hominum errore nõ ſatis dignitatis eſſe putatur, quia nõ ſatis quæſtus ineſt aut iactationis in populo. Quare vt Roſcius in ſenectute numeros in cantu dicitur mutauiſſe, tardioréſq; feciſſe tibias: ſic æquũ eſt vt ab illa iuuenili contentione paulò fortaſſe quàm decuit acriore, qua antea vſi ſumus, nunc nonnihil relaxemus & Philoſophicã lenitatem adhibeamus. Non quod, ſi par

pari referre licet, in Logodædalo Theſſalicus furor, contra quẽ inſtituta dimicatio, vllo iure poſsit hanc moderationẽ à nobis exigere: ſed quia æquũ eſt, hac ætate præſertim, videre potius quid in illum Philoſophicè liceat, quàm quid pro ſua in nobis prouocandis temeritate promereatur. Vellẽ profectò, humani Auditores, in rebus Philoſophicis, quæ variæ et reconditæ ab Alcinoo hoc libro tractãtur, illi Deus optimus plus doctrinæ dediſſet. Potẽtior aduerſarius, in dimicãdo nobis alacritatẽ augeret, noſtráque de Platonicorũ & Peripateticorũ ſentẽtiis acrior contẽtio veſtra ſtudia vehementius promoueret. At cùm huius facultas omnis verborũ artificio cẽſeatur, in hócque ſolo regnet partim ſua temeritate in alienis immutãdis, partim ſuorũ rancidorũ exẽplariũ iactatione, quid hic eo dignũ eſſe poteſt, qui iſtã verborũ ſapientiam aliis nõ inuitus ſemper cõceſsit? in expendẽdis autẽ rebus atque ſentẽtiis ætatẽ cõſumpſit? Quanquã in hanc arenã vocatus, vel potius huius inuidia in ſcriptis noſtris calumniãdis, in eandẽ coniectus, nõ omnino cedã: ſed perficiã fortaſſe, vt in hoc intelligatis quod in nõnullis aliis Ariſtotelis interpretibus (de quibus nõ neceſſe habeo quẽquã nominare) antea à vobis reipſa eſt cognitũ, iſta verborũ quãtauis ſapiẽtia nihil eſſe inanius, cùm ſine rerum ſubiectarũ cognitione ad Philoſophiæ interpretationẽ adhibetur. In ſentẽtiis autẽ examinãdis, in quibus perpetuã Platonis cũ Ariſt. cõparationẽ in vniuerſa Philoſophia meditamur, eam diligentiã à nobis expectare debetis, quæ eũ deceat, qui in ſuperioribus huius profeſsionis partibus nõ omnino infæliciter verſatus, in hoc quaſi extremo actu, ſumma cura cauere vult, ne velut inexercitatus omnino corruat. Hic enim nũc mihi cer-

tũ eſt, quaſi ad Diuorũ Platonis et Ariſt. tẽplũ Philoſophiæ arma deponere: cùm ſuperiorũ annorũ multorũ in eadẽ poſitorũ fructũ collegero, noſtróq; in authorẽ hũc Cõmentario ero cõplexus. Reliquũ vitæ tẽpus medicinæ tractãdæ & explicãdæ voueo, dicóq;. Quoniã Deo opt. max. iuſtiſſimo vindice, Theſſali tyrãnide tandẽ aliquãdo liberati, hac libertate Regis beneficio, ad illuſtriſs. Cardinalis, & principis Lotharingi poſtulationẽ nũc fruimur. In quo cũ antegreſſa ex Ariſtotele et nobilibus Medicis plantarũ atq; animaliũ explicatione in poſteriore parte noſtræ deſcriptionis Phyſicæ, auditorẽ præparauero, artẽ hãc pluribus libris à Cornelio Celſo accuratè tractatã pari diligẽtia illuſtrare conabor. Atq; per ficiã fortaſſe, vt poſthac vobis mirũ ſit authorẽ illũ inter Latinos primariũ, tãdiu apud nos in tenebris iacere potuiſſe: cũ ſit ipſo ſcriptionis genere cõptus et venuſtus, ac pro varietate rerũ quas cõtinet, cognitione digniſſimus. Adderẽ verò, humani Auditores, etiã hoc tẽpore diuturnæ ceſſationis cauſam in iſto Regiæ profeſſionis munere, niſi ea multorũ ſermonibus de morbi noſtri magnitudine, & periculoſo exitu, penè omnibus antea innotuiſſet, & vobis nũc in ipſo vultu ex reliquiis ſatis eſſet ꝓſpecta. Ex quo quod p̃ter ſp̃e (huius enim nihil mihi erat relictũ) diuina virgula magis quàm humana induſtria (quãquã neq; hæc ſũma mihi vſquã defuit) cõualuimus, vtinã reliqua ætate hoc à Deo optimo ꝓfectũ ſicut debem°, ſemper ex animo ſentiam°, pro eoq; eidẽ debitã grat.ã, cũ vitæ & morũ immutatione ea, quã à nobis expetit, cõiungamus. Vobis verò tantũ præſtare poſſimus, quãtũ volumus: aut certè quod in humana infirmitate ad reddẽdã apud illũ rationem officij noſtri ſatis eſſe poſſit. Dixi.

IAC. CARPENTARII, AD D. L. EPISTOla secunda.

AD XII. Calend. Decembres, Venetiis literæ datæ sunt à quodam, quem nihil necesse est à me nominari, ad Regiæ professionis collegam nostrum Genebrardum, Theologiæ & linguæ Hebraicæ cognitione ornatissimum, sed morum integritate atque modestia multò magis amabile & prædicandum. In quibus quia ad ea quæ de recenti Christianorum victoria multa narrantur, pleraque adiecta sunt quæ à te profecta dicuntur, & ad nominis mei famæque existimationem valdè pertinent, is mei amantissimus, eadem iam volutatas per multorum manus, quos illius victoriæ lætitia recreari cupiebat, mihi tandem communicauit. Serius profectò quàm vellem: credo quod primùm dubitasset, num me eas cælare deberet: deinde verò vincente vetere amicitia, quæ cum eodem ab annis quatuor & viginti intercessit, illa ad se quoque pertinere iudicasset, permagniq; mea interesse, videre qua ratione posse occurrere his rumoribus, qui per te tuósq; in varias orbis partes de me disseminabãtur apud oẽs eruditos: qui quid de nobis sentiãt aut loquãtur negligere, hominis esset sanè omnino dissoluti.

Quo animo cùm ad finem mensis Decembris de huius manu literas illas recepissem, easdémque perlegissem, facilè sensi id verissimum quod mihi iampridem penè persuaseram, eísq; sæpe opposueram, qui me ad reconciliationem tuo nomine inuitabant, neminem esse inter literatos aliqua laude crescentem, qui tecum tranquillè placatéque possit viuere, propter nescio quem principatum, quem tibi inter illos cum falsa opinione iãmpridem finxeris, tacitáque tua conscientia, honestis rationibus retinere non possis, omnes eos qui in illius partem aliquam venire posse videntur, quocunque modo supplantare conaris: omnes in certamen prouocas, ipse in certando ad mulierc ularum morem verbis tantùm instructus, contentionis exitu semper infœlix, animíque subita deiectione, multò magis omnibus miser, quàm vllis miserabilis. Nam postquàm ille de Genebrardo amicè in illis literis conquestus est: quod de nostris contentionibus inter Regiæ professionis collegas, sic enim nos nominat, nihil omnino scriberet, (miserum me, vel potius si bene iudicas, vtrumque nostrum, quem si non vulgi, at certè eruditorum fabulam fieri oportuit propter eam contentionem, cuius initium contra eruditionis & humanitatis iura omnia, in Alcinoo à te est introductum) subijcit se istarum nihilominus nequaquam esse ignarum. Quod frequentes tuas literas legeret ad amicum nescio quem encomiastem tuum, cuius opera Venetiis vtereris apud ornatissimum virum Paulũ Manutiũ, in ea re quam ex sequentibus intelliges. Illis Carpentarium miserè á te tractari, dilacerari: earúmque nonnullis Archisophistam nominari, aliis hostem quietis, &

publicæ

publicæ pacis: prælectiones eiusdem in Alcinoum modis omnibus exagitari, irrideri: addi etiam nescio quid noui interueniſſe cum Boſſulo, vt alios in hoc oppugnando ſocios habere videreris: denique me eò miſeriarum in hac Academia deueniſſe, vt extremo & anguſtiſsimo loco omnia eſſe videantur. Equidem mi L. in illis grauiter commotus ſum: non quod à te expectarem meliora, præſertim cùm iampridē audiſſem, ſolitum te quotidie inter pocula ſitim famémque acuere, in Carpentarium declamando, ad idque tuos excitando, in quorum vnum nuper furere cœpiſſes, quod ſuo cādore de me eſſet loquutus, paulò modeſtius quàm ipſe velles: ſed quòd mallem profectò apertis armis oppugnari me, quàm per iſtos cuniculos tentari. Hac enim animi libertate ego quanquam ſæpè antea à te prouocatus, nihil tamen ad mei nominis defenſionem ſum aggreſſus niſi palàm & publicè: nihil contra te meditatus quod non ſtatim venire voluerim in conſpectum omnium. Sed cùm in eiſdem literis perlegiſſem attentius ea quæ ſequuntur, ſuperiora minus admiratus ſum: quia in his cœpi ſubolfacere quid animum tuum contra me de integro exulceraſſet. Narrat enim hic (quod verúmne ſit, tute ſcis) à Paulo Manutio in noua editione epiſtolarum ſuarum, nuper expuncta eſſe eorum omnium nomina, qui ab aliquot annis in Religione Chriſtiana mala fama laborare cœperunt: ne ipſe apud ſuos malè audiret, ſi iſtiuſmodi homines aut ſcriptis ſuis illuſtraſſe videretur, aut per literas ſalutaſſe paulò familiarius. Hácque ratione eas eſſe præteritas, quas olim ad te dederat, cùm in Cardinalis Turnonij comitatu verſareris. In quo quoniam

ornatißimi viri laudatißimíque teſtimonio orbari, tibi in aliis multò leuioribus, neſcio cuius gloriolæ cupiditate ſemper ardenti, erat grauißimum: nec ſine aliquo fortunarum tuarum periculo, in hanc de Religione ſuſpicionem venire, in qua fortaſſe malles diſſimulando tantum apud vtroſque bene audire, quàm apertè ſententiam tuam declarando, alteri parti te tuáque deuouere, hoc te, opinor, valde commouit, quòd exiſtimaſti illud de tua Religione, noſtra opera in Æmilij Probi Commentariis nuper eſſe detectum. Quod, ita me Deus amet, ſemper latere malluiſſem, quàm te hac in parte grauare, niſi tu importunè & ſanè valdè infœliciter, illis frequentibus tuis in Æmilium digreſſionibus perfeciſſes, vt mihi non eſſet integrum omnino ſilere. Quare vt ei malo occurreres iudicaſti in eam curam eſſe incumbendum, vt vir optimus non modò de literis optimè meritus, ſed in veterem Religionem optimè animatus, per tuum encomiaſtem intelligeret, rumores eos qui de tua vita ac moribus per vniuerſam Galliam circunferuntur, non à veritate profectos, ſed ab eo excitatos qui in ſola arte Sophiſtica, laudandarum omnium artium perturbatrice exercitatus, tibi in melioribus literis regnanti tuam laudem, patriæ requiem pacémque publicam inuideret. Vt hac arte ſcilicet, redires in eius elogij poſſeſſionem quod Manutij neſcio quot epiſtolis ornatißimis comprehenſum, tibíque adoleſcenti comparatum, nunc ſeni de manibus eripi, non immeritò grauißimum eſſe videbatur. Atqui nihil eſt hac in parte, mi L. quod de Carpentario ſuſpiceris. Aliunde iſta faba in tuum caput

excussa est. Siquidem iisdem literis testatum habemus dictum ab Aldo Manutio, hoc se de tua Religione resciuisse, per eos qui cùm sub nomine Iesu, nouam societatem nostra ætate inierint, in omnésque Orbis partes sint diuisi, veterem Ecclesiæ doctrinam sanctissimè colunt, in hácque eos qui duas sellas affectant, aut in vtrumque latus claudicant, cane peius & angue oderunt. Adderem reliqua quæ in eadem Epistola de tua Religione dicta acerbius, nisi ab eorum commemoratione mihi animus abhorreret: quæ malo, cùm voles, ex Genebrardo nostro intelligas.

Meministi verò, cùm de horum noua Schola in hac Academia erigenda ante annos sex ageretur, in vniuersam eius nominis sodalitatem, nescio quod maledicum carmen à te esse editum? Atque ex eo tempore contra eandem sæpius in Regia cathedra declamatum? His, mea quidem opinione, istud acceptum referendum est, non Carpentario ascribendum: qui neque per literas, neque per amicos de te vnquam egit cum Paulo Manutio: de quo ab illo viro optimo & integerrimo veritatis testimonium desidero. Sed quid est per Deum immortalem, mi L. quod in iis incertis rumoribus te tam malè habet: præsertim cùm contra eosdem promptissimum sit, & in tua manu positum remediũ? Etenim vix vnquam quisquam de sua Religione aliud audiuit quàm voluit, nisi qui in hac tempori hominibúsque seruire maluit, quàm Deo & conscientiæ. Apertè constantérque vita & factis illa nobis declaranda: tumq; in eadem

id consequemur quod imprimis debemus expetere. Equidem in his variis temporum fluctibus, quibus nostra ætas sæpius agitata, permultos memini cum quibus antea familiariter eram versatus: qui cum à nostra Religione, nescio qua occasione, lugenda sanè & Reipublicæ funesta, defecissent, id ipsum quod sentire cæperant, & propter quod à nobis erant auersi, apud omnes præ se ferebant: vita & factis testabantur: quamuis fortunæ mutationem æquo animo ferebãt, potius quàm venirent in vllam eorum sacrorum, vel ceremoniarum communicationem à quibus animo abhorrebant. Vis dicam liberè quod sentio? Ego, ita me Deus amet, quoad per meam Religionem licuit, hos semper amaui ex animo: sicut & illos multò magis, qui cum nescio quorum hominum vitiis à nobis defecissent, postea temporibus admoniti, quasi postliminio reuersi, nostri esse cæperunt apertius quàm vnquam antea.

De horum nemine dubitatum est quam Religionem teneret: sed in hac id quisque audiuit quod voluit, imò quod apud omnes sibi maximè glorioſum existimauit. At si qui essent (vtinam verò omnino nulli) qui apud nostros in Religionis Romanæ formulam lingua iurarent, animo ab eadem abhorrerent: sacris nostris & supplicationibus corpore adessent, contra eadem apud suos acriter concionarentur: mortuis palàm nostro more parentarent, pro eorumdémque purgatione Deo vota precésq; funderent: domi verò atque etiam si quando liceret, publicè Christianam persuasionem de eiusmodi mortuorum purgatione Platonicorum fabulam nominarent: qui in superioribus discordiis,

Rege vincente, eos plenissimo ore laudarent qui pro vetere religione arma ferrent, nostris rebus afflictis eosdem nefarios & perditos nominarent: denique qui inter Romanæ ecclesiæ proceres in aliis ecclesiam malignantium verbis insectarentur, apud hos illis nescio quam Babilonicam confusionem obiectarent, illos ego non modo mirarer domi foríque non satis bene de religione audire, sed parum abesse putarem à Lucretij & Epicuri atheismo. Quid enim reliquum nisi, vt cum in hac contentione, quæ ad religionẽ pertinet, de vtráque parte suos ludos fecerint, suóque versatili cothurno aliis valde periclitãtibus, rebus suis summam securitatem impetrauerint, tandem excusso religionis iugo cum illo dicere audeant,

O miseras hominum mentes, ô pectora cæca,
Qualibus in tenebris vitæ, quantísque periclis
Degitur hoc æui quodcumque est! Nonne videtis
Nihil aliud sibi naturam latrare, nisi vt cum
Corpore seiunctus dolor absit, mente fruatur
Iucundo sensu, cura semota metúque?

Hos fugiamus, obsecro te mi. L. &, si me audis, Catholicæ Romanæque religioni nostra omnia apertè consecremus. Pro hac, Deo Optimo præeunte atque prælucente, extrema omnia perferamus. Tum non modo apud Paulum Manutium, sed apud omnes, quos illa viros bonos & eruditos adhuc habet quamplurimos, optimè audiemus. Sin te, quod minimè velim, nescio quis ventus ab illa repulerit, at illud certè diligenter caue, ne abripiaris in eos opinionum æstus in quibus nihil habeas definitum. Cape, mi L. certum portum, vel eum potius qui nostro aduersus est. Quoniam in

nostra Gallia hodie ea tempora sunt, quæ tibi istam licentiam indulgent. In hoc si te idem Manutius dolenter viderit: si ob eam causam suorum catalogo expunxerit: si forte vniuersa Italia repudiauerit: si in Gallia nostri te auersabuntur: at Britanni, Germani plerique omnes, Galli quoque longe plures quàm ego velim, te in suo sinu fouebunt. Qui istos quasi in diem viuentes, nec in re omnium maxima quicquam definitum habentes quod sequantur, merito oderunt: nec, vt opinor, minus quã nos ipsi eosdem insectarentur, nisi horum opera quotidie abuterentur ad nostram religionem oppugnandã. Quam si quãdo (quod Deus Optimus Maximus auertat) expugnarẽt, in hos, mea quidem opinione, seueritatis exempla ederent nostris longe grauiora. Hoc te monere volui, in quo nemo est vel ex amicissimis qui tibi melius velit consultum. Vt intelligeres quanquã de literis mihi tecum quædam sit contentio, eáque, vt scis, à te profecta, nihil tamen propter hanc me, aut fortunis tuis aut nomini, vitæ vero multo minus insidiari. In quibus, malè peream si tibi deterius quicquam expeto quàm egomet mihi. De eóque ipso testem appello conscientiam tuam, si modo ea ex animo nondum exciderunt, in quibus postremis ciuilibus discordiis à nonnullis vexatus, nostra manu seruatus es, iisque liberatus, quæ tum grauissima tibi imminere arbitrabaris. Ego vero pro iis quid à te hodierno die refero? Omitto varios rumores quos de me rebus vtcúmque compositis apud tuos disseminasti. Querelas apud viros maximos quos nominis mei fautores fortunarúmque mearum parentes falsis delationibus tuis à me alienare sæpe es

conatus: aliáque permulta quæ à te profecta hominem ardentem inuidia magis, quàm de literis contendentem decent. Sed hoc profecto dißimulanter ferre nõ poßum quod me apud exteros, quibus de meliore nota voluißem innoteßcere, publicæ quietis & pacis hoßtem nominas. Nam cum patriæ ßalus pũblica requie pacéque contineatur, quid hoc aliud eßt quàm me patriæ hoßtem, & perduelem iudicare. Bona verba Hercle, mi L. tuáque & tuorum officina dignißima. Quæ ßi in media Vrbe, aut ßi in clarißima noßtræ academiæ luce diceres, ferrem profecto moderatius: quoniam multos haberem innocentiæ meæ teßtes. Qui cum vtrúmque noßtrûm ex vita anteacta bene nouerint, illa profecto in tuos iactari mallent, eißdémque auditis protinus exclamarent,

Claudius accuſat mœchos, Catilina Cethegum.

Sed cum ad eos efferantur apud quos nullus mihi patronus conßtitutus, aut quorum perpaucis vtérque noßtrum eßt cognitus, ad illa obmuteßcere hominis eße videretur omnino diſſoluti, aut conßcientiæ ßuæ teßtimonio non ßatis erecti. Itaque cum ea in illis literis perlegißem, valdéque eßßem cõmotus, quanquam plerique temporibus, quibus nunc videris inßoleßcere, cedendum arbitrarentur, tenere me tamen non potui, quin hæc ad te quocumque periculo ßcriberem, & in omnium bonorum oculos emitterem: quoniam illa tua per multorum manus erant peruagata. De quibus ne tuorum quidem iudicium recuſo, modo in ßtatuẽdo priuatis animis nihil indulgeãt: ßed eam moderationem adhibeant, quam veritati & æquitati debent. Ego à par-

ulo in hac academia ſemper ſum verſatus, in eadémque ab annis ſex & viginti perpetua bonarum artium profeßione in variis gymnaſiis vixi non omnino inglorius. Ante annos decem in medicorum ordinem cum aliqua celebritate cooptatus, in eodémque nuper turbulentißimis regni temporibus, ſummo decanatus honore perfunctus: & paulo ante, repugnante te tuóque Theſſalo, regiorum profeſſorum collegio magna mea gloria à Rege exceptus, maioréque celebritate à Senatu contra veſtras factiones in eodem confirmatus. In quibus omnibus verè prædicare poſſum me ſemper meis fuiſſe iucundißimum, nihil vnquam inter eos turbarum excitauiſſe. Niſi forte turbatam à me Academiam arbitraris, aut huius publicam pacem hoſtiliter in eo oppugnatam, quod olim Rector & poſteà rectoria dignitate perfunctus, ſemper eodem indefeßóque ſtudio Theſſalicam ſectam in Ariſtotelem, vel potius in omnes bonos ſcriptores inſanientem, expugnare ſum conatus. Quam non modo ipſa Academia aut regno, ſed vniuerſa Europa voluiſſem ſane, ſi potuiſſem explodere. At hæc ſumma eſt mea gloria & apud omnes bonos pacis in re literaria quæſitæ, aut ſummo ſtudio defenſæ clariſſimum monumentum. Quod quandiu extabit, tandiu omnibus teſtabitur me nouas opiniones veteris diſciplinæ perturbatrices oppugnando, pacem in re literaria ſemper expetiuiſſe. Pro quo etiam vniuerſa Academia mihi frequentes publicáſque, quod nõ ignoras, gratias egit: eáque detulit quibus ornatus facile fero me à te tuique ſimilibus vituperari. Atque quo animo tum extiti in defenſione veteris doctrinæ Peripateticæ, eodem toto ſu-

periore

periore decennio, ciuilibus discordiis nostram Galliam dilacerantibus, in Christiana Romanáque religione inter medicos reliquósque meos ciues asserenda & vindicanda. In hac nihil vnquam egi ex insidiis: nunquam in alteram partem inclinaui: nunquam in vtrúmque latus claudicaui. Optauíque semper omnes mei simillimos, vt esset summa animorum consensio: summa pax, qua patriæ salus continebatur. Addam etiam nunquam me mihi persuadere potuisse huius diuisionem esse optandam, aut in hac veram pacem esse quærendam. Quin potius contra existimaui, recta nauigatione vt ad Deum vnicum, sic ad huius religionem vnicam, tanquam ad illam Cynosuram, qua duce fidũt nocturna phœnices in alto (quod ait Aratus) semper esse contendendum. Quam distrahi qui patienter ferret, multóque magis qui istud expeteret, in eam meretricio animo potius quam materno esse videretur. Hoc quoniam semper præ me tuli, & inter ciues meos & in Academia, & in medicorum ordine, clarissimísque signis editis, quotiescumque de religione deliberandum fuit, apud omnes pleno apertóque ore testatus sum, si me hac ratione quietis & pacis publicæ hostem nominas, Deum immortalem quam glorioſum mihi esse putas isto æquo Troiano includi! quàm iucundam abs te audire quod semper expetiui, nunquam me eam pacem ex animo probauisse, quam ne alij quidem, quibus hac in parte gratificari vis, vnquam probauissent si viribus superiores esse potuissent! Quis enim, modo Deum vnum esse credat, qui non huius cultum in vnica religione apud omnes eundem expetat? Qui non huius distractionem eidem

odiosam iudicet? Cui quicúmque temporibus coacti aliquid indulgent, morbo tantum se indulgere profitentur, vt hoc modo durare possint, & se suáque melioribus seruare. Et tamen cum hoc animo essem sempérque fuissem, non modo in ipsis ciuilibus discordiis neminem vnquam oppugnaui, sed dedi operam vt omnes seruarentur constantibúsque humanitatis officius ad nos reuocarentur. Quod non modo plerique senserunt cum quibus mihi antea familiaritas aliqua interceſſerat, sed alij quoque nonnulli: in quibus tute scis me priuatas iniurias facile potuisse vlcisci, si ea licentia abuti voluissem, quam mihi tum summa temporum perturbatio indulgebat. At-ista pace composita) quæ vtinam ad Dei Optimi Maximi gloriam ciuiúmque tranquillitatem referatur) quid à me vsquam dictum est, aut factum in quo non semper idem animus apparuerit? Dolui quidem certè in illa Regem nostrum, non tantum potuisse quantum semper voluerat: sed quia per eandem nobis adhuc licebat more maiorum viuere Deúmque colere, lugendum quidem existimaui, quod rerum nostrarum conditio melior esse non posset, sed ea tabula quietè pacatéque fruendum, quæ ex maximo & grauissimo naufragio videbatur esse relicta. Quos Rex in Vrbem recipi voluit, eos ego nulla re impediui. Quos edicto suo in Academia, & in nostro medicorum ordine, docendi publico munere prohibuit, de iis sæpe rogatus, eam sententiam semper dixi, quæ cum Regis voluntate consentiret. Imo ab Vniuersa Academia nostróque ordine nominatus cum aliquot viris optimis, ad Regem salutandum, à quo eadem Academia impe-

trari cupiebat, vt hoc ſuum beneficium erga rem literariam perpetuum eſſe vellet, fui, vt ingenue fatear, in eo agendo frigidior quàm debui, non alio certè nomine quam ne, quia illud potißimum ad Theſſalum tuum pertinebat, in hoc vexando priuatis animis indultum magis, quàm publica vtilitas quæſita videretur. Hoccine vero eſt mi. L. quietis publicæ, & pacis hoſtem eſſe? In qua per Deum Optimum Maximum Regémque noſtrũ Chriſtianißimum, nihil adhuc eſt quod nos in deſperationem debeat adducere. Sed ſi quid deterius contingeret: ſi res eo rediret, vt in regno hoc, ſalua conſcientia maiorúmque more, Deo ſeruire non poſſem (Deus Optimè Diuíque immortales, terris talem auertite peſtem) Vrbe patriaque cederem potius, quàm in ea quicquam contra publicam tranquillitatem mouerem. Vtinam vero iſti tui pacis vindices, & aſſertores, eodem animo ſemper extitiſſent. Non ea monumenta in omnibus regni partibus ab illis extarent, in quibus quotieſcumque ſua cogitatione verſantur, neceſſe eſt valde erubeſcant, ſi modo Deum teſtem adhibent, & conſcientiam. Dabis vero, ſi placet, mihi veniam. L. ſi de eo capite criminationis tuæ ago tecum pluribus, & quidem fortaſſe paulò vehementius quàm voluiſti. Quoniam neque potui, neque debui hoc tibi condonare: in quo etiam viri optimi animóque maximè ſedati grauiter commoueri ſolent. Hoc de ſe dici nunquam ferent, qui in religione habent aliquid definitum quod ſequantur. Atqui, ſi neſcis, ego ex iis minimè ſum qui eodem ore efflant calidum, & frigidum: qui in re omnium ma-

xima ad omnes publicos, priuatósque casus vultum mutant : qui semper earum sunt partium quas melior fortuna sequitur. Cum illis si voles agas isto modo. Hi enim sunt, mea quidem opinione, qui publicam pacem magis perturbant, quam qui à nobis apertè constantérque dissentiunt. De cæteris tuis conuitiis quæ illa eadem epistola complectitur, respondendo ero moderatior. Quoniam in eis de literis tantum agitur, vel potius de nostra facultate in eo docendi munere quo rex vtrúmque nostrum exornauit. In quo conari quidem debemus, vt de omnibus bonarum artium studiosis bene merendo, Regi & Academiæ satisfaciamus, sed minimè nostros fumos venditando, ea de nobis prædicare in quibus, qui hæc legerint vel audierint cogantur erubescere. Ne scilicet tandem illud ab omnibus audiamus, regiis professoribus qui sua modestia cæteris prælucere deberent, longe verecundiores semper fuisse præcones ludorum Gymnicorum, qui nunquam se victores suo ore pronuntiarunt. Tu tua opinione summam nominis celebritatem in vtriúsque linguæ facultate apud omnes adeptus es : atque eadem inter literatos frueris ornatißimo principatu, nec tamen adhuc tua sorte contentus. Nouus orbis, vt quondam Alexandro magno, tibi quærendus est, in quo ad tuum imperium adĭciendo, ardenti æstuantíque cupiditati seruias. Omnia laudis insignia cæteris qui in horum partem aliquam venerunt apud suos, eripienda sunt & in tuo triumpho portanda. Hæc enim, si nescis, omnes qui perspicaces sunt in animo tuo legunt : atque eadem etiam qui paulò hebetiores, in scriptis tuis quo-

tidianíſque ſermonibus clariſsimè animaduertunt. Quanquam ſi attentè conſiderare vis quid de te cæteri ſentiant, non vt ſoles tuo animi morbo omnino indulgere, ab illis omnibus ferè tam longo abes interuallo, quàm qui longiſsimo. Tu quidem in vtriuſque linguæ proprietate exquirenda, laborem maximum adhibuiſti, vtinam verò ad omnia tantùm iudicij afferre potuiſſes. Pari ſtudio conſequutus es, vt verba ſingula, horũq; in variis ſcriptoribus multiplicẽ vſum penè in numerato habere videaris. Atque hæc ſumma laus tua Logodædaliæ, in qua per me licet apud omnes dictites tibi in Gallia, imò in vniuerſa Europa, neminem eſſe parem. Sẽd in horum compoſitione, ſententiarúmque acumine, in dicendi ſcribendique perpetuitate, ſi exiſtimas tecũ agi melius, quàm cum aliis permultis bonarum artium ſtudioſis, qui in hac Academia viuunt inglorij, imò qui hanc bene dicendi gloriam oblatam repudiant, laudis amore inſanis. Si adhuc non ſentis orationibus tuis omnino deeſſe illam gratiam quam Suadæmedullam vocat Ennius: in verſibus elaborata quidem ſatis, ſed dura omnia, nulla ſua ſponte fluentia: in docendi munere, in quo ab iis quæ domi prius magno labore collecta ſunt & ad verbum deſcripta, oculos non auderes dimouere, nullam vehementiam quæ auditorem excitet, glacie frigidiora omnia: in rerum ſubiectarum cognitione, maximè verò earum quæ ad triplicem philoſophiam pertinent, nihil exquiſitum, imo vix quicquam tolerabile, hæc inquam, omnia ſi in tua facultate non ſentis, neceſſe eſt profectò, mentem tibi grauiſsimè ægrotare. In qua curanda ſi quid adhuc eſt ſpei, id in eo certè eſt

reliquum vt depoſito faſtu, quo tuos canos ſoles prædicare, latens poſt tuam tabulam, libera hominum iudicia de tuis ſcriptis ſedatè pacatéque excipias: in híſque colligendis eò plus cuíque deberi exiſtimes, quo liberius te admonuerit, pluráque notauerit, in quibus tacita conſcientia negare non poſsis ſeueriorem tuam animaduerſionem ab eruditis meritò deſiderari. Quòd ſi quando facere poſsis, tandem id ipſum ſenties quod ſoleo dicere, te ab illo principatu quem inter literatos affectas, longiſsimo interuallo abeſſe. Ad eam verò medicinam tibi, vt ſpero, breui viam parabit noſter Alcinous. Quem cùm edidero, per me licebit ad illum tuum Venetum encomiaſtem mittas, vt diligenter obſeruet, num noſtræ in eum prælectiones tibi ſexagenario Sardonium riſum excitauerint, cuius fama tamlõgè latéque, quàm ex eiſdem tuis ad illum literis intelligo, debuerit peruagari. Sequentur fortaſſe non ita multò poſt diſquiſitiones noſtræ in tuum Lucretium: quæ tibi quoque noui riſus occaſionem apparabunt, faciléque præſtabunt, vt reliqua vita ſic ſemper ridendo, ſenectutis incommoda minus ſentias, neque exercearis his inſomnijs quæ eadem ætate accreſcens melancholicus humor cæteris hominibus ſolet gignere. De Boſſulo verò, quid eſt quod ex eiſdem literis intelligo? An qua facilitate in collegam tuum Leodegarium à Quercu morum candore omnibus amabilem, híſque cũ quibus familiariter verſatur, charisſimum, eum excitare potuiſti (hoc enim, vt audio palàm dictitat, atque magna certè tua gloria, te authorem facit animi ab eo alienati, quem antea non immeritò coluerat) eadem ſperaſti impetrari poſſe,

vt ad furorem tuum iampridem contra me conceptum, animum adiungat, tibíque in prima acie inclinata, viribus lãguescenti, sed iracundia æstuanti seni, ardentior adolescens succenturiatus accedat: & me cum illo viro optimo mihíque amicissimo, in hoc amplissimo Academiæ campo, in quo vterque nostrûm vixit antea non inglorius, de ponte deijcere conetur? Siccine tu homo pacis amantissime, pacem foues inter literatos? Siccine publicæ quieti inter eosdem inseruis? Equidem non dubito quin intelligas quid ego à Bossulo meo iure possim repetere: quid idem antea multis audientibus mihi frequenter detulerit. Nec certè immeritò, quoniam verè prædicare possum, huic non modo ad instituenda Philosophiæ studia, sed ad rectè viuendum me docendo hortandóque nulla vnquam in parte defuisse: sed in vtroq; id semper ex animo esse conatum, quod à doctore muneris ratio exigebat. In quo quãquam teneram illius ætatem informando, nonnihil præstiterim, plura tamen ex eo tempore mihi debuissent, si tum plura voluissent accipere. Atque post peregrinationes annorum duodecim, idem nuper ad nos reuersus, me semper eodem animo expertus est, tandiúque experietur, quandiu volet in ea Philosophia vitáque permanere, ad quam secundum veterem Academiæ disciplinã à nobis est institutus. Sin ab vtraq; ad nescio quos defecerit, ego illius vicem dolebo. Quòd cùm ad solidiorem gloriam, & Reip. vtiliorem à natura & magistris assiduáque exercitatione permulta adiumenta accepisset, his ad Academiæ perniciem abuti maluerit: magistros quidem in eo nonnihil decorans, sed nomen suũ multò magis, atq; fortasse ad extre-

mum se suáque omnino perdens. In quo si idem adhuc minimè conquiescat, sed à te tuíque similibus eousque impellatur vt nouis istis opinionibus infatuatus, in me quem iampridem nouit earum oppugnatorem acrem & capitalem hostem, vobiscum palàm furere incipiat, non commouebor. Quoniam grauiore aduersario nihil vnquam sum perterritus. Imò si quid contra nos declamitauerit apud suos, aut inter docendum, in iis quæ de Philosophia satis multa, vel fortasse plus satis, scripsimus, mihi aurem vellicauerit, feram quoque patienter istum hinnulum intra priuatos parietes contra magistrum recalcitrantem: eodem animo quo parentes liberis multa domi condonant, quæ in publico ferre nullo modo possent. Sed si quid eorum contra me in lucem ediderit, aut in meas manus venire voluerit, equidem si id eiusmodi esse sensero in quo à nobis meritò dissentiat, ego in eo antipelargiæ beneficium candidè recognoscam, discámque ab eodem lubentius, quàm me ille vnquam docentem audiuerit. At si temerè id facere videatur, contra eum quem piè debuit colere, perficiam vt intelligat in sustinendo referendóque nondum emortuos lacertos meos: sed, vt prouerbio dicitur, lassum bouem arando fortius pedem figere.

Reliquum vnum est, in quo eisdem literis tu de tuo principatu multa profectò remittens, me Archisophistam nominas. De quo memini idem nuper á te esse declamatum: cùm scilicet in verborum artificio Philosophiæ opes quæreres, et eos quos antiquitas Logodædalos appellauit, Philosophiæ principes esse contenderes: atque eodem tempore alium nescio quem patronum tibi esse subornatum, qui apud suos persua-

persuadere conaretur, Philosophorum sapientiam verborum ornatu esse metiendam, vel certè linguæ sermonisque promptam & expeditam facultatem, reconditæ rerum cognitioni esse anteponendam. In quo oratore nactus es profectò dignum tua patella operculum. Atqui summo dicendi sentiendique magistro Platoni, verborum magis quàm rerum sectatores Logodædali, inter quos tuo iure regnas, germani quoque sunt Sophistarum: quales Hippiam & Gorgiam idem nominat. Quorum profectò in te renatam fœcundissimam sobolem omnes dicunt, quicunque te illósque bene nouerunt. An tuæ Logodædaliæ repudij nuntium potius remittes, quàm propter hanc in vllam artis Sophisticæ suspicionem venias? Non est æquum, mihi crede, eam sic à te tractari, cuius nuptias tã multis laboribus ambiuisti, quæque tibi tam multa ornamenta domum intulit: quibus eam celebritatem adeptus es, qua nunc inter literatos insanis. Sed obsecro te, mi L. nos nostra regula metiamur, ac bona fide expendamus, qualis vtriusque nostrûm facultas sit in verborum artificio, rerúmque subiectarum cognitione: qualis vterque fuerit antea & sit etiam adhuc, in sua professione. Hoc enim posito, non modò à nobis, sed à cæteris qui nos audiunt, nostráque legunt, sine errore poterit iudicari, vter nostrûm ad istum Logodædaliæ artísque Sophisticæ principatum propius accedat. Ego sanè hunc non recusabo, te præsertim deferente, cuius potissimùm interest, modò cæteri nihil mihi temerè arrogatum, aut in eo arrogando nullam tibi factam iniuriam existiment. Quem certè non est satis sua sponte eodem cedere, ne alij dictitent te nescio cuius

gloriolæ cupiditate insanientem, iam curatoris egere. Sed ista quanquam spontanea cessio, vt rata esse possit, communi aliorum consensu, literatorúmque omnium approbatione, quasi Prætoris authoritate confirmanda. Iam verò, vt istud agamus, si me vel in sola lingua latina, verborũ orationi sq; artificẽ aliquem eximium iactarẽ, tu, opinor, cum tuo Thessalo acriter resisteres, víxque in ea sermonis puritatem concederes: imò vererer ne mihi Philosophica licentia nonnũquam abutenti, pro puritate fædam barbariem obijceres. Nec fortasse immeritò. Quoniam in illa vix mihi ipse satisfacio: nisi fortè hoc ipso quod iampridem in docendo scribendóque videor adeptus, vt nullo loco hæream, verbáque præuisam rem non inuita sequantur. At si de orationis luminibus, & ornamentis vellem iudicare, aut agendo pronuntiandóque oratoris laudem quærere: iam id videor exaudire personantem nostram Academiam, hoc ad Thessalũ: in huius gloriæ partem nullam Carpentarius potest venire. Ignoscesverò mihi L. si in illis tibi quem omnes dictitant agendo pronuntiandóque valdè languidum, eum antepono qui ætatis nostræ Roscius magno suo merito semper est habitus. At si latinorum veterum scripta vellem omnino immutare, ac velut Aristarchus Ciceroni, Lucretio, Horatio, Plauto antiquum scilicet suum splẽdorem restituere, vel potius in illis noua omnia facere, ipsósque Romanos & Græcos docere, quomodo Latinè Græcéque scribendum sit & pronuntiandum, hoc ad L. omnes dicerent, nihil ad Carpentarium. Neque verò immeritò. Quoniam hæc tua summa laus, in qua sicut tute scis, nihil vnquam mihi affectaui. Si

de verborum Latinorum ac Græcorũ proprietate, aut multiplici significatione, & in hac de faciẽdo delectu sit agendũ: in summis Philosophis explicãdis hæc ipsa verborũ proprietas exquirenda, hácq; rerum subiectarũ summa inscitia velanda: si cũ auditoribus de eo agendũ sit, vt persuadeatur in verborum cognitione, et vtriusq; linguæ facultate maximã sapientiã consistere, eumq; solum seriò posse philosophari qui Philosophorũ verba in prõptu habuerit, etiamsi ad res cognoscendas nullũ tempus adhibuerit, imò laborẽ hũc in aliis irriserit, id quoq; vniuersa Academia clamitabit ad vnum L. pertinere, nihil horũ esse referendũ ad Carpentariũ, quem omnes sciunt pluris semper fecisse cognitionem rerum quàm verborũ, in illáq; maximam vitæ partem posuisse, in hac verò tantùm elaborasse, vt non omnino putidus haberetur. Quæ omnia quoniam propria sunt Logodædaliæ, equidem in quæstione de huius principatu vindicias secundum litem Prætor rerum tuarum curatori, etiam repugnante te, adiudicabit: nec sinet alium quenquam in huius possessionem venire. Hæc verò cùm Platoni atq; Aristoteli sophistarum sit propria, quid reliquum, nisi vt eadem sententia te Archisophistam pronuntiet? In quo nostra ætate renatum sit vetus illud Thrasimachi, Hippiæ, Protagoræ, Gorgiæ verborum magisteriũ, in Philosophos rerũ cognitioni addictos, semper insolẽs, eo ferè modo quẽ in te hæc Academia ab aliquot annis pertulit. In hoc verò quid mea interfit, aut in artis sophisticæ principatu quid meũ, aut à me alienũ videri possit, attẽde, si placet, quàm breuiter expediã. Equidẽ animaduerto de sophistis non idẽ veteribus philosophis nostrisq; placuisse

Ex quo fit, vt secundum vtrosque de hoc postremo capite criminationis tuæ tibi non eodem modo possim satisfacere. Veteres enim, in quibus Platonem & Aristotelem complector, in Sophistis eos numerauerunt, qui vanas rerum vmbras sectantes, linguæ volubilitate orationisque sola suauitate commendabiles, hac in populo iactationem quærebant, verborúmque vendibilem sapientiam instituentes, apud imperitam multitudinem hac arte summum quæstum faciebant: laudisq; amore ardentes, hac ipsa garriendi facultate Philosophis omnibus superiores volebant videri. Atque in quouis conuentu vt essent magis admirabiles, poscebant quæstionem, id est indicari iubebant, de qua re quis vellet audire: & ad hanc cùm accedebant, compta sua facatáque, & ad solam pompam instituta oratione, facilè cõsequebãtur apud imperitos rerúmque inscios, vt fulminare & tonare viderentur: Philosophis inter suos delitescentibus, paucorúmque approbatione contentis. Nec enim, opinor, nescis tales Sophistas à Platone passim esse descriptos, eosdémq; ab Aristotele Philosophis & Dialecticis quasi ex altera parte oppositos. Quorũ propriis notis ita distinctis, verè mihi videor esse dicturus te artis Sophisticæ principatũ minimè esse adeptum. Quoniam ad hunc multa naturæ adiumenta sunt necessaria, quæ tibi ab eadem denegata. Vix verò me adhuc Philosophiæ primos gradus attigisse, imò ne popularis quidem facultatis differendi, etiamsi in vtraque vt aliquid cõsequerer, ab ineunte ætate cæperim laborare. Sed de vtroque nostrûm, si iudicandũ est ex eo ad quod nostris laboribꝰ perpetuoq; studiorũ cursu contẽdimus, te nõ modò cũ illis quos

ex Platone enumerauimus, sed cũ Isocrate, Libanio, Aphtonio (à quorũ laude in orationis artificio abes adhuc lõgissimo interuallo) tã verè sophistã nominari posse, quàm me modesto Pythagoræ inuento, philosophum. Quoniam quantum studij semper adhibuisti ad verborum artificium illustrandum (quid vero aliud tota vita egisti?) tantum ego ad cognitionem rerum. In qua quantulumcunque sit quod videor adeptus, tamen vt aliquando ad meorum vtilitatem multum possem, semper elaboraui. Nostra vero ætate, aut paulo supra hanc, de sophistis video duas alias opiniones extitisse. Etenim Thessalus tuus in illa veterum sophistica, quam paulò ante commemorauimus, te longe superior, non modo orationis ornatu, sed rerum cognitione quam ad illam adijcere conatus est, & certè eandem longe maiorem sibi comparasset, si in primariis philosophis intelligendis, & illustrandis potius quàm in calumniandis, & fœdandis elaborasset, odio nescio quo in Aristotelis doctrinam concepto, hunc semper Archisophistam omnésque eiusdem sectatores, sophistas appellat. Quo nomine memini nos ab eodem sæpius esse exornatos: quòd in illius Peripateticorum principis philosophia, diligentius fortasse quàm ipse vellet, exerceremur, nostráque exercitatione ad eiusdem defensionem contra huius nugas, nonnihil facultatis videremur adepti. In quo si illius consuetudinem imitari voluisti, sicut animaduerto in aliis rebus permultis grauioribus iampridem te ad eundem animum tuum adiecisse, ex illáque Academiæ disciplinam philosophicam, Aristoteli addictam, à poëtarum & oratorum vestris deliciis sepa-

ratam (nisi fortè quantum his ludendi gratia potest indulgeri) artem quandam sophisticam esse iudicasti, & in eadem me inter eos qui permulti viri ornatissimi hanc hodierno die apud nos profitentur, me facultate quidem exigua, sed studio & diligentia nemini cedentem, Archisophistam nominasti, Deum immortalem, quam mihi istud gloriosum est! quàm iucundum etiam ab hostibus elogium? Quo profecto nullum maius aut celebrius mihi potuit in mea professione contingere. Etenim iactes licet, mi. L. quantum voles apud tuos rancida illa Italica exemplaria: fælicitatem tuam in coniectando de variis bonorum scriptorum locis depravatis: expeditam summámque facultatem in iudicando de vocabulorum græcorum atque latinorum multiplici vsu: in immutanda scribendi pronuntiandique ratione, quæ in vtráque lingua longo vsu recepta, mihi semper erit gloriosius vel in minima parte doctrinæ Aristotelicæ sine fuco, paucorum testimonio excellere, quàm illis tuis omnibus fucis apud multos omni ex parte splendescere. Restat de sophistis altera opinio eorum qui nostra ætate, vel potius paulò supra hanc, sic illos nominauerunt qui in philosophia pro Aristotelis doctrina, quæ tum erat omnibus præter admodum paucos, incognita, fœda sua barbarie nescio quæ monstra supposuerunt. In quibus alendis vsque ad nostram puerilem ætatem plerique se multis laboribus exercentes, pepererunt magnam multitudinem hominum, qui in quæstionum nescio quarum, vix certè ad philosophiam pertinentium, imo hanc omnino obscurantium potius quàm vlla ex parte illustrantium, tractatione, ocio &

diligentia ſua ſunt abuſi. In quorum cogitationibus & ſcriptis etſi quædam ineſſent, quæ meliorum ingeniorum cultura poſtea ſplendeſcere potuerunt, erant tamen tum ipſo docendi ſcribendíque modo omnia horrida & ſpinoſa. A quibus, poſtquam Ariſtotelis doctrina cæpit eluceſcere, animus bene natus non minus abhorruit, quàm à ferina glande victus humanus iam inuentis cultíſque frugibus. Fuit hoc ſophiſtarum genus bonis literis, ſimul cum Ariſtotelis doctrina renatis, noſtra ætate non modo philologis omnibus, ſed ipſis quóque philoſophis merito odioſum. Quoniã qui hoc ſectabantur rerum ad germanam philoſophiã pertinentium non modo erant inſciĳ, ſed ipſo loquendi ſcribendíque genere omnino putidi. Nullum reuera in illis mentis, & linguæ diſſidium, ſed potius in vtráque ſumma deformitas, hæcque ſibi omni ex parte conſentiens. In quibus ſi tu mihi locum aliquem tribuis, quàm verè id facias viderint philoſophi, quos iudices expeto, & ad quos, à te tuáque Theſſalica turba iuſtis de cauſis prouoco. Ego Scotica, Bricotica & tenebricoſa illa omnia quæ iſtiuſmodi homines pepererunt, nunquam didici, nunquã attigi, niſi ſi quãdo ex illis tanquam ex ſtercore aurum colligere ſum conatus. Docendo ab annis quatuor & viginti me in Platonicis, & Peripateticis ſemper exercui, veréque videor eſſe dicturus (modo hoc nemini videatur arrogans, à quo ego ſemper abhorrui) in meis ſcriptis, quæ nonnulla in manibus hominum verſantur, nihil eſſe tenebricoſum, nihil niſi ex Platone & Ariſtotele collectum: nihil quod ad horum doctrinam illuſtrandam, non ſit aliqua ex parte

accommodatum. Nihil denique (rumpantur tibi ilia) quod ſua facilitate doctrinæque commoditate non modo noſtris philoſophiæ ſtudioſis (quibus ipſe teſtis es hæc conſtanter antea placuiſſe, & placere vſque adhuc) ſed exteris permultis nonnulliſque Reip. adminiſtratione claris, magna ex parte non ſit probatum. Tu ſi quid in illis ſophiſticum notare poſſis, beaueris me L. ſi per literas indicaueris: eadémque opera perfeceris, vt viris eruditis illa tua de nobis ad Venetos oratio, non contumelioſa ſed cum iuſta doctrinæ noſtræ reprehenſione coniuncta videatur. Quanquam non video quo modo id tentare poſsis, cum certo ſciam omnino neſcire te quid hæc poſtrema fœda fœtidáque ars ſophiſtica à germana veráque Platonis & Ariſto. philoſophia differat. Atque hæc quidem de rebus ipſis, in quibus potiſsimum elaboraui. De verbis autem paulo quidem aliter tibi reſpõdebo: ſed ita tamen vt hac etiam in parte nihilominus aperta futura ſit tua calumnia. Equidem nũquam in eo elaboraui, vt in mea oratione illud molle, & eneruatum appareret, quod etiam apud Lucilium Sceuola in Albutio exagitat,

> Quam lepidæ lexeis compoſtæ vt teſſerulæ omnes
> Arte, pauimento atque emblemate vermiculato!

Imo vt hoc eſſet proprium tuæ Logodædaliæ, per me ſemper licuit idémque licebit quandiu viuam: in quo maiorem fœlicitatẽ tibi plerumque à Deo Opt. ſum præcatus. Nunquam expetiui vt in eiuſmodi verborũ artificio excellerem. Non quod hoc in alio contempſerim, aut ab ipſa philologia abhorruerim, ſed quia rerum cognitionem magis ſemper adama-

adamaui, in hácque mallui multis magníſque laboribus in ſecundis tertiisve conſiſtere, quam in illa leuiſſimis ſudoribus principatum obtinere. In qua poteram etiam inter vos fortaſsè aliquis videri, ſi ad eandem, diligentiã illam adhibuiſſem quæ me ab ineunte ætate rebus ipſis addictũ tenuit. Quanquam in ſcribendo docendóve nihil putidum mihi vnquam placuit, ſed quoad potui emendata puráque omnia: ita tamen vt puritatis huius ſtudium libertatem dignam philoſopho in rebus tractandis nulla ex parte impediret. In quo certè videor non ſolum apud meos, ſed & apud exteros ingenij atque facultatis in dicendo aliquam commendationem inter noſtræ ætatis philoſophos cõſequutus. De eo vero plura dicerem, ſi quicquam meorum ſolerem admirari, aut niſi vererer ne in eo peccarem, in quo ipſe ſoleo alios grauiter reprehendere. Quod ſi tu cum tuis emiſſariis ac neſcio quibus hinnulis, tuæ ſuæque inſcitiæ patrocinantibus, me amplius hac in parte vrgeas ſophiſticámque barbariem in philoſophando obiectes, vt olim Sophocles cũ in iudicium vocatus eſſet à filiis, qui hunc ſenem quaſi ætate deſipientem, à re familiari remouere conabantur, dicitur eam fabulam quam in manibus habebat, & proximè ſcripſerat, Oedipum Coloneum recitaſſe iudicibus, quæſiſſéque num illud Carmen deſipientis eſſe videretur: ſic contra veſtras calumnias proferam non modo philoſophica noſtra ſcripta, ſed orationes quoque nonnullas actionis celebritate non ignobiles, atque ipſius victoriæ exitu multo magis mihi glorioſas & prædicandas. In quibus ſi quid fœdum & barbarum notaueris, ego in eo tuam tuorúmque contu-

meliam in legitimam reprehensionem conuersam gaudebo, pro eodémque magnam gratiam habebo: atque vt par pari aliquando referam, excutiam posthac sedulò in scriptis tuis sententias omnes quæ ad philosophiam pertinere videbuntur: perficiámque fortasse vt in his tanto nobis inferior meritò iudiceris, quanto in verborum artificio superior vis videri. Sic vtérque nostrum discet sua coniuge contentus esse, túque in tuæ Logodædaliæ sinu ludes, minimè profectò me huius formæ insidiante: ego vero in rerum cognitione conquiescam. Quæ hispidum quiddam præ se fert, si cum illius tuæ venustate & calamistris conferatur: sed sic Hercules, vt est apud Xenophontem, Iouis satu editus, in solitudine deliberans de constituendo vitæ genere, diuina virgula potuit asperam virtutis viam, voluptatis deliciis anteponere. Vale mî. L. & si quid fortè in his nostris literis minùs placuit quam ipse velles, cogita nulla remedia tam esse salutaria quam quæ faciunt dolorem. Discéque tibi à multis audienda atque legenda quæ non vis, quoniam in omnes dicis & scribis quæ nescio quis inconsideratus ardor tibi suggerit: nec vlla animi attentione consideras quis tuarum contentionum exitus esse possit. Atque iterum ictus, si potes, aliquando sape. Datum ex Vrbe VI. Calend. Ianuar. M. D. LXXI.

Iacobus Carpentarius,

Candido Lectori.

MIhi crede, Candide Lector, nunquam in vllius operis confectione magis laboraui: neque tamẽ vnquam in vllius partis editione minùs mihi satisfeci. Quid ergo reliquum nisi vt in hoc, labori valde impar euentus, authorem ipsum ad extremum omnino opprimat, nisi tua beneuolentia sustineatur atque recreetur? Laboris magnitudinem rerum in eo non dico explicatarum, sed certè à nobis tentatarum varietas facile declarabit. Ad quam accedente artis medicæ exercitatione, & regiæ professionis nostræ perpetuo munere, in variis morbis qui nos interea inuaserunt, corpore animóque sic debilitati sumus, vt plerúmque vereremur ne hic fœtus suo authori posthumus tãtum nasceretur. In editione vero ipsa penè infinita interuenerunt, in quibus si à me exigeres, vt ipse omni ex parte alienam culpam magis quàm meam præstarem, profecto de me actum esset. Quoniam soluendo esse nullo modo possem. Nam non modo Typographi nostri, sed & operarum quibus præest, sua sponte non satis officiosa sedulitas, ex eo tẽpore quo in huius editionem cœpimus incumbere, nescio qua apud Senatum contentione accedente, sæpe interturbata est, sed maximè noua luce in religione Christiana, proximo

menſe Auguſto ſuperiore, nobis exoriente, in hac Academia, vel potius in vniuerſa Gallia ſic omnia commota ſunt, vt illi etiã de vita periclitarẽtur, nos verò de ſeruãdis reliquijs Alcinoi magis quam de hoc ornando cogitaremus. Miraris vero his tempeſtatibus actum, ſic fædatum eſſe, vt iam omni ex parte mendis ſcatere videatur? Acceßit inopinata mors P. Rami, & D. Lambini. Qui cùm extincti eſſent eo ipſo tẽpore quo extremam manum adhibebamus operi, cuius pars maxima contra eoſdem erat inſtituta, & cum aliqua contentionis acerbitate tractata, vereri cœpi ne aut cũ laruis pugnare viderer, aut eorum morte inſoleſcere, in quibus negare non poſſum, orbatum me magnis aculeis ad humanitatis ſtudia recolenda atque illuſtranda. Quibus rationibus adductus, lubens abortiuũ hoc omnino ſuppreßiſſem, nouámque eius editionem adornaſſem, ſi ſine Puteani noſtri graui iactura facere potuiſſem: aut niſi hanc excuſationem tibi iſtarum nugarum iampridem valde auido, probari poſſe ſperauiſſem. In quibus quanquam, vt liberè dicam quod ſentio, vix vlla pagina ſit in qua Typographi opera mihi probetur, ſatis tamen erit quædam indicaſſe. Vt in his, Candide lector, habeas confitentem reum: ipſéque intelligas tibi in cæteris legẽdis præter multa quæ à noſtra craſſa ſupináque ignorantia proficiſci potuerunt, illius negligentiam ſemper ſuſpectam eſſe debere. Bene vale.

ERRATA SIC CORRIGITO.

In Præfatione totius operis.

Paginæ 8.principio,lege,eam locum.
Pag.10.fine,quam illa habet.

Totius operis parte priore.

Pag.6.ad finem,lege,cum hoc tanquam proprium.
Pag.7.principio lege,cogitatione ſua.
Pag.8.ad medium,exequi poteſt.
Eadem pag.ad finem,qui malus & ſapiens.
Pag.17.ad m.lege,ad omnium rerum.
Pag.20.principio,in contrarias partes.
Ibidem,τὰναντία ὑπὸισκοπῖν.
Pag.28.ad finem,id quo ſcimus.
Pag.34.p.illis incumbat.
Pag.46.m.quas eſſe conſtat.
Pag.61.f.eaſdem vel diuerſas.
Pag.73.ad finem,Quod autem.
Pag.74.ad finem,poſita definitione.
Pag.75.principio,methodum in inueſtigando.
Pag.87.ad finem,animorum & ſententiarum.
Pag.88.ad finem,me ex eo tempore.
Pag.100.ad finem,bonorum omnium.
Pag.105.p.in Academia.
Ibidem,ad finem,contumelioſum & veterum.
Pag.107.p.dij te veterator.
Pag.111.m.excidiſſent.
Pag.129.m.mecum non collegerit.
Pag.131.m.paulo ante reieciſti.
Pag.141.f.de quibus agitur.
Pag.146.p.enodationis indigent.
Pag.148.p.quibus tuæ diſputationes.
Ibidem,ad f.reuocare conantur.
Pag.150.f.arbitratus es,quod equo.
Pag.p.quæ ſermonis de oratore.
Ibidem,ad medium,alter verò qui.
Pag.177.p.indagat.
Pag.191.ad finem,ſeruatríxque rerum.

Pag.222.ad m.hoc loco μίτεσν.
Ibidem,ad finem,materiæ ἄρθμος.
Pag.226.ad finem,ſimile efficitur.
Pag.229.ad finem,ante annos octo &,
Ibidem bonarum artium
Pag.240.ad m-eodem quo.
Pag.241.ad m.An fortes dicemus.
Pag.245.ad m.modo circumſcriptis.
Ibidem,materiæ & materiatis.
Pag.246.ad m.pœna indigent.
Pag.257.ad m.vnicè multa.
Pag.267.ad p.nomen appetens.
Ibidem,ad m.ſubiecto communicatam.
Pag.269.ad p.in Iouis limine.
Pag.270.ad p.validum & inuictum.
Pag.271.ad p,ad vnum genus.
Pag.286.ad finem,virtute atque ſapientia.
Pag.295.ad finem, ſtellam appellat.
Pag.299.ad finem,duo quidam progenitores.
Pag.319.ad finem,terra nona.
Pag.325.ad m.præter inſitam formam.
Pag.326.ad m.cœlum animal facit.
Pag.341.ad m.Neque Philoſopho,neque Chriſtiano.
Pag.353.ad m.regione quantamuis.
Pag.360.ad finem, Deo ſua ſubſtantia.
Pag.361.ad p.ipſiſque naturalibus.
Pag.370.ad p.improbi ſimus.
Ibidem ad finem,ſpecialis altera.
Pag.371.ad p.deuotæ ſunt.
Pag.374.ad p.interrogauit de
Ibidem ad finem,Ariſtotelis opinioni.
Pag.376.ad finem,conſuetudo congreſſúſque
Ibidem,terrenúmque & viſibile.
Ibidem,naturæ corporeæ.
Pag.374.ad m.differentia autem & controuerſia.
Pag.389.ad finem.Saporum nuntiæ.
Pag.412.ad p.in medio eſſe locatum.
Ibidem,ad finem,ad ſuam actionem innitatur.
Pag.434.ſi illis concederemus.
Pag.455.ad finem,vt animal naſceretur.

Totius operis parte posteriore.

Pag.15.ad p.In quo hoc ipso loco illa.
Pag.177.ad finem,furente domino.
Pag.196.ad finem,in rebus ipsis sensilibus & concretis.
Pag.213.ad m.si ergo,inquit Plato.
Ibidem,ad finem, sequi verò interitus expers.
Pag.248.ad m.in aqua ἀνάκαμψιν.

Alcionis
Institutes
ad d. Rit[illegible]

Seminar für Forstpolitik
der
Justus Liebig Universität

arbkarte #13
B.I.G.
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black
0 cm 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19